





Cordi.
1561.









Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
1604/D





IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR

VALERII CORDI SImesusij Annotationes in Pedacij

Dioscoridis Anazarbei de Medica materia libros V. longè aliæ quàm ante hac sunt euulgatæ.

EIVSDEM VAL. CORDI HISTORIAE STIRPIVM LIB. IIII. POSThumi, nunc primùm in lucem editi, adiectis etiam Stirpium iconibus: & breuißimis Annotatiunculis.

SYLVA, *qua rerum fossilium in Germania plurimarum, Metallorum, Lapidum & Stirpium aliquot rariorum notitiam breuißimè persequitur, nunquam hactenus uisa.*

DE ARTIFICIOSIS *extractionibus Liber.*

COMPOSITIONES *medicinales aliquot, non uulgares.*

HIS ACCEDVNT

STOCC-HORNII ET NESSI IN BERNATIVM HELVETIORVM DItione montium, & nascentium in eis Stirpium, descriptio Benedicti Aretij, Græcæ & Hebraicæ linguarum in schola Bernensi professoris clarißimi.

ITEM

CONRADI GESNERI DE HORTIS GERMANIAE LIBER RECENS, unà cum descriptione Tulipæ Turcarum, Chamæcerasi montani, Chamæmespili, Chamænerij, & Conizoidis.

Omnia summo studio atque industria doctiss. atque excellentiss. uiri CONR. GESNERI medici Tigurini collecta, & præfationibus illustrata.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo ad annos octo.
M. D. LXI.

1590

Francofurti ad Moenū.





E. LIBRIS
GULIELMI NORTH
A. M.
SID. COLL.
CANTAB.

Inclyto & spectabili Collegio medi-
CORUM IN ILLUSTRI ACADEMIA VVITEBER-gensi, CONRADVS GESNERVS *Medicus & Philosophiæ interpres in schola Tigurina salutem & pacem Christianam P.*



VALERII CORDI SCRIPTA QVAECVNQVE COLligere potui (clarissimi uiri & medici præstantissimi) ut in publicum tandem ederentur cum adornassem nuper, & singulos libros singulis patronis, illis ferè à quibus aliquos eorum acceperam, dedicassem: Primum qui eius in Dioscoridem Annotationes continet, in Iohannis Rallæ pharmacopolæ Lipsensis auunculi eius & studiorum promotoris benignissimi, nomē inscripsi. Paulò post uerò cum intellexi, optimum illum uirum, ex hac mortali uita nobis sublatum esse, ne suo patrono priuatus hic liber, nullo aduersus calumnias protectore muniretur, non illum solùm, sed pariter omnes eius lucubrationes (quanquam singulas, ut dixi, singulis etiam patronis dicaui) inclyto patrocinio uestro commendare iuxtà & nuncupare uolui: Idq; non leues ob causas. Cum enim tota Academia uestra, omnium quas Germania nostra habet, omni doctrinæ sacræ humanæq; genere excellentissimis doctoribus, longo iam tempore, facile principatum obtinet: tum medicæ facultatis Collegium nobilibus eruditione & uirtute professoribus floret. Huius autem cum aliquando alumnus atq; discipulus multis, ut accepi, annis Val. Cordus fuerit, (quamuis & Lipsiæ interdum, non paucis mensibus hæserit) omnes eius ingenij fœtus, ad eandem Facultatem ueluti parentem, quæ procul dubio ijs iam quasi pupillis, materno amplexu recipiendis, ac fouendis benigna sit futura, remittendos iudicaui. Nam & CL. V. Vitus Vinshemius, Cordum nostrum olim audiuisse amasseq; fertur, & Casparus Peucerus, magnificus nuper Academiæ uestræ Rector, medicus ac philosophus summus, Phœnicis illius Melanchtonis gener, notum charumq; eundem quin habuerit, non dubito: & alij fortè, quorū nomina ignoro. Mihi quidē, si fortassis miramini, nulla unquā cum Cordo uiuente notitia intercessit, sed singularē in materia medica doctrinam, ab eius obitu, prędicari cum audiuissem, & iam aliquos ab Euricio patre editos libros auidissimè perlegissem, nescio quę intra me cōsentientis naturę uis, ad illum amandū me pertraxit. Pulchrè Homerus: Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. Minùs uerò mirū est similitudine quadam tacitoq; cōsensu animos uiuentium trahi iungiq;. Sed à defunctis quoque ad eos qui supersunt admirandæ huiusmodi conuenientiæ & coniunctionis ingeniorum fomites manare, magnam sanè admirationem meretur: & ineffabilis quædam ἀπόῤῥοια (ut Democritus forsan loqueretur) aut σύῤῥοια hæc esse uidetur. Σύμπνους δὲ δοκεῖ καὶ σύῤῥους οὐ μόνον ὁ μικρότερος κόσμος κατὰ τὸν τῶν ἰατρικῶν ἀρχηγὸν Ἱπποκράτην: ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον καὶ πρότερον ὁ μέγας, ὁ τοῦ ὀλίζονος ἀρχέτυπον: καὶ τοῦτό γε οὐχ ἧττον κατὰ τὰς

ἀΰλους καὶ νοερὰς, ἢ τὰς ἐνΰλους καὶ αἰσθητὰς φύσεις. Sed hæc forſan nimis philoſophice: & Deo potius quàm naturæ συμπάθειαι tales acceptæ ſunt ferendæ. Ego certè, qui Val. Cordum de facie nunquam uidi, nec ulla naturali aut ciuili occaſione illum habui coniunctum, occulto quodam animorum (Αὐτόματοι δ᾽ ἀγαθοὶ ἀγαθῶν πρὸς ἔρωτας ἵενται) & mira ſtudiorum conſenſione, excitato in eius manes amore, modis omnibus, quæcunque literis mandauit conquirenda, exornandáque, cum aliàs, tum iconibus Stirpium additis, denique edenda ac defendenda per me, & alios optimos doctiſsimosq́; patronos, quorum uos principem locum tenetis, mihi propoſui: idq́; magna ex parte conſecutum me ſpero: eóque nomine Deo immortali gratias habeo: & præſtantias ueſtras, ut mihi, ſi audacius feci, ignoſcant, oro. huius enim audaciæ præclarus noſtro ſæculo Norimbergæ medicus Hieronymus Heroldus Lipſenſis, mihi ſuaſor fuit: Cuius conſilio ut procliuis ille meus in Cordum amor, ſic erga uos obſeruantia, facile ſubſcripſit. Cordi autem eiúſque librorum patrocinium, alacri paratóque animo uos ſuſcepturos, adeò non diffido: ut multis ad id uos cohortari ſuperuacaneum putem. Non equidem omnes eius opiniones defendendas dixerim, ut homines ſumus: ſed eas quæ ueritati conſonæ uidentur, ut ſunt pleræque: & ipſum in genere optimi iuuenis eruditionem, induſtriam & conatus, eius denique famam & gloriam, quam meritus eſt ampliſsimam. Recentiorum certè nonnulli ex inuentis ſcriptisq́; Cordi partim editis, partim non editis, & profecerunt, & ſua exornarunt ſcripta, nullo id candore confeſsi: id quod mihi, qui ſuam cuique laudem tribuendam cenſeo, non parum doluit, nec minima, ut de operum eius editione cogitarem, cauſa hæc extitit. Nuper doctiſsimus amicus meus de hiſce Cordi libris, his uerbis ad me
„ ſcripſit: Velim te in præfatione operum Val. Cordi ipſum excuſare, quòd
„ ultima manus eis non ſit adhibita. Profectus enim in Italiam, Romæ febri
„ ardente extinctus eſt: cum plurimas per Italiam ſtirpes obſeruaſſet, & mul-
„ ta in Annotationibus in Dioſcoridis libros emendaſſet: quæ omnia per
„ ſtudioſos quoſdam medicinæ fuerunt ſurrepta. In multis quidem ipſum
„ ſententiam mutaſſe affirmauit mihi piæ memoriæ uir Cornelius Sittardus
„ medicus, ſocius & comes peregrinationis eius, atque etiam morbi. nam e-
uaſerat ex morbo per quartanam. Sic ille: qui hoc etiam ſignificauit, anno ſuperiore, Valerij fratrem medicum Hildeshemij, chemiſticæ artis & remediorum quæ arte illa ad medicinam parantur peritiſsimum, diem ſuum obijſſe. Digna mihi certè quamuis imperfecta, Cordi ſcripta, quæ lucem publicam uiderent, & ad poſteritatem tranſirent, ſicut Auguſto olim Vergilij Æneis, uiſa ſunt. Nam uel inchoata peritorum artificum opera, imperitiorum operibus, quibus ultimam illi manum impoſuerunt, meritò præferuntur. Etſi uerò innumera à Cordi obitu ad hunc uſque diem, circa materiam medicam, quæ ipſum latuerant, inuenta ſunt, plurimis paſsim uiris eruditis in amœniſsimum hoc ſtudium magna cum æmulatione incumbentibus: Summa tamen hæc illius laus eſt, quòd inter primos fermè ſæculi noſtri harum rerum inueſtigatores, permulta inuenerit, paternæ omnino

eruditio-

eruditionis & gloriæ hæres. Nam, ſi quid ego iudico, pater eius Euricius, uir omni genere doctrinarum cultiſsimus, medicus peritiſsimus, & poëta optimus, dum uiueret, neminem in erudita Stirpium cognitione parem habuit. Patris uerò in materia medica ſtudium & induſtriam æmulatus filius, etiam ſuperauit: patris ad ſummam hanc laudem exemplo, iuuenili feruore, ingenij dexteritate, honeſtæ gloriæ ſtudio, peregrinationibus multis & longinquis, labore & induſtria maximis, denique ſingulari gratia Dei præeunte & continente reliquas cauſas omnes, excitatus, adiutus atque promotus: ita ut inter primos, principes & præcipuos quoſque reuocatæ ab omni antiquitate, ornatæq́; & auctæ Stirpium ac totius medicæ materiæ cognitionis, authores & aſſertores cenſeri ac celebrari apud omnem poſteritatem ſit commeritus, neque uir bonus aut eruditus quiſquam hanc ei gloriam inuidere debeat, aut poſsit. Quòd ſi Deo placuiſſet, diutius in hac uita eum relinquere, nemo omnium hodie, qui rei plantariæ cognitione excellunt, (pace ipſorum dixerim) hanc palmam ei præriperet, non magis quàm Herculi extorqueret clauam. Huius igitur Academiæ ueſtræ tanti diſcipuli, libros per me adornatos & editos (ne uel interirent, uel ab hominibus ambitioſis & alienæ gloriæ inſidiantibus premerentur,) ornatiſsimi & doctiſsimi uiri, ſerena fronte, placidóque uultu ſuſcipite, & quoad eius fieri poteſt, & par eſt, in clientelam receptos defendite: méque amantiſsimum obſeruantiſsimúmque ueſtri redamate. Valete: Tiguri. tertio Cal. Iunij anni M. D. LXI.

CON. GESNERVS MAGNÆ SPEI IVVENI N. IOANNIS RALLAE PHARMACOPOLAE LIPSENSIS, FOElicis memoriæ, filio S.

VCTAS ET EMENDATAS AB AVTORE, VAL. CORDI IN Dioſcoridem Annotationes, meo ſtudio edendas, optimo & præclaro in arte ſua uiro Ioan. Rallæ parenti tuo, Cordi autem auunculo, nuper dedicaram: ne uidelicet poſthumus liber, qui nunc uigeſimo ferè anno à conditoris ſui obitu in publicum prodit, inter tot Momos & alienæ gloriæ fucos, ſine tutore aliquo appareret. Æquum autem uidebatur, ut liber ab eo mihi communicatus primùm, (hunc enim ad me mittendum à parente tuo, ni fallor, Ioan. Placotomus inſignis medicus accepit,) ad ipſum reuerteretur: præſertim cum maximam ſtudiorum ſuorum partem libri author, eius ex ſorore nepos, ipſius benignitati promotioniq́ue, ut fama prædicat, acceptam referre ſolitus fuerit. His cauſis etiam tertia accedebat, quòd in ſimplicibus medicamentis dignoſcendis, ſumma parentis tui induſtria ac eruditio eſſet: id quod & alijs argumentis, & miſſo ad me olim cultiſsimi horti ueſtri locupletiſsimo Stirpium catalogo, facilè cognoui. Neque me latet multa egregia medicamenta, pharmacopolis & medicis pleriſque ante ipſum incognita, ab ipſo primùm ueſtra in regione demonſtrata fuiſſe. Itaque inſcriptam in eius nomen dedicationem primæ huius Cordi operum partis, ante paucos menſes ad typographum miſeram, nullo mihi domi exemplari ſeruato. Paulò pòſt uerò ſimul & optimum parentem tuum, fatis conceſsiſſe: & dedicationem meam in uia, neſcio quorum hominum perfidia, intercidiſſe intellexi. Illam quidem ſibi non ingratam fore perbenignis ad me literis, paulò ante mortem, iam ſignificauerat pater. Quòd ſi exemplar mihi ſuperfuiſſet, omnino idem denuo ad typographum miſiſſem excudendum. Vera enim ſolidáque gratitudo, non erga uiuentes ſolùm, ſed etiam defunctos, ſuum tuetur ac ſeruat officium. Et ſanè doleo ita contigiſſe. memini enim de Cordo in epiſtola illa quędam me protuliſſe, ab amicis accepta, quorum non amplius recordor. Ne uerò ſine patrono in manus hominum, quorum pleríque alienis laboribus utcunque elaboratis, obtrectant & inſidiantur, liber hic imperfectus perueniret, unius defuncti loco plures excellentiſsimóſque patronos delegi, totum nempe in illuſtri Academia Vuitebergenſi medicorum Collegium: qui omnes hoſce poſthumos Cordi libros, tueri ac fouere, ut equidem ſpero, dignabuntur. Tibi autem priuatim, egregij patris optime fili, has in Dioſcoridem Annotationes nuncupare uolui, ut ſicuti unicus ab eo filius es relictus, annum ætatis, ut audio, uix decimum ſextum agens, ita ut ad paternæ etiam gloriæ, induſtriæ, doctrinæq́ue faſtigium aſpires, te cohortarer, & currenti (quod aiunt) calcar adderem. Id ſi, ut cœpiſti, facere pergas, ſpes iuſta eſt, te quoque ad longam, patris inſtar, ſenectam, animo corporéque ualentem, domi tandem inter tuos, ſimiliter piè placidéque, tuo fato functurum, & ad uitam migraturum meliorem. Quod

quidem

quidem ut nobis, & omnibus Christum profitentibus, fœliciter eueniat, is ipse Dominus & Præceptor noster, unigenitus Dei æterni filius largiatur. Nos interea inter tot tantáque miserrimæ huius & ancipitis uitæ discrimina, ad tantum certamen nos præparabimus, ac meditabimur mortem: cuius exempla in omni ætate, fortuna, ualetudine, quotidie præter omnem expectationem uidemus. Nam uel ex amicis, quibus aliquos huius uoluminis dicaueram libros, perbreui sanè tempore, non solùm parens tuus, iam senex: sed etiam Philippus Bechius medicus eruditione præcellens, in uigore ætatis, cum hactenus semper optimè ualuisset, Basileæ: & iuuenis omnino Caspar Collinus pharmacopola non uulgaris, apud Vallesios, obierunt. Meditemur igitur communem omnium finem, ne nos miseros inopinatò opprimat. Vale, & me ama: méque uicissim tui amantissimum fore, propter Cordum præcipuè cognatum tuum, quem uides quanti faciam, tibi persuadeas. Tiguri Heluetiorum, anno Salutis M. D. L X I. Calendis Augusti.

CON. GESNERVS CANDIDO LECTORI S.

DOCTISSIMAE VTILISSIMAEQVE ISTAE VAL. CORDI Annotationes in Dioscoridis libros V. plurimũ ab ipso authore, paulo ante mortem eius, emendatæ (asterisco ✻ ubi aliqua super genuina lectione dubitatio, aut aliquid imperfectum erat adiecto) auctæq́, ab initio operis usque ad Libri II. Caput C VIII. (quod est de Hordeo,) nunc primùm prodeunt. Inter quæ etiam pulcherrimæ sunt de Succini, deq́ Sacchari natura disputationes. Quæ uerò deinceps sequuntur, quoniam ab authore morte præuento, absolui non potuerunt, ex prima editione, (quæ scripta ab eo antequam in Italiam uenisset, Francfordiæ olim publicata est, cum Gualtheri Riffii Dioscoride,) continuauimus. emendatiora tamẽ ea quoq; & explicatiora dedimus, cùm aliàs, tum ex breuissimis quibusdam ipsius Cordi (aut ex eius ore exceptis) in V. Dioscoridis libros Annotationibus manuscriptis. Hoc nõ dissimularim, nonnulla quæ superflua mihi uidebantur, & nihil quam oneratura lectores, (ut capita quędam in Libro secundo, super aquatilibus quibusdã animantibus, Cordo, aliisq́ eo tempore per Germaniam eruditis, adhuc incognitis,) penitus à me recisa esse: quòd non solùm utile nihil ex professo, sed ne obiter quidẽ continerent quicquam. In Capitum distinctione magna est uarietas: nos ferè iis numeris notauimus Capita, ut in Iac. Goupyli Dioscoridis editione Græcolatina Lutetiæ anno 1549. edita habentur. Notha quædam in Dioscoridis libris addita uel omissa, Capitũ uarietatem fecerunt, &c. iis nos aliquando nullum numerũ apposuimus, ut cùm Goupyli editione nobis conueniret. Porrò omnia ubiq; rectè dixisse & iudicasse Cordũ, ego mihi defendendum non sumo: nec libuit meas censuras ubique addere, etiam ubi potuissem: nam in multis ne potuissem quidem.

QVI NAM SCRIPTORES DIOSCORIDIS DE MEDICA MAteria libros, *& quomodo explicauerint. De nonnullis, quàm qui hodie uiuunt, liberius iudicabunt posteri.*

AMATVS Lusitanus medicus, primùm Ioan. Roderici Castelli Albi Lusitani nomine, in duos priores Dioscoridis libros, commentarios quosdam edidit: deinde rursus Amati Lusitani nomine Enarrationes in quinque Dioscoridis libros: quæ

Venetiis primùm excusę sunt, mox Argentinę apud Vuendelinum Rihelium, anno 1554. in 4. Nomenclaturas rerum in uulgaribus linguis, Italica, Hispanica, Gallica & Germanica adiecit. Totus ad rerum cognitionem inclinat: in quibus multa quidem bona & rara docet: sed non rarò etiam aberrat. Multa aduersus errores eius Matthiolus nuper scripsit. Audio eum emendasse plurima, & nouam editionem moliri. Vide etiam infra in R. Constantino.

ANDREAS Lacuna Segobiensis, medicus Iulii III. pont. max. Annotationes in Dioscoridem iuxta uetustissimorum codicum fidem elaborauit: quas Gul. Rouillius impressit Lugduni 1554. in 16. In præfatione scribit se Dioscoridis libros in Hispanam linguam uertisse, & scholiis minimè pœnitendis illustrasse. (Eum codicem Antuerpiæ excusum audio cum iconicis figuris.) Quo labore, inquit, dum fungerer, annotaui septingentos uel plureis locos, in quibus author ille, partim peruersus ab interpretibus Latiis, (in Ruellii quidem translationem potissimùm animaduertit:) partim mutilus ac truncus, partim genuina sua priscaq; destitutus dictione, conspiciebatur: quos omnes quam accuratissimè fieri potuit, castigaui, ac restitui, adiutus antiquissimo ac integerrimo codice manuscripto, &c. Nuper etiam libellus quidam huius authoris, duabus (si bene memini) chartis conscriptus, aduersus Cornarii Dioscoridis librorum interpretationem editus est.

BARTHOLOMAEVS Marantha Venusinus medicus, condidit Methodi cognoscendorum simplicium medic. libros tres, eleganter profectò & eruditè: quos suis typis publicauit Vincentius Valgrisius Venetiis, anno 1559. in 4. Hi ad Dioscoridis innumera loca rectè intelligenda utilissimi sunt: ut cōmentarii quidam in eius libros, non grammatico tamen, sed philosophico more instituti, uideri queant. Promittit autem ex professo etiam in Dioscoridem commentarios: quos ualde desyderamus.

BENEDICTVS Textor Segusianus, medicus per eruditus, libellum De stirpium differentiis ex descriptionibus Dioscoridis, utili sanè & pulcherrima methodo digessit. Is in Gallia primum prodiit: deinde Argentinæ apud Vuendelinum Rihelium Hier. Tragi Stirpium historiæ coniunctus.

CONRADVS Forerus Vitoduranus, iuuenis doctissimus, amicus noster, easdē, ut Benedictus Textor Stirpium differentias digessit, non quidem è Dioscoridis solum, sed etiam Plinii & Theophrasti editionibus. Nondum excusas puto.

CONRADVS Gesnerus. Lege in Oribasio.

FAVSTVS Longianus Dioscoridem in linguam Italicam ante P. Andream Matthiolum conuertit.

GVALTHERVS Riffius Argentinēsis, ante decenniū (circa annū Domini 1548.) si probè memini, defunctus, Dioscoridis libris à Ioan. Ruellio translatis, imagines crassiusculè factas, & breues explicationes adiecit: quas Christianus Egenolphus impressit Francoforti, anno 1549. in fol. unà cum Valerii Cordi nostri in Dioscoridem annotationum editione prima, sicuti diximus. In iis quidem nihil ferè suum adfert: sed aliorum fermè scripta repetit, satis breuiter.

H.B.P. medicus nescio quis, neque enim aliter quam tribus his literis innotescere uoluit: Annotationes breues singulis Dioscoridis capitibus ex interpretatione Ruellii subiecit, Adiectæ sunt etiam icones, perparuæ & crassiusculæ. Balthasar Arnolletus excudit Lugduni 1550. in 8. In exprimendis (inquit) simplicium facultatibus & forma, Galenum secutus sum: in priuata uerò simplicium censura, eximium illum & eruditione & perspecta diligentia Matthiolum reddidi, &c.

HERMOLAVS Barbarus patritius Venetus, uir eruditionis nomine nunquā satis laudatus, Dioscoridem nobis primus Latinū reddidit, elegantissima quidem & Pliniana dictione: ubi tamen accusatur, quòd nimio Plinium imitandi studio nonnunquam à Dioscoridis sententia recesserit. Adiecit etiam Corollarium longè doctissimum, & uarii argumenti, quo non Dioscoridem solum & rem medicam illustrat: sed simul utranque linguam & omnem philologiam pulcherrimè exornat.

Diosco-

Dioscoridis librorum interpretatio una cum Corollario, impressa est olim in Italia. Corollarium uerò duntaxat in Germania Argentinæ apud Ioan. Schottum 1529. in fol. cũ Io. Ruellii interpretatione, & Marcelli Vergilii Cõmentariis ab Othone Brunfelsio decurtatis: ita ut singulis capitibus suũ Corollarium subiiciatur. Et eodem anno Coloniæ apud Io. Soterem in fol. post Dioscoridis contextum Græcum, & Marcelli Vergilii è regione interpretatiõe, subnexis ad singula capita eiusdem commentariis integris, seorsim in operis fine.

IACOBVS Goupylus rei medicæ hoc tempore disertissimus professor Lutetiæ, dedit Castigationes in Dioscoridis libros, breuissimas, sed utilissimas: quibus contextus Græcus collatis exemplaribus diuersis, (excusis & manuscriptis, & locis ueterum medicorum Dioscoridem citantium: & interpretationibus quibus Latinè recentiores quidam huius scriptoris libros uerterunt, ac olim Plinius, &c.) emendatur. Arnoldi Birckmanni uidua publicauit Parisiis 1549. in 8. una cum Græco Dioscoridis contextu, & interpretatione Ruellii è regione.

IANVS Cornarius Germanus Zuiccauiensis medicus, Dioscoridis De materia medica libros V. & unum De bestiis uenenum eiaculantibus, alterum De letalibus medicamentis, Latinos fecit. prioribus quinque Emblemata addidit: posterioribus Expositiones. Opus euulgatum est Basileæ in officina Frobeniana, anno 1557. in fol. In his emblematis & expositionibus, etsi rerum cognitio non admodum ultrà quam ab aliis prius locupletatur: uocabulorum tamen in utraque lingua uis ac proprietas plurimorum pulchrè explicatur: & genuina lectio passim tum Dioscoridis, tum Plinii, locis innumeris inuicem collatis restituitur.

IOAN. Agricola Ammonius, præclarus Ingolstadii nostro seculo medicinæ interpres, reliquit Indicem copiosum simplicium medicam. à Dioscoride proditorum: & alium communem libris de simplicibus, Dioscoridis, Galeni, & Serapionis.

IOAN. Baptistæ Egnatii in Dioscoridem Annotationes extare feruntur, quas nondum uidi.

IOAN. Dantzius Germanus, (quo cum aliquando Italiam ingressus sum, fertur autem obiisse Francoforti ante annos aliquot,) Dioscoridis uolumen in Germanicam linguam transtulit: quod Francoforti, ni fallor, cum iconibus excusum est.

IOAN. Lonicerus Germanus, qui longo iam tempore, in Academia Marpurgensi floruit, Scholia quædam in Dioscoridis libros composuit, cum nomenclaturis Græcis, Latinis, Hebraicis & Germanicis. Liber impressus est Francoforti 1543. in fol.

IOAN. Manardus Ferrariensis medicus, in doctissimis epistolis suis cũ alia multa passim ad cognitionẽ medicaminũ simplicium eruditè docet: tũ in prima libri 8. epistola Marcelli Vergilii interpretationẽ in primum Dioscoridis librũ examinat.

IOAN. Ruellius Suessionensis, medicus, Gallus, Dioscoridis libros Latinè expressit inter primos nostra memoria, post Hermolaum quidẽ, sed ante Marcellum, à quo aliquoties notatur. deinde eandem interpretationem recognouit, ita ut cæteris ferè omnibus hodie à doctissimo quoque præferatur. Emendari tamen in ea quædam poterunt, à Iacobo Goupylo, Andrea Lacuna, Cornario, & Matthiolo obseruata. Eiusdem Ruellii De natura stirpium libri iii. eleganter & copiosè conscripti, ueluti commentarii quidam cum in Dioscoridis tum aliorum De plantis libros existimari possunt. Ii Lutetiæ primùm, deinde Basileæ excusi sunt: & nuper à quodam (ut audio) in Compendium contracti.

MARCELLVS Vergilius Florentinus Dioscoridẽ, mox post Hermolaũ & Ruellium Latinitate donauit. & commentarios doctissimos adiecit: in quibus partim Dioscoridis uerba explicat, partim translationis suæ rationem reddit, partim uerò Hermolai translationem reprehendit. Ad ipsam quidem plantarum rariorum aut incognitarum notionem non multum emolumenti adfert.

MELCHIOR Guilandinus Borussus scripsit quædam de erroribus Matthioli in Dioscoridem commentariorum, &c.

ORIBASIVS Sardianus Collectorũ libris undecimo & duodecimo, simplicium medicamentorũ descriptiones Sex Dioscoride præcipuè (ordine literarum proponit. Euporiston uerò libro 2. eodem ordine, facultates ac uires eorum, ex Galeno opinor mutuatus. Ii Baptista Rosario Nouariensi medico interprete Latini extant, excusi ab Isingrinio Basileæ 1557. cum reliquis Oribasii. Quòd si Græcè etiam eorũ copia daretur: possent fortè Dioscoridis quędam inde emendari. Nos quoq; Historiam plantarũ dedimus eodem ordine, ex Dioscoridis descriptionibus: quibus ex Theophrasto, Plinio, & recentioribus Græcis multa addidimus: uires autẽ breuissimè ex Paulo Aegineta, &c ea excusa Basileæ in 8. anno 1541. & est mox etiam Venetiis in 16.

OTHO Brunfelsius Moguntinus Marcelli Vergilii in Dioscoridem commentarios decurtauit, ut supra in Hermolao diximus.

PETRVS Andreas Matthiolus Senensis Dioscoridem primùm Italicè interpretatus est, & commentariis in eadem lingua copiosis illustrauit. Deinde etiam Latinè reddidit, adiectis figuris quam plurimis elegantissimisq; stirpium. Vincentius Valgrisius excudit aliquoties Venetiis, nõ sine nouo semper auctario. Nunc etiam Pragæ in Bohemia ubi author degit, Bohemica Germanicaq; lingua idem opus, cũ maiusculis & perpulchris iconibus, longe auctius excudi, aut excudendum esse breui audio, primum Bohemicè & Germanicè, deinde etiam Latinè.

PETRI Paduani Additiones quasdam in ueterem translationem Dioscoridis (quæ ferè integra habetur in Syluatici Onomastico & Io. filii Serapionis libro de simplicibus) extare aiunt.

R. CONstantinus edidit Correctiones Lemmatũ & Adnotationes in Amati Lusitani enarrationes, cũ illis pariter excusas Lugduni à Guil. Rouillio 1558. in 8. unà cum iconibus ex Fuchsii ferè libro desumptis, exiguis.

VALERII Cordi Simesusii Annotationes doctissimas in Dioscoridis libros V. secundo ab authore auctas & recognitas &c. Iosias Rihelius cudit Argentinæ anno 1561. in folio, unà cum libris quatuor eiusdem, quibus Descriptiones Stirpium uariarum continentur, & alia quædam egregia: & Con. Gesneri De hortis Germaniæ libro.

Audio & Rufi ac Plutarchi quædam fragmenta in Dioscoridis libros extare Gręcè in Italia, nondum excusa: quorum copia facta sit Aloisio Anguillarę Romano, horti medicorum Patauii procuratori, uiro in uariarum stirpium cognitione summo & facile principi: ut fama loquitur, & ipse (spero) propediem suis lucubrationibus declarabit.

ABEN Bitar (uel, ut alii scribunt, Ebenbitar) scripsit De simplicibus medicamentis opus insigne & magnum, ordine alphabetico, citatis authoribus, quod à Bellunensi aliquoties citatur, qui & Arabicum expositorem eum alicubi nominat. Hoc non ita pridem ex peregrinatione sua in Orientem doctissimus uir Guil. Postellus secum aduexit. In eo (inquit in epistola, quam de suis ac peregrinis & secum aduectis libris olim ad me dedit) simplicia quam plurima & remedia innumera, quorum nec nomen, nec uis, nec usus nobis adhuc innotuit, sunt expressa: atque omnia ita absolutè, ut quicquid super iisdem medicamentis apud Dioscoridem, Galenum & Oribasium imperfectum & mutilatũ est, ex hoc uolumine restitui & sarciri possit.

DIOSCORIDI falso attribuuntur libri duo Græci, quos manu scriptos habeo, De curandis morbis, per simplicia ferè medicamenta, secundum morborum genera digesta, &c. Eos breui latinè edendos spero, Io. Moibano doctissimo Reipub. Augustanæ medico interprete.

IOHAN-

IOANNES CRATO FERDINANDI CAESARIS AVGVSTI MEDICVS, CON. GESNERO MEDICO Tigurino S.

VAM SYNCERVS ET CANDIDVS SIS AESTIMATOR voluntatis amicorum, optime & doctissime Gesnere, abunde satis testantur, literæ tuæ 23 Augusti scriptæ. Eas cùm heri acceperim, uides quantò post ad me perlatæ sint, quàm fuerant datæ. Fuisse autem mihi uehementer gratas atque optatas, dubitare non debes, etiamsi in animi mei declaratione non utar pluribus uerbis. Nihil enim humanitatis studioso & cum fide amicitias colenti, quo in genere hominum me semper esse & numerare uolui, pari erga se uoluntatis testificatione optatius. Quod igitur ad mutuam beneuolentiam & amicitiæ nostræ firmitatem attinet, ea iacta fundamenta confido, quæ eam sustinere, & certam præstare posint. Officiorum autem uices ita reddam, ut omnia potius mihi defuisse quàm summam uoluntatis propensionem intelligas. Ac nunc nihil æquè cupio, quàm iuuare me posse editionem tuam scriptorum Valerii Cordi, mihi dum in uiuis esset, coniunctissimi & amicissimi. Sed quid possum in tanta temporis angustia? Ineuntis ætatis & primę adolescentiæ eius studia non mihi sunt explorata: neque, ut arbitror, hæc scire multum refert. In familiaritatem eius deueni ante annos uiginti, cum uterque nostrum audiret Philippum Melanchthonem explicantem Nicandri Alexipharmaca. Omnia in illo dona conspiciebantur naturæ, quæ cum homine nascuntur: & mentem doctrina à pueris institutione patris excoluerat. Erat moderatis temperatisq; moribus, & ad omnem uitæ consuetudinem aptus. Ingenii tanta ui præditus, ut ubicunque id intenderet, non natus ad hoc quod agebat, sed à Deo uictus uideretur. Præcipue autem possessionem artium sibi quasi hæreditario iure à patre Euricio Cordo, (quem Poëtam & Medicũ eximium fuisse scripta ostendunt,) relictam, augendam atque amplificandam putabat. In Poëticis rariusculè sese exercebat: Verùm laudabile carmen scribebat. In rei Medicæ inuestigatione erat totus: & non solùm studium, sed ardorem quendam amoris, (sine quo, ut Cicero inquit, nihil quicquam egregii unquam assequimur,) præ se ferebat. Et cum studium (ut idem ait) perueniendi aliquo nihil prosit, nisi illud quod eò, quò intendas, ferat deducatq; cognoris: laboriosas sępe peregrinationes unius simplicis Medicamenti inuestigandi causa, suscipiebat: perscrutabatur omnia loca Metallica, præcipuè Misniæ & Saxoniæ: herbas mirifico studio inquirebat, nihil non molestiarum perferens, ut in exactam cognitionem earum perueniret. Itaq; & inter uarias oberrationes & profectiones, ut quæ bona essent, meliora redderet, perpetuò ueterum descriptiones attentè considerabat, easq; tanquam ungues notas sibi facere conabatur. Hæc autem uitæ & studiorum ratio faciebat, ut ea quæ scripsit αὐτοσχεδιάσματα potius, quàm elaborata & perpolita uideantur. Dioscoridẽ in schola Vuitebergensi ter legit, ac primò quidem ea dictauit, quæ nescio quomodo extant. Peruagatus deinde Thuringiam atque uicina loca, multa mutauit, & alios quasi Commentarios in Dioscoridem confecit. Atque hos postremos arbitror ad tuas manus peruenisse. Priusquam uero iter in Italiam profecturus ingrederetur, tertiò Dioscoridem in gratiam quorundam amicorum enarrauit. Sed in prælectione nec ipse quicquam scripsit, neque aliis dictauit. Quæ autem docuerat, singulari studio obseruata & scripta D. Iohannes Aurifaber, uir pietate & doctrina excellens, ornamentum patriæ nostræ, & scholę Regiomontanæ, Sambiensium Episcopus, popularis meus, mihi pro perpetua nostra necessitudine & in amicitia fide communicabat. Ea nisi ad textum Dioscoridis mei essent scripta, & talia, ut pleraque omnia in iis libris, quos te diuulgare uelle scribis, reperiri existimem: iam nunc tibi optime mi Gesnere mitterem. Interea, ne prorsus officium meum tuæ uoluntati defuisse uideatur, accipies cum his literis festinanter, ut res ipsa ostendit, scriptis, doctrinam quandam Cordi de Oleis destillatis, & extractionibus, ut uocant, quibus

addidi rationem conficiendi olei Vitrioli: cuius author Valerius Cordus perhibetur, uerè an secus, ad meum iudicium nõ reuoco, cum ipse in eo quædam desiderem. Habebam prius exemplum admodum corrupte scriptum: uerum nuper Ioachimus Camerarius F. quem & propter parentem uirum summum, ac Germaniæ singulare decus, & propter suauissimos mores, diligentiam, industriam, & rei Medicę studium, diligo, ad me multo emendatius misit. Hoc igitur accipies, atque cum iis, quæ ad te peruenisse scribis, conferes. Arbitror Ioachimo à Iohanne Ralla Pharmacopola Lipsico, scripti copiam factam: certum non scio. Eum Valerius Cordus ut parentem, propter coniunctionem, quæ ei cum patre Euricio fuerat, colebat, nec illius authoritatem etiam contra suam uoluntatẽ, negligebat: cum & Ralla uicissim Cordum, quibus posset officiis prosequeretur. Ac eius quidem rogatu primùm Dispensatorium, ut uocant, collegit. Postea Casparus Pfruend, qui illis temporibus Pharmacopolio Vuitebergensi præerat, & nunc iucundos aspectu atq; rarioribus herbis excultos Torgæ hortos habet, obsequio quodã uictus, eas annotatiunculas, quas editas cõspicimus, addidit, atq; in istum ordinẽ, quo Senatui Norimbergensi hæc sunt exhibita, redegit. Cæterùm quam hoc fecerit inuitus, & quàm uix rectum putauerit, ut ex suo quasi præscripto hæc uel illa fierent, memini: & haud dubiè, si diutius in uita fuisset, plurima in eo libello emendasset, nec sic ut nunc est, exiisset. Sciebat enim illud, in quo quis offenditur, etiam ea quæ laudanda sunt sæpe obruere: ac memini cum Ianus Cornarius me præsente libellum recens editum inspiceret, & appellationem confectionis Diathamaron à Thamar, quod Arabibus Dactylũ significare Cordus arbitrabatur, deductam uideret, suauiter eum ridere, atq; διὰ κατὰ μόρου, quasi contra mortem ualeat, dictam existimare, siue hoc recte, siue non recte, aliorum sit iudicium. Habeo & Censuram Aloisii Anguillaræ Romani mihi amicissimi, & rei herbariæ peritissimi uiri, de Dispensatorio non inutilem, quam breui si hoc permittente Aloisio facere potero, uidebis. Nunc cum non satis sciam an Aloisio δεύτεραι sint de his φροντίδες, non uolo ea publica facere, quorum illum pudere aut pigere ullo modo posit: iniustissimũ enim esse arbitror diuulgare contra uoluntatem hominis amici ea, quę ipse omni studio continere cupiat. Vt autem ad Cordum redeam, priusquam Germaniam relinqueret, Theriacam magno studio composuit, quam pręclari Medici singulari atque admirabili dexteritate esse factam, in difficillimis curationibus sunt experti. Reliquit & amicis alias suas Compositiones uarias, inter quas inprimis cõmendantur Pastilli è Succino, quos in gratiam Andreæ Aurifabri artis Medicæ Doctoris eximii & principis Borussiæ &c. Archiatri, amici nostri fecerat, quem miro successu iis uti in sui curatione ipse uidi, cum sanguinis mictu laboraret. Sed Compositiones Cordi longum esset recensere. Adiuncto autem sibi opt. & doctissimo iuuene Hieronymo Schreibero Norico, cuius diligentiæ magnam partem Curationum, & consultationum Montani, quæ extant, rei Med. studiosi debent, qui postea Parisiis est extinctus, atque in eius cysti fellis insignis calculus, ut commemorante Iohanne Pontano audiui, repertus. Hoc, inquam comite, cum aliis quibusdam Anno 1542. est in Italiam profectus, in qua diligentiæ, industriæ & singularis studii omnia, quæ terra atque mare habebat, inuestigandi plurimos testes & admiratores etiamnum habet, qui sciunt ex rebus penitus perspectis planeq; cognitis atque ab omni arbitrio seiunctis, Cordum ea pronunciasse, quibus apud Italos, uiros doctos, magnam scientiam tandem sit consecutus. Non totum biennium Pataui & in uicinis locis uixerat, cùm Hieronymo Schreibero comite, Romam abiit, in itinere multum defatigatus, inquisitione & inspectione herbarum & aliarum rerũ in Appennino, quibus illas doctrinæ suæ copias augeri posse arbitrabatur, ex defatigatione largiori esu fructuum & potentioris uini potu, cum bidui aut summum tridui itinere Roma abesset (obsequebatur enim amicis, præsertim ei, quem præter Schreiberum secum habebat comitem, interdum immodice) in febrim incidit: qua non multo post, cum grauia Symptomata accessissent, summo rei Medicæ detrimento, Anno 1544. Sept. Cal. Octob. cum

natus

natus esset Anno 1515. extinctus est Romæ grauissimumq; desiderium sui amicis in Germania reliquit. Totum igitur uitæ breuis curriculum, in quo tot arcana naturæ eruit, cognitionem herbarum, metallorum, piscium (eos enim quos Adriaticum habet mare, singulari studio depingendos curauit) monstratis ueterum descriptionibus illustrauit, atq; auxit: & de plurimis homo adolescens & Germanus Italos senes, (ea tamen uirtute prędítos, ut multi de se, ἡβάσκω potius quā γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος, dicere possint, erudiuit) fuit annorū uiginti nouem, cū longiori quidē spacio esset dignissimus, Ideoq; in dolore quē recordatio Cordi nobis facit, uerissimè possumus usurpari, quod Poeta dixit: Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris: & illud Ioachimi Camerarii summi mei amici, quod alludens ad cantilenā Laconicā scripsit nobis ipsis occinere, Νῦν ὄυτοι, πρόσθεν δ' ἕτεροι, μετέπειτα δὲ ἄλλοι. De Valerii Cordi sepultura diligenter quęsiui, cū anno 1548. Romę essem, ac audiebamus in sacra æde Germanū esse humatum. Verùm primò quidem nō potuit nobis commonstrari locus: postea cum reuersi essemus Neapoli Romam, incidimus in Chirurgum quendam Germanum hominem, qui morienti adsuerat, is ad Mariæ de anima, D. Iohanni Baptistæ & D. Paulo Heinzeliis, Senatoribus Augustanis, & D. Adolpho Occo Medico Augustano atque mihi sepulchrum eius commonstrabat, & hæc quæ scripsi de uitæ exitu commemorabat. Pro eo autem, quo D. D. Heinzelii (quorum beneficio mihi contigit Italiam perlustrare) in rem literariam sunt animo, cuidam mandata dabant de Epitaphio conficiendo: uerum Iohannes Brunsterus, qui deinceps Romam est profectus (ut accepi) hoc cessante illud fieri curauit, qui & ipse cum in Germaniam esset reuersus, Norimbergæ, quæ illi patria erat, diem suum obiit. Hęc, ut grato animo, & honoris amicorum etiam demortuorum studiosus, recito, ita tibi gratias ago, cum pro naturæ tuæ bonitate & candore, non solùm memoriæ Valerii Cordi faues, uerumetiam aliorum studiosissimum te esse declaras, & ipse famam tuam undique puram eo modo exhibes, ut neque ex ullius ignominia, id quod quidam faciunt, laudem quæras, & laboris pręmium, quod ex prædicatione est, iis etiam, qui tenuiter tuos summos adiuuant, & quibus à natura minora sunt datatribuas. Denique excitas plurimos, & operas ingenii tui melioribus scriptis illustrari uel etiam obscurari gaudes. Sed de Valerio Cordo satis. Ad reliquas Epistolæ tuæ partes respondebo quam primum aliam occasionem mittendi ad te literas nactus fuero. Nunc hanc negligere nolui, Iaspidem nostratem mitto, & Margam quam Dalmata quo scripsi, pro terra Lemnia uenditat. De Herba Split non conquiescet cogitatio mea dum aliquid extricem. Cętera reseruo proximæ Epistolæ, tibiq; hoc de me, quod ueteres in conditionibus scripserunt, affirmo, me quibus sciam poteroq; modis, tibi summa fide & uolūtate omnia grata facturum. Bene uale. Salutat te & Lælium Soccinum, cui & ego salutem opto, Zacharias Vrsinus. Vratislauiæ ex meis ædibus die Lucæ Medici & Euangelistæ Anno 1559.

EX EPISTOLA GE. AGRICOLAE (CVIVS COPIOSISSIMI DOCTISSIMIQVE DE IIS QVAE EX TERra effluunt & effodiuntur, libri extant) ad Vuolfgangum Meurerum epistola.

VAlerius Cordus, quoad uixit, non cessauit ad me mittere omnia, quibuscunq; iuuari atque ornari mea studia possent, iuuenis longa uita dignus, sed perpetua dignior.

EX GVALTHERI RIFFII ARGENTINENSIS, IN PRIMAM VALERII CORDI ANNOTATIONVM in Dioscoridis libros editionem, præfatione.

FVIT in Val. Cordo cum in uniuersa medicina perdiscenda, tum uerò præcipuè cognoscendi Simplicia med. incredibile studium: ad quod illum parens Euricius medicus, idemq; poëta clarissimus & authoritate & exemplo inflammauit, qui filium ab incunabulis inter ipsas herbas ac flores educari uoluit. Accessit ad optimam institutionem, ingenium acre, & rara naturæ felicitas, cui nihil arduum aut inaccessum esse posset: ad hæc, mirabilis industria atque assiduitas in inquirendis rebus, insuper & perceptorum fidissima custos memoria, qua ita excellebat, ut integras descriptiones singularum rerum ac diuersorum authorum secum ubique animo circunferret, ac expromeret ubi opus esset. His dotibus breui tempore eò progressus est, ut excellentes medici ac senes discendi gratia adolescentem frequentes accederent. Subinde etiam uarias peregrinationes suscepit, quò certius & exactius omnia suis ipsius oculis subiecta cognosceret: ne ue aliorum narrationibus (quod pluribus accidisse uidebat) deciperetur. Ac primò quidem perlustrauit omnem ferè Germaniam, ac uicinas Septentrionales regiones. Intrauit horrentes saltus, superauit editissima montium iuga, demisit se in profundissimos specus: & pleraq; summa diligentia peruestigauit, quæ in istis partibus gignuntur, paucis hucusq; nota. At quoniam bona pars medicamentorum exoticis constat, ne illa parum cognita haberet, conuertit se ab Aquilone ad alteram mundi plagam, adscitoq; uno atq; altero comite peruenit in Italiam: ubi breui nouus ille hospes propter ingenii præstantiam, multis admirationi esse cœpit. Sed, quæ est humanarum rerum fragilitas, in ipso studiorum cursu è medio sublatus est, magno cum dolore omnium doctorum, & inæstimabili iactura totius medicinæ.

EX BIBLIOTHECA CON. GESNERI.

EVRICIVS Cordus Simesusius, natione Germanus, Valerii pater, utraq; lingua doctus, Marpurgi medicinam professus est: & rem herbariam non parum adiuuit. Botanologicum eius, siue Colloquium De uariis herbis, excusum est Coloniæ apud Ioan. Gymnicum anno 1534. in 8. chartis 13. eodem anno ab authore scriptum. Idem Theriaca & Alexipharmaca Nicandri poëtæ Græci Latinis uersibus heroicis reddi dit eleganter. Liber impressus est apud Egenolphum Francforti anno 1532. in 8. chartis 5. Epigrammata quoq; scripsit, præsertim à Græcis translata.

ANDREAE

ANDREAE ELLINGERI MEDICI EPIGRAMMA DE INVENTORIBVS SCORDII ET CHAmædryos in Germania.

Scordion à Scorodo dictum, quòd spiret odore
Allia, nunc uestit flore rubente comas:
Propter aquas & putre solum stagnantis Elestri,
Qui nostros tardis flexibus ambit agros.
Caule breui, folijs instar Trissaginis herba,
Mansa leuem gustu prodit amaritiem.
Virtute eximia: membris agit omne uenenum,
Præstat ab immunda corpora tuta lue.
Quæsitam multis uni tibi Corde repertam
Scimus, & huic meritò nunc quoque durat honos.
Vdo crescentem in saltu prope mœnia doctæ
Vrbis, ubi flauas deuehit Albis aquas.
Te quoque, qui certa medicamina conficis arte,
Nonnulla inuenti gloria Rhalla manet.
Primus Elestrinis humilem deprendis in oris,
Quæ tibi carpenti uisa Chamædrys erat.
Verum odor indicium fecit manifestus, habentis
Quas illi ueterum dant monumenta, notas.
Quid? qua laude ueh† studium, quo plurima nobis
Planta peregrini cognita facta soli est?
Quis ferulam nosset, quis odoriferam Panaceam?
Quis te pictorum mollis Acanthe labor?
Quis Cynaram, Asphodelon? quis purpureos Hyacinthos,
Stœchada, Dictamni Grossiacique comas?
Si nostri paulùm cessaret cura Crateuæ:
Quo duce Plantarum surgit odora seges.
Quas tener illius feliciter educat hortus:
Sæua licet, Borea flante, repugnet hyems.
Grati agnoscamus Cordi Rhallæque fidelem
Quam studijs operam nauat uterque bonis.

VALERII CORDI SImesusij, in Pedacij Dioscoridis ANAZARBEI PRIMUM DE MEdica materia librum, Annotationes.

DE IRIDE. CAP. 1.



RIS, SIVE IREOS, SIVE IRIDIS, IN GENITIVO CASU PROferas, eadē est planta, quapropter inepte quidam tanquam diuersas distinguunt, Iris & Ireos. †Est autem Iris Illyrica ea radix, quæ in pharmacopoliis Ireos & Germanicè Violwurtz appellatur, non quod uerè sit uiolæ radix, sed quod odore uiolas imitatur, ea propemodum sola ab authoribus cunctis aliis eius speciebus præfertur. Nascitur etiam apud nos & proprie uocatur Blaw lilien / Blawschwertel / & Schwerthew. Sed suas habet quibus ab Illyrica distinguitur notas. Est enim horribiliore odore iniucundior, & multò maiore acrimonia gustanti molestior, faucesq́ grani Gnidii modo exurit, quapropter caliditate quidem Illyricam plurimum superat: sed quanto hac illa est superior, tantò etiam aromatico odore & sapore inferior existit. Vehemētius quoq́ aluum quàm Illyrica purgat. Est etiam in floribus differentia, siquidē nostra Iris purpureum fert florem, in arcus cœlestis colorem uariantem, unde totum Iridis genus nomen inuenit. Illyrica uero candidum producit.

† Vulgò Lilium cœleste uocant.

DE ACORO. CAP. 104.

Persuasum omnibus est Acorum eam esse herbā, quæ à nobis Gelbschwertel appellatur, quantum uero hæc à ueritate distet opinio, facile intelligunt qui rationem & communes sensus habent. Acorus enim in tertio calefaciendi ordine à Galeno ponitur, cum qua facultate etiam iucundum & aromaticum tam odorem quam saporem habet. Qui uero apud nos prouenit, falsò appellatus est Acorus: nihil acrimoniæ, nihil item quod aroma redoleat aut sapiat sortitus, sed austeri & acerbi saporis plurimum. Hinc necessario sequitur eum cōtrarium uero acoro temperamentum habere. Atqui hoc non concesserim, eum sic in nostris terris degenerare, nam quamuis hic ipse falsò uocitatus Acorus etiam in calidis regionibus nascatur, eandem tamen seruat austeritatem: & econtra uerus Acorus frigidioribus locis nascens, eandem habet acrimoniam, quam in Syria multo calidiore terra enatus. Porrò uerus Acorus multorum iudicio nihil aliud est, quam illa radix quæ hodie in omnibus totius Europæ pharmacopoliis calamus aromaticus appellatur: cui sententię nos quoq́ eo usq́ subscribimus, donec nos erroris cōuincat aliquis, multis id enim argumentis demonstrari potest, ea omnia adducere longum foret: interim nobis sufficiat uirorum bonorum fides & authoritas, qui in Syria nostrum falsò uocatum calamum nasci uiderunt, iisdem omnibus insignem notis quibus Acorus describitur. Quod autem uero Calamo aromatico careamus, suo demonstrabitur loco. Antonius Musa magni nominis in Italia Medicus, Acorum putat esse uerā & omnibus cognitā Galangam, quam sententiam affirmare nō possum. Multò etiam minus eos probamus, qui Galangam maiorem ante paucos annos afferri cœptam, uerum Acorum esse autumant, in quam opinionem ipse quoq́ penè seductus fuissem. In ea autem adhuc sunt plures medicorum, inter quos est etiam Leonhardus Fuchsius clarus apud nos medicus. Sed cum utraq́ Galanga Cypero sit cognata, Acorus uero Iridi, diuersum iudicauimus. Nobis etiam compertum est maiorem Galangam foliis, caulibus, & ⁎ palearèis, flore, & semine, Cypero similem esse, sed undiq́ maiorem, nec habet grandem Iridi aut pseudoacoro æqualem & luteum florem qualis Acoro est. Acorus præterea in confortan

Galanga.

de uentriculo ualde commendatur. Galanga uerò maior eum subuertit & uomitum
ciet, tantum abest ut confortet: nihil enim odore aut sapore habet quod aromaticam
uim referat, sed simplicem tantum, eamq; uehementem & ingratam tam gustu quam
olfactu acrimoniam.

¶*Vulgo dictum Calamum aduersus aquas corruptas multi peregrinantes secum ferunt.*

DE MEO. CAP. 3.

Meon quod quidam etiam Meu appellant, solo tantum nomine cognoscitur: res
autem ipsa hodie penitus incognita est, quamuis pharmacopolæ radiculas quasdam
acres hoc nomine ostendunt: non tamen omnes eandē demonstrant. Quidam enim
Magistrantiam, appellatam radicem: quidam angelicam: quidā Toydylon, hoc est,
Beerwurtz dictam radiculam: quidam etiam alias quasdam radiculas, quas agyrtæ
Olsenich uocitant, Meu nomine uendunt. Verum autē Meum in calida & medica-
mentorum feracissima Italia sponte uix nascitur, nedum in frigidiori Germania. Pro-
pterea olim in Italia Medici hanc herbā studiosè in hortis serebant, testante Plinio li
bro xxi statim in principio capitis xxxiij, ubi sic inquit. Meu in Italia non nisi à medi
cis seritur, & iis admodū paucis: Quapropter licet eius uice aliam eiusdē facultatis &
temperamenti herbā accipere, quam uerò pro ea capimus Meon nominare non per-
inde cōcessum est. Missa autē aliquando mihi est à Ioanne Neseo pharmacopola Fran
cofordiano, herbarū indagandarū studiosissimo homine, planta quædam pro uero
Meo quam secum ex Italia attulerat, caulibus, foliis, umbellis, & semine Anisi, tenuio
ribus tamen, & acri admodū & aromatico semine, quæ omnino uidebatur descriptio
ni respondere. Quoniam uerò radices eius nō aderant, nihil certi iudicare potui: nam
eæ solæ ex hac planta medicis in usu fuerūt, tanquam aliis herbæ suæ partibus, foliis,
semine, floribusq; efficatiores.

DE CYPERO. CAP. 4.

Cyperum Græci etiā Cypeirum & Cypirum uocant. Plinius tamen inter Cyperū
& Cypirum differentiam facit, sed magno errore. Reuera enim nihil differunt: quare
siue Cyperū siue Cypirum pronuncies, aut alicubi scriptum reperias, eadem erit plan
ta. Est autē Cyperus iuncus odoratus, angulosus, triangularis ue, à quibusdam etiam
quadratus appellatus, sed male admodū, non enim quadrangularis illi est, sed trian-
gularis caulis. Eius autem duæ sunt species, alter longas habet radices, is Græcis uo-
catur Cyperis, in pharmacopoliis uero Cyperus Romanus siue longus: alter rotun-
das habet & siue inuicem cohærentes radiculas, quem pharmacopolæ Cyperum ro-
tundū appellant: Græci autem simpliciter: Germani utrunq; uocāt Wilden galgan/
hoc est syluestrem Galangam. Porrò parcius effertur ad nos longus Cyperus.

DE CYPERO INDICO.

Omissum in impressis.

Cyperus Indicus, cui à Dioscoride tribuitur amaritudo, Zingiberis figura, et Cro
ceus color, ea est absque dubio radix, quam ubiq; Curcumam in pharmacopoliis uo-
cant, quidam etiam terram meritam, quamuis terra nō sit, sed radix ex India ueniens.
Rarus eius est in medicina usus, sed frequens tingendis mensis aliisq; rebus.

DE CARDAMOMO. CAP. 5.

Cardamomi appellatione grana quædam in pharmacopoliis habentur, & gustu
& olfactu admodum aromatica. Manardus & Antonius Musa contendunt nos uero
Cardamomo carere, quoniam ab authoribus descriptæ notę granis Cardamomū ap-
pellatis non conueniant. Quod quidem uerum esse ipse fateor, non tamen continuo
proclamandum erat nos uero Cardamomo carere. Dioscorides enim & Serapion
integros Cardamomi utriculos siue fructus granis confectos, ut olim afferebantur,
atq; non raro nostra etiā ætate, descripserūt. Hodie uero ut plurimum cortices, quia
lignosi & nullius qualitatis sunt abiiciuntur, & sola grana folliculis inclusa propter
saporis & odoris fragrantiam ad usum reponuntur: hinc etiā est, quod Gręci in com-
positis medicamentis semper expetant Cardamomū. ἐξεντερισμένον & τὴν ἐντεριώνην
Cardamomi, hoc est, exenteratum & ex utriculis exempta uiscera siue grana, et ipsam
medullam siue semina. Cardamomi autem hodie duo offeruntur genera, Maius al-
terum, & Minus alterum. Maius fructum habet lignosum, fractu contumacem, ficus
propemodum magnitudine & figura: intus angulosis & aromaticis granis, mali Pu-

nici modo, plenum. Minus uerò fructum fert auellana nuce ut plurimum minorem,
triquetrum & minoribus granis repletum, eiusdem saporis & odoris, sed uehemen
tius palatũ & linguam penetrantibus: ex his frequentius in usu est minus, quod sim=
pliciter hodie Cardamomum uocatur, maius parcius affertur, propterea quidam in
eius locum Grana paradisi, aliàs Melligeta nominata, substituerunt, eaq; Cardamo= Cardamo-
mum maius uocauerunt: improprie tamen & male. Nam sapore quo piperi similia mũ maius.
sunt, & odore, plurimum à Cardamomo differunt. Fructus tamen siue utriculi figura
magnam habent cum maiore Cardamomo similitudinem, qui oui plerunq; magnitu
dine conspiciuntur, & granis (quæ nouimus) onusta sunt, Cardamomo instar angu=
losis. Illi uero plurimum errant, qui Nigellæ Citrinæ semen Cardamomum esse cre=
dunt, quod etiã Antonius Musa non immerito reprehendit. Porrò Arabes utrumq;
Cardamomum generali nomine, & Cordumeni, & Saccolla appellant. Itaque uehe=
menter errant ii qui Cardumeni apud Serapionem Carui agreste interpretantur: idẽ
enim est cum Cardamomo. Nec aliquem suspendat quod Serapion eandem rem ali=
bi Cordumeni, alibi Sacollę nomine describit: in capite enim de Cordumeni ea re=
censet, quæ apud Dioscoridem de Cardamomo leguntur: in Sacolla uerò rem eo de
pingit modo, ut Arabes descripserant, & ut ipse uiderat, & quemadmodum adhuc
affertur Cardamomum. (Iam cum) Dioscoridis & aliorum Græcorum descriptioni,
& Cordumeni & Sacollæ apud Serapionem, historiæ per omnia conueniat, nemo
diuersum statuat esse, Cardumeni a Sacolla. Porro Arabes pulchrè etiam suis nomini
bus Cardamomi species distinguunt. Siquidem maius appellant Heyl, minus uerò
Helbane, qui autem contrarium dicunt, errant.

Cardamomum minus, nomen seruat in Pharmacopolijs, Germanicè Cardamömle. Arabicè Helbane. Maius uerò, Arabicè Heyl, diuersum à granis paradisi, quæ aliqui Cardamomum minus imprŏriè uocant, minus fortè precio & uiribus intelligentes: mole enim maiora sunt, aliqui maiori Cardamomo substituunt.

DE NARDO. CAP. 6.

Cum simpliciter Nardi uocabulum apud authores reperitur, semper Indicam uel
Syriacam Nardum intelligere debemus. Sunt enim multæ Nardi differentiæ, ut In=
dica & Syriaca: quæ tamen nullum nisi solis natalibus discrimen habent. Præter has
sunt Celtica, quę etiam Saliunca uocatur: Montana: Rustica, quæ etiam Asaron: Cre
tica siue Phu, & Malobathrum: de quibus singulis deinceps agemus. Syriacam Syriaca.
autem siue Indicam Nardum, de qua nunc sermo nobis est, eam esse censemus, quæ
adhuc in pharmacopoliis, Spica Nardi, Spica Inda, & simpliciter Spica appellatur,
cuius omnes notæ adeò descriptioni conueniunt, ut nulla discrepet. Quapropter nõ
raro eos mirari soleo, qui Nardo uera nos carere contendunt. Fatemur tamen ipsi
nunc afferri Nardum ualde inueteratam, fatuo propemodum languidoq; sapore &
odore, & antea humore aliquo dilutam & maceratam, ut tutius conuenientiusq; sit
Celticam, hoc est, nostratam Nardum pro Indica accipere.

DE NARDO CELTICA. CAP. 7.

Celtica Nardus absque ulla controuersia est ea, quæ hodie à Pharmacopolis Spi=
ca Romana uocatur: nulla enim prorsus est quæ descriptioni nõ conueniat nota. Te=
statur Dioscorides hãc Nardum Saliuncam ab incolis, ubi nascitur appellari, quod
uocabulum interpres Virgilius Marcellus in Gallicam peruertit, admodũ infirmis
rationibus & argumentis inductus. Nam Germani pleriq; eandem herbam adhuc
proprio ueteriq; nomine Seliunck appellant. Celtica autẽ Nardus apud nos in Ger
mania & finitima nobis Istria, Norico, Pannonia, & alpibus nostris prouenit, ideo
potius Germanica quàm Gallica cognominari debet, cum in ipsa Germania & finiti=
mis regionibus uersus hybernum ortũ nascatur: quo fit ut adhuc ex Norico, Istria &
Pannonia superiori in maxima quantitate Venetias deferatur. Quare ipse Dioscori
des huic Nardo Gallicæ cognomentum non tribuit, sed Celticæ & Saliuncæ. Celta=
rum enim appellatione tam Germani quam Galli ab historicis uocantur, quemad=
modum etiam Galatarum. Itaq; etiam hæc Nardus Galatica à Græcis nominatur:
Adde quod Saliuncæ uocabulũ in lingua Germanica significet animum iuuenilem
reddens. Habent etiã Germani alia nomina, quibus suam Nardum appellant, ut sunt

Lauendulam nõ esse Nardum Celticam.

Marienblumen & Spicanarden. Sed omnium propriissimum & uetustissimũ est Seliunck / quod Romani in Saliuncam deflexerunt. Illi autem uehementer errant & impingunt, qui Spicam siue Nardum Celticam eam putant esse plantam, quæ ab aliis Lauendula maior siue Massiliensis Lauendula & Spica appellatur, unde oleũ Spicæ in pharmacopoliis uocatum dicitur: toto enim cœlo hæ duæ plantæ distant. Siquidẽ Nardus Celtica breuis describitur herbula, quæ propter breuitatem suam radicitus euulsa in manuales fasciculos perinde hodie, ut olim ligatur. Lauendula uerò maior lignosus, longusq; frutex est, neq; in fasces radicitus euulsus ligatur. Nardi Celticæ folia subflaua describuntur. Lauendulæ uerò maioris ex uiridi colore in cinericium uergunt. Nardus Celtica luteo describitur flore. Lauendula maior seu Spica purpureum ostendit ferè. In Celtica Nardo solæ radices & coliculi medicinam faciunt: folia enim & flores, quoniam neq; saporem neq; odorem habent, ex omni usu abdicantur. In Spica contrà, soli flores & folia medica ui pollent: radices autem atq; caudices & uirgę, quoniã lignosę & odoris saporisq; expertes sunt, nemini sunt usui, præterquam in accendendo igne. Huncenim usum in Narbonensi Gallia, maxime eius parte, quæ Prouincia uocatur, præstat, ubi frequens admodum est odoratissimi huius fruticis spicati prouentus. Certum igitur est Lauendulam maiorem siue Spicã plurimum à Nardo celtica differre, utraq; enim sui generis est planta. Quid autem sit hæc maior Lauendula, quæ etiam Spica uulgo uocatur, indicabitur tertio huius operis libro, cum ad Stœchadem peruenerimus.

DE NARDO MONTANA. CAP. 8.

Montana Nardus, quæ etiam Niris, Neris, Thylacitis & Pyritis appellatur, olim ex Cilicia coriaceis sacculis, quos Græci θυλάκια uocãt, ad exteras nationes ferebatur: partim ad medicinæ usum, partim etiam ut in sacrificiis, ignibus, propter iucundum odorem iniiceretur, unde etiam illi Pyritidis nomen factum est. Hanc itaq; Spicam intelligit in Fastis suis Ouidius, cum ait, Et sonat accenso spica Cylissa foco. Non enim Crocus eo loco intelligendus est, qui igni iniectus fœtet. Nardus uerò montana in flammam iucundioris odoris resoluitur. Copiosè hæc in Cilicia prouenit. Quapropter potius Pauli Marsi Piscinensis, quàm Antonii Phanensis commentarium in hunc Ouidii locum probauerim. Nam ille Nardi spicam, hic uerò Crocum per Cylissam spicam intelligendum asserit. Porrò hodie nullus est apud nos montanæ Nardi usus: quoniam non amplius affertur, præterquam quod interdum casu cũ aliis mercibus apportetur, sed id rarissimè accidit. Hi autem uehementer errant qui montanam Nardum eam putant esse herbam quæ à nobis Katzenleitterlein & † Mitzengrün appellatur, muscus potius funiculi modo per terrã serpens, quam herba, asperis locis enascens, nullo neq; sapore neq; odore commendabilis.

† Weingrün Trago.

DE ASARO. CAP. 9.

Asarum quamuis odore Nardum imitetur, ut etiam propterea syluestris Nardus nominetur, nullam tamen formam cum Nardo communem habet. Non defuerunt qui Asarum etiam Baccharem appellarẽt, propter odoris similitudinem: ambę enim, tam Asarum quàm Baccharis odoratæ describuntur, herbæ diuersæ tamen sunt, ut omnes testantur. Male igitur Baccharis descriptio in Asari historiam, & econtra in Dioscoride, à librariis translata est, natura diuersas, eandẽ herbam esse putantibus, in correctionibus uerò exemplaribus, seorsim de utraq; agitur. Nam Asarum primo libro inter Aromata recenset Dioscorides: Baccharem uerò in tertio inter odoratas & coronarias herbas describit. Est autem Asarum ea herba, quam nos Haselwurtz nominauimus, quod plerumq; & ferè semper in coryletis nascatur. Antonius Musa Italus, diligens herbarum inquisitor, sed Germanicæ linguæ ignarus, ideoq; uenia dignus, à lepore illi factum nomẽ apud Germanos interpretatur, sed malè, & ab aliis fortasse persuasus: nam si à lepore eius nominis etymum duceretur, non Haselwurtz sed Hasenwurtz scribendum & pronunciandum esset, ut nostræ linguæ uel mediocriter periti facilè intelligunt. Latet tamen plerosq; etiam Germanos suæ ipsius linguæ energia & proprietas.

DE PHV. CAP. 10.

Phu, siue Nardus Cretica quam etiam aliqui syluestrem aut agrestem Nardum cognominat, solo odore Nardum æmulatur: cætera enim omnino illi dissimilis existit, hæc autem ab omnibus esse creditur ea, quæ Valeriana appellatur: quoniam uerò præcipuæ notæ descriptioni non respondent, non possum assentiri iis qui in uertendis Græcis authoribus & alias scribunt & pronunciant Phu absque ulla controuersia esse Valerianã. Non tamen negauerim Valerianam aliquam Phu esse speciem agrestiorem, odore uirosiorem, radice multum à genuino differentem, & ueteribus non descriptum. Verum † autẽ Phu ea est herba, quam Germani Tyriackkraut/ et Gartenselunck/ quasi Theriacariam herbã, & satiuam seu hortensem saliuncam aut Nardum appellant. Radices habet multas digiti crassitudine, quæ transuersæ in superficie terræ serpunt, sed graciles fibras à tenui tuberculo in terram agunt. Scio quidem Leonhardum Fuchsium diuersum à nobis sentire, credit enim uulgarem nostram Valerianam melius descriptioni conuenire, qua in re liberum cuiuis relinquimus iudicium utranque Valerianam cognoscenti: habemus enim & nos certas rationes, quibus persuademur hortensem illam Valerianam uerum esse Phu: itaq; minime ipse male habebit quod non secum sentiamus.

† *Matthiolus quoq; hanc (ipse Phu maius appellat) magis descriptioni respondere putat, quam Phu agreste, quod minus nominat: apud nos quidem multo procerius prouenit.*

DE MALOBATHRO. CAP. 11.

Malobathrum crediderunt multi Nardi Indicæ folium esse, uerum decepti & falsò. Dioscorides enim ipsaq; experientia contrarium testantur. Malobathrum ueteres etiã Græci φύλλον, Romani idẽ significante uocabulo Folium nominabant. quoniam nihil aliud quam folium esset, sine radice, in India paludibus innatans, hinc unguenta, quæ Malobathro odorabantur, foliata Romanis dicta sunt, expetebaturq; folium hoc preciocissimis quibusq; unguentis. Iam uero amplius non affertur, præterquam quod casu nonnunquam cum Nardo Indica affertur, ut semel atque iterum deprehendimus. Itaque operæpretium nos facturos existimamus, si figuram ipsius descripserimus, ut aliis etiam id inquirendi ansam & occasionem præbeamus. Est autem Malobathrum, folium propemodum rotundum, & disci figura orbiculatum, trium fere digitorũ, quoquo uersus latitudine, colore in fusco & spadiceo cinericeũ, uenosum, densum, laurino crassius, lentum, flexile, & fractu contumax, nisi omnino aridum fuerit, gustu subacre, subamarum, tenue, per palatum se diffundens, orisq; halitum odoris gratia diu commendans, odore acre, Nardi æmulum & admodum aromaticum. Eius in locum Casiæ Cinamomi & Caryophylli folia substituta sunt, quæ pro Malobathro quidem in usum recipere licet cuilibet: sed eadem Malobathrum siue folium Indum appellare non perinde licere arbitramur.

✝ *Quod pharmacopolæ pro Folio ostendunt, non Folium uerum, sed Casiæ folium est.*

DE CASIA [*specie Cinamomi.*] CAP. 12.

Casia siue Cassia multiplices habet differentias. Est autem Casia de qua hic agitur Cinamomo cognata arbuscula, cuius ramuli & surculi si cũ ipso cortice, ligno adhuc inhærente uendantur, Xylocasia appellantur: cum uero exempto ligno cortices tantum adportantur, Cassiæ Syringitis, uel Syringis nomine ueniunt, quoniam excauati cortices fistulæ similitudinem habeant. Talis est antiquorum Casia fistula siue fistularis Cassia, Arabes uerò aliam Cassiam fistulam in usum medicinæ introduxerunt, recentioribus Græcis appellatam Casiam nigram: quæ fructus proceræ est arboris in India, & nunc etiam Aegypto, ut aliqui tradunt, nascentis. Eum fructum Aristobulus fabam Indicam uocat, quoniam longis siliquis claudit semina fabis non dissimilia, diuersæ penitus cum priore facultatis. Porro ueterum Cassia fistularis siue lignea multis sæculis in Europa uisa non est, sed eius loco cortex uenosus radicis cuiusdam gustu acerbus & tenuis uenditur. Iam uerò quorundam diligentia factum est, ut aliquot eius species rursum adferantur, sed tanta est quorundam pharmacopolorum ignauia & retinendorum erroris pertinacia, ut etiam admoniti, eam sibi nõ comparent. Habet autem Cassia hæc tantam cum Cinamomo similitudinem, ut alterutra Faba Indica.

in aliam nõ raro degeneret, ut Galenus scriptum reliquit. Itaq; difficile est etiã ipsius Cassiæ species omnes dignoscere.

Quod pro Folio hodie ostendunt, non uerum Folium, sed Casiæ folium est. Daphnitidis cognomen à folio laurino factum putat Cordus.

DE CINAMOMO. CAP. 13.

Cinamomi non pauciores quam Cassiæ species sunt: optimum autem est quod Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem & de Antidotis describit: tali uero hodie omnino caremus. Hactenus enim ex omnibus eius speciebus tantum unum illud † ad nos in Germaniam allatum est, quod Arabes Darseni, & Græci Characium, hoc est, uallare uocant, propterea quod baculorum crassitudine uallos æquet. Quidam opinantur nos in uniuersum Cinamomo carere, & uocatum uulgo Cinamomum siue Canellam Casiæ potius speciem esse. Cum uero tam Cinamomi quam Casię plures sunt differentiæ, inter se ualde cognatæ, temerarium esset pronunciare nos in totũ quouis Cinamomo destitui. Cinamomum autem, ut hodie affertur, cortex est sui fruticis, canali conuoluto similis, ideoq; Canellam aliqui uocant: nos uero Cimmetrinden/ Cimmetrören/ Canelsborcken, & Cinamet/ id est Cinamomi cortices siue Canales, siue libros, & Cinamomum appellamus.

† Species ultima, quæ proximè ad Casiam accedit.

DE AMOMO. CAP. 14.

Amomum, ut parens meus Euricius Cordus prodidit, est paruus ille & odoratus frutex, ueluti unguibus quibusdã in racemosam faciem cõuolutus, quẽ monachi Rosam de Hiericho, & Rosam Sanctæ Mariæ uocant. Cui sententiæ ego quoq; subscribo, quoniam nihil offendo hoc in fruticulo quod Amomi descriptioni & notis repugnet. Antonius Musa tamen, harum rerum diligens scrutator, huic iudicio contradicit, eo fretus argumento quod Amomo folia tribuantur Bryoniæ, quod quidem negare non possum: sed æquo animo de rebus iudicare oportet: authorumq; tradita, & id de quo agunt authores diligenter & fideliter perpendere. Dioscorides enim eo modo depingit Amomum, quo in Oriente nascitur. Parens uerò meus de Amomo iamdudum rescisso sententiam suam dicit. Ideo quamuis in Hierichuntide apud nos neq; flores, neq; Bryoniæ folia deprehendamus, minime tamen certò quis statuat, Amomũ non esse Sanctæ Mariæ siue Hierichuntida rosam. Qua enim cõtumacia tantillus frutex multos ante annos carptus, & in longinqua regione trans maria uectus, toties pro miraculo ostentatus, & innumeris tractatus gestatusq; manibus, folia sua retineret? cum etiã intactæ in solitudinibus propemodũ omnes, tam arbores, quàm frutices & herbę, singulis annis foliorum dehonestentur defluuio, & nuper decerpta peregrinantiumq; capitibus imposita frons flaccescat, & quamprimum folia amittat, uel leni admodũ aurę flatu. Quare nõ suspendat aliquẽ, quod Hierichuntis, siue Sanctæ Mariæ rosa, Bryoniæ folia nõ habeat cum ad nos adfertur. inquirendum potius iis quibus tam facilis est in Syriam nauigatio, qualia sunt Hierichuntidi rosæ, adhuc in Media & Assyria nascenti folia. Si Bryoniæ, maneat ergo ea Amomũ: si uerò dissimilima, tum primum hac de re merito dubitabimus: nemo enim temerè negauerit nostrã Hierichuntida rosam Bryonię similia habuisse folia, cum adhuc in Oriente nasceretur. Igitur eousq; patris subscribimus sententiæ, donec manifeste demonstretur Hierichuntida rosam dissimilia Bryonię folia habere. Est pręter folia etiã aliud quod Antonium Musam remoratur, nempe hoc, quod Hierichuntis rosa nares non uulnerat, quantumuis recens, quod dictũ quomodo ipse intelligat nõ possum conijcere. A Dioscoride enim probatur Amomũ τῆ ὀσμῆ πληκτικόν, hoc est, odore feriens, quod uidelicet acri & aromatico odore olfactus organa afficiat: id autẽ facit uera Hierichuntis rosa, nõ tamen usq; adeò ferit & uulnerat nares, ut cruentæ fiant. nihil enim ex censu aromatum hoc odore facere potest, sed attactu, ut Garyophylli atq; optimũ Cinamomum. Itaq; non uideo cur Antonius Musa alioquin doctissimus uir, hac in re scrupulosum intellectũ excitare debuerit in uocabulo πληκτικόν. Porrò duę sunt Hierichuntidis rosę species. Altera tota lignosa, fractuq; cõtumax, gustu insipida, nec odorata: Altera lignosa quidẽ, sed fragilior, gustu aromatica, ualde odorata, intusq; racematim concreto, semine plena, quarum prior Amomis, altera uerò Amomũ uocatur.

Hierichuntis rosa duplex.

Loco huius uulgo habent semen botryos: alij Sisonis. Arabes Pedem columbinum uocant. Est & alius Pes columbinus Geranij species.

DE CO-

DE COSTO. CAP. 15.

Costi triplex genus apud ueteres, in Arabicum, Syriacum, & Indicum diuiditur. Recentiores uero, duas tantum ex sapore differentias statuunt: alterum dulcem, alterum amarum appellantes. Sed tanta est rerum confusio, ut is quem dulcem uocant amarus, & quem amarum nominant dulcior gustu sentiatur. Conuenientius igitur est, ueterum modo secundum regiones, quibus nascitur species eius distinguere. Ad monuit autem nos Dioscorides, quosdam pro Costo Comageni Helenii, hoc est Inulæ, in Comagene orientis regione, prouenientis radices uendere. Sunt enim nostra Campana Inula densiores, quapropter facile imperitis pro uero Costo substituuntur. Cuius doli nos quoque pharmacopolas admonemus, nam idem adulterinus Costus hodie non minus quam olim adfertur. Et præter hunc nullum alium habent pharmacopolæ uero Coste similiorem. Ideo quomodo adulterinus dignoscatur, docebimus, occasionem pharmacopolis genuinum inquirendi daturi. Obseruauimus autem sæpissime quatuor ad nos Costi appellatione afferri radices, genere & specie omnino diuersas. Primus enim aduehitur ex oriente Comageni Helenij radix, quæ nostrati Inulæ per omnia est similis, nisi soliditate & densitate tantum differret: colorem habet in cinericeo candicantem, saporem amariusculum ut nostra, non tamen adeò acrem, idque ideo, quoniam inueterascit antequam ad nos perferatur. Affertur autem ea in partes per transuersum aut longum incisa. Cum transuerse fuerint incisæ, nostram Inulam eodē modo incisam orbiculato rugarum habitu, referunt. Præter Comagenum Helenium nuper uendi cœpit Costi uice radix per transuersum in taleolas secta, crassitudine plerunque manum complens, foris fusco, intus candicante colore, cortice crasso, substantia rara, & leuis odore, cum teritur rancidam aliquam pinguedinem olens, gustu supra modum acris, nauseosa, rancida, saliuam ciens, & strangulationem comminans. Vtraque adulterinus est Costus. Altera uero non sine uitæ periculo intra corpus sumitur: est enim Thapsiæ species in monte Gargano effossa, ut ipsi ex Agyrtis audiuimus, qui semen eius nobis attulerunt, in umbellis fœniculi aut anethi modo enatum, crassum, nigrum, magnitudine et figura tritici, sapore radicis suæ quam Agyrtæ corrupto nomine unà cum Italis Costones, quasi Costum amarum uocant. Huius autem usum ad interanea non temere probamus, foris uero imposita efficacius etiam uero Costo & profundius attrahit ruborem, tumoremque excitat & exulcerat ut Thapsia, cuius speciem esse ante diximus. Veri autē Costi in antiquis & bene instructis per Germaniam pharmacopoliis, species deprehendimus duas, quarum altera Syriaci, altera Arabici Costi historiam repræsentat. Altera enim radix est duum ad plurimum digitorum latitudine, per transuersum in taleolas secta, colore candida, pōdere leuis, gustu acris, aromatica, acrimonia sua diu palatum obsidens, odore acris, iucunda, orisque halitum ad longum temporis spacium bonitate odoris commendans. In summa, nihil deest quod ad Arabici historiam attinet. Altera crassitudine iam dictam æquat: sed buxeo colore, & pondere differt, odore tamē ac sapore Arabico omnino similis. Tales quidem sunt Arabicus & Syriacus Costus. Indicum uero nondum nobis uidere licuit. Interim pharmacopolas hortamur, ut uerum costum emere studeant, & repudient tandem adulterinum. Porro non me latet, Hieronymum Tragum credere costum etiam apud nos in Germania nasci, esseque eam herbam quæ Germanis Pestilentzwurtz uocatur, quam opinionem omnino improbamus, non tamen ideo existimet quispiam nos quidquam hac in re detrahere authoritati uiri alioqui optimi, & in iuuanda herbaria medicina diligentissimi. eius enim studium & industriam ita probamus ut nunquam alterius, qui ante eum in Germania lingua nostra aliquid de simplicibus medicamentis scripserit. Quid autem sit ea radix, quam ipse costum esse contendit, suo loco indicabimus, quarto Dioscoridis libro, cum ad Petasitis historiam perueniemus.

Helenium Comagenū pro Costo.

Thapsiæ maioris radix pro Costo.

Veri Costi species duæ.

*Est & herba Costus, quam aliqui Mentam Saracenicam uocant, Marienmüntz.

DE SCHOENO, [Id est, Iunco odorato rotundo: quem Squinantum uulgò uocant.] CAP. 16.

Σχοῖνος Græcis Iuncum significat, qui in duo diuiditur genera, alter enim odo-

ratus cognominatur, alter palustris. Hoc autem loco inter aromata recenset Dioscorides, priorem & odoratum illum in Syria, Arabia & Lybia nascentem, quem Græci μυρεψικὸν et ἡδύοσμον cognominant, Latini Iuncum odoratum teretem et rotundum, ut distinguatur ab anguloso odorato Iunco, de quo supra in Cypero dictum est. Græci tamen plerunque sine cognomento σχοῖνον absolutè scribentes, semper rotundum odoratum Iuncum intelligunt, quod meminisse Græcorum lectores oportet. Expetebantur autem olim huius odorati teretis Iunci omnes partes ad medicinam, culmi uidelicet, flores, comæ, & radices: præferebatur tamen alijs flos, quem peculiariter σχοίνου ἄνθος, uel composito nomine σχοίνανθον appellabant. quo quidē nomine hodie in pharmacopoliis non flores, sed culmi eius habentur, uerum corrupto: nam Squinantum appellant. Itaque floris nomen culmis & stipulis inditum est, non enim ad nos flores perferuntur, nec est aliquis nostrorum negociatorum (quos nos percontati sumus) qui in tota uita sua huc allatos uidisset. Quod quidem mirum non est, cum olim etiam in ipsam Græciam non amplius deferrentur. Miratur enim Galenus eos qui Iunci flores semper expetere solebant, nam eius quoque ætate in Græciam ferebatur odoratus rotūdus Iuncus, summitate Camelis prærosus. Libentissime enim eo uescuntur, ut ipse testatur: ob quam causam nostri hunc odoratum teretem Iuncum, Kamelstro & Kamelßhaw/ hoc est, Camelorum stramen & fœnum appellant. qua quidem in re Galeni dictum confirmant. Contuli autem aliquoties hac de re cum mercatoribus, nonnullisque aliis grandæuis & magnis uiris, qui uisendæ terræ sanctæ gratia in Orientem hinc proficiscebantur. Ii retulerunt, negociatores ex Syria Alexandriam ducere Camelorum greges, quos Carauanas uocant, impositas merces ferentes, cum autem in solitudines perueniant inter Syriam & Aegyptum ad Arabiam sitas, neque pabuli neque aquæ copiam inueniri. nasci tamen secus uias ubique aridas ueluti stipulas easque numerosas, densas, & stipatas ex uno radicum cęspite, admodum odoratas: quas obiter inter eundum aut aliâs quiescentes depascant Cameli, eamque ob causam se pabulum hoc Kamelstro & Kamelßhaw appellare. Referebant etiam illos solere tali pabulo Camelos onerare, ne in sterilioribus locis deficerent iumenta: quod uerò supersit Alexandriæ & Alkairi uili admodum uendere.

DE CALAMO AROMATICO. CAP. 17.

Duo sunt Calami hoc est harundinis, quemadmodum etiam Iunci, prima diuisione genera. Alter uulgaris ubique aquosis & stagnantibus locis nascens: & odoratus alter, in India, Arabia Syriaque proueniens, de quo hoc loco Dioscorides agit. Vulgo in omnibus pharmacopoliis radix quædam calami aromatici nomine uenditur, sed nihil habet cum uero calamo similitudinis. antea autem à nobis indicatum est eam genuinum esse Acorum. Sed operæ pretium nobis esse uidetur rationes, quibus inducti id statuamus, hoc loco referre, ne uideamur sine iusta aliqua causa & temere tot sæculis receptam opinionem impugnare, quamuis primi non simus: cum ante nos Manardus & parens noster Euritius Cordus idem fecerint. Vt autem res tota, legentibus hos nostros commentarios intellectu facilior fiat, eam paulo uerbosius prosequemur sumpto ab historia & descriptione calami aromatici exordio. Principio igitur hęc ⁎ ordinata planta Calami nomen inuenit, quoniam Calamo, hoc est, harundini alicui uulgari figura & habitu similis existit: uidelicet distractis per obliquum transuersumque radicibus, culmorum radicumque geniculatis internodiis, & in his fistulæ simili cauitate, aranearum telas referente in his lanugine, & tereti habitu. Aromatici uerò cognomentum ei propter odoris iucunditatem inditum est. Itaque quantum ex omnium authorum concordi historia, ipsaque oculata fide & propria inspectione colligere possumus, Calamus aromaticus est uulgari harundini similis, culmos emittens minoris ut plurimum digiti crassitudine, interdum uerò graciliores, ex interuallo geniculis interceptos, fistulæ modo concauos, atque in ipsa cauitate aranearum telæ similem lanuginem habentes, colore in candido ruffescentes. Radicibus nititur culmis descriptis similibus, candidioribus tamen & crebrioribus geniculis præcinctis, cauis & ipsis. Odor & sapor tam radici quam culmo acris, suauis, aromaticus, Schœno quem Squinantum uocant non admodum dissimilis, sed iucundior.

Acorum pro Calamo uendi.

rundior. Talis igitur est Calamus aromaticus uerus, quem aliquoties in pharmacopoliis inter Squinanti, ut uocãt, stipulas & Spicam Indicam inuenimus. His enim nõ nunquam casu immixtus ad nos fertur, aliâs autem per se non aduehitur. Subscribimus igitur nos quoq; iis qui tradunt, nos Calamo aromatico carere: nam uocatus in pharmacopoliis absolutè Calamus, aut cognomento aromaticus, neque geniculatas harundinis modo ex interuallo radices aut culmos, neque concauas habet, neq; iubatam in summitate paniculam, sed magnum florem Iridi æqualem, colore luteum, caulemq; & radices solidas. In summa, Iridi cognata est planta, nihilq; aliud quàm uerus Acorus. Porrò nihil mouet nos Hermolai Barbari doctissimi alioqui uiri authoritas, scribentis se legisse, in Mæotide etiam odoratum nasci Calamum, radice subalbida & sine fistulis, plena intus & amara, specie Acori, hoc est, ut recte intelligamus falso uocati Acori: nam hic Calamus quem Barbarus describit, idem cum uocato uulgo Calamo aromatico existit: ideoq; non merito eos reprehendit qui hunc Acorum esse putant. Quod autem dicit utrumque genus Acorum odore superare, ita intelligendum est. Verus Indicus Calamus, & qui Calami nomine ad Mæotidem paludem nascitur, odoris bonitate uincunt eam radicem stypticam falsò Acori nomen habentem. Hæc ideo longius executi sumus, ut pharmacopolas & negociatores instigaremus, ut tandem genuinum Calamum expetant. Nam si Nardi spica, Cardamomum, & alia aromata, ex India, Syria, & Arabia afferuntur: quid impedit quo minus etiam Calamus ad nos aduehi queat? Sed plerasque huiusmodi confusiones & errores sordidus quæstus & fœda lucri cupido, bonarum & honestarum rerum omnium calamitas, peperit.

DE BALSAMO. CAP. 18.

Balsamum parua est arbuscula, numerosis sarmentis fruticosa, cuius historia & descriptio non est eadem cunctis authoribus: aliis piceæ, aliis Terebintho, aliis Pyxacanthæ similem tradentibus. Propterea difficile nobis est, quicquam certi de ea prodere. Partes eius tres medicis usui sunt, uidelicet lignũ quod Xylobalsamũ, fructus quem Carpobalsamum & Cassamum, atque liquor quem Opobalsamum ac Balsamelæon uocant. Efficatior omnibus liquor, proximè fructus, postremum bonitatis locum sarmenta siue lignum obtinent. Cortex tamen sarmentorum ipsum lignum medica ui superat. Fuit autem omnibus huc usque sæculis maximum præ cæteris aromatibus cunctis Balsamo pręcium, ideoq; mille modis adulterabatur, præcipuè liquor, deinde etiam fructus, atque ipsa uirgulta. Hodie uerò ne adulterati quidem Opobalsami copia nobis contingit. Nouimus in omnibus pharmacopoliis pro Xylobalsamo ostendi tenuia quædam uirgulta, ex quibus maxima pars fatua, omnisq; odoris & saporis expers existit. Non dubium igitur, quin pro Xylobalsamo alterius cuiusdam fruticis surculi uendantur: reperiuntur tamen inter eos nonnunquam qui mirum in modum odoris & saporis gratia commendantur. Idem quoque de Carpobalsamo uocato usu uenit. Semina inania sunt & insipida, habentq; figuram Hyperici fructuum, qua figura etiam Dioscorides nothum Carpobalsamum depingit: non rarò tamen inter ea inueni quæ maiora essent adulterinis granis, pleno pinguique intus & oleoso nucleo, odoris in attritu gratissimi, & quæ gustu ineffabili odoris, saporisq; gratia oris halitum diu commendarent. Porrò ipsum Carpobalsamum uix credo ad nos afferri amplius, uastatis Syria, Iudæa, & nunc etiam Aegypto, Turcarum & Barbarorum rabie & incursionibus. Itaque nemo speret temere se synceram Balsami lachrymam consecuturum. Vidimus tamen uerum Carpobalsamum, quod hominum memoria aliqui ex Aegypto attulerunt, Hierosolymis huc reuersi, colore fuluum, lentum, spissum & inueteratum, interim tamen suauissimi adhuc odoris, cuius tantillum totũ palatum penetraret. Hæc itaq; dixisse hoc loco de Balsamo sufficiat. Totam autem partium Balsami historiam & descriptionem desiderantes, remittimus ad Plinium, Pausaniam, Strabonem, Hermolaum Barbarum, Ruellium, & alios, qui de toto frutice longius scripserunt. Nos quoq; alibi paulo diligentius quam hoc loco Balsami partes descripsimus, ut uolentes in libris nostris de historia simplicium medicamentorum inquirere possunt.

DE

DE ASPALATO. [*Eruditi quidam fruticem, quem pro Acacia pingit Matthiolus, Aspalati speciem faciunt.*] CAP. 19.

Aspalati appellatione hodie nusquam in pharmacopoliis medicamentum habetur. Est autem odoratus, spinosusq; frutex, ut authores tradunt. Possunt autem rerum studiosi totam eius historiam ex Plinio, Hermolao & Ruellio discere, nobis nihil certi hactenus scrutari licuit quod ad eius cognitionẽ faceret. Non enim nomine tantum incognitus est, desideratur etiam ipsa res. Recentiores uerò omnes, præsertim uerò Serapionis interpretes, tradunt Darsisahan, hoc est Aspalatum esse Punicam syluestrem, seu ut ipsorum uerbis utar, arborem mali Granati syluestrem: quod nemini sano iudicio prædito unquam persuadebunt. Aspalatus enim odoratus gustuque subacer est frutex. Punicæ uerò tam Syluestris quam satiuæ materia & cortex nihil odorati, nihilq; acrimoniæ præ se ferunt, præterquam quod folia grauem aliquẽ fœtorem, ferè ut Cynoglossa & uirens Sena attrectata emittant. Huius autem erroris causa est magna inter Punicam syluestrem & Aspalatum, similitudo. Vtraque enim arbuscula fruticosa, multisque spinis armata est, utrique etiam roseus flos. Nonnulli uero uehementius impingunt, qui credunt Aspalatum siue (ut Arabes uocant) Darsisahan idem esse cum Berberi, spinoso frutice, à quibusdam Oxyacantha uocato, qui & ipse syluestri punicæ non dissimilis existit, idq; tanquam secretum magnum solos se scire opinantur, quam opinionem omnino reprobamus. Scimus etiam Ioannem Ruellium constanter affirmare, Aspalatum esse lignum Rhodium, uulgo (ut ipse ait) Rodoen appellatum, quod mangones officinarum persæpe pro Algalocho, hoc est ligno Aloe substituant, idq; tantopere affirmat, ut dicat nullos nisi ueritatis surdos hoc inficiari posse. Nos autem saluo omnium bonorum sano iudicio, id inficiari nos ingenue fatemur, qui & ipsi tamen indagandæ ueritatis magno flagramus studio & desiderio. Quare si quid contra eius sententiam pronunciare cogimur, id faciemus rei cognoscendi studio, non quod authoritati doctissimi alioqui uiri quicquam detrahere conemur. Statuimus autem contra eius iudicium, lignum Rhodium non esse Aspalatum, haud absurdis rationibus inducti. Principio igitur illud nouisse legentes oportet: lignum Rhodium, quod Ruellius uulgo Rodoen appellari scribit, idem esse cũ eo quod apud nos à quibusdam Rhodisium appellatur lignũ. Venditur enim sæpe pro Agalocho, quod etiam Xiloaloën, hoc est, lignũ aloën uocant, & ponderosum est, ita ut aquę immersum lapidis modo subsidat, nec unquam postea emergat. Fiunt ex eo quoq; globuli quibus funiculo traiectis præces suas mulierculæ numerant. Est preterea odoratum, in summa idem est cum Rhodio cuius Ruellius meminit, nostrũ Rhodisium lignum. Compellimur autem deinceps singulas eius recitare notas, quas Ruellius Aspalati historiæ & descriptioni applicat, & per omnia conuenire constanter affirmat. Primùm existimat Rhodium lignum cum nasceretur fruticosum fuisse, idq; † nobis testari quibus adhuc exasperatum scateat. Spinis nonnunquam inhorruisse arbusculam, putat declarare aculeorum uestigia. Modicam arborem uel fruticem fuisse, satis ligni reliquias docere. Pondere etiam respondere Aspalato Rhodiũ lignum asserit, quoniam lapidis modo confestim præceps sidat. Addit præterea hoc lignum subrubere, & in purpuram quandam, exuto cortice, tendere, atq; duriciam & spissitudinem eius tactu sentiri. Odoris quoq; suauitatem indicare ligni suffitum, gustuq; lenem amarulentiam recipere, & quadantenus amarescere: denique gustu deprehendi in eo acrimoniam & adstringendi uim quam Galenus Aspalato tribuat. Hæ sunt eius rationes, quibus suam sententiam confirmare conatur, eas sigillatim confutare ueritatis causa cogimur. Principio autem ex nodis nemo ratiocinari potest fruticem Rhodium lignum fuisse, cum ij non tam fruticibus quam arboribus proprij sint: neque ulla pars definitionis habeantur fruticem designantis. Theophrastus enim fruticem definiens libro primo de historia plantarum sic inquit: θάμνος (seu ut quædam exemplaria) non admodum bene habent, φρύγανον δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης καὶ πολυστέλεχες, καὶ πολύκλαδον, οἷον βάτος, παλίουρος: hoc est, ut Theodorus Gaza uertit: Frutex uero, quod ab radice, caudice multiplici ramosumque se attollit: ut Rubus, Paliurus, & nullam facit nodorum mentionem, sicuti paulo ante in arboris definitione

Quòd non sit Malus Punica syluestris.

Quòd non sit Berberi.

Quòd non sit lignum Rhodium.

Ruellij argumenta, quòd Rhodium lignũ sit Aspalatus.

† Fortè nodos.

Eadem diluta.

tione fecerat: δένδρον, hoc est arborem ὄζωτον, id est, nodosam uocans. Ad hunc modum neque alii qui ex partium omni ratione aut circumscriptione fruticem definiunt, nodos ei assignant. Igitur quod nodi in Rhodio ligno scateant, non probat fruticem fuisse: sed intortam & tuberosam arbusculam. Est enim incurua, tuberibus & conuolutis pectinibus intorta eius materia, quæ res manifeste indicat arboris potius caudicem quàm fruticis uirgas fuisse. Ferè enim omnes frutices (paucis admodum exceptis) multis longis, rectisq; uirgis à radice assurgunt, ut spina Crispina, Rhamnus, et Oxyacantha: adde Corylum, Ficum, Sambucum, Agnum, Eleagnum, & id genus alios. Quo fit, quod non existimemus, solum Aspalatum tortis enasci caudicibus. Si uero idipsum quis affirmet, ei confestim, argumentũ ex nomine sumptum obiiciemus. Dicitur enim Aspalatus alio uocabulo etiã Erysisceptrum, quæ uox pluribus comis est herbis, ut Cypero, Chamæleoni albo, Spinæ albæ. Obseruauimus autẽ nos diligenter nõ nisi rectà attollentibus & capitatis herbis, Erysisceptri cognomen, propter aliquam sceptri similitudinem, imponi. Sic enim sceptri cacumen æmulatur utriusq; Chamæleonis Capitulum, sic etiam Cyperus in erectorũ caulium summitate diffusa gerens comam sceptri imaginem repræsentat. Quemadmodũ quoq; spina alba quæ procero, tereti, & harundineo caule, cauliq; imposito capitulo non dissimilem sceptro præ se fert figuram. Itaq; etiam Aspalatũ recta in altũ attolli censemus, cum & ipse Erysisceptri nomine gaudeat: quare hoc Ruellii argumentum nõ probat fruticosum Rhodii ligni habitum. Quod autem subiungit spinis id inhorruisse, ut declarant aculeorum uestigia, multo est incertius. Apparent quidem in superficie eius tubercula quædam, & nodi, & præcisorum ramulorum uestigia, sed quæ nihil minus referant quam aculeorum reliquias. Aculei enim Aspalati, quantum ex Theocrito etiam colligere possumus, graciles & ad uulnus infesti sunt, quemadmodũ Rhamni, minimeq; crassi aut lati, ut tanta uestigia tuberaq; occupare aut tegere unquam potuerint. Deferimus igitur hanc rem omnibus bonis & æqui iudicii hominibus diiudicandam, qui aperte cognoscent, nullis aculeorũ uestigiis exasperari id lignum, sed ramorum potius resectorum & tuberosorũ nodorum reliquiis inæquale reddi. Fatetur tamen ipse quoq; Ruellius, spiculis suis castratũ id afferri. Quapropter nec ista ratione cuiquam persuadebit, spinosum fuisse Rhodium lignũ. Modicam arborem fuisse ipsi quoq; ex materia non usq; adeo crassa colligimus. Sed non continuo Aspalatus est, quod modicæ arboris magnitudinem habet. Neq; enim adeò gracilia sunt hæc ligna, ut fruticis fuisse uideri possint: afferuntur enim sæpissime quæ una manu nemo complectatur. Vidimus nos non rarò à caudice aut radicum principio resecta tubera, quæ crassitudine utramque manum implerent, & propter eam amplitudinem pocula ex ipsis facta memini. Contra Aspalatus frutex, quo medici usi sunt, ea crassitudine non describitur. Quod uero ponderosum sit lignum Rhodium, perinde non comprobat Aspalatum id esse: non enim quicquid ponderosissimum est & lapidis modo aquæ iniectum subsidit, Aspalatus, nominandum erit, cum nullus unquã scriptor tanti ponderis tantæq; densitatis notam Aspalato tribuerit. Confertur enim (quod ad pondus hoc loco attinet) sibi ipsi ab auctoribus Aspalatus. Itaque in eo probatissimus cẽsetur, qui in suo genere densissimus & ponderosissimus fuerit. Siquidẽ non tradũt authores omnium lignorũ ponderosissimum esse Aspalatum. Nam quæ pondere alias superant arborum materiæ numerantur, (Ebene,) Buxi, Oleastri, & id genus arborum, quarum nulli ferè pondere inferius est Rhodium lignum. Nos uero non ita ponderosum esse Aspalatum uel inde colligimus, quod quidam ferulaceus esse Plinio dicatur, hoc est rarus, fungosus, leuisq; qui improbatur & probatur ponderosior. Ergo credendum est Aspalato materiam esse densiorem, lignosiorem, & grauiorem Ferula, non omnium ponderosissimam, sed natura accedere ad ligni alicuius lentorem & duritiam: id enim Dioscoridi aliisq; Græcis significat ξυλώδης, & Latinis lignosus, non quod omnia ligna soliditate uincit, sed quod prope ad ligni naturam duritia accedit, illud enim non lignosum sed lignum & plusquam lignum appellandum est. Longe igitur maius est Rhodio ligno pondus, quam Aspalato tribuitur: quapropter neque densitas eius nimia, neq; modum excedens duritia, neque tactu sensibilis spissitudo causæ censendæ sunt, ob quas Aspalatus uideri possit. Negamus etiam subrubere & in purpuram quandam exuto cortice tendere hoc lignum.

gnum. Miror autem cum Rhodio ligno diuersi sint, sibique alternis uicibus immixti colores, cur silentio præterierit candicantem, & pallidum: rubescentem tantum & purpurascentem eligens forte, quia hi propius quam illi ad descriptionem accedebant. Sed pace Ruellii & uenia bonorum omnium dixerim, non rubescere, neque ad purpuram uergere Rhodium lignum. Floridi enim & iucundi aspectus ὑπέρυθρος & πορφυρίζων colores, significatque prior uox illa medium inter candidum & sanguineum aut roseum colorem: altera ex modico candido & roseo in profundiorem, hoc est purpureũ uergentem. Rhodium uero lignum talibus nunquam blanditur coloribus, sed habet uenas partim albicantes, partim pallidas, partim in spadiceo fuscas et nigras: qui omnes aspectu luridi sunt, nec quicquã gratię pręter diuersitatem habẽt, rarissimeque inuenitur quod nõ distinctos habeat hos omnes colores. Aspalatus uero neque pictus est neque maculis diuersi coloris distinctus, sed uno tantum conspicitur, ex duobus tamen perfecte mixtis. Miror etiam non dubitare aut perpendere Dioscoridis interpretes cuinam Aspalathi parti inesse debeat subrubens aut purpurascens color. Nam dubium nobis relinquit Dioscorides, utrum de cortice an ligno id intelligendum sit, cum probat aspalatum μετὰ τὸ περιφλοιωθῆναι ὑπέρυθρον, ἢ πορφυρίζοντα, hoc est, post excorticationem subruffum aut purpurascentem, indefinite enim ponitur infinitiuus περιφλοιωθῆναι. Interpretes uerò omnes, quemadmodum etiam Plinius infinitiuo modo positum uerbum in participium Latinum conuertunt: quo fit ut omnes intelligant eum colorem ipsum lignum præ se ferre debere, postquam deglubatur. Nos uerò contrarium intelligimus, censemus enim id de cortice dicere Dioscoridem. Nam quamuis totus hic frutex Aspalatus nominetur, à medicis tamen id nomẽ etiam ad certam eius partem, quę maxime usui fuit translatum esse uerisimile uidetur. Ita enim Casiam, ita Cinamomum appellamus, cortices tantum suarum arborum, cum id nomen aliâs totis arbustis & fruticibus proprium sit. Quemadmodum enim omnes odoratæ arbusculæ & frutices cortice maiorem quam ligno gratiam habent, ut Cinamomum, Casia, Balsamum & alia eiusmodi, ita etiam in Aspalato se rem habere ratiocinamur, sed id nostra authoritate uix alicui persuadebimus: igitur ueterum testimoniis adductis forte fides nobis habebitur. Plinius naturalis historiæ libro XXIIII capite XIII inquit uulgaris cuiusdam & syluestris spinæ (quæ Aspalatus nominetur, & ex qua urnæ fulloniæ impleantur) radicem usum præbuisse, eaque multos per Hispanias fuisse usos ad odores & unguenta. Deinde subiungit historiam Aspalati ut in oriente nasci ab authoribus describitur, & nos non dubitamus, quin ea spina eadem cum aspalato fuerit. Omnia enim de ea scribit quæ alii aspalato tribuerant, postquam in oriente geniti Aspalati uires recensuisset, dicens. Similia præstare quoque Syluestrem putant. Non enim refert quod uulgarem hanc dicat spinam, nam uulgaris etiam erat Aspalatus in Aegypto, Syria, Cycladibus, Sicilia, Creta, Rhodo, Nisyro, Phocidis agro, & pluribus locis enascens, ut Plinius scribit: sed non ubique odoratus. Itaque Aspalatus qui in Hispania uulgaris erat, nobis qui frigidiora loca incolimus, non perinde uulgaris & cognitus est. Fuisse autem radicis usum iam ex Plinio probauimus, non tamen indicat num totæ radices an cortices tantum medicinam fecerint. Igitur afferemus etiam aliorum testimonia. Serapion in capite Darsisahan, hoc est aspalathi adducit authoritatem cuiusdam Sulachin, dicentis hunc in modum: Darsisahan est planta spinosa, ingrediens in speciebus medicinarum odoriferarum, & habet florem croceum, & cortex ligni eius tendit ad rubedinem. Idcirco si Arabs Sulahin, subruffum colorem cortici inesse scribit, cur non etiam apud Dioscoridem uocabulum ὑπέρυθρον ad Corticem referimus potius quam lignum: nam si lignum subruberet, de eo adscripsisset Sulahin, & non de cortice: quapropter iste color tribuitur ei Aspalathi parti, quæ plus cæteris in usu fuit. Fuisse autem Corticis usum in medicamentis testatur Galenus diuersis locis: libris de Theriaca ad Pisonem, & de Theriaca ad Pamphylianum in magmate Hedychroo secundum Magni descriptionem. Utroque enim libro recipiendum esse iubet ad confectionem Hedychroi magmathis, ἀσπαλάθου ῥίζης φλοιόν, hoc est Aspalathi radicis corticem. Idem testatur Aëtius in suffumigio quodam, corticem Aspalathi recipiendum præcipiens. Cum uerò corticis, & præsertim ex radice usus fuerit, & rubescens color manifeste cortici à Sulahin

lahin

lahin Arabe assignetur, nemo temere affirmabit, ipsum Aspalati lignum rubere aut purpurascere, & utilius Cortice in medicina esse. Contra in Rhodio ligno cortices, studio & industria, ceu omnis aromaticæ facultatis & utilitatis expertes, cum proxima & exteriori materia profundius resecta abiiciuntur; soliusque ligni cor odore & sapore commendatur. Ideo neque hac ratione Rhodium lignum Aspalatus esse potest. Odoris autem suauitatem in eius suffitu deprehendi non imus inficias: sed multa sunt præter Aspalatum odoramenta quæ iucunde olent per se aut prunis imposita. Taceo autem quod Aspalatus odore ad Castoreum accedere quibusdam scribitur, qualem odorem in Rhodio ligno tam crudo quam prunis imposito non percipimus. Miramur præterea cur Ruellius dicat Rhodium lignum leuem amarulentiam resipere, quadantenus amarescere, cum non inclinet tantum ad amaritudinem * resipit, quam in Aspalato esse debet. Si uero accurate gustum consulamus, Oleastri saporem sed amariorem & acriorem in eo sentiemus. Galenus qui alias diligenter medicamentorum sapores consyderat, & nihil, quod ad diiudicandas eorum qualitates attinet, prætermittere solet, nullam amaritudinem Aspalato tribuit: quam si euidens in eo esset, nequaquam silentio præterijsset. Rhodio uero ligno tanta inest amaritudo, ut nullius gustum fugere posit: cui adiuncta est, cum aliqua adstringendi ui, manifesta acrimonia, quæ paulatim incipiat donec prorsus excalefactas fauces, propemodum ut Cocognidium exasperet & feruore detineat, quare id in tertio gradu completo, calidum pronunciamus. Aspalato contra dilutius est temperamentum. Habet enim, ut Galenus testatur, diuersas qualitates, acrem quidem calefacientem, stypticam uero refrigerantem: itaque in calidita te & frigiditate medium quiddam obtinet, ut ex uiribus ei attributis ratiocinamur. Si uero aliquantulum superat acrimonia adstringentem facultatem (quod tamen nullus asserit) primum ei completum caliditatis gradum assignemus. Quemadmodum etiam facit Serapion, illud inter medicamenta recensens, quibus primus est in siccitate & caliditate excessus, quod Aspalati temperamentum duobus gradibus excedit Rhodii ligni caliditas. Porrò cum hæ Rhodii ligni notæ non posint ad Aspalati historiam referri, haud uideo qua aliquis ratione nobis persuadeat, idem esse Rhodio ligno Aspalatum. Sed obiicietur nobis fortasse, quod potius indicemus quid non sit, quam quid sit Aspalatus. Verum æquos animos legentium id non spero offensurum. Longius enim ideo negotium tractauimus, ut reiecta falsa de Rhodio ligno opinione alios etiam instigaremus, ut uerum inquirant Aspalatum, quod nos etiam conabimur. Allatus est hactenus in totam Europam pro Cassia lignea cortex radicis cuiusdam, crassiusculus, colore purpurascens, præsertim fractus, gustu stypticus, tenui odore gustantium palatum ac halitum commendans, quem ex Aspalati speeie aliqua detractum opinamur, nihil tamen affirmamus, antequam ad rei certam cognitionem perueniamus. Vt autem aliquam calumniæ partem effugiamus, ostendemus quid sit apud authores Rhodium lignum, cum Oleæ Aethiopicæ historiam attigerimus.

Conclusio.

Aspalatum uideri corticem, qui pro Caßia lignea uulgò uenditur.

DE MVSCO. CAP. 10.

Duo sunt medicis præcipui odoris medicamenta, eodem ferè nomine insignita. Alterum Muscus, alterum Moschus appellatur. Quod Moschi nomine ab Aetio dicitur, Indicæ cuiusdam Capræ odoratum pus est, cuius usum nos Arabes docuerunt. Quod autem Latinis Muscus, ueteribus Græcis βρύον & σπλάγχνος, recentioribus uerò etiam ὕπνος siue ἵπνος dicitur. Villosa & odorata arborum canities muscus est, è Cedri, Quercus, Populi albæ & aliarum quarundam arborum ramis dependens: qua crebro in odoratis unguentis, suffitibus & cæteris medicamentis usa est antiquitas. Quamuis autem musci appellatio quarumcumque arborum uillosam caniciem significet, quotiescunque tamen Bryi, Musci, Splachni aut Hipni uocabulum apud Græcos legentibus occurrit, semper intelligendus est hic odoratus arborum muscus, quem Arabes Vsneam uocant. Non me fugit Hermolaum Barbarum differentiam inter Bryon & Brion constituere, nec conijcere possum qua fretus sit authoritate aut ratione. Nam candidos illos albæ Populæ racemosos

musci uillos, quos Barbarus Brion dici tradit, Dioscorides etiam Bryi nomine comprehendit. Quòd autem alibi Brion alibi Bryon apud authores legatur, librariorum incuria accidit, pro υ litera ι, scribentium. Aetius pluribus locis testatur ὕπνου siue ἴπνου idem esse quod βρύου & σπλάχνου, hoc est, muscum arborum odoratum. Idem tamen author libro xxiii. capite cxviii in Masuaphi confectione interprete Iano Cornario, scribit Hipnum canaliculam paruam esse ex arbore quæ Damascena dicatur, itemque ex ea quæ Rhodacinea appelletur. Qua quidem in re miror Aëtium, si modo non mendosum est eo loco Græcum exemplar: non enim tantum contra aliorum omnium authoritatem, sed & contra suam ipsius sententiam id prodidisset, cum alibi muscum ὕπνου esse dixerit, cui nihil simile canalicula quæpiam habere potest. Itaque mendosum suspicor esse hac parte exemplar, quod interpres Cornarius queritur etiam situ, carie & blattis exesum fuisse. Per caniculam autem intelligendus est cortex ex arbore Damascena detractus, canalis figuram habens, quemadmodum in Casia & Cinamomo uidemus. Cum autem à nullo alio Hypnus cortex aut Canalicula esse dicatur, & ipse Aëtius sæpe testetur Hypnum idem cum Bryo, hoc est, † pansco, & splachno esse, non potest fieri quin defectus quidam sit in isto uerborum contextu. Coniicio uerò statim Hypni uocabulum in integris exemplaribus sequi Aspalatum aut alium quendam odoratum corticem, de quo id dicat Aëtius. In eam enim confectionem alias non ingrederetur Aspalatus, qui tamen peculiariter omnibus ferè odoramentis misceri solet. Præterea canaliculato Aspalati cortice medici utebantur, nascitur etiam in Syria & Rhodo insula Aspalati arbuscula, ideo non sine ratione à Damasco Syriæ urbe & Rhodo, natalibus suis, Damascena & Rhodacinea nominari potuit. Scio tamen Aëtio Rhodacini nomine etiam Persicam malum dici. Cum uero Persica malus procerior & crassior sit, quam ut tam paruæ canaliculæ ex ea deglubi queant, non uideo qua ratione aliquis per Damascenam aut Rhodacineam arborem, Persicam malum intelligere debeat, præsertim cum nihil habeat quod iucundè oleat Persicæ mali cortex, siue à caudice, siue ramis, siue radicibus detrahatur. Quantum uerò ex interpretis Cornarii translatione colligere licet, uidetur differentiam constituere inter Damascenam & Rhodacineam arborem. Dicit enim: canalicula ea parua est ex arbore quæ Damascena dicitur, itemq́ ea quæ Rhodacinea appellatur, ea ratione canalicula cuius meminit Aëtius non esset unius eiusdemque arboris cortex, sed duarum diuersarum, quod omnino absurdum est. Species enim indiuidua cum sit ea canalicula, è singulari etiam arbore eam detrahi necesse est. Quare nos ita potius legendum apud Aëtium existimamus. Canalicula ea parua est, ex arbore quæ Damascena dicitur, quæ etiam Rhodacinea appellatur. Non tamen quisquam existimet nos interpretem culpare. Credimus enim uitio exemplaris id accidisse, quam primum autem Græci exemplaris copia nobis facta fuerit, diligenter hunc locum considerabimus. Hactenus enim non licuit nobis sua lingua scriptum legere. Porrò hic odoratus arborum muscus, nusquam in Germaniæ pharmacopoliis cognoscitur, nec credo ipsum temere in reliquis Europæ nationibus aut uulgo haberi aut cognosci. Recentiores magno errore muscum & moschum diuersissimi generis medicamenta, nominis similitudine decepti, confundunt. Muscum enim uocant non odoratos arborum uillos, de quibus iam diximus, sed latè olens Indicæ cuiusdam capreæ pus, quod proprie Moschus ab authoribus nominatur, & à quibusdam recentioribus Castoreum, quamuis plurimum à Moscho Castoreum differat: quoniam uerò non raro Moschus folliculis & utriculis Castoreo similibus inclusis uendatur, atque ut ipsum ferè grauiter oleat, propter aliquam similitudinem id nomen adeptus est. Oportet igitur circumspectos esse lectores ut discernant an Moschus, an Castoreum apud aliquem huiusmodi scriptorum recipiendus sit.

† Musco.

DE AGALLOCHO. CAP. 21.

Agallochum odoratum est lignum, quod recentioribus Græcis Xyloaloë, hoc est,

lignum Aloë appellatur, quo nomine uulgo in pharmacopoliis ostenditur. Quidam è recentioribus id etiam simpliciter Aloë & Aloa nominant, quorum in numero est Ludouicus Vartomannus, qui Orientales & Australes regiones descripsit. Videntur tamen etiam ueterum nonnulli similiter per Aloën Agallochum intellexisse. Nam Diapasma illud quo lectulum suum odoris gratia consperserat muliercula, de qua in prouerbiis Solomonis legitur, Myrrham, Aloën & Cinamomum recipit: quo loco minime intelligendus est deniatus ille amarissimus & grauiter olens succus Aloë uocatus, qui nullis odoratis pulueribus, aut Diapasmatis miscetur unquam, nec reputatur inter aromata & odoramenta. Itaque hoc prouerbiorum loco per Aloën Xyloaloën, hoc est, Agallochum intelligimus, ceu plerisque etiam aliis locis. Sunt autem plures Agallochi differentiæ, ex quibus optimū quodq; ad suos usus reseruant Indi & reliqui Australes populi, nobis quod nō ita bonitate excellit mittentes. Miror autem nusquam apud Galenum in censu simplicium medicamentorum Agallochum inueniri, cū tamen ante ipsum Dioscorides de eo egerit, ac post eū etiam Paulus Aegineta, qui omnia sua ex Galeno excerpsit. Citant etiā in testem Galenū Arabes scriptores de Agallocho loquentem, quo fit ut omnino credam, eius mentionē inter simplicia medicamenta fecisse Galenum, sed temporum iniuria ac librariorū incuria id caput è libris de simplicibus medicamētis excidisse. Nusquam etiam Plinius huius ligni, sub Agallochi nomine meminit, quamuis diligenter Dioscoridis scripta perlegerit. De Taro tamen scribit pauca, quod idem esse cum Xyloaloë, hoc est, Agallocho, Aëtius affirmat. Dioscorides Agallochum Thuino ligno simile esse dixit: uidendum igitur qualis sit Thuia arbor. Theophrastus libro v. de historia plantarum, Thuiæ materiam tribuit quæ uetustate corrumpi uix queat, & radices habeat crispissimas preciosioribus operibus expetitas. Eadem arbor aliis authoribus, ut cum plerisque doctis suspicamur, etiam Citrus & Troges appellatur, fiebantq; preciosissimæ è radicibus eius apud Romanos mensæ, quibus æstimationem fecit crispis uenis conuoluta, & maculosa materia, quam etiam Croco tingebant, ut paulo post in Croco dicemus. Est igitur Thuiæ lignum uenis intortis crispis conuolutum, & maculosum quemadmodum Betulæ, Fraxini & Aceris arborum tuber, tum Bruscum tum Molluscum Germanis Majer & Flader dictum, quo hodie etiam ubique apud nos mensæ & delicatiora opera fiunt. Hinc itaque Thuino ligno simile describitur Agallochum, quoniam maculosum, crispumque sit, quale sæpe uidimus ad nos adferri. Idem autem Agallocho accidit quod Thuiæ. Quemadmodum enim non quæuis eius materia aut pars crispatur, ita etiam non quoduis Agallochum crispum apparet. Quod uero radici proximum aut radicis pars fuerit, fluctuantibus uenis in crispum habitum uibratur. Porrò quod ad nos defertur non usque adeo ponderosum est, ut aquæ iniectum lapidis modo subsidat. Hæc enim nota non est præcipua, neque omnibus Agallochi speciebus propria: alioquin Rhodium lignum, quod pro Xyloaloë uenditur, optimum esset Agallochum. Considerandę potius hæ notæ: uidelicet ut sit odoratissimum, etiam per se, ut est integrum gustu: ualde aromaticum, modice amarescens, leniter adstringens, pingue & resinosum, cuius suffitus gratissimū late spargit odorē, & ut gustatum ac palatum commendet, ceu in libris nostris de historia medicamentorum diffusius indicauimus. Animaduertendum postremo est, ne decipiamur in Agallocho comparando, plerique enim Rhodium lignum ignaris pro eo uendunt, quem dolum Ruellius quoque taxat. Adulteratur præterea Agallochum, ut Platearius tradit, ligno quodam in montibus Almasiæ nato, quod pondere, nodoso habitu, & quadam aromatica ui Agallochi notas utcunque refert, sed neque nomen ligni, neque ubi siti sint Almasiæ montes indicat. Matthæus Syluaticus Pandectarum author idem paulo aliis uerbis refert, & lignum quod pro Agallocho uendi conqueritur, Chamelæę radices esse scribit. Videndum igitur quid nam per Chamelæam eo loco intelligendum sit. Significat autem Chamelæa propriè eam plantam, quam Latini Oleaginem & Oleastellum, Arabes uerò Mezereon uocant Thymeleæ, hoc est, granum Gnidium ferenti frutici figura & uiribus similem. Eius radices Matthæus Syluaticus pro Agallocho uendi credidit,

Aloë in sacris literis pro Agallocho.

Thuia.

Agallochi adulteratio.

Chamelææ radices.

sed malè. Nihil enim simile habet cum Agallocho dodrantalis plantæ radix, substantia rara, lenta, flexilis, & gracilis: cum Agallocho, neq; rara neque † ueruosa, neque flexilis neque gracilis sit materia: sed densa, lignea, flectenti contumax, rigida & crassa. Præterea Chamelçæ illus lignum (quo adulteratur Agallochum,) mentitur colore, pondere, nobis & sapore uerum Agallochum. Chamelçæ uero, hoc est, Mezerei radix, nihil horum præ se fert. Itaque aliam quandam plantam per Chamelæam (qua quidem Agallochum adulteratur) legentes intelligendum meminerint, qua de re nostram sententiam studiosis communicabimus. Chamelçæ uox apud Græcos, perinde ut apud Latinos Oleastelli, non tantum Mezereum designat, uerum etiam Thymelæam: & præter Thymelæam & Chamelæam, Oleastelli uox aliam paruam quandam oleam sui generis, quam Cilibracam Columella appellat, (quamuis quidam Calabricam legere malint). Cum igitur uaga sit & pluribus plantis communis Chamelçæ & Oleastelli appellatio, absque dubio etiam ad Oleastrum, quæ syluestris & pumila est olea, referri potest, quæ alio nomine Græcis κότινος & ἀγριελαία uocatur. Cum autem authores nos admoneant Chamelçæ radicibus Agallochum adulterare impostores solere, nec ullo pacto hoc possit intelligi uel de Oleastello, hoc est Mezereo, uel de Thymelça, necesse est ut per Chamelæam hoc loco intelligamus Oleastrum, qui parua & syluestris est Olea, maxime cum talis ei sit materia, quæ facile pro Agallocho substitui queat. Est enim oleæ densum, solidum, ponderosum, gustu amarum & acre lignum, præsertim syluestri, inprimis autem in Arabia & Aethiopia nascenti, cui propter cœli calorem etiam odorata est materia. Censemus igitur sæpe pro Agallocho uendi Aethiopici siue Arabici, aut alibi in calidioribus locis enati oleastri lignum. Nam ipsi Arabes scriptores testantur in Arabia nullum Agallochum gigni, sed aliud quoddam lignum ei non dissimile, quod est oleastri. Idipsum autem idem est cùm Rhodio ligno uulgo uocato. Non obstat quod Ruellius dicit lignum Rhodium in Rhodo insula nasci. Cur enim in Rhodio non nasceretur Oleaster, cum etiam frigidioribus terris familiaris sit? At quæ causa sit quod credamus idem esse Aethiopici Oleastri materiæ Rhodium lignum, differemus elicere donec ad Aethiopicæ oleæ historiam & descriptionem perueniamus.

Pro Agallocho plerique uendunt lignum Rhodium uel Rhodisium uulgò dictum: quod uilior Agallochi species est: cuius lignum est solidum, durum, uarij coloris, amarum: & uidetur Oleastri uel oleæ Aethiopicæ lignum esse.

† *Neruosa.*

DE NASCAPHTHO. CAP. 22.

** Storax rubea, Thymiama.*

Nascaphthum quod etiam Narcaphthum & Lacaphthon Græcis uocatur, cortex est arboris cuiusdam, ut authores tradunt, ex India allatus. Incertum autem est cuius nam arboris cortex sit, siquidem hac de re nihil certi nobis tradiderunt Græci scriptores. Paulus Aegineta tamen libro vii. in compositione Cypheos magni siue heliaci Lacaphthũ interpretatus corticem piceæ, uel alterius cuiusdam arboris, magis dubios reddit lectores. Non est quidem cur aliquis credat Pini aut Piceæ corticem Nascaphthum esse. Si enim harum arborum corticem Nascaphthum appellarent authores, nihil uilius in Europa Nascaphthò esset. Quoniam uero ex alio orbe in Europam fertur Nascaphthum, nihil minus quàm Pini aut Piceæ cortex fuerit. Hodie nullum habetur hoc nomine in Europæ pharmacopoliis medicamentum, nec temere apud Aromatopolas sub alio nomine latens cortex reperitur. Nisi enim hic Nascaphthum fuerit prorsus rem ignoramus. Cum uero nobis certo non constet unde afferatur, & cuius arboris cortex sit, sicca appellata storax, de re ignota non est operæ precium longius dicere. Ex India non afferri argumentum est uilitas, quamuis aliis quoq; indiciis id constet. Serapion Abicis cuiusdam testimonio frustra, dit siccam uocatam storacem corticem esse arboris storacem (Styracem resinam) fundentis, qui decoctæ & expressæ liquidę styraci supersit, quod tanquam uerisimile non impugnamus. Hoc tamen reticendum haud existimamus, nobis uideri aliam esse & diuersam arborem liquidam Styracem fundentem, ab ea quæ ca-

lamitam

famitam sudat Styracem, ut paulo post in Styrace indicabimus. Hoc enim loco non de Styrace, sed Nascaphtho nobis disserendum est. Ioannes Rhodericus Lusitanus Nascaphthum putat esse preciosam illam arboris cuiusdam Indicæ materiam, quam ligni aquilæ nomine instructiores Lusitanorum officinæ seruant. Sed cum hoc lignum non sit cortex, sed arboris cuiusdam Indicæ materia, Agallocho similis (cuius etiam speciem esse arbitrabamur) non ausim eius opinionem confirmare. Siquidem Nascaphthum cortex est arbori suæ detractus. Aquilæ uero lignum, non cortex, sed lignum est, quamuis nonnunquam etiam cortice uestitum afferatur, sed rarò, & cui non sit eadem, quæ ipsi ligno in odore & sapore gratia. Nos itaque ingenue fatemur, nobis hactenus nihil certi de Nascaphtho constare. Hortamur igitur alios, ut id inquirant.

DE CANCAMO. CAP. 23.

Quod Κάγκαμον ueteres Græci dixerunt, recentiores Græci pariter Arabibus * Lacham appellant: & facile intelligent, qui Arabum authorum libros, cum Græcis contulerint, Lacham idem esse cum Cancamo: dubitat Hermolaus Barbarus, quoniam Lacha odore uacare uideatur, qui possit ad suffimenta dari. Sed nullum hac in re dubium mouendum est. Non enim omnia quæ suffita olent, per se ut sunt integra spirant, quod etiam in Lacha contingit. Est enim densa, solida & arida prorsus cum ad nos uenit. Itaque non potest spissæ substantiæ inclusus odoratus eius uapor, & halitus per se erumpere, prunis uero imposita † olate non insuauem odorem diffundit. Quare odor eius suffitu tantum percipitur. Est autem Cancamum concretus humor, ceu lachryma, in India & Arabia nascens, arborum ramulis & surculis undique circumfusus, colore fuluus & pellucidus, qui Laccæ nomine in omnibus pharmacopoliis ostenditur. Authores figuram arboris in qua gignitur non tradunt. E recentioribus tamen Ludouicus Vartomannus, Nuci Iuglandes ferenti, similem esse scribit. Quinetiam de reipsa dubitant scriptores. Plerique enim Gummi siue lachrymam esse affirmant: Rhasis uerò de cœlo eam cadere dicit super ramos Guberæ arboris, quam Mespilum interpretantur, quam bene autem non scio. Apud nos certe ueris tempore arborum surculis circumfusa uidetur ceu spumosa quædam & lenta saliua, quam Cuculi uomitum aut saliuam agrestes uocant pueri. Ea æstate concrescit in Laccæ soliditatem, sed multo est tenuior ac gracilior: colore cinericeo etiam à lacca differt. Nos hactenus eos sequimur, qui Lacham Gummi aut lachrymam esse affirmant. Nam habitu & aspectu nihil prorsus ab aliis lachrymis differt.

*Lacha uel Lacca posterioribus Græcis.

† late.

DE CYPHI. CAP. 24.

Cyphi non est simplex aliquod medicamentum, sed Thymiama quoddam, & odorata diisque sacrata confectio: qua Aegyptii sacerdotes ad suffitus, medici uero ad diuersas morborum iniurias antiquitus utebantur. Eius multæ fuerunt compositiones: quæ autem Medicis receptæ sunt, à Dioscoride, Aetio, Paulo Aegineta & aliis describuntur. Arabes hoc Thymiama Cochion * Cyphi intelligendum est, quod in Mithridatium Antidotum ingreditur. Requirit autem ad Cyphi suum Dioscorides ἁδρὰν, hoc est, uegetam Iuniperi baccam. Cum autem duæ sint Iuniperi species, quarum altera maiorem, altera minorem fert fructum, dubium est utrius baccæ accipiendæ sint. Marcellus Virgilius interpres crassas Iuniperi baccas è maiore Iunipero intelligit, ut ex commentario eius in hoc caput scripto apertè colligimus. Nos autem ἁδρᾶς appellationem non ad maioris Iuniperi fructum referendam censemus. Significat enim plenam, adultam, & iusti incrementi baccam siue maioris, siue minoris Iuniperi: ideo magis probamus hoc loco Ruellium, qui non magnam aut crassam, sed adultam uertit.

DE CROCO. CAP. 25.

Crocus herba est bulbosa radice, foliis longis & admodum angustis: flore Lilio non dissimilis, autumno è terra emicante. Stamina singulis floribus plerumque

terna, nonnunquam etiam plura sunt, oblonga, gracilia, colore puniceo, & egregio odore, cum exaruerit, quæ propter excellentiam cæteris herbæ partibus præferuntur, & Croci nomine ueniunt. Crocus alibi sponte prouenit, ut in Cilicia, alibi olerum modo in hortis seritur, depositis ordine radicum bulbis, ut Cyrenis, in Sicilia, Italia, Gallia, & Germania. Nam apud nos quoque fœliciter prouenit, uirentq́ eo latè pluribus regionibus, segetis modo, agri, præsertim Misniæ. Satiua præfertur in medicina sponte in Coryco natus, sed nemo speret temere ex Asia ad nos adferri. Itaque uti cogimur, Italico Aquilæ urbis agro genito, & nostrati seu uernaculo. Tradit Dioscorides Thuinam † tingentes in Italia satiuo usos fuisse, quoniam succi copia & coloris bonitate, sponte natum uinceret. Quo loco non satis fecerunt legentibus interpretes Barbarus, Ruellius, Marcellus & uetus interpres, quemadmodum nec ipse Plinius, quod omnium eruditorum & bonorum pace & uenia dixerim. Neque enim culpam transferendam in uiros doctissimos existimamus, sed potius in librarios, θυείαν pro θυίαν † scribentes, quorum uocabulorum primum illud mortarium, alterum uerò Thuiam arborem significat. Hinc factum est quod omnes mortarium interpretati sint, sed malè admodum & absque ullo sensu aut intellectu. Quæ enim est in tingendis Croco mortariis utilitas, aut quis usus Crocei coloris ex mortario. Nos semper hoc de Thuiæ arboris materia intelleximus: Nam quemadmodum adhuc preciosa opera crispa Fraxini & Aceris materia aut tuberibus earum elaborata diluto Croco tinguntur, ita etiam ueteres Thuiam, quæ & ipsa crispa est, infecisse uerisimile est, immò certum. Idem suspicatur etiam Ruellius, non quidem in Dioscoridis uersione, sed in suo de stirpibus opere, tam herbam ipsam cum radice, quam Punicea florum stamina Germani pariter Gallis Arabico uocabulo, Saffran nominant.

Thuiæ arboris materiam.

† Nostri codices habēt θυΐαν.

DE CROCOMAGMATE. CAP. 26.

Crocomagma Crocini unguenti, cuius paulo post mentio fiet, fex & sedimentum est. Constat autem Croco & Myrrha, quæ expresso Crocino unguento remanent, ac in pastillos conformantur. Probat Dioscorides Crocomagma, quod dentes & linguam uehementer ad aliquot horas permanente colore inficiat. Quo loco Ruellius per ὥρας annos intellexit, sentiens optimum esse quod uetustatem ferat, & multos annos duret. Sed Dioscoridis sententia est, optimum esse quod infectos dentes Croceo colore ad multas horas permanente obsideat. Ita enim hunc authorem intellexit Marcellus interpres, cuius uersionem hoc loco magis quam Ruellii probamus. Huius Crocomagmatis apud ueteres usus fuit. Postea Arabes Trochiscos Crocomagmatis, & corrupto nomine Crocimagmatis recentiorum nonnulli appellant. Capiunt hi ut Mesues tradit Crocum, Colcotar, Alumen, Calcadē, & Gummi Arabicum. Quid autem sit Colcotar & Calcadis (quia huius loci non est) in quinto libro, ubi metallica medicamenta attigerimus, ostendetur. Paulus Aegineta quoque libro vii pastillos quosdam ponit, quos etiam Crocomagma uocat, quorum compositionem ex ipso authore legentibus petendam relinquimus.

DE HELENIO. CAP. 27.

Helenium Romanis Inula, pharmacopolis Enula Campana, Germanis Alant nominatur. Herba est uerbasci foliis, procero caule, floribus Conyzæ modo orbiculatis, colore aureis, radice crassa, perenni, gustu amara & odorata, cuius usus est. Nascitur sponte tam montanis quam campestribus locis, utrisque tamen (ut obseruauimus) pinguibus. Interim etiam in hortis bulbosis radicum oculis seritur. Caulem interdum eadem radix non emittit. Hinc est, quod Dioscorides tradat, caulem quibusdam locis non proferre Helenium. Nos longa obseruatione deprehendimus, id non fieri singulari aliqua natalium locorum natura, sed ratione temporis & radicis ætate. Cum enim sponte enatum, se non radicum oculis sed disperso uentis pappaceo semine latè, propagat, aliquot primis annis noua germina semine enata non possunt caules producere, donec ad iustam ętatem & magnitudinem radix perueniat. In hortis autem auulsis radicum oculis satum citius incrementum capessit,

caulemq́ emittit, quem tamen omnibus annis eadem radix non semper molitur, sed alterius plerumq́.

*Helenium hoc Theophrastus nomine Chironij Panacis describit. Helenium autem ipse uocat alterum duntaxat Dioscoridis è Crateua descriptum Helenium.

¶ Helenium ex Helenæ lachrymis enatum aiunt: quam fabulam pulchrè describit Nicander in Theriacis suis.

DE HELENIO AEGYPTIO. CAP. 28.

Theophrastus huius Helenii sub hoc nomine nusquam meminit, quamuis Helenium quoddam describit foliis paruis, cuius sit coronis usus. Nouisse itaq́ legentes oportet Theophrasti Helenium idem esse cum eo, cuius historiam Dioscorides in fine huius capitis è Crateua desumpsit, quam Helenii speciē (cum ipsi Dioscoridi ignota fuerit) difficile quis iudicare poterit, tanquam nobis peregrinam & calidis maritimisq́, Aegypti præsertim locis, familiarem.

DE OLEO ACERBO. CAP. 29.

Olei propria appellatione intelligunt authores pinguem Oliuarum succum. Itaq́ cum simpliciter & indefinitè positam apud scriptores Olei uocē lectores inuenerint, meminisse eos oportet, natiuum & ex oleis expressum succum recipiendum esse. At cum omnia alia olea ex herbarū seminibus eliciantur, hoc priuatim Germani Baum öl/ hoc est arboreum oleum nominant: quoniam non ex herbarum seminibus, sed ex arborum fructibus exprimatur. Diuiditur autē in plures oleum differentias, sed geminas præcipuè. Aut enim satiuis premitur oliuis, aut syluestribus. Quod uerò ex Oleastri baccis fit, rursum in tres differentias primarias conciditur, cum aliud uulgares Oleastri, aliud Aethiopicæ Oleastri, aliud Cilibracę oleę siue Oleastelli fundant. Vrbanæ, seu (quod idem est) satiuæ oleæ baccis expressum, nationibus & regionum quibus gignitur diuersitate, in plures species distinguitur. Sed ubicunq́ genitū duas habet differentias: aut enim ex immaturis adhuc oliuis premitur (de quo nunc sermo nobis est) aut ex maturis. Quod immaturæ fundunt oleæ, priuatim Gręcis ὠμοτριβὲς, & ὀμφάκιον appellatur, quoniam id crudæ, acerbę, & sole nondum percoctæ tritæ baccæ remittant. Latinis Acerbum oleum appellare mos est, recentiores Græco nomine magis delectantur, Omphacinum appellantes.

DE OLEO COMMVNI. CAP. 30.

Apparet Dioscoridem hoc uno eodemq́ capite continua orationis serie de omnibus olei speciebus egisse. Librarios uerò membra capitis huius in plura capita redegisse. Primæ itaq́ parti tractationis de oleo præfixus est titulus περὶ ἐλαίου ὠμοτριβοῦς. Secundæ autem parti περὶ ἐλαίου κοινοῦ, hoc est, de oleo communi. Est autē oleum commune, uulgare illud ex maturis & diruptis oliuis (Græci δρυπετεῖς appellant) expressum, quod nos Germani Reiff öl, id est, maturum oleum nominamus. Non enim refert quod Dioscorides παλαιότερον, hoc est, uetustius dicat. Siquidem mea sententia per hanc uocem nequaquam intelligendum est uetus Oleum, sed quod Omphacino sit uetustius, ideoq́ in comparatiuo gradu παλαιότερον, & nō παλαιὸν dixit. Nec quis credat commune hoc è diruptis baccis expressum oleum uetustius acerbo esse debere, expressionis tempus respiciens: hic enim non est genuinus sensus. Vetustius enim ideo dixit, quia Drupæ oleæ, ex quibus commune hoc premitur oleum, diutius in arbore sua pendet, quam Omphaces, & ad iustam ætatem perueniunt. Oleum itaque quod Drupis inest uetustius existit eo, quod ante maturitatē decerptæ oliuæ continent. Esse autem hunc Dioscoridis sensum ipse paulo post indicat eodem capite, cum simpliciter παλαιὸν, hoc est, uetus oleum ponit. Prima igitur capitis parte de acerbo oleo: secūda de uetustiore, hoc est, maturo: tertia uerò simpliciter de ueteri agit oleo.

DE OLEO SYLVESTRIS OLEAE. CAP. 31.

Oleū ex agrestis oleæ, quæ Cotinus & Oleaster appellatur, baccis expressum hoc loco Dioscorides intelligit, quod quouis alio efficacius cum acore manifeste adstringit. In Pharmacopoliis nostris non habetur, nec temere etiam in Italiæ officinis: quare superuacuum est plura de eo dicere.

DE OLEO ALBO. CAP. 32.

Reperitur natura etiam candicans oleum: sed Dioscorides de eo tractat quod arte & industria humana candorem contraxerit, ad quod eligendum est, quemadmodũ ipse præcipit, quod per se albicet. Dealbatur autem leuaturq; duplici modo, adiectis uidelicet odoratis quibusdam rebus, ueluti hic ostendit: aut sine his, pura solummodo crebroq; effusa & refusa aqua, idq; duas ob causas. Primum ut acrimoniam, amurcæ reliquias, & pinguedinis rancorem in aquam deponat. Deinde etiam, ut aspectu candoreq; magis placeat, ne fusco aut profundiore colore candida unguenta inficiat. Lauatur præterea aliis modis habito diuersarum affectionum respectu, aquis aliquibus odoratis, ceu Maioranæ & Lauendulæ: seu frigidiori aliqua, qualis est Rosacea.

DE SICYONIO OLEO. CAP. 33.

Sicyonium oleum uocatum, in Sicyône Achaiæ urbe præparabatur, unde nomen inuenit. Porrò ne Græcorũ lectores hæreant aut impingant, duplex esse Oleum hoc nomine una tantum litera mutata meminerint. Alterum Σικυώνιον, alterum Σικυόνιον appellatur. Σικυώνιον est cuius Dioscorides hic meminit & nomen à Sicyône Achaiæ urbe obtinuit: hoc autem intelligit Paulus Aegineta libro iij. capite ix. de Lethargi cura: & libro eodem capite xx. in cura Tetani. Vtroq; enim loco requirit Σικυώνιον media syllaba non per ο breue, sed per ω magnum scripta. Σικυόνιον uerò diuersum penitus est à priore, habetq; lõge aliam nominis causam. Quemadmodum enim à Sicyone urbe Σικυώνιον, ita hoc à Σικύου radicibus aut succo, quæ recipit Σικυόνιον dicitur, media syllaba non per ω, sed per ο scripta: nam Σίκυον Cucumerem Græci uocant. Fit autem hoc oleum non ex satiuo, sed agresti Cucumere, quem nunc Asininum, olim Anguinum appellabant Latini. Meminit Sicyonii huius Paulus Aegineta libro iij, capite lxxvij in cura coxendicis, ubi de sanguinẽ exigentibus per aluum medicamentis agit his uerbis. Καὶ ὁ χυλὸς τοῦ ἐλατηρίου, καὶ τὸ δι' αὐτοῦ ἢ τὸ διὰ τῶν ῥιζῶν αὐτοῦ συντιθέμενον σικυόνιον ἔλαιον. Hoc est (si quis uerbum uerbo uertat) Et succus Elaterii, & ex ipso aut ex radicibus ipsius compositum Cucumerinum oleum.

DE STRIGMENTIS BALNEORVM. CAP. 34.

Ῥῦπον, siue γλοιὸν βαλανείων Græci uocant Strigmenta, quæ in balneis à lauantium cute destringuntur, & sub scamnis & pauimentorum tabulis in lubricum & glutinosum humorem concreta, reperiuntur. Cum autem apud omnes gentes non fuerit idẽ lauandi mos, aliis oleo se inungentibus, aliis simplici aqua lauantibus, ideo hæc strigmenta etiam uariant. Intelligit autem Dioscorides hoc loco per balneorũ strigmenta sordes humanæ cutis, unà cum sudore & inuncto oleo lauantibus defluentes. Mos enim Græcis multisq; aliis gentibus fuit, inter lauandum oleo corpora emollire, qui deinde etiam ad Romanos translatus est. In Germania uerò nunquam fuit hæc consuetudo: ideoq; strigmentis, hisce quatenus oleo constant, destituimur.

DE SORDIBVS PALAESTRARVM. CAP. 35.

Græcorum iuuentus in palæstra se nudis corporibus luctando exercens oleo inungebatur, quod cutis sordibus, sudori & pauimentorum pulueri inter luctandum casu mixtum in pauimentum destillans, frequenti luctantium insultu conculcabatur, & in unum corpus coalescebat. Colligebantur, & medicis in suos usus uendebantur hæ sordes, priuatim πάτος appellatæ, quoniam pedibus conculcarentur.

DE SORDIBVS STATVARVM ET GYMNASIORVM. CAP. 36.

Cum oleo inuncti iuuenes inter exercendum parietibus & æreis Gymnasiorũ statuis sordida affricarent corpora, aut casu admouerent, ipsæ statuæ luctantium strigmentis perfundebantur, quæ sordes, & ipsæ ad medicinæ usum detergebantur. Differebant autem à palæstrarum sordibus, quod puluerem admixtum non haberent, & quod aliquid æruginis ex æreis statuis contraxissent, itaq; illis acriores erant. Porrò cum Dioscorides dicat parietum gymnasiorum & statuarum sordes calefacere, non

oportet intelligere ligneis tabulis, saxis, lateribus, aut marmore constructis parietibus adhærentes sordes. Hæ enim parum aut nihil à balneorũ strigmentis differrent; sed eas quæ parietes, quatenus ære obducti essent, obsideret. Ornabat enim antiquitas gymnasiorum parietes æreis signis, tabulis & statuis: quem sensum etiam è Paulo Aegineta & Galeno collegimus. Siquidem hii non parietum, sed alter eorum σκευῶν, hoc est, uasorum, meminit, sine dubio æramenta parietum & ærea uasa quibus continebatur Oleum intelligens.

DE OLEOMELLE. CAP. 37.

Oleomel, quod Græci ἐλαιόμελι uocant, quoniam in Syria, alio quàm nostro orbe, prouenit, nec satis authoribus constat è quanam emanet arbore, difficile nobis est rem peregrinam indicare. Nouisse tamen hoc legentes oportet, duplex esse Oleomeli, alterum quod sponte sua ex arboris caudice defluat, & alterum quod ex eiusdem arboris surculis humana arte & industria eliciatur. Lõgius de eo Marcellus in suo commentario egit, quæ repetere non est nostri instituti, poterunt uolentes ea quæ commentatus est ipsi legere. Nos, quod ad aliquam cognitionem attinet, non silentio prę teribimus, apud nos ueris tempore è betulæ & quercuum caudicibus sponte sua distillare humorem liquido melle crassiorem, ad quem apes & id genus insecta conuolent. Est enim gustu dulcis, sed nauseam gustantibus affert. Alliciuntur eius dulcedine agrestes pueri nonnunquam, sed postquam tantillum degustauerint, nausea & capitis dolore corripiuntur, qui superueniente uomitu paulo post soluitur. Porrò hunc liquorem Oleomel esse nequaquam affirmamus sed similem aliquem in nostro orbe genitum. Aliud ab hoc est qui sauciatis Betulæ & Ostryæ arborum caudicibus manat humor, aquæ modo liquidus, pastoribus & agrestibus ad restinguendam sitim expeditus. Scimus etiam hunc liquorem à quibusdam in Septentrione gentibus, tanquam uinum aut cereuisiam ad quotidianum potum repositum toto anno seruari. Hermolaus Barbarus propemodũ in ea est opinione ut credat idem esse cum Oleomelle aëromeli, hoc tanquam à ueritate alienum minimè probamus, confutare uerò non est necesse, cum id Marcellus & Ruellius præstiterint.

DE RICININO OLEO CAP. 38.

Postquam de natiuo oleo, deq; his quæ oleo fiunt strigmẽtis, & quod olei pinguedinem habet Oleomelle disseruit Dioscorides, sermonem iam ad factitia flectit olea, qualia sunt omnia quæ ex herbarum Olerumq; seminibus exprimuntur. Eliciebantur autem hæc antiquitus affusa cõtusæ offæ feruenti aqua & expressa, à qua innatantem pinguedinem auferebant. Hodie diuersa fiunt ratione. Cõtunduntur enim, tum leniter teruntur semina, postea è feruente adhuc offa & cuneis satis impacta, ui pinguedinem excussam exprimunt. At Ricininum oleum, quod κίκινον Græci, Arabes uerò Oleum de Kerua appellant, è Ricini seminibus olim in Aegypto fiebat plurimum. Vtebantur enim eo ad lucernarũ lumina, nunc uerò parcius apud nos in Europa conficitur, præsertim in Germania, quamuis ubiq; iam herba hæc sata proueniat: hæc qualis sit, & quot habeat species, ubi ad quartum librum perueniemus, indicabimus.

DE AMYGDALINO OLEO CAP. 39.

Tam dulcibus quam amaris amygdalis expresso oleo hodie frequenter utuntur medici. Veteres amaras nuces ad hoc oleum eligebant, quarum pinguedinem priuatim Metopium appellabant, quoniam Metopii unguenti, quod Galbano cõstat, confectiones ingrederetur. Dulcibus Amygdalis expresso hodie utimur in lenienda aluo, corpore alendo, & medicaminũ, præcipue purgantium, acrimonia obtundenda.

DE BALANINO OLEO. CAP. 40.

Ex glande unguentaria, quæ Græcis Balanus Myrepsica uocatur, hoc oleum exprimitur, id Arabes scriptores, oleum de grano Ben appellant. Erat olim frequens eius in preciosis unguentis usus, nunc uerò paucissimi eo medici utuntur.

Quid

Quid autem sit Balanus Myrepsica in quarto huius operis libro indicabimus.

SESAMINVM. CAP. 41. CARYINVM. CAP. 42.

DE HYOSCYAMINO OLEO. CAP. 43.

Hyoscyaminum oleum è semine cuiuscunque Hyoscyami conficitur, tutius tamen est, ut ex ea Hyoscyami specie eliciatur, quæ albos profert flores. Exprimebatur autem olim tuso & aqua calida macerato semine, quem modum adhuc quædam Herbariæ mulieres obseruant, sed ita confectum facillime corrumpitur, & fœdum odorem contrahit: quoniam remanet in eo plurimum infusæ aquæ, quæ putrescit atque ipsum oleum corrumpit. Quapropter nos præferimus quod ex tuso & tosto semine ui exprimitur: syncerum enim & clarum est, nihilque alieni aut aduentitii humoris continet, ideoque putredini ac corruptioni minime est obnoxium ut illud.

DE CNIDIO OLEO CAP. 44.

E Thymeleæ fructu, quem Græci κόκκον κνίδιον, Latini granũ Cnidium appellãt, Cnidelæum exprimitur, cuius hodie rarus est, præsertim apud nos, in medicina usus. Exprimitur autem eo modo, quo Amygdalinum & Hyoscyaminum, tusis, leniter tostis, & dein expressis grani Cnidii nucleis. Porrò qualis sit frutex Thymelæa, cuius fructus est granum Cnidium, in quarto huius operis libro, cum ad purgantia medicamenta peruenerimus, dicemus: Vbi Dioscorides eos reprehendit qui granum Cnidium Chameleæ fructum esse existimant: in quem errorem etiam interpres Virgilius lapsus est, quamuis Dioscoridem huic errori reclamantem diligenter uerterit. Quapropter nemo fidem Marcello habeat in huius capitis cõmentario dicenti Chameleæ, quam Cneoron Theophrastus uocat, granum Cnidium semen esse, alia enim & diuersa à Thymelæa granũ Cnidiũ ferente, planta Chamelæa est, ut suo loco ostendemus.

DE CNICINO OLEO. CAP. 45.

Cnicinum oleum è Cnici (quem recentiores medici & pharmacopolæ omnes Carthamum appellant) seminis nucleo exprimitur, cuius hodie quoque non minus quam Cnidii olei perquam rarus est usus. Fit autem eodem modo quo Amygdalinũ, purgatis & cortici suo exemptis nucleis: quod melius est, quàm si una cum corticibus pinguedinem imbibentibus exprimantur.

DE RAPHANINO OLEO. CAP. 46.

Duæ sunt herbæ quæ uulgo hodie Raphanus appellantur, altera maioris, altera minoris cognomento: quarum altera grandi Lapatho æqualia & similia habet folia, caulem sesquicubitalem in uirgas diuisum: flores exiles, candidos, & numerosos, radicem longam, crassam, candidam, odore & sapore Nasturtii, sed acriorem. Germani Meerrettich, hoc est, Marinum Raphanum appellant. Ex huius semine non exprimebatur Raphaninum oleum. Nam nullus est ueterum, qui ad Raphani genus hanc plantam retulerit. Itaque malè faciũt qui Raphani uocabulo eam appellant, cum potius Nasturtii speciebus adnumeranda sit, quod ueteres etiam fecisse, cum locus inquiret, indicabimus. Raphaninum ergo oleum è propriè uocati Raphani semine exprimitur. Latini radicem, Germani Rüberettich, hoc est, Rapo similem Raphanum aut simpliciter Rettich uocant, quoniam caulis foliorum seminum & radicum figura & qualitate Rapis non sit dissimilis. Fit autem ea ratione qua Amygdalinum.

Exprimuntur apud nos similiter olea è Iuglandibus, Fagi nucibus, Rapi, Napi, Sinapis, Lini & Papaueris semine, quibus pro oleo oliuæ frequenter ad obsonia nostri utebantur, interdicto à summo pontifice ieiuniorum tempore butyri & adipum usu. Nunc autem plerisque in locis fieri desierunt, excepto quod è Lini exprimitur semine. Hoc enim pictores colores suos diluunt, & ad Vernisij confectionem Dantiscani utuntur.

DE NIGELLINO OLEO. CAP. 47.

Nigellinum oleum è Nigellę semine exprimitur, eius rarus admodum est in Germania

mania usus. Si quis autem uoluerit, tusa & leniter tosta donec calefiant semina ui exprimat, quemadmodum in Amygdalino & Ricinino dictum est. Animaduertẽdum autem est ne ad confectionem eius falso appellatam Nigellam accipiamus, in segetibus nascentem, foliis longis, hirsutis, caule geniculato, flore puniceo, simplici & paruæ rosæ non dissimili, semine in oblongo & acuminato uasculo, nigro, intus candido, & frumenti alicuius modo farinam reddente, planeq́ inodoro; hæc enim herba nihil minus est quam Nigella. Recipiendum igitur est ueræ Nigellæ semen, quod odoratum est, & passim in aruis sponte, atq́ in hortis satum prouenit, de qua suo loco plura dicemus.

DE SINAPINO OLEO. CAP. 48.

Sinapinum oleum è Sinapis semine, quemadmodum Raphaninum exprimitur. Fieri autẽ potest ex omnibus Sinapis speciebus, hoc est, Sinapi agresti & satiuo: Eruca, Erucula maiore, & Erucula minore: sed nostrates rarò eo utũtur, ideoq́ in nostris pharmacopoliis nõ reponitur: Ad abstergendas cutis maculas uultus eo illinunt.

DE MYRTINO OLEO. CAP. 49.

Hactenus Dioscorides natiui, hoc est, proprie uocati olei differentias recensuit, quo quidem in genere continentur ex cuiuscunq́ oleæ aut Oleastri baccis facta olea: quibus statim subiunxit ea, quæ ex fructuum & seminum quorundam nucleis tusis exprimuntur, aut coctura eliciuntur: Hæc autẽ secundũ olei genus cõstituunt, quod Plinius Factitium appellat, quamuis ad hoc genus etiam referat Oleastri & Chameleæ, hoc est, parui cuiusdã Oleastri baccis expressum oleum. Factitium rursus in duo genera diuiditur: alterum enim simplex est ceu Amygdalinum, Ricininum, Sesaminum & omnia quæ è solis fructuum & seminum nucleis exprimuntur, uel arte: quædã etiam ex aliis quibusdam ceu Pice, Thure, aut Resina aliqua, aut aromatibus eliciuntur: alterum uero compositum: hoc fit maceratis oleo natiuo, arborum, fruticum, & herbarum foliis, floribus, seminibus, aut aliis partibus medica ui pollentibus, qualia sunt quæ iam sequuntur, Myrtinum, Laurinum, Lentiscinum, Mastichinum, & reliqua eiusmodi. Atq́ hæc non ineptè composita olea & simplicia unguenta appellantur, siquidem Paulus Aegineta libro septimo, ubi oleorum & unguentorum compositiones recenset, eodem ferè modo appellat & distinguit. Est enim differentia inter unguenta & olea, ut Galenus quoq́ plerisq́ in locis testatur, clare autem de simpliciũ medicamentorum facultatibus libro secundo circa finẽ, ubi Rosacei meminit, oleum Rosaceum appellans: quod simplici ratione fit, maceratis in oleo rosis absque alicuius aromatis, aut odoramenti alterius adiectione. Cum enim præter Rosas etiam alia recipit aromata, quibus spissatur & odoratur oleum, iam non amplius oleum, sed unguentum Rosaceum appellandum est, quod meminisse legentes, & medicinæ studiosos plurimum refert, & quidem in hoc capite apud Dioscoridem. Tradit enim duplicem Myrtini confectionem, alteram simplicem, alteram compositam: quarum prior Myrtinum est oleum: altera uerò, Myrtinum unguentum, quoniam non tantum Myrto & oleo constat, sed præter hæc etiam aliis aromatibus, quibus spissatur antequam Myrtum recipiat oleum. Hoc non tantum de Myrtino, uerum etiam de Laurino & aliis quibusdam intelligendum. Porrò, ad confectionem Myrtini, uera est recipienda Myrtus, quæ in Hispania, Narbonensi Gallia, & Italia nascitur. Non illa adulterina, in omnibus Germaniæ syluis & montibus proueniens, cuius baccas patria lingua Heydelber nominamus. Qualis autem sit uera Myrtus plerisque notum est, qui uerò hunc ignorant, eos ad Myrtum remittimus, de quo infra hoc ipso libro disseremus. Nouisse etiam legentes oportet, nostræ ætatis medicos uulgo non uti Myrtino, quod Dioscorides conficere docet, sed eo cuius compositionem Arabes authores in suis scriptis reliquerunt.

DE LAVRINO OLEO. CAP. 50.

Laurini olei uaria est præparatio: nostra autem ætate, hoc frequenti in usu est,

est, quod ex oliuæ oleo & Lauri frondibus oleo incoctis conficitur. Id nonnulli mangones ut iucundiore colore uireat trita ærugine tingunt, non sine ementium & utentium periculo. Porrò si diligenter præparetur, satis hilarem acquirit colorem, ut non sit opus ærugine colorem genuinum æmulari & mentiri.

DE LENTISCINO OLEO. CAP. 51.

Lentiscinum oleum fit maceratis & incoctis acerbo oleo Lentisci arboris maturis fructibus, quos Σχινίδας Græci uocant. Apud nos nullus est huius olei usus, quoniam neq; aliunde affertur ipsum oleum, neq; in nostris regionibus Lentiscus nascitur, è cuius baccis conficere nobis liceat.

DE MASTICHINO OLEO. CAP. 52.

Mastichinum oleum quod uulgo in Pharmacopolijs oleum masticis nominatur, iuxta ueterum traditionem conficitur pura & leuigata Mastiche, hoc est lentisci resina, oleo acerbo incocta & dissoluta. Nostra uerò ætate hoc oleum præparatur eo quo Arabes docent modo.

DE VNGVENTIS. CAP. 53.

Vnguenta preciosa, quę μύρα Græci uocant, antiquitus odoris & uoluptatis gratia inuenta & præparata sunt. Postea cum ratio medica eorũ uim deprehenderet, & experientia comprobaret, cœpit id quod ad luxuriam tantum inuentum erat, etiam ad salutem humanæ sanitatis cedere. At quoniam utilitati odoris fragrantia mixta esset, auxit ijs precium uoluptas, & quanto preciosiora erant, tanto magis expetebantur. Fuit autem quotidianus eorum in conuiuijs usus apud Græcos, Persas & alios cultiores Orientis populos. Vngebantur enim conuiuantium capita, capilli & barbæ, qui mos deinde etiam ad Romanos defluxit, sed serò admodum. Hinc Latini poetæ toties in iucundis conuiuiis ad hilaritatem excitandam, liquidos odores, Achæmeniam Nardum, & alia huiusmodi requirunt. In Germania uerò hucusq; nunquam in usum hæc unguenta recepta sunt. Nam quæ uulgo in Pharmacopoliis ex multis & diuersis medicamentis conficiuntur, olea potius sunt composita ad propulsandos ab humano corpore morbos inuenta, quam unguenta. Etsi enim non tantum id, unde cognominantur, recipiant, sed multa alia etiam odoramenta, tamẽ quia neq; antea spissatur certis aromatibus oleum, neq; quæ ingrediuntur aromata odoris gratia expetuntur, unguenta hæc olea nominanda non sunt. Plerunq; enim nullam habent odore fragrantiam quo olfacientes inuitent, sed medicam quandam facultatem, quam sani homines, quantumuis uoluptatibus dediti auersantur. Talia sunt quę hodie in nostris Pharmacopoliis conficiuntur ex Hyperico, Costo, triplici piperis genere, Capparum radicibus, Euphorbio, uulpe oleo incocta, Scorpionibus, & id genus alia. Ergo non tantum μύρον, hoc est, unguentum, id uocandũ est, quod etiam alia quædam, præter id unde nomen habet, recipit, sed quod aromatibus conficitur & odoris suauitate delectat.

DE ROSACEO VNGVENTO CAP. 54.

Duplex est apud medicos Rosaceum. Alterum, quod simpliciter fit maceratis in acerbo oleo Rosarum rubentium nondum penitus explicitarum foliis. Et alterum quod admixtis oleo odoramentis conficitur: hoc autem propriè unguentum, illud uerò oleum Rosaceum probatis authoribus dicitur. Nostræ autem ætatis medici Rosaceo oleo utuntur: nam unguentum rosaceum, quod admixtis odoramentis constat, nusquam confici uidimus.

DE ELATINO VNGVENTO. CAP. 55.

Ex palmæ arboris nondum florentis folioso operimento (quod ἐλάτη Græcis dicitur) Elatinum olim fiebat unguentum, hodie uero fieri desiit. Quidam eius loco faciunt unguentum ex semine abietis: creduntq; in huius unguenti compositione abietem ἐλάτης appellatione significari: sed malè admodum. Aliud enim est hîc à Discoride descriptum Elatinum unguentum, quam oleum ex abiete, quod Galenus Acopũ δι᾽ ἐλάτης uocat.

DE MELINO VNGVENTO. CAP. 56.

Melinum ex malis Cotoneis adhuc conficitur, non tamen aromatis odoratur, sed simpliciter fit maceratis ad solem in oleo Cotoneis malis, uocaturq; Oleum Cotoniorum à Pharmacopolis.

DE OENANTHINO VNGVENTO. CAP. 57.

Oenanthinum ex Labruscæ (quæ uitis agrestis est) floribus, Gręcis οἰνάνθη appellatis conficiebatur. Nunc uerò eius nullus apud nos usus.

DE FOENOGRAECINO VNGVENTO. CAP. 58.

Hoc à quibusdam adhuc præparatur, sed simpliciter ex Fœnigræci seminibus oleo incoctis, uel ad solem maceratis.

DE SAMPSVCHINO VNGVENTO. CAP. 59.

Sampsuchinum ex Maiorana, quam Græci σάμψυχον appellant, fiebat, admixtis aliis aromatibus: nunc uerò hoc modo non amplius præparatur. Nam omnia ferè unguenta quæ olim odoris gratia cõficiebantur, hodie in Europa fieri desierunt. Recentiores tamen aliud substituerunt, quod Oleum Maioranæ uocant.

DE OCIMINO VNGVENTO. CAP 60.

Ex Ocimo hoc quondam conficiebatur.

DE ABROTONINO VNGVENTO. CAP. 61.

Ex Abrotono nigra seu Mascula hoc olim fiebat unguentum: nunc quidam ad solem cum Abrotono maceratum oleum, Abrotoni oleum uocant.

DE ANETHINO VNGVENTO. CAP. 62.

Hoc hodie simplici ratione ex Anethi floribus in oleo ad solem maceratis conficitur: quidam etiam Pharmacopolæ secundum aliam descriptionem conficiunt. Vulgo in Pharmacopoliis Anethinum oleum uocatur.

DE LILINO VNGVENTO. CAP. 63.

Lilinum, quod Græci non tantum κρίνινον, uerumetiam Σούσινον Persico uocabulo appellant, Persis Lilium susan nominantibus; adhuc fit, sed tantum in oleo maceratis candidis liliis.

DE CROCINO VNGVENTO. CAP. 64.

Crocinum nostris quoq; temporibus fit, non tamen secundum hanc descriptionẽ. Pharmacopolæ hoc suo more præparatum oleum Croci appellant.

DE NARCISSINO VNGVENTO. CAP. 65.

Non amplius confici Narcissinum unguentum Medici curant, cum uulgo Narcissus non cognoscatur. Quid autem sit Narcissus in quarto huius operis libro ostendemus.

DE LIGVSTRINO VNGVENTO. CAP. 66.

Ex Ligustri floribus, quoniam odorati sunt, hoc olim conficiebatur unguentum. Nunc uerò nusquam conficitur. Quid autem Ligustrum sit, hoc ipso libro non longè pòst.

DE IRINO VNGVENTO. CAP. 67.

Ex Illyrica Iride hoc præparabitur unguentum. Recentiores alio modo confectũ oleum Irinum nominant.

DE GLEVCINO VNGVENTO. CAP. 68.

Simplex hæc est Gleucini cõfectio, quæ à Dioscoride ponitur. A Galeno hæc ipsa etiam de compositione medicamentorum κατὰ γένη libro septimo recensetur, & ad Dioscoridem refertur: & præter hanc aliæ tres indicantur, quæ plura recipiunt aromata siue Medicamẽta. Nomen à musto, quod γλεῦκος à Gręcis dicitur, accepit. Hodie uerò non amplius, quod quidem sciamus, conficitur.

DE AMARACINO VNGVENTO. CAP. 69.

Diuersum hoc est à Sampsuchino, quamuis utrumq; Sampsuchum & Amaracum capiat. Alia uerò Aromata, quæ ingrediuntur, differunt. Quare ut distinguantur ab inuicem hoc Amaracinũ, illud Sampsuchinũ, appellarũt. Hodie autẽ hoc fieri desiit.

DE MEGALIO VNGVENTO. CAP. 70.

Hoc hodie nõ conficitur, nam Dioscoridis etiam ætate nõ amplius conficiebatur.

DE HEDYCHROO VNGVENTO. CAP. 71.

Hedychroon ab hilaritate coloris nomen accepit, hodie uerò non præparatur. Pastilli etiam qui Theriacam Andromachi ingrediuntur, similiter Hedychroi appellantur, qui plurimum ab hoc unguento differunt. Quapropter ineptè apud Paulum Aeginetam libro septimo in Theriacæ compositione, uocabulo Hedychroi adiecit unguinis appellationem interpres Albanus Torinus Vitodurensis.

DE METOPIO VNGVENTO. CAP. 72.

Metopium Galbanum recipit, propterea à Galbani planta ab Aegyptiis Metopion appellata nomen accepit. Non præparatur hodie.

DE MENDESIO. CAP. 73.

Mendesio unguento, quod ab Aegypti urbe Mendesia nomen accepit, hodie nõ amplius Europæ medici utuntur. Nusquam enim in Europa conficitur, nisi quis singulariter id fieri curauerit.

DE STACTE. CAP. 74.

Dicta est Stacte à stillando. Est autem recentis expressæ Myrrhæ destillans pinguissimus flos. Antonius Musa Styracem liquidam, Stacten esse cõstanter affirmat, sed malè meo quidem iudicio. Sunt enim natura penitus diuersę Styracis & Myrrhę arbores: & huius lachryma in aqua resoluitur, illius uerò in oleo, uel oleo simili humore tantum. Myrrha præterea optima ex * aqua fit. Stacte per se magno emitur. Styrax uerò liquida admodum paruo. Quare cum ex plurima Myrrha, quantumuis bona, minimum exprimatur Stactę, & Storax liquida longè minoris, (quanquam Myrrha etiam uilissimo ueneat) nemo temere affirmabit eam Stacten esse. Quòd si non satis efficax hoc argumentum contradicentibus uidebitur, electa Myrrha Stacten expressimus: qua uix aliquid reperiatur, quod diutius & latius oleat, odore aromatum modo iucundum. Sed propter grauitatem aliquam sensoriis irrepẽtem, facile somnũ conciliat. Possunt nostro exemplo uolentes si ueram Myrrham eamq; optimam eligant, non magno labore eam exprimere. Nam uulgo hodie apud nos non exprimitur ob recentis Myrrhæ inopiam, sed in Arabiæ Mecha copiosè adhuc confici negotiatores referunt.

DE CINAMOMINO VNGVENTO. CAP. 75.

Cinamominum à Cinamomo (quod basis huius unguenti est) nomen accepit. Hodie non præparatur.

DE NARDINO VNGVENTO. CAP. 76.

Nardinum ex Indicæ Nardi Spica, & aliis quæ à Dioscoride recensentur, fiebat. Nunc autem præparatur quibusdam demptis, & quibusdam additis medicamentis, uulgo Nardinum oleum uocatur: sed hoc odore & uiribus, eo quod olim fiebat, multo ignauius est. Galenus Romano uocabulo Nardinum passim in suis libris, Spicatum à Nardi Spica, quam capit, appellat. Quidam uerum Nardinum unguentũ hoc esse credunt, quod ex Spica Lauendulæ distillatur, sed longè falluntur.

DE MALOBATHRINO VNGVENTO. CAP. 77.

Malobathrinum præcipuè Malobathro cõstabat: hoc ut Galenus libro tertio de compositione medicamentorum κατὰ γένη refert, Romæ foliatum dicebatur, quemadmodum Nardinum, Spicatum.

DE IASMINO VNGVENTO. CAP. 78.

Hoc caput in nonnullis æditionibus Dioscoridis desideratur.

In Perside Iasmini nascuntur flores, Violis quadantenus similes: Ab Arabibus

Iesem i-

Iesemini & Zambach appellantur. Ex his unguentum illud conficiebatur, quod ab Arabibus etiã Oleum de Zambach nominatum fuit. Vnde imperiti putant hoc ex Sambuci floribus fieri maximo (& qui etiam pedibus palpari possit) errore. Iasmini autem flores hodie à quibusdam non tantum in Italia, uerumetiam Gallia & Germania, uitium modo sati, uiticulis suis pergulas & concamerationes hortorum ascendunt & integunt, Iasmini uocabulo in Iesemini detorto. Non autem temere quidam huius unguenti odore delectati sunt, cum apud nos etiam cœlo multo quàm in Perside frigidiore, nimia odoris bonitas delicatæ naris hominibus fastidium pariat. Itali primam literam quasi S consonantem pronunciant: unde quidam eo ignorantia peruenerunt, ut Sesaminum semen & Seseminum appellatum florem eandem rem esse credant, sed malè.

DE MYRRHA. CAP 79.

Iamdudum de Myrrha incidit controuersia, negantibus etiam doctissimis uiris nos ueram Myrrham habere. Qui uerò res ipsas diligenter inquisiuerit, non poterit nõ uidere, quod non tantum mediocris, uerumetiã optima Myrrha afferatur, quamuis hoc fiat rarius. Quod autem non frequentius contingat, sola in causa est aromatopolarum, quos hodie materialistas uocant, ignauia & inscitia. Hi enim cum partim etiam in Alexandriam nauigent, facile possent optima quæq; eligere & adportare, nisi sumptibus parcere mallent, quàm humani corporis saluti consulere. Verum hoc nequaquam omnium institutum est, cum nonnulli longè alium finem, fœdum uidelicet lucrum & priuatum commodum, sequantur.

DE BOEOTICA MYRRHA. CAP. 80.

Bœoticam Myrrham necesse est similiter lachrymam esse. Quemadmodum enim propriè uocata Myrrha, arboris sui nominis lachryma est, quæ in aqua dissoluitur: hoc addo ut à resinosis lachrymis, quæ in aqua minimè resoluuntur, distingui possit: sic etiam par est Bœoticam Myrrham, ex alicuius arboris parte aliqua manare. Non enim frustra, sed ob similitudinem substantiæ & qualitatis, quas cum Myrrha paulò minus quam easdem habet, Myrrhæ uocabulo appellata fuit. In hoc uerò Dioscoridis exemplari, quod Marcellus Virgilius interpretatus est, clarè legitur Bœoticam Myrrham nascentis cuiusdam in Bœotia arboris radicem esse, sed malè quantum mihi uidetur: neq; hoc interpretis culpa, uerum exemplaris Græci uitio factum est, in quo sic scriptum reperitur, ἡ δὲ Βοιωτικὴ σμύρνα ἐστὶ δένδρου τινὸς ἐν Βοιωτίᾳ γεννωμένου ῥίζα τετμημένη, hoc est, Bœotica uerò Myrrha est arboris cuiusdam in Bœotia nascentis radix incisa. Fuisse autẽ alium uerborum ordinem & sensum in hoc capite Serapio indicat, cum in Myrrhæ capite sic ait. Sed Myrrha quæ est ex terra, quæ dicitur Laptoteno (id est, Bœotia) abscinditur ex radice arboris quæ est in terris illis. Sic ille hoc Dioscoridis caput reddidit, nec dicit Bœoticam Myrrham incisam esse radicem, sed ex radice excindi, quemadmodum solent incisione elici reliqui liquores. Idem nobiscum sentit in suis commentariis Marcellus Virgilius interpres. Myrrha autem hæc hodie omnino non cognoscitur.

DE STYRACE. CAP. 81.

Styracis & Myrrhæ arbores natura penitus esse diuersas in Stacte premonuimus. quod etiam ad natales attinet, nihil prorsus commune habent: hæc enim in India & Arabia, illa uerò in Asiæ minoris Pisidia & Cilicia diuersi cœli regionibus prouenit. Si uerò substantiam ipsam quæ ex his emanãt lachrymarum consyderauerimus, omninò diuersas deprehendemus. Lachryma enim quæ ex Styrace manat, præter omnes alias quas iam taceo notas, resinosæ est substantiæ: cuius proprium est in sibi simili humore aliquo resolui, & minimè in aqua. Quæ uerò è Myrrhæ arbore distillauerit lachryma, facilè etiam propter substantiæ similitudinem in quouis aquoso humore dissoluetur. Hæc ideo dico, ut sciamus liquidam Styracẽ nihil minus esse quàm Stacten, quod pluribus etiam demonstrare argumentis possemus, si huius loci esset falsas doctorum opiniones & iudicia confutare. Styracis autem triplex hodie habe-

tur differentia. Est Styrax calamita quæ in candicantes & ruffescentes grumos coercuit. Est & liquida Styrax, quæ in duas diuiditur differentias: altera enim resinosa est pinguedo ex arbore quadam sponte destillans, aut coctura elicita: & altera, quæ ex Styracis nucleis exprimitur: sed huius rarissimus apud nos est usus. Tertia differentia Styrax sicca est, à quibusdam etiam Thymiama uocata: estq; cortex in ruffo colore nigricans, quem aiunt è Styracis arbore colligi. Quidam impropriè siccam Styracem etiam rubeam cognominant. Rubea enim Styrax est Calamita Styrax, quæ non candidum sed ruffum colorem habet. Hodie autem Pharmacopolæ non amplius Styrax, sed Storax pronunciant.

* Nascaphthum corticem impropriè Storacem rubeum uocant: cum Styrax ruber, non cortex, sed huius coloris liquor sit.

DE BDELLIO. CAP. 82.

Substantia & qualitate Bdellium cum Myrrha magnam habet cognationem, suis tamen distingui possunt notis, quas etiam ipsi (ut uocant) Materialistæ ut plurimum ignorant, quo factum est, ut hactenus aliquot seculis Myrrham pro Bdellio allatam uendiderint. Nunc uerò genuinum rursus affertur, iis, quibus ab authoribus describitur, notis cognoscendum. Nomen suum in Pharmacopoliis retinet.

DE THVRE. CAP. 83.

*Diuersæ species thuris, permixtæ nobis adferũtur.

Thus etiam optimum nos habere nemo dubitare debet, neq; tamen inficias eo, interdum resina aliis quibusdam adulteratum afferri. Est autem Thus in Arabia nascentis arboris resinosæ substantiæ lachryma, candicans, pinguis, & interdum geminis guttis testiculorum modo concrescens, quod optimum est, & masculum uocatur. Pharmacopolarum quidam Thus, quidam uerò Olibanum, græca appellatione uocant. Germanis quoniam in templis ad sacros suffitus accenditur, Weyhrauch/ quasi consecratorius fumus nominatur. Aliud à thure est quod in inferiori Germania Incensum uocant, quamuis etiam Thus à nonnullis Incensum nominetur. Quod enim nostri Incensum appellant, Resina est Pini, aut alterius cuiusdam Pino cognatæ arboris.

DE THVRIS CORTICE. CAP. 84.

Thuris cortex unà cum adhærente lachryma arbori suę auulsus sæpe affertur, maiore adstringendi & siccandi ui, quam Thus ipsum præditus.

DE THVRIS MANNA. CAP. 85.

Frequenter huius Mannæ in libris Galeni de compositione medicamentorum κατὰ γένη mentio fit, & apud multos alios ueteres scriptores: ubi interpretes interdum mannam Thuris scriptum inueniunt, ex una re diuersas faciunt: ut, si scribatur, Recipe Mastiches, Mannę thuris, uirgula distinguentes. Quare quotiescunq; Mannæ uocabulum Thuris nomen immediate antecedit aut sequitur, perpendendum an sola Thuris manna, an utrunq; accipiendũ sit. Nam interdum simpliciter Mannam, nonnunquam etiam Thuris Mannam hoc medicamentum medici uocant. Est autem hæc Manna tenuis ex masculo thure puluis & pollen, qui in grumorum attritu resoluitur. Huius olim in Emplastris fuit usus, sed hodie paucissimi eam experiunt: nam eius loco contrito utuntur thure. Porrò Mannæ nomine uulgo nunc aërium seu roscidum mel, Manhu ab Israelitis olim appellatum, ostenditur: de quo plura, secundo huius operis libro in mellis capite, dicturi sumus.

DE THVRIS FVLIGINE. CAP. 86.

Fuligo etiam ex Thure quemadmodum ex omnibus resinosis & oleosis rebus colligi potest, eo quo Dioscorides docet modo. Est autem Fuligo ex incensa pingui quacunq; re resolutus tenuis fumus, imposito quodam concauo uase exceptus, qui Germanico uocabulo Rham & Schmitze uocatur.

DE PINO ET PICEA. CAP. 87.

Magnam nonnulli Græcorum scriptorum controuersiam nobis reliquerunt in uocabulis πίτυς & πεύκη. Non quod ipsi Græci tantum in horum significatione uarient, sed etiam interpres interdum πίτυν, Pinum: πεύκην Piceam uertit: & Ruellius contrà, interdum πεύκην Pinum, πίτυν uerò Piceam: quæ uarietas magnã in demonstrandis & iudicandis rebus difficultatem parit. Theodorus Gaza in Theophrasto prȩterquam quod πεύκην Pinum & πίτυν piceam uertit, etiam ipsam πίτυν laricem interpretatus est, quem sequutus est † Plinius, & Pliniũ Virgilius Marcellus, qui præterea πεύκην Tædam interpretatur, sed malè. Non tamen est quod hanc culpam aliquis ad interpretum ignorantiam reiiciat. Cum ipse Virgilius Marcellus (suo in hoc capite commentario fateatur & concedat) posse etiam aliam quam ipse interprætatus sit, horum uocabulorum significationem ex authoribus afferri, nec hodie tantum ista est in his uocabulis controuersia: nam olim quoque in ipsa Græcia & Macedonia sua nomina permutabant πίτυς & πεύκη arbores. Laricem tamen πίτυν, πεύκην Tȩdam interprætari absurdius est. Multum enim differunt πίτυς Larix, πεύκη & Tæda. Ego autem potius Ruellium sequor multis argumentis rationibus adductus, & πίτυν Pinum, πεύκην uerò Piceam interpretandam esse censeo. Longum foret & non est huius instituti omnia afferre argumenta & rationes, meum tamen iudicium de huius generis arboribus hoc esto: πίτυς est Pinus, quæ cum sponte prouenit Pinaster uocatur: nam aliàs etiam in hortis seritur. Hæc in Germania rarissimè seritur. Syluestris uerò Pinus, seu (quod idem est) Pinaster, copiosè in alpibus nostris prouenit: eum patria lingua Cyrbelbaum appellamus: πεύκη est picea, quæ & ipsa duas habet differentias, una est longis setis comosior, deorsum pendentibus ramis, hæc fructus fert in longo cono Pineis nucibus similes, minores tantum. Conus à Pini cono differt: quòd Piceæ conus longitudine ferè dodrantem æquat, crassitudine autem manum propemodum complet: Pini uerò conus multo breuior latiorq́; existit: habetq́; pyramidalem figuram. Illius etiam squamæ tenues sunt, & ab inuicem resolutæ, ita ut fructus siue nuces sub squamis uideri queant: Pini uerò squamæ crassiores, † longioresq́; sunt & compactæ: propterea nõ uideri possunt nuces. Si uerò pini Conus in calido ȩstuario, aut ad solẽ suspẽdatur, resolutis magno fragore squamis dissilit, nucesq́; spargit, quas Cirbelnussen appellamus. Picea autẽ quæ Pino similes nuces fert, à Germanis quibusdã eodẽ quo Pinaster nomine uocatur. Hanc arborẽ, in Germania ad alpes nasci scimus, & à quibusdam etiã Pinũ uocari, sed malè. Picea uerò syluestris Conũ huic similem fert, & in eo minutum, & alatũ nucleum, qui in minimo duroq́; † cortice contineatur. Hanc Germani ein Fiechten uocant. Abies quæ Græcis ἐλάτη uocatur, ea est sine dubio arbor quæ à nobis ein Tanne appellatur, similes Piceæ syluestri Conos ferens, sed torosiores. Huic similis est Milax arbor, siue Taxus: Germanicè ein Eibe uocatur: fiuntq́; ex ea hodie, non minus quam olim, arcus & scorpiones. Δᾲς est propriè Tȩda arbor, quam nos ein Kiuer/† Kinbaum & Feuren uocamus. Ex qua sumpta pinguissima materia, Tæda Græcis, Kin † Germanis similiter ut arbor ipsa nominatur. Vnde etiam faces δᾳ̃δες à Græcis dicuntur. Huic similis est Larix Latinis, ein Lerch: Germanis appellata, Alpibus etiam iuxta Germaniã, & interiori quoq́; Germaniæ familiaris: quam an Græci habuerint uel cognouerint, & quomodo eam appellent, nullus adhuc Latinorum aut nostrorum prodidit. Nos uerò non sine ratione affirmamus Laricem eam esse arborem, quæ ipsis κεδρελάτη uocatur, quod tanquam obseruatu & cognitu dignum rerum studiosi diligenter animaduertant.

Pityn sibi Pinum uideri, Peucen uerò Piceam.

† Imò Theodorus Plinium, tot seculis posterior.

† al. (lignosiores)

† (al. in minimè duro)

† (al. Kifer)

† (al. Kien)

*Picea, Pechbaum: Piceaster, ein Fichte: Pinus, Zirbel.

DE PITYIDIBVS CAP. 88.

Πιτυΐδες Pini & Piceæ nuces sunt, auellanarum propemodum magnitudine & figura, oblongiores tantum in Conis prædictarum arborum enatæ. Exempti corticibus suis nuclei ad nos ex Italia afferuntur, suum in pharmacopoliis nomen retinentes. Nunc uerò Pinearum nucum frequentior est in medicina usus quam Picearum.

**Zirbernuß.*

DE STROBILIS. CAP. 89.

Strobili priuatim dicuntur in Pineo cono inuentę nuces, ut à piceæ nucibus distinguantur. Totus etiã pini conus cum fructibus siue nucibus, Strobilus uocatur. Quapropter bis hoc capite Strobilorum mentionem facit Dioscorides. Primum enim exemptos ex Cono & purgatos fructus intelligit. Secundo totum cum nucibus Conum.

DE LENTISCO, [arbore Mastiches.] CAP. 90.

Lentiscus Σχῖνος à Græcis uocatur. Σχοῖνος uerò eidem genti teretem aromaticum iuncum significat: quæ uocabulorum similitudo quosdam in errorem coniecit, alterum pro altero apud authores accipientes. Ideo ne quis in similem errorem incidat, utrumq; uocabulum suis literis scriptum posuimus. Est autem Lentiscus procera ex resiniferarum genere arbor: folia tamen differunt, quæ lenti similia sunt, sed maiora. Nascitur præcipuè in Chio, aliisq; Græciæ locis. In Italia autem ab admodũ paucis in hortis plantatur. Germaniæ uerò incognita est arbor.

Aliqui hodie Sandaracha Mastichen adulterant.

DE LENTISCINA RESINA. CAP. 91.

Ex Lentisco resina in guttas concreta fluit: quæ priuato nomine μαστίχη Gręcis appellatur, quæ adhuc in usu est medicis. Nomen uerò ipsius corruptũ mutata, χ, Græca litera, ch ualente, in x Latinam, quo fit ut non amplius μαστίχη, sed mastix uulgo hęc resina nominetur.

DE TEREBINTHO. CAP. 92.

Terebinthus (quam Græci τέρμινθον, Arabes uerò Baton, Boton, uocant) etiam ex resinam ferentium arborum genere est. Folia eius eodem quo in Lentisco ordine in pediculis disposita sunt, multò tamen maiora, & ad Laurinorum magnitudinem accedentia. Nascitur in Græcia, Cycladibus insulis, Petræa Arabia, Syria, Cypro, Africa. Nobis omnino est incognita, præterquam quod frondes & fructus eius, sicut & Lentisci nonnunquam ad nos afferantur.

DE RESINIS ALIIS. CAP. 93.

✶Terebinthinam hodie uocant, quæ Larigna est resina, nec malè illi substituitur.

Resinæ ex multis arboribus fluunt, quæ autem ex Terebintho, Terebinthina Latinis uocatur, Arabibus Gluten Albotin. Hæc rarissime affertur, eius tamen loco Laricis resina utimur, similiter Terebinthinam uocantes, sed malè. Quæ uerò ex Lentisco fluit Lentiscina Latinis, Græcis μαστίχη, Arabibus Gluten Romanum appellatur. Pinea ex pino destillat. Abiegna ex Abiete. Picea quoq; resinã fundit. Strobilinam resinam malè pineam interpretatur Virgilius Marcellus. Antea enim eius mentio facta est sub πιτυίνη uocabulo, Pinea autem resina differt à Strobilina. Pithyina siue Pinea est, quæ ex arbore sua sponte aut profundius inciso caudicis cortice manat. Strobilina uero in Strobilis, hoc est, in pini conis concrescit. Ex Colophone olim ante tempora Dioscoridis liquida etiam resina afferebatur, quam uocabãt Colophoniam, ea hodie non est in usu. Ipsi apud nos liquidam resinam copiosam habemus. propterea etiam olim ex Germania in Græciam portabatur: habent tamen adhuc Colophoniæ nomine siccissimam resinam, quæ an Brutia, aut Cędri pix sit, nondum ausum certò affirmare. Certe nostra adhuc ætate multi eam picem Græcam uocant: Colophonia uero liquida fuit. Ex Gallia quoque in Græciam allatam esse resinam liquidam testatur Dioscorides. Deinde subiungit: Affertur liquida & ex Galatia quæ ad alpes est, (hoc est ex Germania) quam patrio uocabulo Larignam regionis eius incolæ dicunt. Hæc adhuc à nobis Lerchenhartz uocatur, ab Italis Largatum. Porrò quod Larignam resinam ex Germania in Græciam dicit allatam esse, satis indicat in Græcia non adeo frequentem esse Laricem, ex qua illic colligi possit. Hinc conijcio non multis in Græcia cognitam fuisse: nullum enim nomen quo eam indicent authores apud Græcos inuenire potuerunt. Nos uerò ante diximus

mus proprium eius nomen κεδρελάτην esse. Est & aliud resinæ genus quod Galenus πιτύϊνον φύσημα uocat, quasi pineum abscessum: non tamen in pino tantum hic abscessus excernitur, uerumetiam in abiete & aliis huius generis arboribus. Cùm in abiete gignitur, à Germanis ein Tannenblater eadem significatione uocatur. Est autem extuberans abscessus, resina plenus, in resiniferis arboribus enatus. Ex cupresso etiam resina liquida fluit. Huius uerò nostra ætate nullus est in hisce regionibus usus. Coquebatur olim omnis liquida resina: cocta acrimoniam, odorē, & partium tenuitatem omnē deponit. Quare ea utebantur ad suffitus, quale Cyphi est, ut sua pinguedine facile accensa alia etiā facilius accenderentur, nulloq; interim suo odore reliquorum aromatum fragrantiam retunderet. Eadem etiam odoratis unguentis substantiæ crassitudinis causa miscebatur.

FVLIGO RESINAE. CAP. 94.

DE PICE LIQVIDA. CAP. 95.

Liquidę picis nullus hodie uel rarus in medicina usus existit, quamuis copiose hęc apud nos & in septentrione è Tæda arbore fiat.

✝ *Aliud liquidæ picis genus est, quo curruum axes ungunt. Vide mox in Bitumine.*

DE OLEO PICINO. CAP. 96.

Neq; hoc hodie pręparatur. Si autem pręparare quis uellet, poterit meliore modo per destillandi (ut uocant) artem ex quacunq; pice & resina colligere.

DE PICIS FVLIGINE. CAP. 97.

Quid fuligo sit, & unde colligatur, antea ostensum est in Thuris capite, quapropter non opus est ea hic repetere.

DE SICCA SIVE SPISSA PICE. CAP. 98.

Sicca pix omnibus nota est. Germani Bech & Pech uocant. Quomodo autem fiat, Theophrastus docet, nouerunt'q; omnes qui Hercyniam syluam accolūt, pręsertim has eius partes quę Bohœmica et Thuringiaca syluæ uulgo appellantur.

DE ZOPISSA. CAP. 99.

ζώπισσα est pix naualis, quam Gręci etiam ὑπόχυμα uocant, alia est ab hac pice naturali, quę in Germaniæ maritimis locis habetur. † Græci enim naues suas resina & cera illinebant. Nostri uerò è pice liquida plerumq; suam naualem picem coquunt. Quidam etiam Bitumine ad hoc utuntur. † Schiffbech/ Saßbech.

DE BITVMINE. CAP. 100.

Bitumen Græci ἄσφαλτον uocant, Germani Erdbech/ quòd substantia & uiribus Pici cognatum sit, & in terra nascatur. Est autem ceu pinguis terræ adeps, Picis colore, substantia, quo fit ut facile flagret, accensum. Sunt autem multæ Bituminis differentiæ. Quod solidius & colore in nigro purpureum & splendidum est, Iudaicum à Iudæa ubi gignitur cognominatur. Gignitur autem plurimum in Asphaltitide lacu, quem mortuum mare nominant. *Iudaicum.* Hoc humanis ossibus in Alexandria & Alkairo Mangones illinunt, & pro Mumia uendunt, cum tamen Mumia nihil aliud sit quàm bituminis genus quoddam, ut paulo pòst referemus. *Mumia.* Liquidum Bitumen quale in Sicilia reperitur, copiose etiam in Germania gignitur, maximè circa Brunsuicum & Borchtorpium in Saxonia, quo ad axes ungendos, iumentorum scabiem & lucernarum lumina utuntur. *Liquidum.* Hoc Germanice Teer siue Zher uocatur: ab aliquibus etiam à fœtore Teufelsdreck nominatur. Est & liquidæ picis genus de quo paulo ante diximus, quo similiter curruum axes ungunt. Quod nequaquam ad hoc liquidum Bitumen referendum est. Simile quiddam etiam ex Betula arbore igne elicitur: quo coria Liuoni & Rusi ungunt. Hoc à Germanis † Deger & Preussischer geschmack uocatur, à Plinio Bitumen Betulæ arboris, quam nos ein Bircke uocamus. † Däger.

DE PISSASPHALTO. CAP. 101.

Pissasphaltus talis, qualem Dioscorides describit, non tantum in Ceauniis montibus, uerumetiam quibusdam Germaniæ locis, ut in Transyluania & alibi fluminum impetu è montibus defertur. Quod incolæ haurientes à sordibus purgant, eoq; ad faces pro cera utuntur. Vnde etiam à Germanis Erdtwachs & Bergtwachs, id est, in terra siue montibus genita cera uocatur. Notandum autem est hanc pissasphaltum idem esse cum Mumia. Nam Arabes scriptores in sua Mumia Dioscoridis caput de Pissasphalto citant. Differt tamen quæ uulgo uenditur Mumia à Pissasphalto. Siquidem Pissasphaltus natiua est, Mumia uerò quę in pharmacopoliis uenditur, Iudaicum Bitumen est, humani cadaueris tabo mixtum. Quod autem hæc Mumia ex Iudaico bitumine fiat, sentit etiam Antonius Musa Brasauolus. Quidam enim ueram Mumiam esse dicunt quòd in sarcophagis reperitur, Opobalsamo, Aloë, Myrrha, atque humano tabo commixtum. Nam istis aromatibus diuitum cadauera in oriente antiquo more condiuntur. Hæc autem Mumia, nunquam ad nos affertur, sed ea tantum quę Bitumine & humano tabo constat. At neq; hæc genuina, sed quæ industria fit cadauerũ ossibus infuso & circumfuso in humanam figuram bitumine. Quemadmodum enim diuites Aloë, Myrrha & Balsami liquore inuncti reponuntur: ita pauperes bitumine conditi sepeliuntur. Talis est Mumia quæ hodie affertur, quæ ne tantillum quidem Myrrhę uel Aloës uel Balsami admixtum habet, quod colore, odore, & sapore manifestò deprehendi potest.

Mumia Arabum. *Mumia uulgaris.*

DE NAPHTHA. CAP. 102.

Naphtha etiam Bituminis genus est; sed omnium liquidissimum, calidissimum, & tenuissimum substantia & qualitate. Quapropter cum simul etiam oleosæ sit substantiæ facillimè accenditur, ac ignis rapacissimum meritò existit. Sunt autem tres Naphthæ differentiæ. Nigra enim quædam, & candida quædam, & flaua quædam reperitur: illa, crassior: hæ uero, aquæ modo liquidæ sunt. Gignitur autem ex Bitumine natura in terra & montibus accenso, tenuissimis eius uaporibus sursum elatis, & ad frigidiora saxa in tenuem liquorem resolutis: qui deinde per suos meatus è montibus fontium modo scaturit. Hoc autem Naphtha ab alio quouis liquido Bitumine differt, quod igne facta sit. Nam aliæ liquidi Bituminis species absq; igne, aut Bitumine accenso, per se in terra gignuntur. Porrò multum differunt in terra contenta diuersis locis Bituminis genera, quo fit ut ipsi etiam unde Naphtha generatur uapores magnam habeant differentiam. Ex crasso enim & terresti Bitumine, crassa: ex tenui & puro, pura etiam & tenuis gignitur Naphtha. Hodie in pharmacopoliis Oleum petræ siue † petroleum uocatur: Germanicum eius nomen est Steinöl. Ad Bituminis autem genus etiam referri debent lapis Gagates, Thracius, Terra Ampelitis, Succinum, tam candidum quam fuluum *. Quod omnibus fortè paradoxon uidebitur. Verum nequaquam sine certis argumentis & rationibus id affirmamus.

Petroleum.

* *Item Cāphora & Ambra.*

† *Loco petrolei oleo latericio uti licet, Naphtham candidam efficacißimam aiunt: deinde fuluam: postremum locum nigræ tribuunt.*

DE CVPRESSO. CAP. 103.

Cupressus procera & semper uirens arbor est, conos ferens Alni galbulis figura similes, magnitudine uerò ad tædæ & laricis conos accedentes: in quibus rubentia & angulosa nascuntur semina, quæ ex arefactorum conorum resolutis squamis, cum matura facta fuerint, excidunt. Quidam hos integros cupresi fructus, galbulos, pilulas, & nuces uocant. Posteriore uocabulo hodie pharmacopolę utuntur. In Germania hanc arborem nusquam enatam uidimus sponte. In Galliæ uerò calidiore parte et Italia copiose prouenit, unde ad nos eius coni feruntur: (quos ut diximus) pharmacopolæ nuces Cypressi uocant. Est & fruticulus Chamæcyparissus à Plinio uocatus. Hic apud nos in hortis & fictilibus ad coronas seritur. Est enim odorata, & semper uiridem seruat comam: hinc etiam hibernis coronis inseritur. Germani Cypressen ut ipsam arborem, uocant. Nonnulli tamen hanc Chamæcyparissum, Absinthium Santonicum esse opinantur, de quo suo loco dicemus.

Chamæcyparissus.

DE IVNIPERO. CAP. 104.

Iuniperus arbor Græcis ἄρκευθος dicitur: baccæ eius, ἀρκευθίδες. Sunt autem, ut authores tradunt, duo eius genera. Altera ad iustæ arboris proceritatem se attollens, baccis auellanæ paruæ magnitudine. Et minor altera, quæ paruum fert fructum, uulgari piso æqualem. Color utriusque baccis niger, non ruffus ut Cedri. Nam quidam etiam docti uiri eò erroris delabuntur, ut Cedrides, quibus fuluus est color, maioris Iuniperi fructum esse credant. Procera Iuniperus Germaniæ nostræ incognita est. Minor uero ubique copiose nascitur, asperis & editis locis, quam patria lingua † Wechholder/ Wachholder/ Machandeln/ & Kramestaude nominamus. Eius nos multorum annorum obseruatione duplex deprehendimus genus: alterum floret & nullum fert fructum, alterum uerò non floret, nihilominus tamen fructum parit: qui initio tertii anni demum ad maturitatem peruenit, quo fit ut uere in hac Iunipero triplices conspiciantur fœtus: iam iam nascentes alii, & iustæ magnitudinis alii, sed uirides adhuc, & omnino maturi alii, quibus niger est color. Itaque uerum est quod authores tradunt, & uulgò fertur, Iuniperum uidelicet parere usque ad tertium annum arbori suæ inhærentem fructum.

Cedrides.

† Heluetij Rechholder/ fortè quasi Reuchholder/ à suffitu.

✱ Iuniperi maioris resinam, Sandaracham uulgò appellant. Sed pro resina melius dicetur Sandarax, pro metallo Sandaracha.

DE SABINA. CAP. 105.

Sabina, Græcis βράθυς, recentioribus medicis Sauina, Germanis Seuenbaum/ Sagebaum & † Saterbaum uocatur. Est autem pumila & in latitudinem se diffundens arbor, cuius duæ sunt species. Altera miti, ceu Tamarix, est folio: altera cupresso simili & aculeato. Plinius negauit Sabinam fructum ferre, cum dicit: Sabina herba propagine seritur & auulsione. Et paulò pòst: iisdem modis Rosmarinum serunt, & ramo: quoniam neutri semen. Qua in re nemo temere Plinio fidem adhibere debet. Vtraque enim tam Rosmarinus quam Sabina semina ferunt, testante id annua experientia. At Sabina, de qua nunc nobis sermo est, non semina tantum sed & fructum fert, Iuniperi baccis colore & figura similem, sed paulo maiorem & gustu multo acriorem. Miror etiam quod herbam appellet, Plinius Sabinam, cum omnibus constet arborem esse, non herbam.

✱ Vtraque species est apud nos.

† Alias Saterbaum.

DE CEDRO. CAP. 106.

Cedrus, quam Arabes Serbim uocant, procera est arbor, Syriæ & multis aliis calidioribus regionibus familiaris, Germaniæ hactenus incognita. Neque enim sponte prouenit apud nos, neque seritur. In Italia autem nonnulli tanquam peregrinam in hortis suis excolunt. In Narbonensi uerò Gallia etiam sponte prouenire ex relatione Petri Bellonii Cenomanni nouimus, non quidem proceram sed paruam. Nam quemadmodum in Iunipero quædam procera, quædam humilis est: ita etiam in Cedro, altera magna, altera humilis reperitur. Fert hæc fructus Myrtæ baccæ magnitudine, colore ruffos, quos ad nos ferunt negociatores, baccas Iuniperi maioris uocantes: cum tamen non sint Iuniperi, sed Cedri minoris fructus. Ruellius Cedrum Galliæ suæ solo nomine cognitam existimauit. Hinc apparet eum Montis Pessulani agrum non perlustrasse, in qua parua Cedrus nascitur. Magna autem Cedrus Iunipero proceræ perquam similis est, caudice erecto, aculeatis foliis, fructus figura & magnitudine. In summa nihil aliud est quam peregrina Iuniperus. Hinc etiam nonnulli ueterum, quemadmodum etiam recentiores, Cedrum cum Iunipero procera confundunt, utramque Cedrum appellantes. Sed eam quæ propriè Cedrus sit, & de qua nunc agimus, ὀξύκεδρος Græcis uocatur, quoniam duriora & spinosiora Iunipero folia habeat. Differt etiam materiæ soliditate, & spadiceo colore, à Iunipero: quinetiam fructu qui Cedro ruffus, Iunipero niger datus est. Quos, cum nuper in Germaniam importarentur, nonnulli etiam doctissimorum uirorum Iuniperi maioris baccas crediderunt, non animaduertentes, manifeste authores Iunipero nigrum, Cedro uerò ruffum tribuere fructum. Quæ autem κεδρία Græcis, & Latinis Cedria, Arabibus pix Alkytran uocatur, liquida Cedri pix est, cum qua pariter dum uritur pix aquosus & serosus defluit humor, colore fuluus aut ruffus, Cedrium ab authoribus

Oxycedrus.

Cedria.

dictus, & Cedrinus liquor. Porrò quemadmodum Ἀρκευθίδες, Iuniperi, ita etiam κεδρίδες Cedri fructus nominatur, de quibus iam diximus.

Galenus Cedrum, Iuniperum appellat: & contrà etiam. Gummi elemi uidetur Cedri lachryma: pro ea uti licebit liquore. Deget Germanicè dicto: de quo leges suprà ad finem Capitis de Bitumine.

DE LAVRO. CAP. 107.

Laurus Græcis Δάφνη, fructus eius Δαφνίδες dicuntur. Germani Loren & Lorberbaum/ arborem: fructus uero Lorber nominant. Arbor non magna est in calidioribus quàm nostra est regionibus nascens. Itaque sponte apud nos non nisi sata prouenit. Sunt autem geminæ lauri differentiæ. Altera enim latifolia, altera tenuifolia existit. Est etiam in fructu differentia. Siquidem alterius in rotundo modice oblongus est: alterius oblongus, gracilis, & utrinque ouato mucrone turbinatus.

Laurus diuiditur in syluestrem & satiuam: ac rursus utraque in syluestrem & satiuam.

DE PLATANO. CAP. 108.

Platanus peregrina quondam ipsi Italiæ arbor fuit, in quam primum ex oriente allata est: ubi in magna æstimatione, propter foliorum latitudinem solis æstum arcentem, habebatur. In Germania eam sponte nasci nemo speret. Quare non assentior illis qui Ahorn dictam Germanis arborem Platanum esse contendunt. Ea enim acer est: foliorum tamen figura ad Platanum accedit, reliqua discrepant. Platanum autem propriè appellatam, adhuc apud Hispanos, Siculos, & Constantinopolitanos in diuitum hortis excoli scimus.

DE FRAXINO. CAP. 109.

Fraxinum Græci Μελίαν, Germani ein Asche & Esche appellant. Est autem duplicis generis. Altera quæ simpliciter Μελία hoc est fraxinus: & altera quæ Βουμελία, hoc est, bubula fraxinus uocatur. Prior minoribus & angustioribus foliis & semine seu fructu graciliore. Altera uerò latioribus maioribusque tum foliis, tum fructibus conspicitur. Eius frondes ad Bouum pabula quidam adhuc nō minus quàm olim reponunt: unde Bubulæ cognomentum apud Græcos inuenit, quamuis etiam à magnitudine ita cognominari potuerit. Nouisse quoque legentes oportet, rei rusticæ scriptores latifoliam & syluestrem, hoc est, incultiorem fraxinum, Ornum appellare. Ergo meo quidem iudicio † Ornus nihil aliud est quam magna illa latifolia Fraxinus, montibus familiaris. Ruellius aliam arborem Ornum esse putat, cui folia quidem sunt Fraxino positu non dissimilia, sed multo minora, cum Orno maiora tribuantur. Sed quia hæc racemoso florum & fructuum habitu, acerba ui, & foliorum figura sorbo simillima sit, ad nullum aliud arboris genus, quàm sorbi merito referri debet, qua de re paulo post hoc eodem libro dicturi sumus.

Ornus Ruellij.

Fraxinus alia Germanis dicitur Eychesch/ alia Steinesch. Siliquā Fraxini, pharmacopolæ linguam auis nominant.

† Ornus, Fraxinus latifolia, etc. Sed alia Fraxini species uidetur, quæ Orni nomen circa Romam hodieque seruat: in Germania non prouenıens.

DE POPVLO ALBA. CAP. 110.

Duæ sunt apud Dioscoridem Populi species: nigra altera, & alba altera, de qua nunc agimus. Nec immeritò hæc alba cognominatur, cum inferior foliorum pars candore etiam cum niue certet. Propterea Græcis λεύκη, Germanis Weiß alberbaum/ Weiße popel/ & * dalunt inferius candida uocatur. Porrò quod ad lachrymam & prima germina huius arboris attinet, non ita efficaces in medicina uires habet, ut nigra, de qua iam dicturi sumus. Nascitur autem hæc arbor pingui fœcundoque solo, & circa pagorum fossas. Falluntur qui albam populum esse existimant arborem, quæ à Germanis ein Aspe nominatur. Hæc enim tertia est populi species à Plinio Libyca siue alpina, & à recentioribus Latinis tremula dicta: quoniam longis pediculis pendentia folia, afflatu leuissimæ auræ tremunt.

** Germanis Alberbaum/ Abelen.*

DE POPVLO NIGRA. 111.

Albæ nigræque populis tria interponuntur capita, in uulgaribus Dioscoridis exemplaribus.

pluribus. Cum uerò author hic non soleat cognatas res diuellere, post albam populum nigram statim recensere maluimus. Non enim uerisimile apparet, Dioscoridem eas interiectis aliis & minime cognatis rebus discreuisse. Est autem nigra Populus arbor, quam Græci αἴγειρον, Germani Popel weiden & Popeln uocant: ex cuius recenter erumpentibus oculis unguentum Acopon fit, quod pharmacopolæ Populeum nominant. Veteres Latini utramque Populum Farfarum appellarunt. Est etiam herba Farfarus & Farfarella, à similitudine quam cum Populi foliis habet dicta: de qua alibi dicemus. Porrò nigræ Populi lachrymam ad Eridanum fluuium in electrum, quod succinum Latini uocant, densari, ut poëtæ fabulati sunt, & plerique crediderunt, minime uerum est, ut suo loco ostendemus, cum de Lyncurio nobis sermo erit. *Farfarus.*

DE MACERE. CAP. 112.

Conuenit inter omnes propemodum doctos, Macer, corticosum illud aroma esse, à pharmacopolis Macis appellatum, ipsis Arabibus etiam id testãtibus: qui in descriptione sui Macis, Dioscoridis caput de Macere allegant. Nemo autẽ miretur, cur hic author suum Macer arboribus misceat, cum potius inter aromata de eo agere debuerit. Venia dignus est in hac re Dioscorides, cuius ętate res noua, nec penitus cognita fuit. Credebant tamen arboris corticem esse: quapropter hic inter arbores recensetur. Nostra uerò ætate, quid re uera sit, cognoscere incepimus. Nam Arabes clarẽ scribunt corticem esse nucis Moschatæ. Cum uerò Moschata nux plures habeat (quibus munitur) cortices, dubium est quotus in ordine Macer cortex sit. Idcirco quidam tradunt exteriorem esse, quod tanquam falsum ipsa experientia improbat. Possunt tamen qui hoc scribunt isto modo excusare. Nuces Muschatas, ut hactenus ad nos allatæ sunt, duabus corticibus uestitas conspexerunt, quorum interior qui nucleum ipsum proximè ambit, durus, lignosus & insipidus existit: qui uero hunc circumdat, Macer est. Tertium uero & extremum non uiderunt: itaque opinati sunt Macer exteriorem eius corticem esse. Nos uerò cum integros Moschatæ nucis fructus iam sæpe uiderimus, non pigebit totius fructus habitum indicare. Est ergo nux Moschata iuglandi, adhuc in arbore cum omnibus corticibus hærenti, magnitudine & forma omnino similis, cortice foris carnoso crassoq́ꝫ: qualis est uiride illud & carnosum iuglandis putamen. Sub hoc Macer est: quod lignosum corticem, nucleum ipsum (hoc est, nucem Moschatam in se continentem) ambit. Indi totos hos fructus non aliter quam nos iuglandes purissimo Zacharo aut melle condiunt, & conditos nobis mittũt. Tales fuerũt qui proximo anno M. D. XXXVI. à nato Christo Francofordiam ex India ab Hispano quodam ferebantur. Porrò hi maxime errant, qui Cinamomum credunt Caryophyllos & nuces Moschatas ferre: Neutrum enim fert, sed paruum fructum glandibus, in acetabulis siue caliculis adhuc hærentibus, similem, multò tamen minorem.

DE VLMO. 113.

Vlmus, quæ πτελέα Græcis uocatur, magna & procera est arbor, lutosum amans solum. Folia habet Tiliæ & corylo non dissimilia. Eius duo sunt genera: alterum simpliciter πτελέα, hoc est Vlmus: alterum uerò ὀρειπτελέα, hoc est, ut Theodorus Gaza apud Theophrastum conuertit, Montiulmus nominatur. Sunt autem Vlmi istæ arbores, quas Germani † Rostern uocant: & alterum genus Vlmen siue Ylmen. * Quid uero inter utrançꝫ sit discriminis fabri lignarii nouerunt, & nos quoçꝫ in historia arborum differentias earum indicauimus. † Rüstern.

* Bast Germanis, Vlmi uel Tiliæ cortex fissilis est.

DE CARIE LIGNORVM. CAP. 114.

Vetustos arborum truncos, & intempestiuẽ cæsa atçꝫ ędificiis nimia uetustate corrupta ligna, uermes atterunt. Qui autẽ farinę similis è foraminibus excidit puluis, Caries Latinis, Gręcis σαπρότης ξύλων, Germanis Wurm mel uocatur. Differt autẽ hæc secundũ lignorum diuersam naturã. Papyrus grandis & triquetra herba est, in Aegypti palustribus locis iuxta Nilum iunci modo nascens. Ex hac chartę olim fiebant, &

quo

quo Plinius docet modo, hinc nostris etiam & nuper inuentis chartis Papyri nomē mansit. Vidimus nos† detractos medulla papyri cortices ex Aegypto allatos: Vidimus etiā in uetustissimis Germaniæ Bibliothecis Papyri chartis scriptos libros.

†Detracta.

IN NOSTRIS CODICIBVS HARVNDO ET PAPYRVS. CAP. 115. 116.

DE TAMARICE. CAP. 117.

Tamarix Græcis μυρίκη appellatur. Estq; duum generum, satiua & procera altera, in Aegypto nascens: & humilis altera, quæ diminutiua forma Tamariscus dicitur. Eius duplex genus in Germania inuenimus: alterum solidiore ligno, medullaq; admodum exili, & foliis tenuioribus, copiose ad Rhenum circa Argentoratum nascens: alterum ampliore medulla, foliis latiusculis, lignoq; non usque adeò solido, quod frequens in Danubii & Vuertachii ripis in Vindelicia prouenit, præsertim iuxta Augustam. Minoris autem Myricæ folia & cortices pharmacopolæ ad medicinæ usus seruant. Fiunt etiam hodie, non minus quàm olim, ex ligno eius circulis doliolorum modo circundata apud nos pocula. Germani pariter Græcis minorem, Tamariſken uocant. Male hactenus Grammatici Myricam eum esse fruticem interpretati sūt, quià Germanis Heyde appellatur: è cuius flore, præsertim apud nos in Lunenburgensi solitudine, apes mel copiosum colligunt, sed minime generosum, ut Dioscorides proximo capite manifestè testatur.

DE ERICA. CAP. 118.

Erica absq; dubio est illę Myricę similis, sed minor frutex, quem Germani Heyde appellant: in Lunenburgensi solitudine ad duum & trium nonnunquam cubitorum altitudinem assurgens. Hunc Myricam hactenus aliqui opinati sunt, sed male, ut proximo capite indicauimus.

DE ACACALIDE. CAP. 119.

Non cognoscitur in hisce regionibus Acacalis, cum in Aegypto nascatur, neq; fructus eius amplius afferatur: nisi aliquis ex Myrobolanis Emblicum seu Belliricum hunc esse existimet: quod ut non affirmamus, ita etiam nondum negamus.

DE RHAMNO. CAP. 120.

Rhamnus etiam alba spina Latinis nominatur. Cautos tamen nos esse oportet, ne res diuersas hoc nomine confundamus. Nam præter Rhamnum spinam arborescentem, in herbaceo genere duo Cardui, albæ spinæ nomine passim ab authoribus indicantur. Ouidius uerò sexto fastorum per spinam albam & uirgam Ianalem, Rhamnum intelligit nec sine causa in hunc modum de Rhamno scribit.

Sic fatus spinam, qua tristes pellere posſit
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et paulo post:

Virgaq; Ianalis de spina sumitur alba,
Qua lumen thalamis parua fenestra dabat.

Cum ipse Dioscorides easdem Rhamno uires, quas Ouidius spinæ albæ seu Ianali uirgæ tribuit, interprete Marcello, dicens: Fertur præterea Rhamnus, appositis pro foribus fenestrisúe ramis eius, omnium ueneficiorum arcere maleficia. Ianalis autem uirga, Rhamni uirga dicitur. Quod Ianus eam Cranæ Nymphæ (qua potitus erat) contra Strigum noxas pro amuleto dederit. Sunt autem Rhamni præcipuæ species duæ: candida, & nigra, ut Theophrastus scriptum reliquit & nos aliquoties uidimus, quæ tamen non in Germania enatæ, sed ex Italia & Gallia allatæ nobis sunt. Quapropter non indicamus Germanicum eius nomen, utraque longis tenuibusq; aculeis horret. Fructus candidæ, candidus: nigræ, niger: quemadmodum & folium, quod oblongum paruumq; est. Fructui orbiculata est figura, qui in medio turget, in margine uero tenuior & ueluti foliaceus existit, in summa, uerticillo, quo ceu pondere fusis infixo utuntur mulieres, similis est, non tamen perforatus. Dioscorides & tertiam Rhamnum recenset, cuius semen in quibusdam Dioscoridis exemplaribus spondylio, in quibus etiam Asphodelo, comparatur, diuersis natura plantis. Nos spondylio, hoc est, uerticillo, similem esse iam ostendimus: quare non Asphodelo, sed spondy-

spondylio legendum censemus. Rhamnis quidam etiam annumerant Crispinam uuam ferentem spinam, sed cum foliis & fructu plurimum discrepent, sui generis spinam esse credimus.

* Quidam Bergottsbeer esse putant, (uuam Crispinam puto) sed folia dissimilia sunt.

DE HALIMO. CAP. 121.

Halimus frutex maritimis locis prouenit, gustu salsus, unde et nomen inuenit. Nobis propterea incognitus est in mediterranea regione habitantibus. Quamuis autem Germaniam quoq; spaciosissimum mare alluat, tamẽ quia nostrum littus septentrionem spectat, nõ temere in eo Halimum prouenire quis credat, qui calidioribus et soli aduersis littoribus nascitur. Confuderunt aliqui hunc fruticem cum asphodelo, qui etiam Albucus dicitur. Hinc enim in hoc capite quoque Albuci uocabulum legitur, sed admodum male: non enim à Dioscoride, sed ab alio quodam imperito adiectum est. Videndum in hac planta erit, quomodo concilientur Dioscorides & Serapio: ille enim ait Rhamno simile esse Halimũ, sed spinas non habere: hic autem plures illi quam Rhamno spinas tribuit. Vocatur autem ab Arabibus hæc planta Molochia & Atriplex marina. Quare hoc nomine apud Serapionẽ quęrendum erit Halimon. Plinius ueterum quorundam authoritate, plures eius species describit.

* Halimus frutex est maritimus. Alimus uerò, Asphodelus.

DE PALIVRO. CAP. 122.

Varia est apud authores Paliuri historia siue descriptio. Sunt enim multæ eius species, uerum in tanta historiæ diuersitate, quidquam certi sine firma ratione indicare, temerarium foret. Nos illud affirmamus uulgo non cognosci, neque in medicinæ usu nunc esse paliurum. Est autem ut tradunt scriptores duplex paliurius. Altera procerior & arborescens, Aphricæ familiaris: & humilior altera, quæ spinis & agrorum pestibus adnumeratur.

* Klein Stachel wicken/ foliis similibus uiciis.

DE OXYACANTHA. CAP. 123.

Oxyacantha, (quæ Theophrasto etiam masculino genere ὀξυάκανθος & ὀξυάκανθος nominatur,) ab omnibus esse creditur spina illa fruticosa, rectis uirgis arborescẽs, binis, ternis, & nonnunquam quaternis aculeis ad pungendum infestis, ex interuallo armata: quam Arabes eorumq; interpretes, & recentiores cum medici tum pharmacopolæ omnes uno ore Amiberberim & Berberim appellant. Cui sententiæ nos minime refragamur, sed potius conquerimur, confundi apud authores hoc nomine duos frutices natura diuersos. Quæ enim hîc apud Dioscoridem extat Oxyacanthæ descriptio, nihil minus designat quam Berberim. Alia enim est Oxyacantha, cui Galenus adstringendi & pariter incidendi uires tribuit, ab hac spina quæ à Dioscoride sub Oxyacanthæ nomine describitur: quod iam ostendemus ab ipsa fruticis descriptione exorsi. Principio Oxyacantham suam Dioscorides Achradio, hoc est, syluestri piro, similem dicit, minorem tamen & spinosiorem. Similitudo autem semper ad formam & figuram rei refertur. At diuersissima est Berberi à pirastro figura, ut iam declarabimus. Piraster enim plerunq; singulari caudice assurgit, non ita recto, in diuaricatos & intortos ramos diuiso. Berberis pluribus uirgis fruticis modo se attollit, iisq; minime intortis, sed rectis. Pirastro, antequam omnino senescat, cortex est lenis, glaber, in flauo spadiceus, in cæsio candicantibus maculis uariegatus. Berberi uerò longæ diuersus colore, & in ipsa adolescentia rimosus & rugis contractus. Qua propter neminem esse credo, modo semel tantum utrumq; uiderit, qui * Berberim Pirastro similem fructum eumq; rubentem. Berberi quidem rubeus est fructus, sed Myrteæ baccæ dissimilis. Hęc enim rotunda & globosa existit, ille uerò oblongus & utrinq; acuminatus. Oxyacanthæ deinde fructus εὔθρυπτος, hoc est, friabilis describitur. Sed Berberis bacca, quoniam lenta cute succulentam carnem cõtinet, minime friabilis esse potest. Friabile enim non de re quapiam, lenta, humida et succosa dicitur, sed de fragili, arida, quæ digitis facile ueluti in puluerem atteri queat, talis autem fructus Berberi non est, quare nemo ipsum friabilem dixerit. Reliquas notas cum aliis etiã

communes an sint, nõ discutimus. Censemus itaq; aliã esse spinam quæ à Dioscoride describitur, ab ea quam Galenus & Arabes Oxyacanthę & Berberis nomine describunt. Qualis autem ea sit nunc declarabimus. Dioscorides inter Oxyacanthæ synonima etiam πυρίαν numerat, cùm uero apud nullum authorem hæc uox extet, perperam esse exaratam suspicamur. Ipse tamen Dioscorides hoc eodem libro Pyracanthæ meminit in Mespili capite. Eam esse censemus quę hic corrupto nomine πυρίανθα uocatur. Facilis enim lapsus est scribentium. Idcirco Dioscorides pro Berberi, quæ uera est Oxyacantha, Pyracantham descripsit. Est igitur, ut nos iudicamus, hoc loco Oxyacanthæ nomine descripta Pyracantha, hoc est, spina quę inter arbores à ueteribus Latinis simpliciter spina, à Gallis Aulbe spine, hoc est alba spina, Germanis Hagedorn & Weißdorn nominatur. Non tamen intelligimus Rubum syluestres ferentem rosas, qui abusiue nobis Hagedorn uocatur, sed eam spinam, quam aliqui ex nostris Cornum esse falsò opinati sunt, fiunt ex ea uiuæ in Hessia sepes: hæc enim habitu figuraq; Pirastro similis est, minor tamen spinosiorq;. Fructum fert Myrteis baccis ęqualem, rubentem, nucleos intus habentem, mollem, & omnis succi expertem, ideoq; friabilem. Idē testatur Plinius, cum dicit A quifolię et spinę baccas sine succo esse. Accedit etiam foliorum figura, quæ Apio similia sunt: nam talia Pyracantha habere debet, Dioscoride Mespili folia Pyracanthæ foliis comparante & Theophrasto Mespili folia Apio similia describente. Pronunciamus itaq; Oxyacantham à Dioscoride descriptam, esse Pyracantham: ueram autem Oxyacantham de qua Galenus scribit, Berberim esse. Nihil enim obstat quod quædam ex Dioscoride Galenus in suæ Oxyacanthę descriptionem transtulerit.

Pyracantha.

Oxyacantham Dioscoridis, esse Spinam Albam uulgò dictam: Germanis Hagedorn. Galeni uerò Oxyacantham, cui adstringendi & pariter incidendi uires tribuit, Berberim uulgò dictum esse, Sawrich/Salsendorn.

DE CYNOSBATO SIVE CYNORRHODO. CAP. 124.

Hanbutten.

Κυνόσβατον, Canirubum Theodorus Gaza apud Theophrastum interpretatus est, idem frutex alio nomine Cynorrhodos, id est, Canis Rosa, uocatur. Est autem nihil aliud, quàm syluestris & aculeata hamatus spinis rubus, Rosas syluestres ubiq; in campis proferens, Germani Feltrosen uocant. Suntq; tres aut quatuor eius differentiæ: procerior una: & altera hirsutioribus foliis, cuius frutex totus suauissimum odorem spirat. Hunc Englendiram uulgus appellat. Tertia omnium minima est, nec multum à terra attollitur, quapropter à nobis Erdrosen quasi Chamærhodos appellatur. Quarta maiora & † lanugiora & incana habet folia & rosas in candido suauiter rubescentes. Plinius Cynosbatum cum uulgari rubo confudit. Quidam etiam hunc fruticem Arbutum esse credunt, sed malè.

† Fortè lõgiora, uel lanuginosa.

DE LIGVSTRO SIVE CYPRO. CAP. 125.

Ligustrum sine dubio arbuscula est, quæ Græcis Cyprus uocatur. Propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat. Germanicè Mundtweyden siue Reinweyden nominatur, propterea quod salici similis sit, orisq; ulceribus medeatur, & in Rheni ripa copiose nascatur. Male hactenus crediderunt Virgilii commentatores ligustra Conuoluoli flores esse, quos Germani Zaunglocken appellant.

✱ Arabicè Alkanna, Henne, Germanicè Rheinweiden/Mundtholtz.

DE TILIA, [uel potius Phillyrea. Nam Tilia, Philyra est Græcis.] CAP. 126.

Quę hoc capite à Dioscoride describitur Tilia, omnino eadem est cũ Ligustro †, si inuicem utriusq; descriptionem conferant. Galeni & Aeginetę ętate talis Tilię historia in Dioscoride legebatur. Siue autem Tilia à Dioscoride sic descripta sit, siue ab alio hęc descriptio adiecta, falsa est, cum nullus neq; ex priscis neq; recentioribus historicis eam depinxerit. Omnes enim manifeste describunt Tilię appellatione eam arborem, quę Germanis ob ligni lenitatem & molliciem ein Linde uocatur. Miror autem hoc nullum hactenus animaduertisse. Nam omnes qui post Dioscoridem de rebus scripserunt, aut alios interpretati sunt, usq; ad nostram ætatem eam controuersiam de Tilia inter Dioscoridem & Theophrastum silentio præteriuerunt. Superuacua igitur est hęc Tiliæ historia quæ in hoc authore legitur.

† Refutat hanc opinionem Matthiolus: & Phillyream à Ligustro diuersam pingit, Arabum (ut ait) Mahaleb.

DE

DE CISTO. CAP. 127.

Iamdudum ostensum à Leoniceno est, confudisse Plinium natura diuersas plantas, Ciston & Cisson, quantumuis frigidis argumentis Plinium defenderit Collinutius. Cistus autem in hisce regionibus incognita est. In Italia uero frequens nascitur. Scimus etiam in Galliæ quibusdam locis tanquam peregrinum à Magnatibus in hortis seri, unde & nos semina accepimus: quibus satis enatus est frutex, omnibus quibus à Dioscoride describitur notis conspiciendus. * Cistus etiam in Bauaria nascitur.

DE HYPOCISTIDE. CAP. 128.

In Italiæ collibus, & alibi ubi copiosè Cistus prouenit, sub ipso frutice ad radices eius nascitur quiddam, ex argumento Hypocistis dictum, quoniam non alibi quam sub Cisto proueniat. Est autem breuis herba, si modo herba dicenda est, ei quam caudam leonis appellamus non dissimilis, sine foliis, pinguis, carnosaq; & tota ueluti Hyosciami utriculis aut punici mali cytinis constans: succo prægnans, qui expressione aut coctura elicitus & ad spissitudinem coctus, uel in sole densatus, herbæ suæ nomine in pharmacopoliis seruatur. An uero, quæ passim in pharmacopoliis habetur, Hypocistis omnis huius herbę succus sit, huius loci non est in dubium uocare.

Hypocistis & planta & ex ea succus dicitur. Plantam eandem aut cognatam putant, quæ ab aliquibus cauda leonis dicatur, Germanis Onblat/quasi sine folijs: Dioscoridi Orobanche.

DE LADANO. CAP. 129.

Ladon Cisto similis frutex est, cui lenta, resinosa & odorata pinguedo adhæret, quæ Ladanon dicitur. Hodie uero in pharmacopoliis Laudanum. Galenus Ladon nihil penitus à uulgari Cisto differre credit, sed meliorem & calidiorem esse, quoniam in calidioribus regionibus nascatur. Quod an uerum sit, non ausim affirmare, cum ipse Dioscorides Ladanum ex calidioribus locis (qualia sunt Arabia & Libya) damnet: ex Cypro uerò, frigidiore quàm Arabia uel Lybia regione, probet. Ergo non caliditate regionum à uulgari Cisto diuersas uires nactum est Ladon. Porrò substantia multum utriusq; succi differunt. Hypocistis enim aqua resoluitur, Ladanum in oleoso liquore. Illa etiam Cisti radicibus adnascitur: hoc uero ramulis & foliis adhæret.

DE EBENO. CAP. 130.

Incognita est hodie Ebenus nostris Medicis. Quidam tamen Guaiacum lignum, Ebenum esse contendunt. Quoniam pondere & densa soliditate Ebenum æmuletur. Nos ueram uidimus Ebenum Augustę Vindelicorum apud Conradum Relingerum Patricium Augustanum: & Norimbergæ faciunt ex Ebeno delicatioribus cultellis capulos. Venditur tamen hodie non minus quàm olim Indicæ & Aegyptiacæ spinæ, hoc est Acatiæ materia pro Ebeno, quæ propter similitudinem facile ementibus imponit. Porrò illi maxime errant qui Ebenum putant eam esse arborem, quæ Germanis ein Eybe uocatur, de qua in Picea etiam est dictum. Ebenus enim calidissimis nascitur locis, qualis India est. Eyb uerò frigidissimis ferè regionibus, & earum etiam frigidis & gelidis montibus. Qualis autem arbor sit quæ Germanis Eybe uocatur, in picea indicauimus, & libro quarto in Taxi capite repetemus. Porrò ipsam Hebenum Germani Heben siue Eben appellant. Ebeno. Acacia.

** Adfertur in Germaniam quoq; hodie: & à diuitibus quibusdam Norībergæ ac alibi poßidetur.*

DE ROSIS. CAP. 131.

Rosæ multiplices habent differentias, quibus ab omnibus dignosci queant: rubentes uero à medicis receptę sunt, de quibus etiam hîc agit Dioscorides. Debent autem tempestiue colligi, antequam penitus aperiantur, & cum adhuc clausæ, coni figuram imitantur, & in umbra siccatæ: sæpiusq; , ne situm contrahant, uersæ ad suos usus reponi.

DE ROSEIS PASTILLIS. CAP. 132.

Ῥοδίδες, hoc est, Rosei pastilli, in pharmacopoliis Trochisci de rosis uocantur. Alia tamē est & diuersa eos præparandi ratio nunc in pharmacopoliis, quàm olim cum

Dioscorides hæc scriberet. Possunt igitur uolentes aut ueterum aut recentiorum more habito morborum respectu Roseos pastillos componere. Quę enim à Dioscoride traditur Rhodidum descriptio ad minuendũ sudoris & hirci uirus inuenta est. Quæ uerò ab Arabibus descripta est, constringendi & confortandi uires habet.

DE LYCIO. CAP. 133.

Lycium è Pyxacantha, eo quo Dioscorides docet modo, conficitur. Conficiebatur & è Rhamno & aliis quibusdam similiter, ut Oxyacantha, adstringentibus spinis. Copiose quondam in Lycia fiebat, unde & nomẽ inuenit. Quòd uero hodie in pharmacopoliis habetur, neq; è Pyxacantha, neq; Rhamno, neq; Oxyacantha (nã ex hac quoq; non cõtemnendum confici potest) excoquitur: sed ex matri sylua † uocato frutice, qui sæpes & arbusta uitis modo ascendit, & ex aliis quibusdam plantis, nihil aut admodum parum adstringentibus. Falluntur qui Pyxacantham esse putant aculeatis undiq; & semper uirentibus arborum foliis, Germanis, Hols, Gallis Hous, Latinis Aquifoliam dictam, ea enim sui generis arbor est, ut in Quercu dicemus.

† Id est, Periclymeno.

DE ACACIA. CAP. 134.

Omnibus hodie magno errore persuasum est, Acaciã ueram Prunellorum agrestium, quę Germanis Schlehen uocantur, succũ esse. Est enim Acacia secundum omnes Græcos, Latinos, & Arabes scriptores in Aegypto nascens spinosa arbuscula, quam Theophrastus etiam simpliciter interdum Acantham uocat. Fert hæc spina lupino similes siliquas & semina, sæpe à me, in Gummi Arabico uocato, quod ex Acacia arbore manat, ut omnes Græci & Arabes testantur, inuenta. Quapropter non est dubium, quin Acacia careamus: quam facile habere possemus, nisi deesset mercatorum diligentia: si enim Acacię Gummi totæ naues onustæ ad nos peruenire queunt, cur non & succum è siliquis expressum expetimus?

Sethim in sacris literis uocatur. Acantha simpliciter.

DE GVMMI.

In Dioscoridis codicibus nostris nullum hic peculiare caput est de Gummi.

Gummi appellatione intelliguntur omnes arborum lachrymæ, quæ tamen non resinosa constant substantia. Quamuis enim interdum promiscuè hanc uocem ad omnium arborum & herbarum tam resinosas quam aqueæ substantiæ lachrymas referamus, proprie tamen Gummi appellantur, quales ex Acacia, ceraso, pruno & Amygdalo lachrymę fluunt: ex quibus omnibus lachryma quę ex Acacia manat, Gummi simpliciter, propter excellentiam, uocatur. Arabes uerò Arabici appellationem adiecerunt, et ubiq; in pharmacopoliis sub Arabici Gummi nomine uenditur. Errant uehementer qui Arabicum Gummi, Tragacanthæ lachrymam esse putant, uirium similitudine decepti. Est enim longe diuersa ab hac Tragacanthæ lachryma, ut suo loco ostendemus.

DE AMVRCA. CAP. 135.

Tritis & expresis Oliuis, qui defluit humor in tria discedit, quorum superius est Oleum, inferius autem quod crassius & fęculentius est, fraces nominatur: quod uero inter utrumq; constitutum est, substantia aqueum, aliquantulum uinosum, acre & acetosum, Amurca Latinis dicitur. Est autem nihil aliud quàm succus, qui præter Oleum in Oliuis gignitur. Cuius medicamenti apud nos nullius est usus.

DE VITICE. CAP. 136.

Vitex, quæ Græcis Ἄγνος à castitate quam facit uocatur, copiose etiam in Germania prouenit ad Oenum fluuium, non longe ab Oeniponte oppido, quod nos Inspruck nominamus, & aliis uicinis locis. Quinetiam in Italia nascitur, fructus eius in pharmacopoliis habetur, quem Agni casti semen uocant. Differt uitex multis notis à Silere, hoc est, à parua illa salice, quam quidã Vitice falsò esse credũt. Theophrastus etiam tertię speciei Agni quã Elęagnũ uocant, quod mediã inter Oleam et Vitice figuram & formã habeat, mentionẽ facit, aitq; nasci circa Orchomenũ lacum. Eadem Ἐλαίαγνος copiose in Cauchorum paludibus inuenitur. Estq; tota odorata: Semen fert Piperi longo non dissimile. Cauchi quoniam lupulum pauci colunt, eius frondes & semina suæ cereuisiæ pro lupulo incoquunt: quæ somnũ conciliat & cito inebriat.

Siler. Elæagnus.

Vocatur

Vocatur ab illis hæc arbuscula † Alcem à nõnullis etiã Porſt/à Vueſtphalis Gaur. Nos totius arbusculę figurã & naturam, in arborum † & fruticum historia diffusius tractauimus: quò historiam eius legere uolentes remitto.

† Aliâs Altſeim.

† Non extat in ijs quæ habentur.

DE SALICE. CAP. 137.

Notæ sunt, & ubiq; in aquosis proueniunt Salices, quas Germani generali uocabulo Weyden nominant. Sunt autem plures Salicis differentiæ agricolis probè notę. Genera eius sũt, Viminalis & Perticalis. Viminalis, ut Plinius est author, dicitur, quæ Viminum gratia in agris talea sesquipedali seritur, ut Vimina qua uites ligentur facile sine scalis detondeantur. Viminalis in Francia nostra copiose propter uites seritur. Perticalis in Saxonia, ad lupuli pedamenta. Perticalis est quæ longiore talea siue pertica pangitur, ea nõ singulis annis putatur, ut Viminalis, sed quarto demum anno. Longiorem enim ætatem Perticę quàm Vimina requirunt. Atq; hęc generum sunt nomina: specierum uero, quę certò demonstrari uetustis nominibus possunt, Vitellina & Gallica. Vitellina est, quæ Germanicę gelbe Weyden/& Totterweyden uocatur, frequens in Francia nostra, cum Perticalis, tum Viminalis. Gallica uerò est quæ in obsoleto purpurea profert & omnium tenuissima Vimina. Nos † Harweyden/hoc est, Capillares salices, à gracilitate uocamus. Porrò qui salicum figuras ignorauerint, Leonharti Fuchsii herbarium consulant, qui plurium specierum imagines delineari curauit.

† Aliqui Siler interpretantur, Harweyde.

DE OLEA SATIVA ET SYLVESTRI. CAP. 138. & 139.

Olea arbor est, ex cuius fructu Oleum quod uulgo uocant oliuarum, exprimitur: nos et Oelbaum nominamus. Ea duplex est: Satiua, & Syluestris altera, utraque calidis regionibus familiaris. Syluestrem de qua nunc sermo nobis est Græci ἀγριέλαιαν & κότινον, Latini Oleastrum appellant: qua delicatiora etiam apud nos conficiuntur opera. Materia constat crispa, maculosa & uersicolori.

DE COLYMBADIBVS OLIVIS. CAP. 140.

Nondum maturos oleæ fructus, cum adhuc flaui sunt, marina aqua & Thymo conditos quoniam Muriæ innatabant, Græci κολυμβάδας uocant. Afferuntur autem ex Hispania & Italia ad nos. Vulgo Oliuen appellantur, quæ grato sapore & salubri stomacho in cibo cum assis carnibus comeduntur.

DE OLEASTRI OLEO. CAP. 141.

Exprimitur etiam ex Oleastri fructu Oleum, quod ad nos non affertur. Est autem ex urbana olea expresso acerbius. Nascitur etiam apud nos parua quædam & syluestris Olea, in Danubii, Vertachi, & Lyci ripis in Vindelicia: è cuius baccis & acetosum & acerbum exprimitur Oleum, ori, donec recens est, gratum, id uetustatem ferre non potest. Existimamus autem hanc Oleam esse quam Columella Cilibracam appellat. Nec nos latet plerosq; Cilibracam Oleam credere eandem esse cum Chamelæa, quam Arabes Mezereon uocant: quem errorem in quarto libro cum locus requiret, detegemus.

Oleaster Germanicus.

Olea Cilibraca.

DE AETHIOPICAE OLEAE LACHRYMA. CAP. 142.

Nascitur & in Aethiopia Oleaster calidioris temperamenti, è quo hæc fluit lachryma, quæ hodie incognita est. Quidam tamen eam esse credunt Gummi dictum Elemi, † quod ut non negamus, ita etiam non affirmamus. Considerantibus autem nobis hanc Aethiopicam Oleam & materiam circumspicientibus, nulla inuenta est quæ æquè eius habitum referret, ut lignum quod Rhodii aut Rhodisii cognomine circumfertur, & sæpissime ignaris pro Agallocho, hoc est, Xyloaloë substituitur. Causas autem & argumenta quibus inducti sumus, ut statuamus Rhodium lignum, Aethiopicæ Oleæ materiam esse, antea polliciti sumus hoc loco nos allaturos, cum de Aspalato & Agallocho ageremus, id autem nunc præstabimus. Principio nouisse legentes oportet, & probè perspectam habere, uulgaris (hoc est, alibi quàm in Aethiopia nascentis) Oleastri materiam, eius autem figuram, quoniam multos non

† Gummi Elemi suspicantur aliqui esse lachrymam Cedri.

Lignũ Rhodium uulgo dictũ, oleã Aethiopicam uideri.

uidisse scimus, indicabimus. Est itaque Oleastri materia nodis tuberosa (quo fit,
ut Herculis etiam clauam ex Oleastro cæsam tradant poëtæ) densa, solida, intortis
& sinuosis Venis seu pectinibus crispa: pallidis, subfuscis & spadiceis maculis ua-
ria, aliquantulum odorata, gustu amara & acris & uetustati ferendæ maximè ido-
nea. Eas autem omnes notas, si quis diligenter discusserit, in Rhodio ligno re-
periet. Est enim æquè nodosum, & in tubera conuolutum. Quinetiam densa so-
liditate uulgarem Oleastrum superat, nec immeritò, cum sicciori & calidiori loco
proueniat. Refert etiam fluctuantibus uenis crispum Oleastri habitum, nec desunt
totidem colores, & macularum uarietas. Est etiam acre & odoratum, atque gustu
Oleastri acrimoniam & amaritudinem resipit, sed utranque uehementiorem. Quo-
niam terra & cœlo sitienti & feruido enatum est. Differt autem tenuitate sola à uul-
gari Oleastro, quoniam alimenti copia in sicienti solo & cœlo defuit. Quapropter
cum omnes huius ligni notæ Oleastro conueniant, & manifestè constet id ipsum ex
Alexandria Aegypti, Aethiopiæ uicinæ, afferri: & authores tradunt Chamelææ
materiam & radices nonnunquam pro Xyloaloë uendi, neminem profecto futu-
rum arbitramur, qui neget Rhodium lignum Aethiopicæ Oleastri materiam esse.
Chamelæa. Porrò quod Aethiopica Olea, etiam Chamelæa dici possit, antea in Agallocho o-
stendimus.

DE QVERCV. CAP. 143.

Non habent Latini quo glandiferarum arborum genus comprehendant uoca-
bulum, quemadmodum Græci, qui δρυὸς appellatione non Quercum tantùm, ue-
rum etiam omnes alias glandes propriè dictas ferentes significant. Quamuis Theo-
dorus Gaza credat Roboris nomen apud Latinos æquè latam significationem ut a-
pud Græcos δρυὸς, habere. Sed nos non meminimus hoc aliquem è probatis autho-
ribus dixisse. Quare non est quod Gazæ hac in re assentiamur. Sunt autem diuersæ
huius generis arbores, partim etiam apud Latinos suis nominibus distinctæ; ut sunt,
Quercus, Robur, Cerrus, Esculus, Ilex & Suber. Eas omnes Græcis nominibus in-
dicare, ualde operosum esse omnes intelligent, qui Theophrastum de his agentem
considerauerint. Nos uerò rerum ad historias collatione, & Gazę uersione freti no-
Quercus. stram de eis sententiam ferre non detrectabimus. ἡμερὶς est uulgaris illa ramosa in la-
Hemeris. titudinem diffusa glandifera arbor, caudice neque adeò procero, neque recto, crasso ta-
men, eam Latini propriè Quercum uocant, Germani ein Eyche/ Theodorus nunc
Drys. Placidam, nunc Quercum apud Theophrastum uertit. Δρῦς specialiter uocata ro-
Robur. bur est (siquidem Theodoro credendum) nisi enim ita Robur Græci appellarent,
non temere aliud nomen esset reperire, qua ea gens eam arborem indicaret. Cau-
dice assurgit Robur recto, procero, paucisque ramis brachiato. Italis adhuc Rouer uo-
catur, Germanis ein Steineyche/ à soliditate, quasi lapideam Quercum dicas. Fre-
Cerrus. quentissima est hæc in Hessia arbor. Αἰγίλωψ Cerrus est, Roboris figuram re-
Aegilops. ferens, sed hæc etiam eo tum rectior, tum procerior existit, ramosque non nisi in sum-
mitate habens, Germanis ein Tanneyche uocatur, quoniam Abietis modo re-
cto proceroque constet caudice. πλατύφυλλος est, quam Esculum Latini, & Ha-
Esculus. seleyche Germani appellant, Saxoniæ syluis in plano familiaris, huic latissima folia,
Platyphyllos. unde & apud Græcos nomen. Hæ sunt glandiferæ arbores, quæ hoc capite δρῦς πᾶ-
σα à Dioscoride nominantur, & propriè uocatas glandes ferunt.

GLANDES. CAP. 144.

DE PHEGO ET ILICE. CAP. 145.

Mirabuntur fortasse complures, quòd non fagum potius quam phegum Græ-
corum φηγὸν uerterimus. Cum fagum non tantùm recentiores authorum interpre-
tes, uerùm & ipse Plinius per φηγὸν intellexerit. Nos illud minimè latet, est aliud
quod nos nomen mutare compulerit. Græci enim suam φηγὸν glandiferis arbo-
ribus adnumerant, quibus dissimillima est quæ à Latinis Fagus dicitur arbor.
Quid enim commune Fagus cum Quercu aut Ilice habet? profecto nihil. Quare
diligenter notent rerum studiosi, φηγὸν longe aliam arborem esse ab ea quam La-
tini Fagum appellant, quamuis Latinum nomen à Græcorum φηγὸς deductum ui-
deatur.

deatur. Nam ut alia omittamus omnia, quibus discrepant, Græci suæ phego Glandem tribuunt, non aliarum modo oblongam, sed rotundã. Fagus uerò Latinis dicta, glandem proprie non fert, sed in Echinatis pericarpiis castanearum more pingues & oleosas nuces, easq́ue triquetras & acuminatas: quæ figura è diametro cũ rotunda pugnat. Qui uerò phegum nouisse uoluerit, montanas lustret syluas, in quibus prouenit hæc arbor. Figura illi non dissimilis Quercui, sed strigosior & tristior. Glandes fert omnibus agrestibus notas, figura rotundas: qua nota tanquam præcipua ab aliis Glandiferis distinguitur. Porrò non licuit hactenus rescire, quo nomine nostri agrestes hanc Phegum appellent. Glandes uerò, adiecto rotundarum cognomento, à reliquis distinguunt. At quæ Romanis Fagus appellatur, proprii & simplicis generis arbor est. Et diligenter quidem à Theophrasto Oxyæ nomine descripta, unde uolentes historiam eius petere possunt. Est itaq́ue φηγός Quercus species, quam nos Phegũ, ut à Fago distinguatur, uocamus. Fagus uerò simplicis generis arbor, quę Theophrasto ὀξύα nominatur. Theodorus † scissimam uertit: quoniam materia eius facile in tenuissimas laminas findatur. Ilex autem quæ Græcis πρῖνος est, & ipsa glandiferis adscribitur: quo autem nomine Germanis nota sit, fatemur nos nondum rescire potuisse. ¶ Sunt præter has glandiferas & aliæ arbores, in quorum numero est quæ φελλὸς Græcis, Latinis Suber, Germanis † Krachbaum nominatur, Pyrenæis montibus familiaris. Cortex ad calceamenta & alios usus expetitur, iccirco in copia etiam ad nos uehitur: est autem rarus, leuis & fungosus, eum nostri Krach uocant à crepitu quem sub pedibus edit calceis insutus.

Oxya. † Fißimã. Ilex. πρῖνος. Suber. Phellos. † Korgbaum.

✝Fagum nostram, seu Latinorum, Theophrasti Oxyam facit: Phegum uerò Græcorum, arborem Quercui non dißimilem, strigosiorem: quæ glandes rotundas proferat, &c.

¶ Ilex alia est Aquifolia, Germanis Hols uel Huls.

DE CASTANEIS CAP. 146.

Castanea arbor sui nominis fructus fert, omnibus notos, qui Græcis Διὸς βάλανοι, Σαρδιαναὶ βάλανοι λόπιμα & κάστανα uocantur. Germanis Castanien & Kesten. Plinius numerosam facit earũ differentiam. Apud nos triplex habetur genus: unũ syluestrium, & duo satiuarum. Syluestrium syluæ sunt in ulteriori Rheni ripa in Trebochis supra Argentoratum, & in toto illo montano tractu. Proueniunt etiam in citeriore ripa, sed parcius. Satiuarum quædam sunt minores, quædam uerò grandes è Narbonensi Gallia, primum ad nos allatæ, quas Marones appellant.

DE GALLA. CAP. 147.

Multa pręter fructum glandiferæ ferunt arbores: præsertim Quercus, Ilex, & Robur: in quorum numero etiam Gallæ sunt, medicis, librariis, & artificibus quibusdam expetitæ. Eæ pediculis, ut glandes, surculis adhærent. Ferunt etiam in foliis similes Gallis pilulas, sed rariores corpore: in quibus ueluti Muscæ quædam & Culices gignuntur. Hæ quamprimum deciderint, flaccescunt: decidunt autem ut plurimum citò, nec Gallæ modo in parente sua indurantur. Ipsæ autem Gallæ Gallöpffel & Eychöpffel uocantur. Pilulas uerò Gallis similes, & foliis adnatas Daube Gallöpffel nominamus, quasi surdas, fatuas, & inanes Gallas. Suntq́ue optimæ Asianæ, quas hodie Turcicas nominant.

✝ Galla alia inanis est, quæ folijs adnascitur. alia solida: cuius tres species adferuntur: Turcicæ, Istricæ quæ paruæ sunt, & nostrates magnæ.

DE RHV. CAP. 148.

Ῥοῦς frutex paruus latum ferens & lentibus similem fructum, eumq́ue copiosum, confarctum & corymbaceis racemis cohærentem, qui Arabico uocabulo hodie in pharmacopoliis Sumach appellatur. Theodorus Gaza Rhun fluidam interpretatus est, apud Theophrastum nomen illi à ῥέω factum esse existimans.

DE PALMA. CAP. 149.

Palma arbor est quæ palmulas fert, quas hodie Dactylos uocant. E quibus fit

purgans medicamentum, quod Diaphœnicon à palmulis nominant. Sunt autē multa & Palmæ & Palmularum genera. Plinius quædam Nicolaos uocat, earum quaternæ cubiti longitudinem habent, quæ uerba malè intelligens Hermolaus Barbarus in magnum errorem incidit, scribens Nicolaos palmulas, quaternum cubiterum habere longitudinem. Auxit itaq; Barbarus decies & sexies earum mensuram. Locus est in Corollario huius capitis. Palmulas autem Germani Dacteln uocant, corrupto Latino nomine. Palma autem procera est arbor: materia rara fungosaq;, quæ tota ueluti teretibus & sinuosis neruis per medullam transeuntibus, & ceu fluctuantibus constat. Cortice uestitur carne & capillatis neruis concreto, qui ex interuallo ueluti in orbes, circulos & uerticillos extuberat: quibus se ascensuris ueluti gradibus ad hoc natis scansilem præbet. Folia profert longa, uenosa, harundinea, quorum singula gemina, & ceu complicita conspiciuntur, fiunt ex cortice funes. E foliis funes, sportæ & tegetes, quibus inclusæ quædam peregrinę merces ex India & aliis calidioribus locis afferuntur. Trabes è palma cæsæ, etiam in asseres serra secantur: iis cistas componunt, quibus inclusum saccharum ex Indiæ occidentalis Insulis nostri mercatores reuehunt. Vidimus nos palmæ frondes, materiam & corticem, adeoq; magnos corticum circulis adhuc circumdatos truncos: quod ideo referimus, ne ex relatione aliorum hæc scripsisse, aut ex Plinio excerpsisse uideremur. Porrò nequaquam silentio prætereundum existimamus, quod principio huius capitis Dioscorides Arabicæ Myrobalani mentionem faciat, ut rerum studiosi etiam hoc scirent, quid per eas intelligat hic author. Nos itaque censemus Arabicas Myrobalanos eos esse fructus, qui adhuc in omnibus Pharmacopoliis Myrobalani appellatione cognoscuntur, non tamen omnes quinq; intelligimus, sed tres præcipuas: uidelicet Indam, Citrinam & Chebulam, quæ tres differentię non in diuersis, sed una eademq; arbore nascuntur, ut palam ostendimus in peregrinorum medicamentorum historia: ubi docuimus Indam Myrobalanum primum fructus rudimentum esse, quam Plinius Oliuæ nucleo comparat, atq; Adypson appellat, & Citrinam maturescentem, Chebulam uerò maturum fructum.

Myrobalanus Arabica.

PALMAE THEBAICAE. CAP 150.

DE PALMAE ELATE. CAP. 151.

Ἐλάτη siue Σπάθη oblongum, mucronatum & squamatim compactile florentium & adolescere incipientium palmularum tegmen & operimentum est, pingue, crassum & odoratum, quo antiquitas ad spissanda unguenta usa est: nunc uerò nostris medicis non expetitur. Vidimus aliquoties cum palmulis casu allatam, sed aridam & inueteratam.

DE PVNICIS MALIS. CAP. 152.

Mala punica hodie granata, à granis quæ intra se claudunt, uocantur. Habent hæc suas ex sapore differentias. Inueniuntur etiam, & arte sic nasci coguntur, quæ nullum in acinis semen habeant: ea græcis ex argumento Ἀπύρηνα uocantur. Atqui non tantum in Aphrica apud Pœnos, à quibus nomen inuenerunt, Punica mala nascuntur, proueniunt etiam copiosè in Hispania, Gallia, Italia, aliisq; pluribus locis atq; in ipsis alpibus soli aduersus, & in decliuibus campis imminentibus, qua Germania Italiam attingit. Nos hęc mala Granatöpffel & Marie Magdalenē öpffel nominamus.

✝Punica mala alia sunt syluestria, alia satiua: hæc rursus, uel dulcia, uel uinosa, (quæ Muza nominant, quasi μύσα:) uel acida.

DE CYTINIS ET BALAVSTIIS. CAP. 153.

Cytinos Punicæ flores esse tradit Dioscorides iam sequenti capite: Balaustia quoque Punicæ sed syluestris flores esse dicit. Nos uerò non temere arbitramur alio modo differre, Cytinos & Balaustia. Cum enim utriusq; Punicæ flos eandem habeat formam, Balaustium & Cytinus diuersam, necesse est aliam subesse differentiam, quæ talis est. Cytini sunt Punicæ tenelli fructus, qui statim post flores decidunt, ut in omnibus malis fieri uidemus. Quod enim Dioscorides scribit Cytinum florem esse Punicæ, non intelligendum esse de toto flore censemus, sed de posteriori eius parte, quæ

fructus

fructus rudimentum est. Nam hęc etiam Balaustii nomine in pharmacopoliis cognoscitur. Balaustium uerò est flos syluestris Punicæ, quæ decidit sponte: quoniam inter pediculum & floris folia non habet caput, ex quo fructus fiant. Tales abortini flores in multis arboribus & herbis uidentur, præsertim in Cucurbita & Cucumeratis omnibus generibus, & hæc est uera Balaustii à Cytino distinctio, quam neminē spero temere reprehensurum, si ea quæ de abortiuis floribus dixi intellexerit, uiderit, & animaduerterit. Possunt tamen tam in syluestri, quàm satiua Punica & Cytini & Balaustia nasci.

DE SIDIO. CAP. 154.

Σίδιον, uel in plurali numero Σίδια, Punici mali cortices, Græci uocant: Latini Malicorium. Veteres enim Sidam Punicum Malum nominabāt. Est & herba palustris fructum huic similem ferens, quæ Sida appellatur: cuius etiam Nicander in Theriacis suis meminit. Sidium uerò hodie corrupto nomine † Sidia uocatur in Pharmacopoliis. † Psidia.

DE BALAVSTIIS PRIVATIM. CAP. 155.

Quemadmodum Cytini à Græco uocabulo κύτος, profundum uasculum significante, propter figuræ similitudinem, dicti sunt, ita etiam Balaustia à uerbo βάλλω nomen suum sumpsisse nobis uidētur. Decidunt enim hi, & à matre sua tanquam abortiui excutiuntur. Quicunqꝫ enim Punicæ flores posteriori sui parte inter floris foliola, & quo surculis adhærent peciolum, non habuerint oblongum & tuberosum capitulum, steriles sunt, ideoqꝫ tanquam excrementum quoddam superfluum ueri fructus alimentum consumens, expelluntur. Quare si quis horum Balaustiorum figuram consi derauerit, deprehendet, ea non Cytino aut oblongo uasculo simili tuberculo, sed dilata ueluti basi foliola sua complecti. Est autem figura Balaustio, Rosæ non dissimilis, sed multo pluribus foliolis stipatus est. Differunt autem colore Balaustia, ut Dioscorides etiam testatur, ad nos uerò ut plurimum feruntur, quę rosas etiam colore imitantur. Habentur passim in omnibus pharmacopoliis, & nomen suum retinent. Quanquam nonnulli non simpliciter Balaustia, sed flores Balaustiorum appellant.

DE MYRTO. CAP. 156.

Μυρσίνη Græcis, Myrtus & Murtus Latinis uocatur, frutex celebris poetarum carminibus, uerum uiribus quas in medendo præstat multo celebrior, qui quoniam nusquam apud nos sponte prouenit, Germanico nomine destituitur. Non enim est exiguus ille fruticulus, quem Germani † Heydelstrauch, & cuius baccas Heydelber appellant, ut hactenus falsò pleriqꝫ crediderunt etiam docti: Vera autem Myrtus duplex est, candida & nigra. Illa candidas, hæc uerò nigras baccas parit: unde & Ouidius de ea sic scriptum reliquit. *Myrtea sylua subest bicoloribus obsita baccis.* † al. Heidel uel Heidelstaud.

Prouenit autem copiosè in Narbonensi Gallia, maximè in eius parte maritima, quæ Prouincia uocatur. Seritur etiam à plærisqꝫ in hortis, etiam in Italia. Est autem in aliquam proceritatem, si studiosè colatur, adolescens frutex, aut etiam arborescens: foliis Lentisco uel Buxo similibus, acuminatioribus tantum, gustu aliquid aromatis præ se ferentibus & odoratis, quæ hodie cum fructu ex Italia afferunt. Habent sanè ueri Myrtilli insignes differentias quibus à nostris baccis, quas Heydelber uocamus, dignosci possunt.

DE MYRTIDANO. CAP. 157.

Myrtidanum Myrti adnatum siue accidens est: † quod ad nos non adfertur: propterea in nullo usu apud nos habetur. † ut Cisti Hypocistis.

DE CERASIIS. CAP. 158.

Cerasi arboris multę sunt forma et facultate distātes species, quapropter earū etiā fructus diuersas in cibo et medicina uires habēt: austera et maiora, quę nō ita in magnis arboribus nascūtur, è Pōto primū in Italiā Lucul. attullit: Quę uerò dulcia sunt et in proceris arboribus nascūtur, spōte sua ubiqꝫ in Germania proueniūt. Proueniūt etiā

sponte

ſponte in Miſniæ & Saxoniæ finibus, nõ longe ab Hala, paruæ & duos cubitos rarò excedentes Ceraſi, fructu mediocris magnitudinis, quas non ſine cauſa Chamæceraſos ſyluestres appellare poſſumus. Nos generali uocabulo omnia Ceraſa Kyrſen nominamus.

DE SILIQVIS. CAP. 159.

A cornuum ſimilitudine Gręcis κεράτια hi fructus uocantur, Latinis uerò Siliquę: quoniam leguminum ſiliquis ſimiles ſint: in pharmacopoliis corrupto uocabulo Xylocaracta & Xilocataracta pro Xyloceratia uocantur. A Germanis autem Johansbrot/ quoniam credunt diuum Iohannem Baptiſtam hoc fructu loco panis in ſolitudine uictitaſſe. †

† Bockshornchē/ Bauaris.

DE MALIS OMNIBVS, ET PRIVATIM COTONEIS. CAP. 160. & 161.

Plurimas habent mala differentias, non tantum ſecundum diuerſas regiones. Variant etiam oppidatim iiſdem regionibus. Quare non facile aliquis omnia ſuis appellare nominibus poterit. Cydonia uerò ſiue Cotonea omnibus nota ſunt, è quibus in pharmacopoliis multa ad medicinæ uſum fiunt. Habent ea tres præcipuas apud nos differentias: quædam maiora ſunt & malis ſimilia, quædam uerò minora, & pyri modo turbinata. Maiora etiam στρούθια Græcis dicuntur. Tertium genus ſponte ſua Danubii Petroſis ripis in collibus prouenit: plurimumq; ſupra Ratisbonam uſq; ad petreas fauces, per quas Danubius labitur. Eſt autem hoc cæteris, pomo quidẽ minus, ſed adſtringendi ui multo efficacius.

DE MELIMELIS. CAP. 162.

Melimela ſiue Glycymela, à melle & dulcedine nomen habent. Hæc ſi alia accederent, crederẽ eſſe quæ Germanis Honigöpffel & Augſtöpfel uocantur. Sunt enim admodũ dulcia & ſuauia, & pueris ac delicatis mulieribus expetuntur, unde & Martialis in hunc modum de iis ſcribit.

Infanti Melimela ſatuasq; Mariſcas.
Nam mihi quæ nouit pungere Chia ſapit.

DE EPIROTICIS MALIS. CAP. 163.

Qualia Epirotica ſiue orbiculata mala ſint, hodie nõ facile indicauerit quis. Apud nos tamen habentur in latitudinem compreſſa mala, quæ ab orbiculata figura patrio ſermone Scheyböpffel nominamus, idem ſignificante uocabulo quod Latinis orbiculata. Succus iis uinoſus & gratus palato. An uerò eadem ſint cum Epiroticis, nõ auſumus affirmare, in tanta Malorum diuerſitate.

DE AGRESTIBVS MALIS. CAP. 164.

Agreſtia mala ubiq; naſcuntur, habentq; multas etiã ut ſatiua differentias. Faciunt ex his & pyris agreſtibus & ſylueſtribus prunis, omnibus cõtuſis per ſe expreſſis, aut affuſa aqua, muſto ſimilẽ potum, qui Heſſiam incolunt ruſtici, quem Appeltranck/ hoc eſt, è malis confectum potum appellant.

DE PERSICIS MALIS. CAP. 165.

†Pfirſchken.

Perſica mala, quæ Germanis Pferſiken nominantur, omnibus cognita ſunt. Differunt tamen à Perſæis. Genera eorum plura: quędam parua ſunt, quædam grandia, & crocea carne conſtant, quæ omnibus ſaporis bonitate præferuntur.

DE ARMENIACIS MALIS. CAP. 166.

Ex Perſicorum genere ſunt & Ameniaca, minora tamen & oti ſuauiora, colore ſubflauo, & cito matureſcentia, quapropter pręcoqua & præcocia à Romanis uocantur. A Germanis uerò †Marellen/ Sommerpfirſiken †Malatheyn/ & Goltpfirſicken. Arbor cum foliis & floribus mediam inter malum perſicam & minorem ceraſum figuram & magnitudinem habet.

† al. etiam Armenellen.
† al. Malellen.

DE MEDICO MALO. CAP. 167.

Medicum malum Assyrium, Persicum, Citreum, Cedromalum & Citrinum uocatur. Grande est & oblongum ouata figura malum, lentam habens carnē, & in medio acetosum circa semina succum, ex quo Syrupum de acetositate Citri dictum faciunt. Corticem habent colore citrinum, unde & nomen inuenit. Porrò hoc malū in Cedro non nascitur. Propterea uidendum est ne diuersæ arbores confundantur. Sunt etiam huius generis Limones, Poma Adami, & Arangia, ab Italis Naranzia, Germanis Pomerantzen appellata. Ea omnia aurei mali nomine comprehenduntur. Habetur ænigmaticum de his malis carmen, quod est: *Medica māla quidem nec māla, nec medica:* quod quiuis prosodiæ gnarus facile intelligit.

✝ *Germanis tres species nominantur* Citrinaten/Limonen/Pomerantzen.

DE PIRIS. CAP. 168.

Pira non pauciores quam mala differentias habēt, quod quidem ad formam attinet. Facultate tamen omnia, sed alia aliis magis, astringunt: Germanis Piren & Biren uocantur.

DE PIRASTRO. CAP. 169.

Ἀχρὰς uocatur Græcis, Piraster, hoc est, Pirus syluestris: Quamuis autem Dioscorides Achradem certam syluestris speciem esse dicat, tamen quia Theophrastus simpliciter Pirastrum, Achradem appellat, nos quoq; Achradis uocabulo quamcunq; pirastrum significari censemus. Sunt enim diuersæ eius differentiæ.

DE MESPILO. CAP. 170. 171.

Mespilus arbor eiusdem nominis parua mala ✝ producit. Sunt autem duæ præcipuæ eius species. Prima Tricoccus Græcis, & proprie Mespilus uocatur: Italis atq; Arabibus Alzarola siue Azarola. In Germania hæc arbor incognita est. Altera uero Mespili species, Græcis Epimelis & Hamamelis uocatur, quod iuxta malos soleat nasci. Hæc copiosè in Germania & sata & sponte prouenit. Cum uerò sponte, semper uicinam habet agrestem malum: unde & nomē à Græcis illi factum existimo. Huius fructum Itali etiam Vnedonem uocarunt, propterea quod præter unum nemo comedere & deglutire possit, antequam mollescat: adeo enim fauces adstringit. Non me latet arbuti etiam fructum à quibusdam Vnedonem uocari, quod tantum unus esitari debeat. Sed ipse Galenus epimelida, Vnedonem ab Italis rusticis appellari, testatur. Sed male illi arbuti uicia assignat. Cuius fructus etiam à quibusdam Vnedo uocatur, stomacho noxius & capitis dolores excitans, quæ uicia immerito Epimelidi adscribit Galenus. Cum constet experientia Epimelida (quæ Mespilus in Germania etiam uocatur) stomacho non inimicam esse, nec capitis dolores facere. Porrò quæ à Germanis Nespeln uocantur, Vnedones sunt, hoc est, Epimelidis fructus, non propriæ uocatæ Mespili ut hactenus omnes credunt. Eum errorem nescio an aliquis ante nos deprehenderit. Vtcunq; se res habeat, nouisse legētes oportet, Mespilo, Apio similia folia tribui, & singulis fructibus ternos nucleos. Vocata autem uulgo Mespilus nequaquam incisa & Apio similia, sed indiuidua, oblongaq;, ut Malus, folia habet, angustiora tamen. Prætereanon ternos, sed quinos semper nucleos singula eius mala cōplectuntur, nisi fortè interdum præter naturam aut plures aut pauciores contineat. Quod autem Galeno non assentiamus, Epimelidi, Memæcyli uicia adscribenti, nonnulli fortasse malè interpretabuntur qui in unius magistri uerba iurauerunt.

✝ *Mespila.*

Epimelis.

Hamamelis.

DE LOTO ARBORE. CAP. 172.

Commune est & multis plantis proprium Loti uocabulum. Hoc autē loco de Loto arbore sermo est Dioscoridi: quæ plurima in Aphrica, eiq; adiacentibus insulis prouenit. Sunt autem plures Loti arboris species, ut uolentes apud Theophrastum inquirere possunt. Latini Celtim hanc uocant. Quo uero nomine nunc cognoscatur & quid sit hæc Lotus, non conuenit inter authores. Nam quod Ruellius, Barbari fretus testimonio, scribit eam esse quam Calamum Cenomanni appellent, haud

Cerasi species.

induci possum ut credam. Idem Pongeracum, Visciolum & Ciceraginem ab Italis uocari scribit, Gallis Alysam & Alyserum: quod æque falsum esse cognoscet, quicunque arborẽ, quam his nominibus appellat Ruellius, nouerit. Est enim Cerasi species cuius Baccæ recentioribus Visciola, Germanis uerò Weysseln dicuntur. Est autem arbor non tantum Italiæ aut Galliæ familiaris, uerumetiam Germaniæ, in qua etiam frequentius sponte nascitur, quam in hortis seratur. Itaque nos plurimum inter hanc & Lotũ interesse censemus. Siquidẽ hæc frigido sub Septentrione cœlo, lotus uerò torrida & semper æstuanti Aphrica prouenit: quinetiã huic Cerasi folium est, loto uerò Ilicis tribuitur, hoc est, figura Quercus per ambitũ profundius incisum sinuosumque. Differt etiã utriusque materia plurimum. Nos autẽ iis subscribimus qui Lotũ arborẽ Sandalum esse arbitrantur, quod multis argumentis demonstrare & obtinere possemus, nisi breuitati consuleremus. At non quamuis Sandalum intelligere legentes oportet, sed eam tantum quæ rubeæ cognomentum in pharmacopoliis habet, quæ & ipsa habet plures differentias, quemadmodum de Loto scribit Theophrastus. Eo autem libentius hoc pronunciamus, quoniam Sandali rubeæ folia uidimus Nurenbergæ apud Georgium Ollingerum pharmacopolam, qui miro cognoscendarum rerum studio tenetur. Figura iis erat eadem quæ Quercus & Ilignis, sed concinnior & pulchrior: magnitudo uerò minor & in angustum contracta, substantia densa, qualem Laurea habent. Quare non aberraturos se uereantur, qui Sandalum rubeam accipient, ubi ueteres Loti materiam requirunt: quæcunque enim uires à Græcis Loto adscribuntur, eas etiam Arabes suæ rubeæ tribuisse neminem ignorare putamus.

✱ Sãdalum rubrã aut Lotum esse, aut saltem pro ea rectè in usum uenire posse.

DE CORNO. CAP. 173.

✱ Pyracantha, aliud quàm Cornus.

† Alij scribũt Kornlebaum.

† Kornlẽ.

Cornus nequaquam est, ut hactenus plerique crediderũt, arborescẽs illa Spina quã ueteres Græci (ut antea retulimus) Pyracanthã, Latini Spinam, Itali Spinũ albũ, Galli Aubepine, Germani Weißdorn & Hagedorn uocãt. Quod quilibet palpabit qui Theophrasti & huius authoris uerba de Corno, cum Italorum Spino albo & Germanorum Hagedorn conferet. Vera autem Cornus duplex est: syluestris, & satiua: utraque in Germania nascitur, & à nobis Latino uocabulo † Corneibaum uocatur. Nam Corna, id est, fructus eius † Corneleín uocamus. Habemus & alia nomina præter Latinum quibus eam iudicamus, ut Dirlen/Hornkirsen & Herlitzen: fructum fert Oliuę mediocris quantitate, cibo & medicinæ propter suam adstringendi uim, idoneum. Nascitur syluestris Cornus pinguibus montanis locis: distinguitur etiam alio modo, siquidem altera mas, altera fœmina existit. Mas apud nos montibus familiaris, quinetiam in hortis seritur: statim ueris initio flores lutei coloris producit. Fœmina etiam in plana descendit: florem in pallido candicantem serius emittit, & serius fructum percoquit. Inuenitur fœmina Cornus, quam Græci θηλυκρανίαν uocant, plurima inter Danubii Vuerdam oppidum & Augustam Vindelicorum.

✱ *Corni maris lignum est solidum, fœminæ rarius. Cornum syluestrem aliqui interpretantur* Faulholtz/Faulbaum: *sed in alijs locis alios frutices aut arbusculas ijsdem nominibus appellant.*

DE SORBIS. CAP. 174.

† Alij Sporbiern / Speierling.

Sorbus torminalis.

Cratægus.

Sorba non sunt, ut quidam falsò credunt, syluestria mala, quorum antea ab hoc authore mentio facta est, suum enim propriũ ab his genus habent. In Italia ferè omnibus cognita Sorbus arbor est. Fructus eius in una specie ouatus, in alia rotundus & globosus, in alia turbinatus est. Germani parum deflexo uocabulo & transpositis literis Sporòpffel & Sorbòpffel ac Eschroßlein † uocãt. Nascuntur tum sponte in montanis quibusdam tractibus, tum etiam in uineis sata. Plinius Romana authoritate quartum statuit Sorbi genus, quod Torminale uocat. Constat hæc arbor, ut ipse refert, folio Platani, & Pomo, si prioribus conferatur, minimo. Eam arborem Theophrastus è Mespilorum genere esse putat, nec immerito, siquidem fructus & figura & sapore Mespilaceus existit: æmulatur etiam folio ueram Mespilum, nisi multo maius esset. Proprio autem nomine κράταιγον eam Theophrastus appellat. Porrò quantum nos iudicare possumus hęc torminalis Sorbus est, quam Germani Eltzen-

baum

baum/ & cuius fructus Eltzber nominant, quibus tanquam singulari & præsenti remedio contra tormina utuntur, qui Hercynios montes accolũt rustici. Conueniunt historiæ, flores, fructus, eorum fauaceus & racemosus habitus quemadmodum & folia. Itaq; neminem futurum arbitamur, qui huic nostræ contradicturus sit sententiæ.

†Nobis placet etiam quintum Sorbi genus his addere, quod Aucuparium cognominamus: quamuis meritò quartum in numero esset, quoniàm tota figura, foliis, & flore ueræ Sorbo tam similis sit, ut non facile à quouis dignosci queat, nisi pomo, quod omnium minimum & Piso maius est, colore ruffum, gustu austerum, quemadmodum alia Sorba. Nostri aucupes fructu eius auibus insidiantur, qui eos Vogelber † nominant. Ruellius hanc arborem Ornum esse credit, ut ante etiam retulimus. Sed alia, ut præmonstrauimus, ab hac est Ornus. † Sorbus aucuparia Eberasch † Quitschelber Stolbergæ.

DE PRVNO. CAP. 175.

Prunus arbor uaria habet genera: unde etiam fructus diuersa magnitudine, figura, & temperamento constare necesse est. Sunt enim quædam aluum sistentia: sunt & soluentia, quæ uis facile gustu deprehendi potest. Quæcunq; enim dulcia sunt, aluum soluunt: quæ uerò acerba & austera, eam cohibent. Damascena etiam pruna adhuc in Pharmacopoliis exiccata habentur. Quemadmodum etiam magna illa Hungarica, ab ipsis Hungaris Damascena, & à Germanis grosse Zwetschen & Vngerische Pflaumen uocata. Quidam his pro Damascenis utũtur. Pruna autem omnia generali uocabulo nobis Pflaumen nominantur. In Hessia quoq; Prunnen/ quæ uox à Prumno deducta uidetur. Nam sic Galenus syluestrẽ Coccymeleã, hoc est, syluestrem prunum in Asia uocari testatur. Exiccata etiam pruna ad nos ex Hungaria, Bohemia, Austria, Transsyluania & Morauia afferuntur, quæ omnia communi uocabulo Zwetschen nominamus. Sunt & cerea pruna quæ Spilling Germanis dicuntur. † *Brabyla quidam priuatim interpretantur Kriechen.* Prumnus. Cerea pruna.

DE ARBVTO. CAP. 176.

Κόμαρον Græci arbutum uocant: in Germania nondum sponte natum conspeximus: non enim est syluestris Rosæ frutex, quem Cynosbatum esse antea diximus. Vera autẽ Arbutus in Italia nascitur, folio crasso, Laurini figura, crassiore tamen, minore & pro sua magnitudine latiore. Fructum fert mediocris siue parui pruni magnitudine: figura Fragi, intus similiter, ut fraga paleacea & acerosa grana habentem, gustu iniucundum. Respexit autem ad Arbuti & Fragi similitudinem quam inuicem habent. Ouidius cum ait: *Arbuteos fœtus montanaq; Fraga legebant.* Plura lege supra in Mespilo.

DE AMYGDALIS. CAP. 177.

Amygdala duplicis est differentiæ. Fert enim quædam dulces, quædam amaras nuces. Appellatur etiam alio nomine Græca nux Amygdalus. Cognita omnibus hęc est arbor apud nos, maximè qui Rhenum accolunt populis. Primas autẽ in Germania nascentibus tribuitur in Spirensi agro natis. Germani arborem ipsam Mandelbaum uocant. Fructus uerò Mandeln. Notæ autẽ omnibus hę nuces sunt. Exprimitur ex utriusq; nucibus oleum, quod in suos usus seruatur à Pharmacopolis.

DE PISTACIIS. CAP. 178.

Pistacia, uel ut Nicander uocat, Pistachia, quæ & iam Phistica† & uulgo in Pharmacopoliis Pistacia dicuntur, nuces sunt in Syria natæ, lento & ueluti osseo putamine munitæ, quæ eodẽ nomine adhuc ab omnibus medicis & Pharmacopolis cognoscuntur. † Fistici uulgò.

DE IVGLANDIBVS. CAP. 179.

Nux regia siue Persica, uel simpliciter nux uocata notus omnibus est fructus, in procera & ramosa arbore nascens: quæ lata & odorata habet folia. Germani simpliciter Nüsse siue Welsche nüsse uocant. Persica autem cognominatur, quoniam ex Perside primum in alias translata est regiones.

DE PONTICA NVCE. CAP. 180.

1. Corylus uulgaris syluestris. 2. Vrbana russa. Nuces barbatæ. 3. Vrbana syluestri similis, maior. Macedonica, quæ arbor est.

Ponticæ nuces quas alio nomine Græci Λεπτοκάρυα uocant, Latinis etiam Auellanæ dicuntur. Sunt uerò duplicis differentiæ: quædam sponte ubiq; in Corylo uulgari nascuntur, quæ à Germanis Haselnuß nominantur: quædam uerò in hortis seruntur arbore Corylo simili, sed fructu oblongiore & toto ceu barbato putamine uestito: nucleus russa ut plurimum membrana cingitur. Plinius has nuces barbatas in Xyli descriptione appellat. Est & tertium Auellanæ genus in hortis satum, syluestri simile, sed maius nucleo, & gustu suauius. Quartum genus est, quod in Macedonia nascitur, arbore non quemadmodum apud nos multiplici, caudice fruticosa, sed singulari, procero, & iustam arborem æquante: foliis latis, nucibus in grandem racemum pingui magnitudine congestis. An autem ueteres hanc cognouerint, neq; negare neq; affirmare ausim. Certè apud eos qui nunc extant authores, nulla extat descriptio quæ eam referat. Inuenerunt autem hanc Corylum in Macedonia & Hæmo Thraciæ monte legati quidam è Buda Constantinopolim missi, inter quos fuit & Paulus Rubigallus qui hæc nobis retulit.

DE MORO. CAP. 181.

† Vulgò Mora Celsi.

Morus omnibus nota est arbor, quæ Germanis Maulberbaum nominatur: fructus uerò, id est, Mora † Maulber. Nascuntur etiam in Rubo mora his quę in arbore nascuntur similia, sed minora & sui generis. Nam Rubus multum â Moro arbore differt. Conficitur ex utriusq; mori succo medicamentum, quod Diamoron appellant, oris & faucium uiciis accommodatum. Porrò duplicis est differentiæ Morus: altera nigra, altera candida fert Mora: sed quæ candida fert, in Germania non ita frequens habetur.

DE SYCOMORO. CAP. 182.

Sycomorus, siue quod idem est Sycaminus, copiosè in Aegypto nascitur & aliis quibusdã locis: apud nos uerò incognita est arbor, quemadmodũ etiam altera Sycomorus quæ in Cypro gignitur. Habetur in Italia planta multifidis & fissis foliis, in cuius summis surculis baccis simile pomũ est, nucleo intus ligneo & anguloso: eam Sycomorum esse quidam Itali credunt: & nobis quidem eius missa sunt semina: quæ terra obruta singula quinas emiserunt plantas. Sed nihil minus est quàm Sycomorus: parua enim est, & fructus in extremis fert surculis: cum Sycomorus magnitudinis iustæ arbor sit, fructus suos non surculis, sed ipso caudice producens.

FICVS CYPRIA. CAP. 183.

DE FICO. CAP. 184.

Caricæ.

Ficus uulgaris est arbor, cuius fructus Ficus dicuntur Latinis, Græcis σῦκα, Germanis Feygen. Multæ Ficuum apud ueteres sunt differentiæ. Hodie tantum tres in hisce regionibus nouimus. Afferuntur enim flauæ quędam in sparteis corbibus compactæ, quas Germani Korbfeygen nominant. Aliæ etiam in cistis laurinis foliis commixta ad nos ueniunt, quas à foliis Laubfeygen nominamus. Tertium uerò genus ex Massiliensi Prouincia affertur, minutis & turbinatis sparteis corbibus inclusum: hæ paruæ quidem sunt, sed suauitate præstantes: Germanis Marsilische feygen uocantur. Quidam etiam Caricas siccatas Ficus nominant, quam uocem Virgilius Marcellus malè in Dioscoridis contextum posuit: habent enim Caricæ ficus suum peculiare genus, ut ex Plinio colligimus: & Hermolaus Barbarus in corollario huius capitis testatur.

DE CAPRIFICO. CAP. 185.

Est & syluestris Ficus, quam Græci Ἐρινεόν, Latini Caprificum appellant, Germaniæ incognita: Romæ frequens prouenit, in uetustotũ ædificiorum ruinis & muris.

DE GROSSIS. CAP. 186.

ὄλυνθοι, quos Latini Grossos & Grossulos uocãt, Caprifici fructus sunt, Ficis multo minores.

DE LIXIVIA E CREMATIS FICI RAMIS. CAP. 187.

Fit Lixiuia macerato in aqua utriusq; Fici cinere, quæ admodum acris existit. Nostri medici perquam rarò ea utuntur.

DE PERSEA ARBORE. CAP. 188.

Persea arbor plurimum differt à malo Persica uulgari, quamuis & ipsa Persica uocetur, & utraq; ex Perside in alias regiones translata sit, tamen Persica etiam Septentrionalibus plagis cito & ante frigora fructum suum percoquit. Persea uerò etiam in Rhodo calida regione, ad florem tantum peruenire potuit, ut authores tradunt. Qui uerò plura de Persea legere uoluerint, Theophrastum consulant, qui historiam eius diligenter absoluit.

LIBRI PRIMI CONCLVSIO.

Primum hunc Dioscoridis librum Perseæ caput claudit: quamuis in quibusdam exemplaribus etiam aliquot herbæ sequantur, ut Iberis & Halicacabus, ab imperitioribus adiectæ. Nam Iberis idem est cum Lepidio, quod in secundo libro describitur. In capite etiam Halicacabi, quod Hiberida sequitur, tres herbæ confusæ sunt, ut Halicacabus, Solanum somnificum & Dorycnium. Propterea hæc capita impositiția sunt & non genuina.

VALERII CORDI SImesusij, in Pedacij Dioscoridis ANAZARBEI SECVNDVM DE MEdica materia Librum, Annotationes.

Libri secundi partes sunt tres. Prima, De animalibus, & eorum partibus.
Secunda, De Frumentaceis.
Tertia, De Oleribus & condimentarijs herbis.

IN PRAEFATIVNCVLAM, QVAM DIOSCORIDES SECVNDO LIBRO *præponit, Annotatio.*



ENVMERAT AVTHOR QVO ORDINE RES IN PRIMO libro descripserit, & quo in hoc secundo libro pergere uelit ordine. Nullam autem mentionem facit quod Herbacea quædam & acrimoniam habentia præter aromata in primo libro recensuerit. In secundo uero se de Oleribus & acrimoniam habentibus herbis scripturum pollicetur. Cum ergo Iberis oleracea sit & acrimoniam habens herba, ut in secundo libro describatur necesse est. Nihil enim commune habet cum arboribus, quare inter has describi debeat. Sed ne quis à dictione, acrimonia, causam cauillandi arripiat, necesse est ut indicemus, qualem acrimoniã cum Dioscoride hoc loco intelligamus, ne quis nobis hac ratione persuadeat, bene describi in primo libro Iberida, cum multa alia acrimoniam habentia in eodem recenseantur: ut Acorus, Meon, Cinamomum, Costus, & alia quædam manifestam resipientia acrimoniam. Verum ad hanc obiectionem respondemus, Dioscoridẽ de huiusmodi acrimonia, quam prædicta aromata habent, hoc loco non locutum esse, non enim eadem omnibus plantis est acrimonia: quędam enim solam eam habent, adiuncta interdum amaritudine, dulcedine, & quibusdam aliis saporum differentiis. Ta-

autem sunt Allium, Cepa, Sinapi, Nasturtium, Eruca, Lepidium siue Iberis, & quæcunque his similem præseferunt gustu qualitatem. Hæc simpliciter acria dicuntur: suntque omnia ista oleraceæ herbæ: de his autem in secundo se scripturum dicit. Longe uerò aliam acrimoniam habent, Acorus, Costus, & reliqua quæ in primo describuntur. Non enim eam in terrestri habent corpore ut exulcerare ualeant, quemadmodum illa oleracea: sed omnia præter lenem & gratam acredinem, etiam partium tenuitate constant, qua facile per corpus penetrare possunt: non enim sui saporis & facultatis uim uni loco imprimunt, nec eidem diutius inhærent, propterea exulcerare minimè sunt apta. Partium etiam subtilitate gratum & iucundum odorem coniunctum habent: & quæ talia sunt, aromata dicuntur. Differunt tamen hæc ipsa secundũ diuersorum elementorum diuersam mixturam: quare facultatem etiam eorum diuersam esse necesse est. Hinc est quod Costus ferè solus ex aromatis ruborem cuti impositus excitet, quoniam suam acrimoniam magis in terrea substantia quàm cætera aromata habeat. Porrò quamuis Piper atque Zinziber etiam aromatis adscribantur, tamen quia horum maior in culina quam medicina usus sit, maluit ea acrimoniam habentibus & olerum condimentis, quàm aromatibus adscribere Dioscorides, & bene quidem, cum hæc duo inter omnia aromata plurimum acrimoniæ & parum aromaticæ qualitatis habeant. Si quis igitur hæc probè intellexerit, facile iudicabit Iberida non primo, sed secundo libro, describi debere. Simile etiam de Halicacabo intelligendum est, quæ non arbor sed herba est, & ad deleteria refertur. Quare in primũ librum non erat ponenda, sed in quartum, ubi ex professo de ea in deleteriis & frigidis simplicibus agit. Antea enim promisit se forma & facultate cognata coniunctarum.

DE MARINO ERINACEO. CAP. 1.

Ἐχῖνον θαλάσσιον, quem Latini Erinaceum marinum, Germani ein Merjgel uocãt, nouerunt qui maritimis locis habitant. Terrestri similis est, rotundior, minor, & breuioribus aculeis circumuallatur.

DE TERRESTRI ERINACEO. CAP. 2.

Ex terrestrium Erinaceorum genere etiam Hystrix est: quod animal Africa & India gignit, magnitudine semestris porci, pedibus ursinis similibus: dentibus, & labiis lepori, sed his crassioribus, pinguioribus & fuscis, longis & in ceruice erectis setis, à collo usque ad scapulas uestitum. Cætera, præter uentrem, pede longioribus, candicantibus, & nigro distinctis, aculeis munitum, quos irritatum contra lacessentes uallimodo prætendit, & nonnunquam eiaculatur tanto impetu, ut sagittarũ modo parietibus affixi hæreant: talis est Hystrici forma & natura. Circunferunt Hystrices, Mimi & circulatores, inter alia, quæ lucri causa oppidatim circumducunt. Habet etiam præter eas quas recensuimus alias proprietates, quas breuitatis causa prætterimus. Non enim huius instituti est, exactam omniũ rerum historiã scribere. Hystricem Hispani Porcapie, Germani ein Stachelsaw uocant, quasi aculeatum porcum. De hoc autem Erinaceorum genere hic non scribit Dioscorides, sed de minoribus, qui in tumulorum cauernis latitant: quorum Germani duplicem statuunt differentiam. Est enim alter, cui caninum sit caput: alter, cui suillum: hunc nos Schweinjgel: illum uerò Hundsjgel à capitum similitudine uocamus. Porrò apud nos Erinaceorum nullus est, neque in sanitate neque in medicina usus.

DE HIPPOCAMPO. CAP. 3.

Nomen hoc grandem Erucam (insectum uidelicet) significat, cum tamen paruum sit animal in mari uiuens. Quoniam uerò uulgaribus Erucis grandibus simile sit, nomen suum inuenit. Nobis in continenti habitantibus incognitum est.

PVRPVRAE. CAP. 4.

BVCCINA. CAP. 5.

CIONIA, *id est, Purpurarum & Buccinorum mediæ partes.* CAP. 6.

DE MITVLIS, TELLINIS, HIATVLIS. CAP. 7.8.9.

Μύακες, τελλῖναι & χῆμαι omnes Concharum species sunt, sed singulas suis nominibus non facile quis indicabit. Referuntur etiam ad hoc genus quæ ex Hispania à Sancto Iacobo feruntur Conchæ. Item illæ ex quibus in maritima Germania calx uritur.

DE CONCHVLA INDICA. CAP. 10.

Indica conchula oblongi unguis formam habet, quapropter à Græcis ὄνυξ appellata est. Plures hæc differentias habet: quarum uilissima hodie in Pharmacopoliis habetur sub Blaccæ Bizantiæ nomine. Erat olim in Thymiamatũ cõfectionibus huius Conchulæ frequens usus, ut etiam sacræ literæ testantur.

DE TERRESTRIBVS COCHLEIS. CAP. 11.

Cochlearum quas aliqui Limaces uocant, quędam terrestres, quædam marinæ, & quædam fluuiatiles sunt. Omnes Germanicè Schnecken nominantur. Singulorum autem generum multiplex differentia existit, quare ex magitudine & formæ diuersitate dignosci facile possunt: in quibusdam regionibus terrestres & marinæ eduntur. Quæ uerò ex terrestribus, fruticibus adhęrent, priuatim σέσιλοι à Græcis uocantur. Fluuiatiles uirus habent, quapropter à nullis eduntur. Quod si quis fluuiatiles Conchas manu aliquandiu clausas teneat, uehementem Vrticę modo excitabũt pruritum, quod quidem nos in paruis experti sumus. Sunt etiam Limaces, qui Conchis siue testis carent, colore nigri aut ruffi, herbosis hortorum & syluarum locis gramine uiuentes, quos Germani Schnegel appellant.

DE CANCRIS. CAP. 12.

Noti sunt omnibus fluuiatiles Cancri, de quibus hic agit Dioscorides, ideoq́; non est operæprecium longius de iis disserere. Marini uerò, quamuis & ipsi ad mare habitantibus cogniti sint, difficile suis nominibus, quæ quidem apud Aristotelem & Plinium extant, indicari possunt. Nos ne omnino rem intactam prætereamus, nostrũ iudicium de uno atq; altero efferemus. Qui proprie Marini appellantur Cancri, fluuiatilibus dissimiles sunt, exceptis Chelis & pedibus: caudam enim nõ habent: & corpus non oblongum ut fluuiatiles, sed rotundum. Horum apud Græcos præcipua genera μαῖαι, πάγουροι & ἡρακλεωτικοί. Maximi autem eorum, ut Aristoteles tradit, sunt μαῖαι: quos etiam Plinius Maias uocat. Itali Granceporos & Granceualos: Germani Meerspinnen/ hoc est, marinas araneas appellant, quoniam rotundo corporis habitu, & pedibus in orbem ferè exeuntibus, Aranei similitudinem referant. Hi ab Italis alio etiã modo distinguuntur: dura testa præditos, Masaneccos: molli uerò, Molleccos uocantibus. Quæ quidem differentia tempori referenda est: eiusdẽ enim sunt generis Masanecci & Mollecci: sed Mollecci dicuntur qui deposita ueteri testa nouam, tenuem & mollem induerunt: Masanecci, qui eam nondum deposuerunt, & teneram nondum induerunt. Inueniuntur tamen quibus cæteris duriorem testam natura dedit. Grandes autem Cancri forma fluuiatilibus similes, quos Germani Meerkrebß & Seekrebß appellant, quo nomine à Gręcis indicentur non reperio. Nam Astacus esse nequit, quem Gammarum Theodorus apud Aristotelem interpretatus est. Astacus enim Carabo nõ multo maior est, quantum ex Aristotele colligere possumus. Igitur quoniam nec Astacus, neq; Carabus, neq; Caris est, non temere quis apud Græcos nomen eius reperiet. Nos autem iis subscribimus, qui Leonem Plinio dictum existimãt. Quemadmodum enim Leo aliis terrestribus animantibus uiribus præstat, ita etiam hic robore & corporis magnitudine quoscunq; alios Cancros superat. Nam inuenitur sæpe cubitali & bipedali longitudine, idq; in nostro mari: nec dubito alibi etiam maiores capi. Qui autem κάραβοι dicuntur Græcis, rectè meo quidem iudicio, Locustas in Aristotele uertit Theodorus: omnia enim quæ Carabis tribuit Aristoteles, Locustæ habent. Germani Græco uocabulo parum corrupto Crabben appellant. Locustæ autem Latinis dictæ nobis uidentur: quoniam saltu

De Cancrorum generibus melius certius q; cognoscetur, qui Aquatiliũ historiam C. Gesneri aut aliorũ adierint.

terrestres Locustas æmulantur. Porrò καρίδες dictæ sunt, quas Latini Squillas nominant, nostro etiam mari familiares.

DE TERRESTRI SCORPIONE. CAP. 13.

Terrestres Scorpiones in Germaniæ calidioribus locis gignuntur quidē, sed admodum pauci. In Italia uerò & similibus regionibus magna illorum copia est: nos tutius eorum frequentia caremus. Macerantur in oleo, additis quibusdam aliis: quod olei Scorpionum nomine in Pharmacopoliis seruatur.

MARINVS SCORPIO. CAP. 14.

DRACO MARINVS. CAP. 15.

DE SCOLOPENDRA MARINA. CAP. 16.

Marinam Scolopendram an uerum studiosi uel piscatores cognoscant, nondum comperi. *Terrestris.* Terrestris uerò Scolopendra, sine dubio est utrinq; (triremis modo) multis pedibus ingrediens insectum, colore spadiceum, minimi digiti longitudine: quod noctu cum in humido pauimento repit, ut cicindela lucet, non tantum adhuc uiuum & integrum, uerumetiam in partes minimas comminutum, modo uiua disſecetur: Idem si digitis attrectetur, pruritum, ut marina Scolopendra excitat. Germani ein Oſſel siue Noſſel nominant. Inuenitur in humidis domorū partibus, nonnunquam etiam hortorum areis & æstate siccatis paludibus.

† *Scolopendræ terrestres si in domo sint, ad puluerem Sacchari Thomæ congregantur.*

TORPEDO. CAP. 17.

DE VIPERAE CARNIBVS. CAP. 18.

** Viperas quidam Brandtschlangē esse putāt.*

Vipera qualis sit serpens, & quibus à reliquis serpentium generibus differat, diligenter Nicander, Aristoteles, Galenus, & Aëtius scripserunt: nihilominus tamen eo ignorantiæ peruenimus, ut multis sæculis ignota fuerit. Nicolaus uerò Leonicenus solidæ doctrinæ uir, constanter affirmat in Italia frequentes esse, & uulgo Marassos siue Scurziones appellari. Nobis uerò hactenus eas in Germania uidere non licuit. Carnes eius coctæ in pastillos conformantur, qui in Andromachi Theriacam ingrediuntur.

DE SENECTA ANGVIVM. CAP. 19.

Pulchra est apud Nicandrum de anguina senecta fabula. Est autē anguina senecta, siue, ut Plinius nominat, uernatio, serpentium exterior similis membranæ cutis, quam primo uere lapidū uel fruticū angustiis exuunt. Germani Schlangenhaut appellant.

DE VTROQVE LEPORE. CAP. 20. 21.

Duplex leporum genus inuenitur: alterum in terra syluas incolit: alterum uerò in mari uiuit. Hic an cognitus sit, neq; affirmare neq; negare audemus. Terrestris uerò omnibus est notissimus, cuius coagulum aduersus uenena medicinam facit. At totus, nulla dempta particula, in cinerem crematus, calculos frangere dicitur.

DE PASTINACA MARINA. CAP. 22.

Τρυγόνα, hoc est, Pastinacam marinam Otho Brunfelsius esse credit latum illum piscem, quem nos ein Rochen uocamus: sed cum hic Raia sit, alius est circumspiciendus cui Pastinacę nomē imponamus. Talis autem est quę Germanis ein schwartzer Roche/ hoc est, Nigra Raia, uocatur. Raiæ figura non admodum dissimilis est, nigrior & longiore cauda conspicuus.

† *Quærendum de hoc nomine diligentius: dubitari enim potest, cum radij non meminerit.*

DE SEPIA. CAP. 23.

Germanicè Blackfisch.

Sepia à putredine habet nomen. Est autem Marinus piscis, sanguine atro ceu putri† tabo plenus, qui à quibusdam Sepiæ atramentum dicitur. Germani Blackfisch/ quasi

† seu putrido.

quasi atramentarium piscem nominant. Habet Sepia in dorso spinę loco, longum, latum & candidum os, quod facile in puluerem friatur: eo Aurifabri ad annulorum fusuram, Medici uerò ad dentifricia utuntur. Vocãt id nostri Fischbein, estq; omnibus cognitum.

DE MVLLO PISCE. CAP. 24.

Mullus quibusdam esse creditur, quem Barbum & Barbionem uocamus, quoniam Barbam habeat, quæ Mullo tribuitur. Cum uerò Mulli in mari uiuant, & in uiuariis piscinisq; non crescant, (ut Plinius ait) hoc ipsum non affirmamus. Non tamen inepte quis Barbionem, fluuiatilem Mullum appellabit.

DE HIPPOPOTAMI TESTICVLIS. CAP. 25.

Hippopotamus in magnis fluuiis & calidis regionibus uiuit, qualis in Aegypto Nilus est. Hodie Caballus marinus, siue Aquaticus uocatur ab his qui Aphricam terra mariq; perlustrarunt. Est autem equo, dorso, iuba, et hinnitu similis: unde & nomen inuenit. Eius testes, quemadmodum & fibri, contra uenena medicinam faciunt. Apud nos uerò in pharmacopoliis non habentur.

DE FIBRORVM TESTICVLIS. CAP. 26.

κάςωρ Græcis, Fiber Latinis, uocatur animal anceps, in terra & aquis degẽs, quod Germani ein Biber nominant: Castoreum uerò Bibergeylen hoc est, fibrinos testes. Vbiq; cognitum animal est, eiusq; testiculi frequentem usum habent.

DE MVSTELA DOMESTICA. CAP. 27.

γαλῆ Græcis, Mustela Latinis uocatur, quadrupes animal, quod nos ein Wisel nominamus. Cuius duo genera quidam faciunt. Sunt enim syluestres quædam: & quædam in domibus nostris habitantes, Gallinis infestæ, maxime hæ, quas ἰκτίδας Græci dicunt. Hæ procul dubio sunt, quæ in rusticis ædibus & uillis oberrantes Gallinis insidiantur, à nobis Iltes nominantur, non multum à Græco abludente uocabulo.

DE RANIS. CAP. 28.

Ranæ omnibus notissimæ sunt. Hoc autem loco de uiridibus & uocalibus sermo habetur, quæ edendo sunt & in fluuiis & stagnis uiuunt. Reliqua enim genera uenenosa, ut φρῦνος: quã Aristoteles φρύνην appellat, Latini rubetã, Germani ein Krotte. Et muta uulgaris Rana, in herbosis hortorum locis uiuens, colore pallida. Atq; muta palustris Rana, Rubetæ similis, sed minor: Buffo recentioribus Latinis, Germanis ein Pfülkrotte uocata, hoc est, Rubeta palustris. Hęc autem quamuis muta cognominetur, uocalis tamen est, sed breuem, tristem, & minime canoram aut argutam aliarum modo edit uocem, ideoq; mutam appellant. In fine uero huius capitis alias uirides Ranas intelligit, quas Græci βατράχους & καλαμίτας, Germani Laubfrosche uocant, ut ex Galeno indicare possumus, qui de simplicium facultatibus libro decimo de sanguine harum idem scribit quod Dioscorides. Cum uero aliquando harum sanguini descriptas uires experiri uellet, facto periculo, deprehendit eas promissa non præstare.

DE SILVRO. CAP. 29.

Qualis sit Silurus piscis hodie non certò doctis constat. Idq; ideo, quoniam nulla extat ne apud Aristotelem quidem, quæ figuram eius indicet historia. Plinius alibi Nilo familiarem dicit: alibi Mœno, Germaniæ amni, in quo præcipue grassetur, etiam innatãtes equos sępe demergens prope Lisboum. Difficile igitur est hunc indicare. Tradũt tamen authores maximũ esse omnium fluuiatilium piscium, & Thynnos etiam ęquare qui marini sunt. In nostris autem fluminibus Hauso, Sturio, & quem patria lingua Wels uocamus. Sed Hauso Germanis dictus (quod sciam) nõ nisi in Danubio apud nos capitur, in quem è Ponto meat. Non temere ergo quis opinetur alterutrum è reliquis duobus Silurũ esse. Nam Mœnus quoq;, ut Plinius refert, Siluros habet, in quo scimus nunquam maiores capi aut cerni pisces quam sturiones & Welsos, idq; raro. Nõ enim uiq; adeò profundus est amnis, prę terquã qua Rheno misce

tur è regione Moguntiaci. Certe ferociam & lasciuiam, quæ Siluro tribuitur, in sturione omnes nouerunt piscatores. †

† *Gesnerus Vuelsum uulgò dictum piscem, omnino Silurum esse, in Aquatilium historia monstrat.*

SMARIS. CAP. 30.

MAENA. CAP. 31.

GOBIVS. CAP. 32.

DE THVNNO ET OMOTARICHO. CAP. 33.

Ωμοτάριχος, hoc est, crudum salsamentum salsa Thunni caro est: quæ aliis ueteribus simpliciter τάριχος, hoc est salsamentũ uocatur. Qualis autẽ sit Thynnus piscis, doctis non constat: marinum esse certum & quidem grandem. Tradunt Aristoteles et Plinius, Thynnos Pontũ uerno tẽpore gregatim intrare, nec alibi fœtificare. Qua cõiectura colligimus eos dulci aqua delectari. Pontus enim est reliquo mari dulcior, quoniam in eum maximus fluuiorum numerus se exoneret. Quo fit ut suspicemur † Thunnum esse quem Germani ein Hausen appellant in Danubio, quem aduersus è Ponto petit dulcedine aquarum allectus. Nolumus tamẽ quidquam certi affirmare. Nouimus enim probè Plinium, ubi maximos omnium pisces recenset Danubio etiã Marionem tribuere (si modo integer locus est) qui fortasse idem cum Thynno esse poterit: sed hoc statuere ualde ambiguum est, cum multi sint cetacei in Danubio pisces præter Hausonem, qui è Ponto in eum ascendant.

† *Fallitur. Nam Huso uulgò dictus, Antacæorum seu Oxyrhynchorum generis est.*

DE GARO. CAP. 34.

* Germanis Lacke.

Garum Latini pariter ut Græci, appellant salsorum piscium succum, sale & pisciũ sanguine constantem. Expetebantur autem ad confectionem eius præcipue exta & uiscera, quę aliâs abiicienda erant. Nomen uero inuenit à Garo pisce, è quo primũ cœpit fieri. Purissima & clarissima Gari pars liquamen uocabatur. Turbida uerò, crassa & feculenta Halex, à sale, ut nos credimus, in fundo cophinorum subsidente. Erant autem multæ Gari differentiæ, ut uolentes apud Plinium & Barbarum inquirere possunt, nobis satis est quid sit indicasse. Porrò iis nequaquam adhibenda fides est, qui Gelatum, & aromatis præsertim croco conditum recentium piscium ius, Garum esse contendunt: recentiores etiam Muriam appellãt, sed malè. Etsi enim salsi Thynni liquorem ita appellet Barbarus, fretus obscuro quodam Plinii testimonio, omnes tamen probati authores cum medici, tum rei rusticæ scriptores, rem longè aliam à Garo Muriæ uocabulo intelligunt, quemadmodum & ipse Plinius, ut suo loco indicabimus. Nos qui exquisito hoc Garo caremus, eius loco Haringorum Garo uti poterimus. Quamuis autem omnes alii piscium salsorum liquorem hoc nomine appellent: Dioscorides tamen ad carnes etiam transtulit non impropriè, ut nobis uidetur, cùm ex carnibus etiam salsamenta fiant, qui mos etiam apud nos uetus est.

DE RECENTIVM PISCIVM IVSCVLO, CAP. 35.

Iusculum hoc, ut ipse Dioscorides hoc capite ait, fit è recentioribus saxatilibus piscibus cum aqua, sale, Oleo & Anetho coctis. Ita enim Gręci præparabant. Nostri uero alio modo, eoq́; multiplici, parant. Porrò quos recenset Saxatiles pisces Dioscorides quales sint, & quibus nominibus nunc cognoscantur, ingenue fatemur nos cum multis eruditis ignorare. Percas tamen seu Percides solas ex hiis cognitas habemus. Earum plures in amnibus nostris & lacubus differentiæ, sed omnes generali uocabulo Perßken Germanis nominantur.

DE CIMICIBVS. CAP. 36.

Cimices, Gręci Κόρεις, Germani Wantzen/ siue Wandleuse/ hoc est, parietinos pediculos, uocant. Notum omnibus & inuisum fœtore suo animalculum est. Barbarus hic lectorum cimices dici putat, ad differentiam syluestrium in Malua nascentium.

Sunt

Sunt autem quos Barbarus syluestres Cimices appellat proprio nomine Buprestides dicta insecta, ut paulò post referemus, figura & fœtoris fastidio Cimicibus similia.

DE MVLTIPEDIBVS. CAP. 37.

Multipedes, Græci κυβαρίδας, ὄνους & ὀνίσκους, Germani Eselchen: Itali nunc Porcelliones uocāt. Parua sunt animalcula, colore liuido ceu asini, unde etiā nomē: multisq; pedibus ingrediuntur. Inueniuntur in humidis muris, sub lapidibus & aquariis uasibus. Atqui Scolopendra etiam Latinis centipes & multipes interdum uocatur. Videndum igitur ne synonimis decepti, res natura diuersas confundamus.

DE BLATTIS. CAP. 38.

Σίλφη Græcis, Latinis Blatta uocatur, insectum ex Scarabęorum genere, quod à Germanis ein Brotkefer & Malkefer appellatur. Circa furnos & cistas quibus farina reponitur, uiuens. Eius plura sunt genera, magnitudine, figura & aliis proprietatibus quibusdam dignoscenda. Vnum est quod ante paucos annos Nurenbergæ apparere cœpit. Nurenbergenses Schwaben uocant, hoc est, sueuos, quoniam ab hac gente in eam urbem allatum credatur. Est & aliud genus ex acuta clune & odoris tedio inuisum. Frequens hoc in cubiculis tenebrosis, non in sublime, sed in terra extructis, et libero aëre nō perflatis. Altis hoc pedibus, lentoq; graditur incessu. Ottho Brunfelsius ratus est, Blattas esse uocales illos & totas noctes circa fornaces in æstuariis & focos dormienti familiæ obstrepentes Gryllos, quos Germani † Heimen & pariter Latinis, Grillen appellant, sed hi suum genus à Blattis diuersum habent. † Heimichen.

DE MARINO PVLMONE. CAP. 39.

Marinus Pulmo ex eorum est genere, quæ Græci ζωόφυτα uocant. Est autem partim pulmoni, partim spongię similis. Exiccatus contrahitur, aquę uerò immersus mirum in modum intumescit. Affertur interdū ad nos cum spongiis. An uero in nostro quoque mari nascatur, nondum comperimus.

SVILLVS, AGNINVS, VRSINVSQVE PVLMONES. CAP. 40.

DE VVLPINO PVLMONE. CAP. 41.

Vulpinus Pulmo in omnibus pharmacopoliis repositus, seruatur ad humani pulmonis uicia. Fit ex eo Eclegma, uulgo lohoch de pulmone uulpis dictum, ad eadem utile.

DE IOCINORIBVS. CAP. 42. 47. 48. 49. 50.

Asininum, Aprinum, Hircinum, canis rabidi & Mergi iocinora, de quibus deinceps diuisis capitibus in quibusdam exemplaribus agit Dioscorides, nullum hodie in medicina usum habent. Vulpinum uero hepar, in omnibus pharmacopoliis reponitur, hepatis humani infirmitatibus quibusdam expetitum.

DE MARIS CERVI GENITALI. CAP. 43.

Cerui genitale uulgo in pharmacopoliis medicinæ gratia non seruatur. Principes uero quidam, nobiles, & uenatores, id tanquam singulare medicamentum aduersus pestem, morbum comitialem & ad excitandam emortuam uenerem, repositum custodiunt.

DE ASINI CAPRARVMQVE VNGVLIS. CAP. 44.

Nota sunt hæc animalia eorumq; ungulæ, de quibus hoc loco Dioscoridi sermo est. Vtuntur iisdem suffitis nonnulli contra muliebrium locorum strangulationem.

DE EQVORVM LICHENIBVS. CAP. 45.

Λειχὴν, siue ut Latini uocāt impetigo, in superficie cutis serpēs exulceratio est, quę à Germanis Flechten / dicitur. Simile his in equorum cruribus infra genua nascuntur lichenes,

lichenes, qui calli speciem & duriciem habeant, & odore uirosi sentiantur: quos non nulli equites Gallen appellant. Eos etiam ueteres ad Medicinam recipere non dedignati sunt.

VNGVLAE CAPRINAE. CAP. 46.

DE VETERVM CALCEAMENTORVM CORIO. CAP. 51.

Calceamentorum ueteri Corio & soleis in cinerem ustis uulgus quoque adhuc, contra intertrigines & humentes infantium in feminibus exulcerationes utitur.

GALLINACEI CAP. 52. 53.

DE OVIS. CAP. 54.

Ouorum diuersa genera quemadmodum & auium inueniuntur: Hoc tamen loco Gallinarum oua intelligenda sunt, quibus quotidie in sanitate, & pariter in aduersa ualetudine uescuntur homines.

CANDIDVM OVI. CAP. 55.

DE CICADIS. CAP. 56.

Cicadæ in Germania non nisi calidissimis regionibus reperiuntur, præsertim in superiori Pannonia, sed non frequentes. Nequaquam enim sunt in fœno salientia insecta, quæ Germani Heuschrecken uocant. In Italia uero Cicadarum magna est frequentia. Germani eas Baumzigen & Haberbocke / iocularibus nominibus appellant, quasi arboreas capras & Auenarios capros, quæ nomina illis à militibus nostris qui in Italia res gesserunt sunt indita.

DE LOCVSTIS CAP. 57.

Quoniam autem aliquam similitudinem cum Cicadis Locustæ habeant, has illis statim subiungit. Sunt autem diuersa Locustarum genera. Vulgares illæ, quæ multiplicem habent differentiam, Germanis Hewschrecken uocantur, quoniam per fœnum ambulantes repentino ac improuiso saltu terreant. Sunt & peregrinæ nobis in Aphrica & Oriente, quibus diuersæ gentes uescuntur: hæ gregatim sublatæ, diuinitus ultrices scelerum nostrorum pœnę, in uarias orbis partes feruntur tanta frequentia, ut solem arceant & totas regiones cum se demiserint, obtegant, uirentem segetē, & quidquid tenerum & herbaceum, depascentes. Venerunt hoc autumno etiam ad nos in Germaniam: quod ideo referimus, quoniam antea inauditum & nulla historia traditum fuit. Suntque hæ nostratibus multo maiores, formaque & habitu insolentiores: alasque plures & latas habent, quibus non ex interuallo ceu salientes uolant, sed continue aliarum auium instar per aëra feruntur. Quotquot autem in Germaniam uenerant, pruinis oppressę perierunt, magna putredine & fœtore regiones inficientes. Metuebant agrestes ueris initio multo numerosiorem sobolem ipsos parentes secuturam, sed sine caussa, gelu enim siderata earum oua impossibile fuit adolescere.

DE OSSIFRAGO AVE. CAP. 58.

Φήνη, Romanis ossifragus & ossifraga uocatur. Est autem ex Aquilarum genere, quo autem nomine Germanis appelletur, & an in Germania reperiatur, nondum comperimus.

DE GALERITA AVICVLA. CAP. 59.

Κορύδαλον Græci, Latini Galeritam & Gallico uocabulo etiam alaudam auiculam dicunt, quam Germani ein Lerche nominant. Eius non unum est genus, sed plura. Quædam in Ericetis, quædam in agris uiuunt. Aucupes suis nominibus ea diligenter distinguunt. Nam Sanctlerchen uocant Canoras illas ex agris in cœlum euolantes. Heydelerchen / quæ in Ericetis agunt, non ita uocales & canoras.

DE HIRVNDINE. CAP. 60.

Hirundinum species omnibus cognitæ sunt: Germani eas Schwalben uocant, generali

generali omnes uocabulo. Sunt urbanæ in domibus nidificantes, ſunt Murariæ & Littorales, quę ripas et cliuos excauant. Quędam etiam Apodes dicuntur, breuibus admodum pedibus, quibus neque ingredi, neque attollere ſe ualent: itaque ſine pedibus creduntur. Sunt hæ nigriores reliquis & toroſiores. Eædem uenenoſæ à quibuſdam creduntur.

DE EBORE. CAP. 61.

Soli Elephantorum dentes Ebur ſunt. Fuit hoc omnibus ſæculis precioſiſsimum. Hodie uero non raro Marinarum quarundam belluarum dentes pro Ebore oſtenduntur: ſed facile fraudem oſtendit rarior & fungoſior materia, cum Ebori uero (unde pectines & alia quædam delicatiora opera) denſior & compactior, atque ueluti * remulata ſit. Germani Ebur Helffenbein/ hoc eſt, Elephanti oſſa appellant.

DE SVIS TALO. CAP. 62.

Talus os eſt in iunctura pedum, quod Germani ein Köte uocant. Non tamen quęuis animalia Talos habent, ſed biſulca tantum.

DE CERVICORNV. CAP. 63.

Ceruorum cornua omnibus nota ſunt. Plurimum tamen refert (ut credunt) quo tempore Ceruis decidant aut reponantur, ſi ijs in medicina uti uoluerimus. Habent autem multas & efficaces in medicina uires: & præſtaret eo potius contra uenena uti, quàm oſtentoſo unicornis Indici cornu, quod nunquam uerum uulgo habetur. Vna eſt in Germania Reſpub. quæ integrum habet. Fertur & Venetos duo in Theſauris ſuis habere.

DE ERVCIS. CAP. 64.

Erucæ nomen inſecto & oleri commune eſt. Hoc autem loco de herbas erodentibus Erucis ſermo habetur, quæ Germanis Raupen uocantur.

DE CANTHARIDIBVS, BVPRESTIBVS, ET PICEARVM ERVCIS. CAP. 65. 66.

Κάνθαρος Græcis Scarabæum ſignificat: unde diminutiua forma κανθαρίδες dicuntur, parui & in uiridi aurei coloris & oblongi Scarabæi, qui Germanis Goltkefer appellantur, quorum adhuc eſt in medicina uſus: frequenter hæ in fraxino & liguſtro apud nos reperiuntur, nam harum foliorum paſtu mirum in modum alliciuntur. Sunt autem fœdi odoris inſecta. Pinerucæ uero, quæ Græcis πιτυοκάμπαι dicuntur, Erucæ ſunt in Pino genitæ, quarum hodie nullus eſt uſus. Βούπρηστις uero ſine dubio eſt ueluti ſylueſtris cimex, qui Germanis ein Qualſter uocatur, quo deuorato boues rumpuntur: unde & nomen illi à Græcis factum eſt. Formam hoc animal Scarabæo cuidam paruulo, ſed multo magis Cimici ſimilem habet, altis ingreditur pedibus, & fœtore ipſos Cimices ſuperat: qui etiam frondes & fructus inficit, ſi quando per eos repſerit. †

Pinerucæ. *Bupreſtis.*

† *Bupreſtis etiam eſt herbæ genus, noſtra Berenklaw/ ut quidam putant.*

DE SALAMANDRA. CAP. 67.

Salamandra reuera eſt pigrum illud & ignauum lacertarum genus, quod Germani ein † Molch ſiue ein Olm uocant. Multis hoc demonſtrari argumentis poſſet, niſi breues annotationes & non integram rerum hiſtoriam ſcriberemus. Viuit umbroſis & roſcidis conuallibus, ſolo pingui, præſertim circa fontes, color illi uarius, luteis & nigris maculis diſtinctus, cum irritatur lacteum uirus ſudat. *

† *Μόλγη Græcè, quod cum Germanico conuenit.*

* *Sues eis libenter ueſcuntur.*

DE ARANEIS. CAP. 68.

Ἀράχνων, hoc eſt, Araneorum multa ſunt genera, eum uerò qui retia ad capiendas Muſcas prætendit Ἀγρώστην, id eſt, Venatorem Græci uocant. Aliud genus ſunt qui non ita artifici labore rudes telas in domibus texunt. Germani omnes Araneos

generali

generali uocabulo Spinnen uocant. Græci etiam Phalangia interdum Araneos uocant, quamuis præter Araneos etiam diuersum Phalangiorum genus reperiatur, Lacertis paruis potius, quàm Araneis, simile, quod † Tarantula ab Italis uocatur.

† Tarantulæ nomen ab alijs in Italia stellioni tribuitur, ab alijs Phalangio. Cordus diuersa animalia confundere uidetur.

DE LACERTA. CAP. 69.

Σαύρα Romani Lacertum, & Lacertam: Germani † Heideren uocant: notus omnibus repens in terra quadrupes serpens est, colore ut plurimum uiridi.

DE CHALCIDICA LACERTA, SEU SEPE. CAP. 70.

Chalcidicam lacertam siue sepem Nicander & Dioscorides lacertis similem esse dicunt. Seps autem à putrefaciendo dictus est, putrescit enim saniemque olidam emittit illius morsu factum uulnus. Chalcidicę uero nomē habet quod non uiridis sit, ut cęteræ lacertę sed ęrei coloris. Est etiam aliud serpentū genus quod similiter seps uocatur, sine pedibus, uiperę simile, cuius Aëtius meminit, diuersum penitus à Chalcidica lacerta.

DE SCINCO. CAP. 71.

Scincus terrestris crocodili genus est, magnitudine lacertę, quo multis annis caruimus. Sed iam quorundam diligentia factum est, ut rursus ex Aegypto ad nos perferatur. Pharmacopolæ quos materialistas uocant, paruas quasdam aquatiles lacertas Salamandris similes, pro Scincis, Scincorum marinorum nomine uendunt, quarum usum omnes cauere optârim, quoniam idem quod Salamandræ uirus habent. Quocirca neque antidotis neque uenerem cōciliantibus medicamentis miscendas suademus.

DE VERMIBVS TERRAE. CAP. 72.

Terræ uermes Græci γῆς ἔντερα, hoc est, terræ intestina, Latini Lumbricos, Germani Erdwürme / siue Regenwürme uocant, qui omnibus noti sunt.

DE MVRE ARANEO. CAP. 73.

Murem Araneum Græci Μυγαλῆν uocant, quod mediam inter Mustelam & Murem magnitudinem & formā habeat, non quod ex Mustela & Mure nascatur, ut quidam credunt: quoniā natura inimicitię sunt inter Mures et Mustelas. Quo autem nomine Germanis appelletur, non certò affirmare audemus. Suspicamur tamē magnos illos Mures, quos Ratten Germani uocant, Mygalas esse. Sunt enim uenenati et eadem morsu nocumenta inferunt quæ Mygalæ. † Quinetiam urina eorum eodem quo uulnus modo conspersos afficit. Quapropter à Felibus non nisi maxima fame appetuntur.

† Gesnerus in Quadrupedum historia, Murem araneum esse ostendit, qui Germanicè Spitzmauß uel Mützer appellatur.

DE MVRIBVS. CAP. 74.

Præter Araneos mures, sunt etiam marini, aquatici, & in agris nati mures. Hoc uerò capite de urbanis siue domesticis muribus sermo habetur, qui ab omnibus cognoscuntur.

DE OMNI LACTE. CAP. 75.

Notum est omnibus Lac, cuius facultates secundum animalium differentias uariant. Constat autem omne lac caseo, sero, & Butyro.

SERVM LACTIS. CAP. 76.

SCHISTVM LAC: ET RECENS. CAP. 77.

LAC MVLIEBRE. CAP. 78.

DE CASEO OMNI. CAP. 79.

Multæ sunt Casei secundum lactis qualitatem differentię & facultates. Differunt

etiam eiusdem animalis lacte formati pascuorum diuersitate.

DE HIPPACE. CAP. 80.

Ἱππάκη, hoc est, Hippace ipso nomine originem suam profitetur. Est autem Equino lacte confectus caseus, Scytharum inuento, ut Hyppocrates scribit. Quidam Hippacem equinum coagulum esse dicunt: sed id hoc loco non uult Dioscorides, nullius enim animantis coagulum ad cibos & alimenta expetitur, substantia tamē coagulum à caseo nihil differt.

DE BVTYRO, EIVSQVE FVLIGINE. CAP. 81.

Notum omnibus Butyrum est: quod quamuis à bobus nomen habeat, quoniam ex bubulo lacte conficiatur præcipue, non minus tamen ex ouillo quoq; & caprino, eo quo rustici nouerunt modo paratur. Quapropter nō est quod Galenus Dioscoridem miretur, ex ouillo caprinoq; lacte Butyrum fieri dicentem: Fuligo etiam ex accenso Butyro colligitur, oculorum medicinæ utilis. Nouimus mulieres quæ etiam è suo lacte caseum & Butyrum fecerunt: eratq; Butyrum hoc admodum flauum & liquidum.

DE LANIS. CAP. 82. 83.

Lanæ succidæ neq; crudæ, neque ustæ in nostris pharmacopoliis usum habent, quamuis multas in medicina uires habeant.

DE OESYPO. CAP. 84.

Earum tamen sordida pinguedo adhuc præparatur, quam Græci οἴσυπον uocant. Hodie uerò corrupto uocabulo Ysopus humidus appellatur, ut ab Hyssopo distinguatur. Hyssopum enim herbam hodie Ysopum siccam nominant.

DE QVORVNDAM ANIMALIVM COAGVLO. CAP. 85.

Concretum in lactentium quorunq; pullorum uentriculis lac, coagulum est, à coagendo seu cogendo Latinis dictum: quod Græci πιτύαν, Germani pariter Latinis à cogendo seu concrescendo Lüp & Renne uocant. Videtur autem obscurus esse contextus Dioscoridis, animalia à quibus sumendum coagulum est, enumerantis. Recenset enim Leporem, Equum, Hœdum, Agnum, Hinnulum, Dorcadem, Platycerota, Dorcum, Ceruum, Vitulum, Bubalum, & Phocam. Vnde legentes facile inducuntur, ut credant omnia quæ enumerat suum peculiare genus habere, sed hæc opinio absurda admodum est: nam quamuis Lepus, Equus, Hœdus, Agnus, Hinnulus, Vitulus, Bubalus & Phoca unumquodq; sui sint generis animalia, reliqua tamen non ita distinguntur. Non enim ullum est animal Νεβρὸς, hoc est, hinnulus. Neq; Δορκὰς aliter à Dorco quam sexu differt. Itaq; per hinnulū, Dorcadem, Platycerota, Dorcum & Ceruum, quamuis quinq; sint nomina, tria tamen animalium genera tantum intelligenda sunt. Νεβρὸς enim, hoc est, Hinnuli generalis est appellatio, & ad Dorcadem, Platycerota, Dorcum et Ceruum refertur. Sūt enim Gręcis Νεβροὶ, Latinis Hinnuli, pulli animalium omnium quibus ramosa cornua sunt, quales sunt cerui, Platycerotes, Damæ & capreæ, adde etiam Alces. Quare coagulum intelligendum est Hinnuli Dorcadis et capreæ fœmellę. Idcirco coniunctio καὶ quæ sequitur uocabulum Νεβρὸς, superfluā esse in contextu uerborum non immerito putatur. Prætericrunt hæc silentio in suis commentariis Barbarus & Marcellus, nobis uero digna uisa sunt ut explicarentur. Porrò animalia hæc partim omnibus nota sunt, ueluti Lepus, Equus, Hœdus, Agnus, Caprea fœmina, Caprea mas, Ceruus & Vitulus. Platyceros uero, Bubalus & Phoca non perinde cognoscuntur. Itaque operepræcium, nos etiam hac parte facturos arbitramur, si nostram de ijs sententiam attulerimus. Platyceros ceruorum genus est, media inter Capreas et Ceruos figura, magnitudine ceruo nonnunquam æqualis, huic cornua sunt ueluti in palmas dilatata, è quibus ceu digiti exeunt, unde & nomen animali apud Græcos: eadem non ita tuberibus exasperantur, neque fusca sunt ut ceruorum, sed lenia & candida. Germani unum Platycerotis genus ein Dammhirß appellant, alterum ein Rene/ qui in Suecia boum & equorum modo iuncti magna celeritate ingredientes, currus, rhedas, trahas & esse- Platyceros. Ein Rene.

da trahunt, præsertim hyeme, cum mare quo Codanus sinus ad Septentrionem desinit gelu constiterit, tum enim rectà negociatores per glaciem hinc inde iter facere consueuerunt.

Bubalus. *Sed fallitur Cordus, alius enim est ueterum Bubalus.*

Bubalus, seu ut Græci dicunt βυβαλὶς, nostratibus bobus non dissimile animal est, labro superiori & naribus aliquantulum resupinis: pilo uestitur in cinericio liuido. Germani corrupto Latino uocabulo ein Büffel appellant. Tradit Plinius etiam Vris ab imperito uulgo Bubalorum nomen imponi, sed Vri diuersum à Bubalis genus habent, omnibus nostris qui ad Septentrionem habitant noti, q aliarum ferarum modo in syluis uagantur. Bubali uerò aliunde ad nos mittuntur.

Phoca.

φώκη marinum est & quadrupes animal, quod Latini pariter Græcis Phocam & Vitulum marinum, Germani ein Meerkalb / Sueci ein Sielen appellant. Frequens in nostri maris insulis & Noruegiæ & Sueciæ scopulosis littoribus. Est autem amphibium animal, in terra mariq; uiuens. Catulorum Phocæ pelles ad uestes & puluinaria nostris expetũtur. Pili hic teneri breues atq; aurei coloris & fulgoris.

DE ADIPE. CAP. 86.

Adipis, seu ut Græci uocant στέατος uocabulo, quorumcunque animalium pinguedinem in genere intelligunt, siue dura & concreta, siue liquida & fluida fuerit. Ita hac uoce Dioscorides hoc loco utitur & Galenus libro primo de facultatibus simpliciũ medicamentorum. Differunt tamen, si quis propriè loqui uelit adipes tum apud Græcos, tũ apud Latinos, suis nominibus distinctę: qui enim solidior existit, et difficilè liquescit, & liquefactus statim concrescit, Græcis propriè στέαρ, Latinis seuum, Germanis Vnschlit / Vngel & Tolch uocatur, qualis est boum, Hircorum, Caprarum, Ouium, Ceruorum & similium adeps. Qui uero † difficillime ad ignem liquescit, & difficillimè rursum densatur, aut fluidus permanet, Græcis πιμελὴ, Latinis pinguedo, Germanis Fet & Schmaltz / hoc est, pinguedo & liquamen nominatur: ut est Vrsorum, Melium, Canum, Gallinaceorum & eiusmodi animalium quæ natura calidiora existunt. Porrò eam differentiam ex nostro arbitrio non ponimus, sed Galeni sententiam sequimur, qui undecimo libro de simplicium medicamentorum facultate, ad hũc modum pinguedinem à Seuo distinguit. Quanquam interpres pro Seuo speciei nomine, Adipem generis uocabulum reddiderit, sed impropriè.

† Facillimè.

CAP. 87. ET SEQVENTIA CAPITA SEPTEM, DE VARIIS ADIPIBVS, *corumq; uiribus, curatione & apparatu agunt.*

DE MEDVLLIS ANIMALIVM. CAP. 95.

Sunt Græcis duo uocabula quibus medullam significant, nempe ἐντεριώνη, & μυελός: sed quæ inter se differant. Illo enim arborum medulla, & farcta in fructibus quibusdam semina indicantur: hoc uerò quæ in spina & ossibus animalium continetur medulla, quam Germani Marck appellant.

DE OMNI FELLE. CAP. 96.

Notus omnibus amarissimus est humor, folliculo quodam hepati adnato inclusus, qui Græcis χολὴ, Latinis Fel, Germanis Gall uocatur.

DE SANGVINE ANIMALIVM. CAP. 97.

Præter Hircinum sanguinem nullum in pharmacopoliis ad medicinæ usum, hoc tempore in Germania reponi comperimus.

DE ANIMALIVM FIMO. CAP. 98.

Crocodili terrestris fimus. *Ciconiarũ.* *Muscerda duplex.*

Non opus est animalium excrementa in pharmacopoliis seruari, cum semper & ubiq; cuiuscunq; animantis (quorũ hic fit mentio) si necessitas requirat, fimũ habere liceat, excepto Crocodili terrestris: quẽ, si eo ad extergendas & tingendas genas mulieres carere noluerint, ex Aegypto petãt. Non prætereundũ silentio arbitramur etiam uulgo agrestes homines Ciconiarũ fimum contra comitiales potu assumere. Muscerda autẽ priuatim dictũ est Latinis Muriũ fimus. Eius duę apud nos differentię ẽ

uulgari-

uulgaribus, & omnibus cognitis Muribus alterum: & è singulari muris genere alterum admodum odoratum & Moschi æmulum, quod in montanis locis colligentes rusticæ mulieres uestibus suis Moschi uice, odoris gratia, interponunt. Idem ferè odor ipsis muribus est, ob id eos nostri Bisam meüse/ hoc est, Moschatos mures appellant. Porrò Crocodilisimi, quod Crocodileam Plinius uocat, etiã Ouidius meminit de medicamine faciei, cum dicit nigrior ad Pharii confuge piscis opem. Pharii enim, hoc est, Aegyptii piscis nomine Crocodilũ intelligit, quamuis Crocodilea non è pisce Crocodilo, id est, fluuiatili, sed terrestri sumatur, qui Stincus & Scincus uocatur: de quo supra dictum est.

Crocodilea.

DE VRINIS. CAP. 99. 100.

Notæ uulgo omnibus Vrinæ sunt, de quibus hoc capite scribit Dioscorides. Auri Gluten quomodo ex Vrina & Cyprio ære fiat, infra libro quinto inter metallica medicamenta indicabit. Lyncis uerò urina quid sit, & an sit in rerum natura, multis sæculis dubitatum est: scribunt enim Lyncem proiectam urinam terra obtegere, tanquam hominibus tam salutare medicamentum inuidentem, quæ deinde in lapidem Lyncurium dictum indurescat, sed fabula tantum est, quapropter bene Dioscorides quoque illam damnat: & rectè inquit idem esse Lyncurion cum Electro. Quod ex Plinio etiam discere possumus libro octauo, cap. xxxviii. in hunc modum scribente: Lyncum humor ita redditus, ubi gignuntur, glaciatur, arescitue, in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, Lyncurium uocatas, atque ob id succino à plerisque ita generari prodito. Quæ enim alii de Lyncurio scripserant, alii de succino prodidere, nec immeritò, cum nullum inter ea discrimen sit, ut alibi etiam Plinius refert lib. xxxvii. cap. iii. post Succini historiam his uerbis. De Lyncurio proxime dici cogit authorum pertinacia: quippe etiamsi nõ electrum id esset, Lyncuriũ tamen gemmam esse contendunt: fieri autem ex urina quidem Lyncis, sed egestam terra, protinus bestia operiente eam, quoniam inuideat hominũ usui: esse autem qualẽ in igneis succinis colorem, scalpique. Nec folia tantum aut stramenta ad se rapere, sed æris etiam ac ferri laminas: quod Diocles quidem & Theophrastus credidit: ego falsum id totum arbitror, nec uisam in æuo nostro gemmam ullam ea appellatione. Quod autem dicit falsum id totum esse, non de succino intelligendum, sed de Lyncurio, quatenus gemmam esse contendunt. Sed & ex hac Lyncurii historia palàm fit idem id esse cum succino, quia quæ Lyncurio tribuuntur, alii de succino prodidere. Quin & illud hanc sententiam confirmat, quod tradunt Lyncurium non tantum folia & stramenta, sed & æris & ferri laminas ad se rapere. Si enim id quod ista ad se rapit Lyncurium uocatur, nihil in rerum natura reperitur quod Lyncurium esse possit, præter succinum. Id enim non tantum folia, paleas, stramenta, & id genus alia, nec æris & ferri solum laminas, sed et auri, argenti & cuiuscunque metalli, uti esse experti sumus. Nihil enim unquam reperire licuit quod non attraheret. Nam quòd solos Ocimi surculos ab eo non rapi scribunt authores, falsum comperimus. Idem Plinius libro eodem dicit, Demonstratum succinum Lyncurium uocasse, fierique ex urina Lyncum bestiarum: è maribus, fuluum & igneum: è fœminis, languidius & candidum. Quod testimonium prorsus confirmat, quod hoc loco obtinere conamur: ii enim colores succino sunt, quos Demonstratus Lyncurio tribuit, quod idem esse cum succino eò manifestius est, quòd ipse Demonstratus, ut Plinius refert, Succinum Lyncurium uocauerit. Porrò cum nihil à succino Lyncurium differat, fabuloso nomine in omnibus officinis Lyncis lapides, falsò dicti, ostenduntur, habitu, figura & materia diuersi: alter enim pallida est gleba, & nonnunquam fusca, candidis maculis (lapidis calaminaris & fornacariæ cadmiæ modo) distincta, terra durior, & lapide mollior: quæ si historiæ conferatur, non multùm à Phrygio lapide distabit. Alter lapis est teres, oblongus in turbinem desinens, colore alibi ferrugineus, alibi fuscus, alibi succini modo fuluus & pellucidus. Gigni hos in Pomerania & Prussia: fusciorẽ uerò & ferrugineum in Saxonia, Germaniæ regionibus, nouimus. Nam & ipsi eos obiter in itinere inuenimus, & industria effossos collegimus. Germani hos Alpeschoß uocant, quasi Incubi sagittam, creduntur enim incubo aduersari, nõ quidem ho

Lyncis urina.

Lyncuria pharmacopolarum falsa.

Phrygius lapis.

Alpeschoß.

minum sed equorum, & iumentorum. Quidam etiam Donnerkeile uocant, hoc est, tonitrui cuneos. Vulgo enim de cœlo cum fulmine cadere creduntur. Plinius autem hos lapides Idæos Dactylos appellasse nobis uidetur. Porrò ista de Lyncurio dixisse sufficiat. At cum de succini rei omnibus notissima materia & origine uarient, & diuersa ceu data opera scribant authores, uisum est nobis peculiarem de eo commentarium subiungere.

Dactyli Idæi.

DE SVCCINO.

Succinum, quod Græci ἤλεκτρον & fabuloso nomine λυγκούριον, Arabes Karabe & Kakabre, Galli Ambram seu Ambrã citrinam: Germani ueteres Glessum / Recentiores Agtstein & Bernstein / Sudanii Gentar appellant: inter præcipua numeratur quę Deus ad hominum usum cõdidit, medicinę pariter & luxui multisqꝫ aliis usibus materiam præbens: quamuis nostra ætate magis tuendę sanitati quàm luxuriæ inseruit. Nostri succino à proprietatibus quas habet nomina indidere. Siquidem ueteres Germani Glessum id appellabant, quod si interpræteris uitreum sonat: quoniam uitri instar lucem transmittat. Vitrum enim Glaß / & uitreum † Glesen dicimus. Agtstein autem, id est, Gagatem lapidem id uocamus: quoniam à Gagate nigro, materia, uiribus, & aliis proprietatibus nihil differat. Bernstein uerò, hoc est, ardens lapis nominatur, quoniam accensum ardeat. Est autem res omnibus cognita & paratu facilis, præsertim cæreum & pellucidum, quod Romani à uini colore Falernum cognominant. Candidum uerò, cui olim nulla fuit authoritas, quoniam parcius gignitur, nunc auri precium æquat. Vera sunt quæ Plinius libro naturalis historiæ trigesimo septimo, capite tertio de succino prodidit: excepto eo, quòd Pinei generis arborum resinam esse credat, ut paulo pòst ostendemus. Nam quod ad originem, hoc est, materiam & generationem eius attinet, nullus unquam authorum uera tradidit. Ideo rem iucundam maximeqꝫ necessariam & cognitu dignissimam prodituros nos arbitramur, si de natalibus, causis & origine eius nostram quoque sententiam protulerimus: de qua cum multis doctis, præsertim Georgio Agricola Medico, naturalium rerum omnium sagacissimo & prudentissimo indagatore, multos iam annos contulimus, eamque longa deliberatione utrinque ita perpendimus, ne quidquam de origine eius temere pronunciaremus. Aediturus est propediem Georgius Agricola inter alia quæ de ortu & materia fossilium rerum conscripsit, etiam suum de succino iudicium, cui nos hoc commentario subscribimus. Existimamus autem nobis hominibus Germanis succinum in nostro orbe genitum quotidie attrectantibus, eiusque naturam quotidiano usu & experientia cognoscentibus, potius alias gentes fidem habituras, quàm Græcis: qui relicta Philosophica in consyderatione eius methodo, ad figmenta absurdissima & aniles & plusquam pueriles fabulas sunt conuersi: rem longe pulcherrimam, cuius cognitionem ingenio assequi desperabant, ludibriis & leuibus figmentis conspurcantes. Qua quidem in re non tam hominibus imposuerunt, quàm suam in confingendis nugis leuitatem, & electri ignorantiam prodiderunt: quanuis Grais ingenium, quamuis Grais ore rotundo Musa loqui dederit. Etsi autem palam sit, ubi reperiatur succinum, tamẽ quia et loca & natales perspecta habere ad rei cognitionẽ non parum faciat, decreuimus hoc de electro commentario, primum indicare ubi legatur, & ad quæ littora plurimum, & quomodo feratur: deinde ostendemus non esse succum, neqꝫ Gummi, neqꝫ resinam, quomodocunqꝫ eas appellent, arborum: postremo materiam eius, & quid sit, explicabimus. Et hæc quidem ea qua licebit breuitate, ne si longius de eo dissseruerimus, commentarius hic finem suum modumqꝫ excedat. Codanus sinus appellatur Plinio immanissimus, à sæuo immenso monte, nec Riphæis iugis minore, qui ad Cimbrorum usque promontorium excurrens, refertus est insulis, quarum clarissima sit Scandinauia, incompertæ olim magnitudinis, nunc uerò classibus nostris negociatoribus & militibus cognita & perlustrata tota: qui non insulam, sed peninsulam pluribus Isthmis cohærentem affirmant. In eo sinu inter Cimbricam Chersonesum & Scandinauiam sparsæ sunt insulæ: Burchana, Austrauia, Actauia, olim uocatæ: ad quas fluctibus pelli electrum Romanæ

† Glesin.

olim classes deprehenderunt. Ideoq; eam quam Germani Austrauiam uocabant, Romani Glessariam, hoc est, Electridē dixerūt. Quinetiam prçter hanc plures aliç Glessariç nominatæ sunt. Vniuersum autem mare quod Codanus sinus complectitur, Succinum habet, quod fluctibus nunc retro ad Scandinauiæ, Noruegiæ, Sueciæ & Gothiæ littora agit: nunc ad insulas, ut ipsi etiam deprehendimus: nam & nos quoque illud in † Burrhanæ, Austrauiæ, & Scandinauiæ littoribus inuenimus. Nunc ad nostra littora, uidelicet Cimbricæ Chersonesi, ducatus Mechelburgiaci, Pomeraniæ, Prussiæ, Samelandiæ & Liuoniæ. Sed quamuis toto hoc nostro maritimo tractu non raro legatur succinum, exiguum tamen id est, in paruas micas concretum. Plurimum uerò, & maximis glebis constans, ad Samelandiam expellitur, quæ Prussiæ uicina est regio, & Prussiæ Duci paret: ad eam tanta copia tempestatibus fertur, ut toti terrarum orbi satisfacere possit, quantumuis multis usibus expetitum. Atqui non ad totum Samelandiæ littus tanta uis Electri expellitur, sed ad eum tractum tantum, quem Germani das Granawische uocant, non longe à pago Sudauis & Samelandis Kraxtepelle dicto, quod retinctum significat. Nudi enim homines retia uenienti Succino prætendentes, sæpius fluctibus retincti obruuntur, unde Pago nomen patria lingua fecerunt. Locus autem quo tanta eius copia colligitur, patet tantum decem milia passuum, hoc est, duo Germanica miliaria. Habent eius piscationis gnari sua signa & indicia, quibus uenturi Electri copiam æstimant. Sunt aliæ quædam diuersi generis, sed maximè quædam cordis exigui imaginem referentes, & uesicarum modo inflatæ: quæ si copiosæ ad littus ferantur, plurimum succini aduentare certum, his enim inuolutum tanquam retibus capitur. Cum uerò parcius hæ algæ littus appulerint, minus succini insequitur. Fluctibus deinde ereptum, Dantiscum uehitur: quę urbs præterquā quod totius Prussiæ caput sit, etiam celeberrimum est emporium. Vbi primum certis uenditur negociatoribus, ex pacto: præcium pro certa mensura, secundum glebarum magnitudinem, Principi numerantibus. Rude adhuc ut colligitur, asperum scabrumq; est tota superficie, nec quidquam attrahit, quantumuis calefiat: leuigatum uerò & politum, primùm rapere incipit, qui ex attritu calefacto admouentur surculos. Nam alia quacunque ratione præter confricationem incalescens, perinde ut rude, rapere nequit, quas proprietates neminem antea prodidisse scimus. Nos autem id ideo affirmamus, quoniam sæpius eius rei periculum fecimus. Porrò longum foret, omnia statuta legesq; succini gratia latas enumerare, quia alii ex nostris hæc attigerunt. Nos autem quæ antea tradita sunt relinquentes quod illi prætericrunt indicabimus. Nam neque hoc referre necessarium existimamus, quot habeat succinum colore differentias, & quantam utilitatem hominibus adferat, non in medicina tantum, in qua magnum usum habet: uerùm etiam in mechanicis artibus, in quibus multo maiorem. Nunc autem antequam quid sit explicemus, quid non sit ostendendum duximus: aliis succum, aliis Gummi, aliis Resinam, aliis terram, aliis lapidem esse contendentibus. Nam hæ opiniones multa iam sæcula hominum mentes detinent. Sed lecturos istarum opinionum confutationem prius nouisse oportet, succi, gummi, resinæ, terræ, & lapidum, differentiam, materiam, qualitatem, & alias quas habent proprietates: ita facilius dicta intelligent & diiudicabunt. Succum autem cuiuscunque arboris aut plantæ non esse succinum, sed neque urinam alicuius animalis, succi & urinæ substantia & qualitates ostendunt. Constat enim utrumque aqueo humore: qui etsi solis aut ignis calore densetur, aquæ tamen qualicunque infusus diluitur, ideoq; in mare delapsa quamprimum dissoluerentur. Succino uero contraria est natura, nam liquidum in mare primum influit, mox densatur. At hic locum non habet quod dicitur, salem adstringere & densare succos, quod nemo concedet cui salis natura perspecta est. Sali enim arido densandi facultas, sed non tanta ut liquidum succum denset: atque ea densandi uis nequaquam est propter adstringendi qualitatem, sed propter imbibendi aqueum uel similem humorem potentiam. Salis enim propriissima natura est facillime aquam, uinum, uel tale quippiam imbibere, & in tali quopiam humore dissolui. Quapropter quod conspersas carnes & caseos densat, & solidio-

† Burchanæ.

Succinum non esse succum aut urinam.

res reddit, per accidens fit, non propria aut adstringendi facultate, sed quia carnes & casei recentes, aquoso succo turgentes, succum suum sali combibendum dimittunt, quo fit ut hæc deinde sicca duraqúe & ideo densiora euadant. Succi uerò aliqui cum nihil habeant terrenæ consistentiæ, qualem carnes & casei, sed toti aqueo humore constent, sale humorem quem appetit imbibente minime densantur, sed sui similes permanent, si serena sit, nec calida aëris constituto: si uero turbida & humida, etiam liquidiores euadunt, sale humidum aërem imbibente & succo cui mixtus est communicante: quod manifeste omnes, etiam densati coctura aut sole, ostendunt succi, si sal admisceatur. Continuo enim humescunt & diffluunt, maximè humida & frigida aëris constitutione. Ergo si aridus sal succos etiam spissos liquidiores reddit, quanto magis liquidus sal, ceu mare est, liquidos succos dissoluit & penitus dissipat? Si etiam densatus succus esset succinum, aquæ incoctum dissolueretur, ceu Aloë uulgaris, Hypocistis & eiusmodi: sed etiam si quis integro æuo in aqua aut uino decoquat, nihil penitus tamen eliquari potest. Adipi uerò aut Oleo incoctum dissoluitur, quod alienissimum est à succis qui aquei sunt. Est itaque succino pinguis substantia & à succis diuersissima.

Quòd non sit Gummi.

Quod autem etiam Gummi non sit, ostendunt argumenta quæ iam de succis attulimus. Nam hæc quoque, cuiuscunque sint generis, in quouis aquoso humore dissoluuntur, in Oleo uerò minimè: eadem, perinde ut densati succi, turbida & humida aëris temperie humescunt & diffluunt, nec sine ratione, cùm uiscosi & concreti calore succi existant. Quid enim siccitate densatur, humido resolui potest.

Quòd non sit resina.

Qui uero Resinam esse contendunt, propius ad materiæ similitudinem & naturam eius accedunt. Quemadmodum enim Resinæ pingues sunt, & accensæ flagrant, oleoque incoctæ dissoluuntur omnes, ita etiam succinum flamma accensum ardet, & in Oleo si coquatur resoluitur, & accensum flagrat. Resinam tamen non esse, statim forma glebarum ostendit. Resinę enim partim paulatim distillant, & in paruas micas guttasque concrescunt, ut Lentisci, Iuniperi proceræ, quam Sandaracam Arabes uocant: thus masculum, & quod Orobias ab erui figura & magnitudine uocatur. Partim ex pluribus guttis longo temporis interuallo collectis in massas scabras, porosas, & cauernosas concrescunt, ut Pini, Abietis, Piceæ, Piceastri & eiusmodi arborum: quamuis & hæ frequenter in paruas micas densentur. Succino uero diuersus est à resina habitus: neque enim in guttas oblongas densatur, quæ ex arbore se pependisse indicarent, neque in scabra, cauernosaque, & guttis compacta fragmenta coalescit, sed solidas glebas. Glebarum etiam magnitudo resinam esse negat: siquidem Plinius Romam allatam scribit tredecim librarum pondere, per librā duodecim uncias intelligens. Nos uero scimus multo maiores interdum inueniri: & nonnunquam etiam in continente ultra uiginti milia passuum à littore aratris excitari: & in fundamentis ædificiorum effodi, quibus undecim, duodecim & tredecim est unciarum pondus. Itaque maximū glebæ pondus nostra memoria inuentę librarum fuit septemdecim & unciarum quatuor. Hę autem grandes glebæ poculis splendidioribus à magnatibus apud nos expetuntur, quemadmodum olim apud Romanos ex Oriente Murrhinum: quod & ipsum sine dubio ad Succini genus referri debet, ut Georgius Agricola† in suis libris de rebus metallicis indicabit. Puerile autem est credere, in tantas glebas concrescere resinam aliquā: ac multò puerilius, credere tantum ex arboribus defluere posse resinæ, ut maria & littora & terram in continente impleat. Reclamat etiam experientia, nullæ enim prorsus in nostro littore sunt Pinei generis aut resiniferæ arbores, à Cimbrorum extremo promontorio usque ad Scandinauiæ Isthmum, quo Asiæ maiori cohæret, hoc est, toto illo immani sinu Codano, nullæ enim temere in littore arbores, prẹter Alnos & Corylos, uisuntur. Oderunt etiam natura resiniferę omnes salsum, aut mari irriguū, solum. Simili modo neque in Noruegiæ, neque Scandinauiæ minoris, neque Suecię littoribus ullo uisitur resinifera aut Pinei generis arbor, quatenus nos eam oram lustrauimus, & quatenus militibus & negociatoribus nostris cognita est, qui quotidie totius legunt Scandinauiæ littora. In montibus uerò procul à mari magnæ sunt Tædarum, Abietum & Piceastrorū syluæ. Sed ex his impossibile

Murrhinū.

† Georg. Agricola in libris à morte Val. Cordi editis Murrhinā, lapidē facit, qui & Onyx Plinio dicatur: et Chalcedonium uulgò dictū interpretatur.

est

est ad mare delabi resinam. Præterea si in inuiis cautibus starent hæ arbores, ut aliqui ueterum prodidere, in terram & rupes delaberetur resina. Et si maximè ex rupibus æstu raperetur, ut Plinius credidit, sordidum totum esset, calculis, arenis, foliis & aliis rebus mixtum, sed rarissimè reperitur quod tale quippiam cõplectatur. At neq; hoc rationi consentaneum est, ex arboribus è præcipitiis in mare procumbentibus destillare: tum enim paulatim & guttatim destillaret, & in paruas tantum guttas densaretur: sed impossibile est, tot in præcipitiis stare arbores, ut tantum resinæ fundant. Adde si hoc modo distillaret, neq; ranas, neq; lacertas, neq; formicas, muscas, culices, aut quidquam tale complecteretur. Mirum etiam esset si resina sit, non inueniri in eo Pinei generis folia, cum in aliis resinis sua folia frequenter deprehendantur. Esset etiã præter naturam eo loco resinam in tantam soliditatem densari, cùm quæuis aliæ resinæ siue frigida siue calida aqua densatæ, maximè salsa, aridæ friabilesq; euadunt, ac sponte dissiliant. Quod si olfactum consulas, exactę nullum resinæ odorẽ percipies, sed medium quendam inter Bitumen & Ambram, quę res in terra gignuntur. Quod autẽ paleas et alia similia attrahit, magnũ est argumentũ, multum id à resina differre. Nulla enim id pręstat resina. Differunt etiã uiribus resina, & succinũ. Nam hoc pręter alia, quibus ab illis discrepat, etiã comitiales suffitu deprehendit, & eos collapsos excitat, quod in nulla unquam deprehensum est resina. Facit etiam ad nostrum argumentum coloris diuersitas: nam si certæ alicuius arboris resina esset, eundem semper colorem haberet, ut Terebinthi, Laricis, Lentisci, Abietis, Pini, & aliarũ resinarũ, quę semper sui sunt similes. Succino uerò nũc Sero similis, nunc cereus, nunc fuluus, nunc turbidus, nunc omnino pellucidus, nunc niueus, nunc ex quibusdã eorũ aut simul omnibus mixtus, & ceu conuolutus, nunc omnino niger est color. Nam Gagates ille lapis paleas attrahens, nihil est aliud quam nigrum succinum: quare eodem eum Germani uocabulo, quo aliud succinum, appellant, adiecto coloris discrimine. Necesse igitur est, rem diuersissimam à resina esse. Quapropter non possum non Græcorum uanum commentum carpere, qui etiam certa nomina arboribus succinum ferentibus indidere, eas alias Electrides, alias Aphitacoras nominantium, quo uocabulo Indis prædulcis suauitas significetur. Omitto reliquas fabulas, quibus ipsi suã uanitatẽ & inconstantiã palàm fecerint. Qui autẽ resinam non esse cõcedunt, lapidẽ esse contendũt, quoniã uulgò Germanis lapidis nomine ueneat: sed nihil in eo est quod cũ lapide cõmune habeat: lapides enim omnes terreni sunt, nec quicquã in igne amittũt, nisi alterius cuiusdã rei participes sint: neq; accẽduntur, neq; in pinguedine aliqua dissoluuntur, aut igne in sublime feruntur, neq; leues sunt, ut aquæ innatent: quæ omnia Succino sunt propria: quòd usque adeo tenuitate à terrena lapidum materia distat, ut certa ratione totum in uaporem & liquidissimum oleum dissolui queat, quod nemo ante nos inuenit aut tentauit: uariis enim ingressi uiis sumus, ut naturam, originem, & materiam eius inuestigaremus. Præter eos qui lapidem esse credunt, sunt & qui terram esse dicant: quod ne per somnium quidem alicui in mentem potuisse uenire sperassemus. Quoniam uerò hæc opinio his annis à multis est accepta, iisdem est confutanda argumentis, quibus lapidem non esse probauimus: quamuis id paucis uerbis egerimus, cum non existimemus sanæ mentis & iudicii homines eo erroris delabi posse, ut lapidem esse credant. Decessit hoc anno, cum hæc conderemus, admodum confectus ætate Gregorius Dunckerus, uir haud uulgari experientia præditus: qui multa etiam in Succino obseruauit, quæ nostrum de eo iudicium confirmant: tamen in eum errorem incidit, ut crederet Succinum ueteribus Samiam terram fuisse dictum, regionum nominibus deceptus: nam hæc Germanię ora, qua Esflui habitant, hodie Sameland nostris hoc est Samia regio uocatur, perinde ut Samus Insula in Aegæo mari sita. Nihil enim commune succinum cum figulina creta habet, qualis est Samia terra, ex qua Samia uasa fiunt. Nam ut alia prætereamus argumenta, Argilla tenax est Samia terra, ex qua factæ ollæ, igne in lapidis duriciem coquuntur, nulla sui amissa parte, ut alia quæuis figulina terra: Succinum uerò ignis impatientissimum existit: flamma enim accensum eò usque flagrat, donec totum in fuliginem abeat: prunis autem impositum æquę ut flamma accensum consumitur, siquidem totum in uaporem resoluitur.

Quod non sit lapis.

Quod non sit terra.

Porrò hactenus eorũ cõfutauimus opiniones, qui Succinũ, aut succum, aut Gummi, aut Resinam, aut terram, aut lapidem esse tradiderunt; quamuis plurima quæ ad rem facerent reliquerimus: maximè quod ad diluendam scriptorũ authoritatem pertinet. Nos uero minimè nuda authoritate, sed rationibus & argumentis rem tractandam esse censemus. Nam quod Solinus scribit, Germanico Cęsare omnes Germanię oras scrutante, compertam esse arborem Pinei generis, cuius medulla autumni tempore succino lachrymet, falsum penitus est, ut ea quæ antea diximus testantur: quemadmodum & hoc quod tradit. Germanicum Cæsarem omnes Germaniæ oras scrutatum esse. Quæ Solinus de Succino scripsit, è Plinio excerpsit, quibus suum addit commentum. Restat igitur nunc, ut nostram de materia & origine eius sententiam rerum naturæ studiosis communicemus, qui semper credidimus, succinum liquorem esse è terra in mare fluentem, arcanas ac nondum compertas ob causas paulatim in eã quam præsefert soliditatem durescentem, quod Georgius Agricola etiam sentit & Gregorius Dunckerus, cuius modo mentionem fecimus, omninò affirmat, natione Samelandus, qui in eo littore, ad quod maximè expellitur, ultra quinquaginta tres annos uixit, maximaq; cura tota uita sua eo incubuit, ut originem & materiam eius perdisceret. Nam hic eos quoq; reprehendit, qui arborum lachrymam esse prodiderunt, clarisq; uerbis dicit, liquidum primo esse liquorem è terra in mare fluentem. Quod tanquam certissimum omnibus est amplectendum. Adstipulantur nostræ sententiæ etiam ueterum nonnulli ceu Nicias, Philemon, Assarubas & Mnesias, quos Plinius citat. Nicias enim solis radiorum succum esse succinum tradidit, quos circa occasum uehementiores in terram actos credidit, pinguem sudorem in ea parte Oceani relinquere, qui deinde in Germanorum littora eiiceretur, haud absurda opinione. Non quod hic succus ipsis solaribus radiis nihil præter qualitatem existentibus insit, sed quod radiorum feruore, pinguis ille terræ sudor foras eliceretur. Quod plerisq; in locis apud nos ęstatis calore, & ueris, autumniq; tẽpore in liquido bitumine deprehendimus: cuius speciem succinum quoq; esse diximus. Bitumen enim hoc in terræ poris latitans, paulatim foras sole terram calefaciente, & pinguedinem eius eliquante in lacus, puteos & riuulos emanat; hyeme uerò præclusis terræ meatibus & densata pinguedine nihil prorsus emanat. Philemon fossile esse & in Scythia erui prodidit, candidi, cerei, & fului coloris: proculdubio comperta scribens. Nam in Parthia quoq; & Germania Murrhina, quę absq; dubio succini genus sunt è terra effodiuntur, quę nullus unquam resinam credidit. Quare cum fossile sit succinum, quæ est amentia resinã id esse contendere, cum apud nos quoq; sæpissime grandes glebæ inter arandum excitentur, & è puteorum & ædificiorum fundamentis eruantur, multis à littore passuum millibus? Nos tamen eas ibi minimè natas, sed in terra, mari ut plerisq; in locis contigit, longius à continente recedente, relictas iudicamus, quamuis pleriq; ibi genitas credant, in quorum numero etiam fuit Gregorius Dunckerus. Assarubas, qui Plinio scribente adhuc uixit, apertius rem prodidit, tradens: iuxta Atlanticum mare esse lacum Cephisida, quem Mauri electrum uocent, hunc sole excalefactum è limo dare electrum fluitans. Assarubæ subscribit Mnesias, locũ quendã Aphricæ, Sicyonẽ uocans, & Cratim amnem in Oceanum affluentem è lacu, ibi eadem ratione nasci qua in Cephiside lacu Assarubas tradidit. Nos utrumq; uerissima scripsisse credimus, non uanis argumentis inducti: primum quidem, quoniam apud nos eodẽ modo sole excalefactæ lacunæ & putei, è limo emittunt Bitumen aquę innatans. Deinde quoniam certo comperimus etiam in Aphrica reperiri succinum: idq; ea parte qua Canarias spectat insulas. Nam eam Aphricæ oram Atlanticum mare alluit: Misit ad nos ex Antuerpia Aphricani succini unam atq; alteram glebam Gruningus natione Frisius, (qui ea loca lustrauit, & ipse id in ripa fluminis cuiusdam ibidẽ legit.) Nostrati adeò similem ut dignosci nequeat, quas inter cætera quæ chara nobis sunt eo libentius reposuimus, quoniam & Mnesiæ & Assarubæ fidem & authoritatem firmam nobis faciunt. Quare immeritò Plinius eorum tradita aliorum Græcorum commentis adnumerasse uidetur. Gigni autem in terra Aphricanum succinum quoq; nec esse arborũ resinam, uel inde perspicuum est, quoniam nostrati simillimum colore, substantia, & qualitatibus cum sit, eandem quoq; originis causam habere necesse est. Si igitur Pi-

Quod sit liquor è terra in mare fluens.

Succinum etiam in Aphrica.

cei aut

cei aut Pinei generis arborum resina esset, quales arbores in Septentrione uisuntur,
necesse esset etiam in ea Aphricæ ora easdem nasci arbores, quæ similem & eiusdē spe
ciei resinam lachrymarentur. Cum uerò experientia constet, nullas ibi resiniferis simi
les prouenire arbores: non male raciocinamur, id resinam minimè esse. Quæ enim ibi
proueniunt arbores, nostratibus dissimilimæ sunt, ut referunt qui ea loca inspexerūt.
Precipue autem abundant Sandali, Prasilii, Guaiaci, & eę quę sanguinem draconis
dictam lachrymam fundunt: multæq; aliæ nostris, quia nondum usus alicuius gratia
expetuntur, incognitæ. Etsi autem Gregorius Dunckerus quoq; deprehende= Quod sit
rit, è terra fluentem liquorem esse, non tamen explicat, cuius generis cuiusue substan= species Bi-
tiæ aut naturæ sit hic liquor, quod nobis est nūc dicendū. Liquores omnes seu fontes tuminis.
qui è terra ac mōtibus fluunt, ad duo precipue referuntur genera: aut enim aquei sunt,
aut olei modo pingues. Aquei autem multum differunt secundum terræ per quas
fluunt diuersas qualitates, hinc alibi dulces, alibi nitrosi, alibi salsi, alibi Chalcantho
infecti sentiuntur: ad nullum autem horum referri potest Succinum: quare necesse
est ad alterum liquoris genus id pertinere, quod pingue existit, & olei æmulum. Li=
quor autem hic pinguis suum apud authores nomen habet, nempe Bituminis, cuius
species, solidum & liquidum, quæ & ipsæ in plures differentias diuiduntur. Esse au=
tem Bituminis genus Succinum eius materia, colores, odor, medica uis, & ignis rapa
citas, manifestè conuincunt. Substantiam enim si consideres, deprehendes pinguem,
flammas facile cōcipientem, æque ut Bitumen. Atqui antea à nobis dictū est pinguē Consisten-
terræ liquorē Bitumen esse, talē autem consistentiā Succinū habet. Quamuis præter tia.
Bitumen etiā aliud quippiā in terra genitū pingue sit, uidelicet Sulphur. Sed ad hoc
referri nō debet, quoniā metallicū est medicamentū pluribus à succi nō differens. Co Color.
lores etiam totidē succino, quot Bitumini: est enim nigrū quoddā, Gagates & Thra
cius lapis dictū, ut uulgare Bitumen: est fuscum in purpura, ut Iudaicū Bitumen. Est
fuluum & perspicuū quoddam, ut Naphtha fulua, quæ liquidissimum est Bitumen.
Et candidum quoddā, ut candida Naphtha. Si autem olfactū consulas, manifestè Bi Odor.
tuminis qualitatem odore percipies. Quod uerò suauius oleat alio Bitumine, puritati
substantiæ referendū est, qua tantum à uulgari differt. Vires etiam originem & ma= Vires.
teriam eius produnt. Nam ulcera glutinat, mollit, suffitu, olfactuq; uuluæ strangula
tione correptis mulieribus succurrit. Comitiales prunis impositum deprehendit, &
deprehensos rursum restituit. Menses cit, uenenis aduersatur. Concretum in thorace
sanguinem discutit & resoluit: dysenteria laborantibus succurrit. Tusses & à capite
in subiectas partes destillationes suffitu sistit: dentiū dolores mulcet. Omnes deniq;
facultates nostri in succino celebrant, quas ueteres Bituminis speciebus adscripserūt:
præterq; has alię etiam succino tribuuntur, quas consultò præterimus, quoniam eas
ueteres non nominatim recensuerunt, sed in genere indicauerunt. Quod enim factos
calculos excernit, & Ictericis medetur, Succinum, ex incidendi, extenuandi, abster=
gendi, aperiendi, & discutiendi facultatibus procedit: quas Bitumini authores assi=
gnant. Quinetiam quotidianus eius in re domestica & mechanicis artibus usus, Bitu
minis genus esse testantur. Hoc enim *statuo clauorum capita, ac alia ferramenta, in
nigrum colorem tingebantur, in quem usum multi nostrorum ubi abundat Succinū
recipiunt. Expetuntur etiam lucernarum luminibus, ut Bitumen, ramenta eius. Pre=
terea rapax admodum est ignium, ut Bitumen. Et certū eius genus, ut Callistratus Pli
nio citante prodidit, Chrysolectrū uocatū, quod sit rapacissimum ignium, &, si iuxta
fuerit celerrime exardescens. Quod de nulla unquam alia re authores tradiderunt,
quam Naphtha, quę Bitumen est liquidissimū: in hunc enim modū de Naphtha Dio
scorides quoq; scriptū reliquit: δύναμιν ἔχον ἁρπακτικὴν τοῦ πυρὸς, ὥστε καὶ ἐκ διαστήματος ἁρπά
ζειν αὐτό. hoc est, uim habet rapacē ignis: adeò etiā ut ex interuallo rapiat illum: idcirco
cū Callistratus id succino tribuat, quod Naphthæ sit propriū, quis alii quàm Bitumi
nis generi adscribat? Accedit postremò nataliū uicinitas, ubicunq; enim Succinum,
ibidē etiā Bitumen gignitur, ut in Perside, Parthia, Carmania, Aegypto, Mauritania,
& nostro Septentrione. Omniū autē argumentorum, quæ iam adduximus, firmissi=
mū est quod interdū molle adhuc & flexile inueniatur: interdum omninò liquidum
in superficie solum tenui crusta uestitum. Inuenta est ante paucos annos in Prussiæ

littore

littore oblonga gleba furcæ figura, cuius alterum cornu mollis ceræ instar flexile fuit. Quin & ipsi Lipsiæ apud auunculum nostrum Ioannem Rallam Pharmacopolam in Succino e Prussia recenter allato, septimo hinc anno, inuenimus glebam, in qua conclusa, ut in ouo ueterascenti, humidus adhuc fluctuabat liquor. Ducti itaq; rei antea non comperta nouitate glebam confregimus, tenui crusta lepidissimum & prorsus liquidum humorem continentem: deprehendimus autem crustam Succino uulgari similem, liquorem uerò Naphthæ fuluæ, id est Petroleo similem, paulò tamen crassiorem, odore succinum prunis impositum omnino referentem, & nihil minus quàm resinæ alicuius habitum præferentem. Cogitantibus igitur nobis per quam resolutionem partes quibus constat succinum ab inuicem discretæ palam fieri possent: tandem hoc anno artē inuenimus qua id fieri posset: deprehendimus igitur in hac arte in partes & elementa sua resolutum magna ex parte in Bitumen transire, uero Iudaico Bitumini adeò simile, ut neq; colore, neq; pondere, neq; substantia, neq; odore, nec quacunq; alia nota ab eo distingui possit. Quin & ipsi nos † ista dignoscere haud possemus, † nisi Iudaici Asphalti glebulis misceretur: ut autem alia omittamus, etiam confractum, ceu alatū & pennarum fibras Iudaici modo ostendit. Quapropter cum substantiæ similitudo, colores, odoris qualitas, uirium proportio, ignis rapacitas, natalium uicinitas, quotidianus usus, & manibus nostris attrectata, sensibusq; diiudicata materia, & singulari arte deprehensum in eo Bitumen, Succinum Bitumini cognatum esse testentur, nec ulla sit nota quæ repugnet: clarum tandem & perspicuum est, neq; resinam, neq; gummi, neq; arborum succum, neque urinam, neque lapidem, neque terram esse: sed purissimum, leuissimum, optimum, & + & sui generis Bitumen: Quemadmodum & Ambra & Camphora, quod huius loci non est multis argumentis demonstrandum. Porrò qua ratione lacertas, ranas, culices, muscas, & alia insecta quæ in eo translucent, atq; metallica etiam medicamenta quædam, ceu aluminis, chalcanthiq; uenas, quas ipsi in eo deprehendimus, inuoluat & complectatur, hoc commentario præterimus: quemadmodum & hoc, an in ipso maris uado, aut littore, an utroq; loco eius sint fontes.

† id
† si
Concludit.

DE MELLE. CAP. 101. 102. 103.

Mellis uocabulo & propria eius significatione dulcissimum illum liquorem intelligimus, quem apes ex arborum, fruticum & herbarū floribus colligunt: & cera compositis fauis reponunt, omnibus cognitum, & medicinæ & hominum etiam in sanitate usui expetitum: cuius multæ sunt differentiæ, secundum florum, è quibus colligitur qualitates uariantes. Omnium autem odoratissimum, & maximè aromaticū est, quod è Thymo, Thymbra, Satureia, Serpillo, & id genus herbis collectum fuerit: ideoq; primam bonitatis notam Attico & Hyblæo authores adscripserunt. In Germania uulgatissimum est, quod ex Ericæ sugitur floribus, granulosum, gustu nō adeò iucundum, ideoq; non multifaciendum, in medicina saltem, è Luneburgensis ducatus Ericetis allatum. Quod uerò Saxones Kruidehonig/alii Junckfrawen honig appellant, id est, aromaticum & uirgineum mel, nō multum ab Attico differt. Suauissimum uerò est cum gustu tum olfactu, è Prussia, Liuonia, & Lithuania allatū, quod ferè è solis Tiliæ floribus apes colligunt. Est autem hoc quoq;, ut iam dictum est, aromaticum, solidum & densum, sed multò candidius. Sardinium uerò mel, cuius Dioscorides meminit, ad nos non perfertur, id amarum est: quoniam Absynthio scatet Insula, à qua nomen habet. Sentiunt etiam apud nos quidam tractus Absynthio abundantes hoc uicium, maximè in Hungaria. Ponticum postremò uenenatum cum sit, uescentes interimit, aut ad insaniam adigit. Colligitur id è Nerii & Aegolethri floribus, natura uenenosis, & certis temporum constitutionibus maius uirus contrahentibus. Tale autem est proprie uocatum mel, quod fit apibus florum succum sorbentibus. Sunt & aliæ quoque duæ insignes mellis species Αἐρόμελι & Σάκχαρον, non ab apibus collectæ, sed quarum altera ex aëre descendit, altera uerò in harundinibus quibusdam Indiæ atque fœlicis Arabiæ concrescit, de quibus iam dicturi sumus. Porrò mellis uocabulū transfertur etiā ad fructuum quorundam, tam dulces quam medicos succos, coctura in mellis spissitudinem densatos, ut est mel passulatum, mel

palmu-

palmularum, mel Anacardinum, &c. Non quod proprie mella sint, sed quia substantiæ similitudine, consistentia, & dulcedine, proximè ad mellis naturam accedant. Ex his Anacardinum sola consistentia mel æmulatur, sapore uerò plurimum differt.

DE SACCHARO. CAP. 104.

**Sal Indus, idem Sacchͣro. Sed olim non poterant succum exprimere, & lachrymam tantum usurpabant.*

Σάκχαρον siue Σάκχαρ, quod Arabes Zachar & Zuchar, alii Salē Indum, Mel Calaminū & Mel Cannę appellant: mel est in Arabiæ fœlicis & Indię harundinibus quibusdā in grumos & micas cōcrescens. Cuius duæ sunt præcipuæ differentiæ. Alterū enim sponte sua in harundinibus istis concrescit, de quo hîc Dioscorides agit. Alterū earundē harundinum expresso & igne densato fit succo: illud hodie rarissimè affertur, ideoq; medicis in nullo est usu: hoc uerò in tanta copia aduehitur, ut nemo esse possit qui rem non cognoscat. Nihil enim differt nostrum Zacharum à Zacharo antiquorum, præterquam quod nostrum igne artificiali densatur: illud uerò sole natura succum eliciente & elicitum densante. Itaq; nos non pudet cum Gentile, Herculano, Nicolao Castellano, & Vincentio Caprili pronunciare, idem esse nostrum Zucharum cum antiquorum Zacharo, sola autem efficiente causa ab eo differre. Quantumuis Manardus repugnet, uir absq; ulla controuersia in omni disciplinarum genere doctissimus & exercitatissimus, rerumq; insuper cognitione haud uulgari insignis, (*Manardi opinio refutatur.*) qui pluribus locis epistolarum suarū obtinere contendit, Zachar antiquorum à nostro Zacharo, materia efficiente, forma, fine & uiribus differre, & prorsus rem diuersam esse, haud contemnendis rationibus & argumentis inductus, quibus non paucos traxit in suam sententiam. Nos uerò cōtrarium semper credidimus, & adhuc adstruimus. Quare si quid rei certo cognoscendæ gratia dicturi sumus, id ueritatis amor, nulla erga uirum doctissimum & uita iam defunctum simultas, dicere nos compellet: ex animo enim semper complexi sumus eius scripta, plena reconditæ eruditionis, & maximæ utilitatis, ut ob id solum charus nobis esse debeat Manardus: nisi multo chariorem nobis redderent obsequia, candor, & amicitia quibus parentem nostrum familiariter prosecutus est, cum quondam Ferrariæ medicinam profitentem ipsum atque Nicolaum Leonicenum præceptores haberet. Ostensuri igitur nostrum Zucharū ex eadem fieri Canna, qua ueterum Zachar colligebatur, atq; idē prorsus cum hoc esse, quod materiam, consistentiam, qualitates & facultates attinet: operæprecium duximus hoc uti ordine, ut primum argumenta, quibus nititur in confirmanda sua opinione Manardus, enumeremus, deinde ea cōuincamus. Vltimo uerò ut nostram sententiam firmioribus argumētis defendamus. Argumentis autem eius hinc inde ex epistolis medicinalibus in unum collectis, positionum disputandarum modo numeros adscribemus, ut legentes clarius uideant contra quod quoquo loco disputemus. Sunt autem quæ sequuntur.

I.

Zacharum uulgare non modò Galeno, sed & omnibus medicis eo uetustioribus, & nonnullis qui per multos annos eum secuti sunt, penitus fuit incognitum: quoniam id silentio præterierunt. (*Argumenta Manardi numero 24.*)

II.

Nonnulli ne nominis quidem mentionem habent.

III.

Alii nominãt quidē, nō tamen uulgare hoc intelligunt, quod plantæ succus est, sed melleum rorē supra harundinis folia conglobatū, à Manna uocata parum differentē.

IIII.

Vtrumq; enim (hoc est) Manna & antiquorū Zacharum sub roscido, seu (quod idem est) aëreo melle tanquam genere continetur.

V.

Nam Zacharum non est cannæ succus: sed Indus & melleus ros, in harundinibus concretus, ut Galenus etiam putauit.

VI.

In hoc tamen Manna à Zacharo differt: quod Manna super alias plantas & petras cadit: Zacharum uerò super harundines in India & fœlici Arabia.

Zacha-

VII.

Zachari autem ueterum & nostri uulgaris differentia est, quod ueterum Saccarum supra ueræ harundinis folia in India, fœlici Arabia, & monte Libano concrescat. Nostrum uerò in plantæ cuiusdam pulpa latitet.

VIII.

Differunt etiam, quod nostrum priusquam coquatur, colore potius sit nigricans & subruffum, quam candidum. Nec dentibus fragile, sed per succum, non per dentium attritionem, deglutiendum.

IX.

Differunt quoq; causa efficiente: siquidē nostri efficiens est, primum forma, uisq; plantæ suæ ex qua premitur: secundum artifex calore ignis cōcoquens & defæcans: Veterum uerò Zachari noctis primo frigus adglutinans: dehinc superueniens solis calor obdurans.

X.

Differunt præterea, quod antiquo Zacharo materia eadem sit quę melli, hoc est, (ut ipse dicit) Ros: nouo uero seu nostro, plantæ cuiusdam succus.

XI.

Differunt postremo etiam forma. Antiquum enim, salis: nouum, inspissati liquoris formam habet.

XII.

Quin etiam succus ē cannis expressus, hoc est, nostrum Zucharum, nullum cum antiquo Zacharo, præter dulcedinis consortium habet.

XIII.

Non tamen penitus Galeno incognitus fuit Succus Indicæ harundinis radicibus pressus, cuius Varro meminit, si ad memoriam reuocauerimus, id quod quarto libro de simplicibus medicamentis scriptis mandauit: radices scilicet, calamorum, præcipuè Aegypti, dulces esse.

XIIII.

Neq; tamen Galenus, neq; Varro, neq; Solinus, (qui harum quoq; cannarū mentionem facit,) succum per earum pressionem elicitum, Sacchar uocauerunt, aut esse scripserunt.

XV.

Differunt quoq; cannæ utriusq; Sacchari: nam cannæ in quibus Saccharum antiquorum concrescit, ueræ sunt harundines, leues, duræ & intus uacuæ: cannæ uerò ex quibus nostrum Saccharum exprimitur, ueræ cannæ non sunt, quoniam exteriore tantum specie harundinibus similes sunt, intus uerò minime cauæ, sed pulposæ, graues, molles, & succi plenæ, atq; Milio potius Indico (quod Melicam uocant) quam harundini similes.

XVI.

Secundum Auicennā Zucharum Alhusar (quod est Manna cadens super plantam Alhusar) idem est cum antiquorum Saccharo: easdem enim uires ei Auicenna tribuit, quas ueteres suo Saccharo adscripserunt.

XVII.

Eadem igitur est materia Mellis apum, Mannæ, & Sacchari antiquorum, etiam secundum Auicennam.

XVIII.

Veteribus etiam qui Mellis speciem Zacharum esse tradiderunt, Alexander Aphrodiseus secundo problematum suorū libro in hæc uerba subscribit. Quod Zachar Indi appellant, mellis coagulum est, sole cogente, conuertenteq; ad mellis dulcedinem, quod idem etiam in monte Libano fieri certum est. Fit Sacchar id proximum salis glebulis, candidum, fragile, &c.

XIX.

Serapion etsi annos sexcentos Galenum sequutus sit, dum quatuor aut quinque Zuchari genera enumerat, uulgare hoc penitus præteriit.

XX.

Vincentius Caprilis de materia Sacchari aliquid tangens, narrat potius quàm probat ex

bet ex eadem materia (hoc est harundine concisa) utrunq; cōstare, uidelicet ant iquorum Saccharum & nostrum Zucharum.

XXI.

Repugnat etiam Vincentius Caprilis omnibus antiquis medicis quòd dicit: Licet inter mella à Dioscoride, Plinio & aliis antiquum Zacharū enumeretur, non ideo tamen hoc factum, quod eiusdem materię putauerint, sed quia consueuerunt cognata congeneribus adiungere.

XXII.

Consueuit quidem Dioscorides diuersarum rerum capita, ob quandam uel naturæ uel figuræ uel alterius rei similitudinem, inuicem copulare, ut toto eius libri progressu uideri potest: sed uno eodemq; capite de diuersis toto genere rebus nunquam eum uidebis tractantem.

XXIII.

Quum igitur uno capite, libri uidelicet secundi lxxiiij. cui titulus unicus est, de melle, cum tribus mellis generibus de Sacchuro scribat, clarum est quod mellis speciem putauit, quod ipse etiam modus loquendi, uerbaq; apertè monstrant.

XXIIII.

Postquam enim egit de melle Heraclio, subdit: uocatur & quoddam Saccharum, quod mellis genus est in India fœliciq; Arabia concreti.

Prima autem positio Manardi eatenus tantum locum habet, quatenus factitium (hoc est) expresso cannarum succo coctum Saccharum intelligit, quo omnes utuntur. Ea enim exprimendi ratio antiquis medicis incognita fuit: Varroni uerò, Statio atq; aliis probè nota. Antea enim lectorem monuimus, duplex esse Zacharum, alterum sponte in harundinibus concrescens, sole cannarum succum eliciente, & in salis spissitudinem densante. Alterum uerò, quod postea cœpit ex iisdem harundinibus exprimi, & igne densari, humana industria naturæ uestigia sequente. Quemadmodum enim natiui Sacchari efficiens est solis calor: ita factitii, hoc est, nostri Zachari efficiens est ignis. Materia uerò utriusq; eadem existit, uidelicet cannarum istarum dulcis succus, in natiuo paulatim inuento circa oculos meatu erumpens, tum per se, quia turget: tum etiam solis attrahente facultate elicitus. In factitio uerò Cylindri ab aqua obiter uersati, ut in quibusdam locis fieri comperimus, aut alia quapiam uiolentia expressus. Cum itaq; & solis & ignis calori idem sit in densando affectus, utrumq; eandem nactum materiam, eandē efficere necesse est: à sole uerò elaboratam suauiorem & tenuiorem euadere, quam quæ ab igne facta fuerit, omnibus puto notum esse. Concedimus igitur Manardo nostro, factitium Zacharum Galeno, eoq; uetustioribus medicis, incognitum: natiuum uerò quod sola efficiente causa ab eo differt probe notum fuisse. Sed circa hanc positionem nō uersatur summa disputationis. Nam præter id quod dicit Manardus noster, uulgare Saccharum Galeno, eoq; uetustioribus medicis ignotum fuisse, totis uiribus obtinere conatur, res penitus diuersas, (nō tantum efficiente, sed & materia, forma, fine & uiribus) esse: quam opinionem à ueritate maxime alienam esse sigillatim in sequentibus positionibus conuincemus, ea tamen modestia & temperantia id fiet, ut nemo bonus & ueritatis amans calumniari possit, nos tanti uiri authoritatem, famam, ac fidem incessere: quem nos impensius semper amauimus, quàm quiuis alii qui honorificentissimam eius in scriptis suis mentionem faciunt. Quod autem in hac prima positione dictum à nobis est, eandem esse materiam antiqui Sacchari & uulgaris, & utrumq; ex earundem harundinum succo fieri, postea suo loco ostendemus. Secundum argumentum neq; Manardi opi- 2
nionem firmat, neq; nostram destruit. Etiamsi enim nonnulli ne nominis quidem meminerint, non tamen inde constat diuersum penitus esse ab antiquo Sacharo nostrū uulgare. Quòd uerò in tertia dicit quosdam nominare quidem Saccharum, nō 3
tamen uulgare hoc intelligere: at Saccharū hoc natiuum, melleum esse rorem, à Manna uocata, parum differentem: certissimis inditiis moti, pernegamus. Nullus enim unquam ueterum eius rei suspitionem nobis in scriptis suis reliquit. Sed solus Manardus noster Alexandri Aphrodisei diuersas res quodam loco cōfundentis, erronea opinione deceptus & seductus, id longis scriptis adstruere conatus est. Quod autem Alexandri Aphrodisei Sacchar cum Manna confundentis opinio falsa sit, & quod

Refutatio argumenti primi Manardi.

Sacchar antiquũ nõ sit ros melleus, in hac tertia positione simul declarabimus, sumptis argumentis à materia, & consistentia, forma, sapore, quantitate & aliis quibusdã differentiis, utriusq; uidelicet Sacchari & Mannæ. E quibus si aliquot non comprobata certis rationibus reliquerimus, ea omnia repetemus, cum quid sit Saccharum antiquorũ in calce huius commentarii dicturi sumus. Dicimus igitur Sacchari antiquorum materiam succum esse suæ cannæ, & non melleum rorem, quod postea experientia confirmabimus. Consistentia autem Sacchari solida est, dura, & sicca, quemadmodum sal fossilis, ideoq; similiter dentibus contritum crepitat, & corruptioni non est obnoxium, si in sicco seruetur loco. Mellei uerò roris iam densati, laxior, friabilior, humidiorq; est consistentia: quare neque inter dentes crepat, neq; uetustatem ferre potest: sed citò bonitatem amittit, & tandem putrescit, amissis colore, saporis gratia, & uiribus, & ascitis alienis quamtumuis diligenter reponatur, qualitatibus, nigro colore, * acoro & acrimonia. Rorem autẽ melleum non esse Saccharum, ipsa etiam forma indicat: Melleo enim rori cum in micas concrescit, forma est rotunda, & globosa, quemodmodũ singulis roris & aquæ guttis: ut omnes quibus ueram Mannã uidere licet, deprehendent. Saccharũ uerò nunc oblongam, nunc globosam, nunc Mannæ figurã habet, ceu Mastiche, Thuris micæ, & aliæ quędam plantarũ densatę lachrymæ, ut manifestè appareat harundines id lachrymasse, & nõ à cœlo descendentẽ melleum rorẽ excepisse. Sapor etiam Sacchoro non est idem qui melleo densato rori, hoc est, Mannæ. Saccharũ enim syncerũ admodũ, & minime mixtũ saporẽ præsefert, & totũ in ore saliua dilutum liquescit. Mannæ contra non syncerus, sed mixtus est, ueluti si quis melle exceptam Similaginem gustet, ut etiam sacra scriptura testatur, nec ita facile liquescit, sed inter dentes lentescit, Sed obiiciet fortasse nobis quispiam: etsi † utrumq; materia melleus est ros: saporem tamen, consistentiam & formam utrisq; diuersas accidere posse, iis ipsius Manardi uerba obiiciemus. Saccharũ ab alia Manna eo tantũ differre dicentis, quod illud supra harundines cadat, hęc uerò super alias quascunq; plantas & petras: quę Manardi uerba si uera sunt, necesse est neq; materia, neq; forma, neq; magnitudine, neq; sapore, neq; aliqua alia qualitate ista inter se differre, pręterquam rerum supra quas se demittunt diuersitate. Sed illud discrimen nullus unquam inter Saccharũ & Mannam posuit præter Manardum, cui (etiamsi nihil nobis esset quod responderemus) in hac re fidem minimè habituri essemus, cum ipse huius causæ sit actor, & ad causæ suæ defensionem solus id dicat quidem, sed non probet. Magnitudo præterea apertè indicat Saccharum nullum rorem esse posse. Siquidem omnis ros paruis decidit guttis: & si melleus sit, in paruas concrescit micas: Saccharum uerò in multò maiores quàm ros aliquis micas concrescit: ut etiam non rarò maximæ auellanæ magnitudinem æquet. Forsitan hic quoque obtrudetur nobis in Manna frequentes esse micas, Fabarum & auellanæ quantitate. Respondemus nobis certo constare Mannam in tantas micas concretam non natiuam, sed dolo impostorum confectam esse. Nam uera Manna exiguis constat granis. Micarum quoque Sacchari paucitas declarat, id rorem non esse aut fuisse. Ros enim cum decidit, numerosis densisq; guttis decidit, omnia latè obtegens & conspergens, instar pruinæ, ut etiam sacræ literæ testantur. Sacchar uero si melleus esset ros, non tantum in harundines caderet, sed in alias quoque uicinas arbores, frutices, herbas & gramen. Cum igitur nullus authorum id testetur, neq; experientia comprobet, sed in solis harundinibus inueniatur concretum, ros esse non potest. Cur enim hic in harundines tantum caderet prætentis tot aliarum plantarum generibus, maiore spacio facilius hunc excepturis. Sed dicit Manardus noster aptiora esse harundinis folia ad tolerandum maiora Sacchari frustra. Atqui si robur foliorum harundinis causa est, ut in hæc decidat hic melleus ros, quæso respondeat cur non in plures alias arbores & herbas se demittat, quarum folia & robore & latitudine multo maiora esse cõstat quam harundinis. Nos uero in uniuersum non concedimus Saccharum in foliis harundinũ inueniri. Nemo enim id unquam prodidit pręter Manardum, qui hoc ex libito absq; ulla probatione dicit. Inuenitur enim (quod experientia sensibus nostris exploratũ habemus) Saccharũ nõ in foliis, sed in ipsis culmis, qua oculi & germina ẽ geniculis prodeunt concretũ. Si autẽ ros esset, non ab erectorum culmorũ superficie

ad la-

ad latus uergente exciperetur, sed foliorum latitudine cœlo expansa, si modo ea re- panda essent. Quoniam uerò maxima eorum pars (ne dicam omnia) recta mucrone suo in altũ attollũtur, ueluti in nostris paludibus Tiphę & Caricis folia, minime apta sunt cœlo decidentem melleum rorem excipere: nisi quis ea mucrone suo, hunc inter- ripere causetur, quod planè absurdum est. Sed hîc quoq; obiicetur nobis, Manardũ de uera harundine loqui, cuius panda sint folia: nos uerò de Canna Zuchari nostri, quæ plurimum inuicem differant. At nos paulò post demonstrabimus non differre Cannas nostrum Saccharum fundentes, à Saccharum antiquum ferentibus harundi- nibus. Rorem postremo non esse Saccharum cõcretionis & resolutionis causa (quam Physica nos docet) clarè ostendit. Melleus enim ros omnis diurno calore in pinguẽ liquorem excoctus, nocturno frigore in micas densatur & concrescit. Notum autem calore rursum dissolui quicquid frigore concreuerit: utrumq; hoc melleo accidit ro- ri, ut etiam ex sacris literis dicere possumus, quæ manifestè testantur rorem illũ mel- leum, ubi sol incaluerit, liquefieri. Si igitur eadem materia constaret Saccharũ & mel- leus ros, & eadem ex causa concrescerent, necesse esset Saccharum similiter sole incale scente aut alio calore quopiam sicco dissolui. Sed hoc non tantum non dissoluitur, sed durius solis calore euadit. Quod autẽ Saccharũ efficit & densat, melleũ rorẽ dissoluit & destruit. Quapropter Saccharũ nihil minus est quam melleus ros cœlo in harundi nes delapsus. Quod autẽ scribit Manardus parum à Manna differre Saccharũ, nemi- nem persuadebit, cui hęc quę modo diximus, probè intellecta fuerint. In quarta au 4
tem positione, non opus est refellere quod tradit tam Saccharum antiquorum, quàm Mannam sub roscido seu quod idẽ est aereo melle tanquam genere contineri: siqui- dem iam ostendimus Zacharum non esse rorem. Porrò si Saccharum roscidis mellis species non est, nemo illud sub hoc ceu genere contineri affirmabit. Quod autem 5
in quinta dicit Zucharum non esse Cannæ succum, postea falsum esse ostendemus, cùm quid reuera sit Saccharum dicendum uenit. Rorem uerò non esse iam ostensum est. Omnium autem maxime inuiti legimus, Manardum affirmare etiam Galenũ pu- tasse Saccharum melleum esse rorem: cum tamen nusquam hoc uel minimo iudicio prodiderit. Si enim Saccharum melleum rorem esse putasset, proculdubio de alimen torum facultatibus libro tertio eius mentionem fecisset, ubi satis prolixè de roscido melle disserit, Saccharum omnino præteriens: libro uerò septimo de simplicium me- dicamentorũ facultatibus in mellis capite seorsim de SacchHaro, tanquam re diuersa à roscido melle agit his uerbis: καὶ τὸ σάκχαρ δὲ καλούμενον, ὅπερ ἐξ ἰνδίας τε καὶ τῆς εὐδαίμο- νος ἀραβίας κομίζεται, περιπήγνυται μὲν, ὥς φασι, καλάμοις· ἔστι δέ τι καὶ αὐτὸ μέλιτος εἶδος. quorum sensus est. Et Sacchar uocatum, quod ex India & fœlici Arabia affertur, ad- densatur ut aiunt circumfusum harundinibus: est autem & hoc mellis species. Qui- bus uerbis nõ innuit Galenus, rorem esse de cœlo cadentem supra harundines: sed quomodo rorẽ putare potuit, rem, cuius origo eum latuit? Dum enim dicit (ut aiunt) dubitat an addensetur in harundinibus Saccharũ. Sed quod maximè urget, est quod Galenus dicat mellis esse speciem. Nam ita argumentatur Manardus: Mellis materia est ros: Saccharũ est mel: Ergo Sacchari quoq; materia ros est. Per mel autẽ in maiore positũ mel apum intelligit. Verum ad hoc respondemus, nõ ualere argumentationẽ à specie ad speciẽ. Sed nondum cõstat, mellis ab apibus collecti materiã rorẽ eẽ. Etsi Plinius id affirmare uideatur, & Galenus cõgenerem rori mellis materiam credat, de qua re post dicturi sumus. Esto autẽ, quod mellis generali uocabulo hę mellis species cõtinentur, Mel apũ, Mel roscidũ & Saccharum, non tamen necesse est omnes eiusdẽ generis species ex eadẽ fieri materia. Exempli gratia: si quis Diphryges metallicũ me dicamentũ sibi proponat, quod tanquam genus tres habet species, sed materia pluri- mum differentes. Primæ enim materia lutũ quoddã est: secundæ Pyritis lapidis fecu- lenta & terrestris substantia: tertiæ ipse Pyrites lapis. Sed non solum singulæ eiusdẽ generis species diuersa nonnunquam materia constant. Apũ enim examina non solũ nasci constat ex Iulorũ in salice, Populo, Alno, Corylis nascentiũ luteo succosoq; pol- line in fauis reposito, uerumetiam è strangulato & putrefacto uitulo, ut Vergilius quoq; scriptũ reliquit. Quare nõ est mirum aliam esse materiam Mellis apũ, & aliã Sacchari: quod tamen nõ propriè, sed æquiuoce mel uocatur, quoniam instar apum

mellis dulce sit, quemadmodum Vrtica piscis, non quod herbę Vrticę similitudinẽ
6 habeat, aut eadem materia constet, sed quia Vrticæ modo tactam cutem urat. Man-
nam uerò in hoc tantum à Zacharo differre, quod illa super alias plantas & petras ca-
dat: hoc uerò super harundines, ut in sexta dicit, antea quoque negauimus. Sed præ-
terquam quod Manardo in hac re credendum non sit, quoniã primus & solus id di-
cat ad suæ opinionis defensionem, multa sunt quæ ostendunt, alias eorũ differentias.
Videlicet, utriusꝗ materia, consistentia efficiens, forma, sapor, quantitas, concretio-
nis causæ & alia de quibus supra diximus, cum ostenderemus Sacchari materiam nõ
7 esse melleum rorem. Sacchar ũ uerò antiquorum à nostro distinguens in septima, per-
inde nobis non satisfacit: præsertim quod dicit, id supra ueræ harundinis folia con-
crescere. Sed cum tot sint harundinum species, quæ singulæ ueræ sunt harundines,
miror ualde quamnam ueram ipse intelligat. Veteres simpliciter harundinem esse di
xerunt, & non speciem indicauerunt, in qua Sacchar gignitur. Multo autem magis
miror quod dicit etiam in monte Libano, Sacchar supra harundinum folia concre-
scere, cum tamen nullus prodiderit unquam, ex eo monte Saccharum petitũ, nedum
in harundinibus cõcretum, quibus natura est montes euitare, & in planis, aquosis &
palustribus locis nasci. Sed decepit Manardum Aphrodiseus, Saccharum cum rosci-
do melle confundens. Roscidum enim mel, hoc est Mannam, crebrò in Libanũ mon-
tem delabi etiam Galenus testatur, quod multum à Sacchharo distare antea indicaui-
8 mus. Octaua positione in Manardo nostrum Saccharum ab antiquorum distin
guente, æquũ iudicẽ desyderamus. Debebat enim ambas res iam perfectas & formã
suã adeptas, inuicẽ conferre, & non crudum succũ & rudem materiã nostri Sacchari
antiquorũ Sacchar o cõferre. Postquam enim & nostrũ formã suam acquisiuit, perin-
de candidũ dentibusꝗ salis modo fragile euadit: ut non opus sit per succũ, sed etiam
cum dentiũ molestia attritũ, deglutire. Differentiam utriusꝗ Sacchari per efficientẽ
causam ponens, impegit uehementer Manardus, quod dicit, uetus Saccharum primo
nocturno frigore adglutinari, dehinc superuenienti solis calore obdurari. Quod quã
uerum sit ipse melleus ros sole incalescente tactus docet: nocturno frigore enim con-
cretus superueniente solis calore rursum dissoluitur, & diffluens perit, ut omnes no-
uerunt, qui matutino tempore serenis æstatis diebus in syluas prodeunt. Testantur
etiam sacræ literæ, sole tactam Mannam, quæ idem est quod melleus ros, liquefieri.
Quare absurdum admodum est, inde rem aliquam indurari, qua emolliatur & de-
struatur. Sole autem non indurari constat, quoniam Israëlitæ eam mane antequam
sol accederet colligere, & in umbram referre cogebantur, alioquin delapsum succum
& minime rem induratam inuenturi. Porrò contraria causa Mannam seu melleum
rorem efficit: ascendentes enim è terra dulces halitus in aërem eleuati à terreno pur-
gantur, atque serenis diebus calore solis in dulciorem succum excocti sequenti noctis
frigore concreti, ante diluculum alterius, roris aut pruinæ instar decidunt: ut Gale-
nus etiam ipse indicat libro tertio de alimentorum facultatibus in capite mellis, ubi
aerei quoque mellis meminit, dicens: peritis naturæ interpretibus uisum esse, hali-
tus è terra atꝗ aquis prodeuntes, solis calore exactè attenuatos ac coctos, à frigore
sequentis noctis in unum cogi ac densari. Debuisset ergo Manardus altius rei natu-
10 ram & efficientem causam considerare. Differentiam autem inter antiquum & no-
strum Saccharum à materia sumptum ponens, ideo suam non probare posse senten-
tiam nobis uidetur, quoniam argumentum sumit à re, cuius origo authoribus exa-
ctè non constat. Dicit enim, antiquo Sacchar o eandem esse materiam quæ sit melli:
Mellis autem materiam rorem esse contendit. Sed nos contrà probauimus, Sacchari
materiam non esse rorem. Forma nostrum Saccharum ab antiquo distinguens, se
digna haudquaquam scribit: quis enim unquam uidit densatum aut sole aut igne
succum, aut liquorem aliquem cuiuscunque plantæ, forma nostro Sacchar o simi-
lem? Omnes enim succi & liquores cum igne, ut Saccharum uulgare densantur, spis-
si, glutinosi, lenti, tenaces, minimè friabiles, ad contundendum contumacissimi & ni-
griores euadunt, ceu succi Glycyrhizæ, Gentianæ, Centaurii, utriusꝗ Lycii, Hypoci-
stidis, & quotquot alii igne densantur: Saccharum autem in omnibus his densatis
succis

ſuccis aduerſatur: friabile enim, contuſu facile, & candidum eſt. Præterea aſpectu, candore, ſplendore, & crepitu ipſo inter dentes adeò Sali eſt ſimile, ut non poſſit eſſe ſimilius: de bono autem loquimur, quale eſt è Canariis Inſulis aduectum, & quodcunq; aliud à fine nomen habet: & non de fœculento, impuro, & induſtria ab impoſtoribus adiecta ſpuma ſua adulterato: res enim ad perfectionem perductæ & formam ſuam iam adeptæ, inuicem conferri debent. Addit ſuccum è cannis expreſſum, hoc eſt, noſtrum Saccharum, nullum cum antiquo præter dulcedinis conſortium habere, quod tam infirmum eſt argumentum ut ſeipſum diſſoluat. Si enim dulcedine conſortium habent, neceſſe eſt etiam temperamento & uiribus non diſcrepare. Ex ſapore enim maximè rerum temperamenta & facultates iudicare, Galenus nos docuit. Quare ſi uiribus perinde ut dulcedine ſibi hæc reſpondent, non dulcedine tantum conſortium habent. At nos addimus etiam materiæ conſortium habere. Vtrumq; enim ſuccus eiuſdem eſt plantæ, ut poſtea indicabimus. Quod uero credit Manardus Galeno noſtræ Sacchareæ cannæ ſuccum nō penitus incognitum fuiſſe dicenti, calamorum, præſertim Aegypti, radices dulces eſſe, libro quarto de ſimplicium medicamentorū facultatibus, à ueritate eſt alienum. Minime enim ſermo illi eſt de Cannis Saccharum ferentibus, ſumma propemodū dulcedine, ut mel, præditis: ſed de uulgaribus harundinibus atq; certo eorū genere dulciore, & de aliis quibuſdam rebus aqueam dulcedinem (dum uirides ſunt) præſeferentibus, inter quas etiam Gramen eſt, & plerarumq; arborum germina. Quod autem per dulces Aegypti harundines, non intelligat Cannas Sacchari, perſpicuum fit Theophraſtum (ex quo hoc de Aegypti harundinibus ſumpſit Galenus) legentibus libro ſexto de cauſis plantarum, cap. xvi. ubi cauſam indicat, quare nonnullis herbis dulces ſint radices, reliquæ uerò earum partes, quæ ſupra terram attolluntur, inſipidæ exiſtant, his uerbis: ἢ πάλιν διὰ ξηρότητα τῶν ἄνω, καθάπερ ἡ ἄγρωστις, καὶ ἁπλῶς πάντα τὰ καλαμώδη. ξηρὰ γὰρ τὰ ἐπάνω: τὰ κάτω δὲ, ἔνυγρα ἐκείνων. Quorum ſenſus eſt: Aut econtra propter ſiccitatem eorum quæ ſunt ſuperiora: quemadmodum gramen & ſimpliciter omnia harundinacea: ſiccæ enim ſunt horum partes ſuperiores, inferiores uerò humidæ. Hæc autem Theophraſtus de uulgaribus harundinibus in Europa cognitis ſcribit: atq; iis etiam quæ harundinibus non ſunt diſſimilia, aut foliis, aut geniculatis culmis, aut utriſq;, ut Siſyrnichium, Gladiolus paluſtris, &c. per inferiora autem earum herbarum Theophraſtus intelligit radices, quæ dulces ſunt. Per ſuperiora uerò culmos & folia. Hunc autem locum ideo ex Theophraſto exſcripſimus, ut ſequentia de Aegyptia harundine facilius intelligantur, de qua in hunc modum ſcribit. Διὸ καὶ ὅπου πλείων εὐτροφία, καὶ τὰ ἄνω τῇ φύσει ξηρῶν, ἐδώδιμα: καθάπερ ἐν αἰγύπτῳ τοῦ καλάμου τοῦ ἐν τοῖς ἕλεσιν. ἔχει μὲν γάρ τινα γλυκύτητα καὶ ἄλλως ἐπὶ τῶν ἄκρων, ἀλλ' ἐπὶ βραχὺ, πάντων. ἐκεῖνος δὲ διὰ τὴν εὐτροφίαν ἁπαλός γ' ἐπὶ πλεῖον ἐστὶ καὶ γλυκύς. ἔχουσι δὲ καὶ αἱ ῥίζαι τὴν γλυκύτητα, μέχρις ὅ ἂν ξηρανθῶσιν: ἀναξηρανθεῖσαι δὲ οὐκέτι, quod eſt: Propterea etiam ubi plus eſt boni alimenti, etiam ſuperiora eorum quæ natura ſicca ſunt, eſui apta fiunt: quemadmodum in Aegypto harundinis, eius uidelicet quæ eſt in paludibus: habet enim quandam dulcedinem, etiā alioqui ſummitas, ſed perexiguam, omnium: hæc autē propter alimenti bonitatem & copiam, tenera præ cęteris eſt, ac dulcis: habent autē & radices eam dulcedinē uſquequo exiccentur, reſiccatæ uerò minimè. Quibus uerbis Theophraſtus docet, Aegyptiam illam harundinem natura ſiccam & inſipidam eſſe, quod ad folia & calamos attinet: quoniam uerò in paludibus naſcatur, alimenti bonitate fit, ut parte ſua ſuperiori, tenera & dulcis euadat. Nili enim aqua natura dulcis eſt: quo fit ut plurimarum herbarum in paludibus eius & circa naſcentium radices edendo ſint & dulces. Itaq; ſi eadē harundo extra paludes proueniret, dulcedinem illam in ſummitate nō haberet. Sed utut res ſe habeat, conſtat hanc Aegyptiam harundinem non eſſe eandem cum Sacchari canna, quoniā illa per accidens propter alimenti dulcedinem dulcis euadit: hæc uerò natura talis eſt: illam Theophraſtus dicit aliquam habere dulcedinem, hoc eſt, non magnam nec inſignem: hæc uerò maximam & cum melle certantem: illa minimè tota dulcis eſt & breui admodum parte in ſummitate qua tenera adhuc eſt, & humida: hæc per totum calamū diffuſam dulcedinē habet: illius radices eò uſq; dulces manent, donec humidę ſunt, exiccatæ uerò dulcedinem amittunt: cannę uerò Sacchari cum radices tum ca-

lami etiam exiccatæ dulcedinem suam seruant. Quapropter nobis non persuadebit Manardus, Theophrastum aut Galenum per Aegyptias harundines Sacchari cannas intellexisse. Quod uerò neque Solinus, neque Galenus, neque Varro succum cannarum Saccharum uocauerint, aut esse scripserint, nihil impedit quo minus eædem cannæ tam factitium quam natiuum Saccharum fundant. Illud etiam ex libito dicit, nulla neque authoritate, neque experientia fultus, quod scribit harundines, in quibus antiquum Saccharum concrescat, ueras esse harundines, duras, leues, & intus uacuas. Putat enim Manardus ueras esse eas harundines tantum, quæ apud nos in Europa nascuntur & concauæ sunt. Sed meminisse debebat Manardus etiam inter uulgares Europæ harundines (quas ille tantum ueras esse credit) certum genus, quod non cauum sit, sed solidum densumq́; qualis quæ ναςὸς Græcis à soliditate, & Latinis Sagittalis uocatur. Authores autem simpliciter & indefinite tradiderunt in harundinibus Indiæ & fœlicis Arabiæ Saccharum concrescere: nec dixerit nostras aut uulgares esse harundines, sed Indicas, etiam Varrone scribente:

Harundo sagittalis.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor:
Dulcia cui nequeunt succo contendere mella.

Porrò Theophrastus ubi res in India nascentes enumerat, scribit nullã omnino arborem, nullum fruticẽ, nullam herbam in India comperiri similem his quæ in Græcia proueniant, paucis exceptis, quod Alexandri, res in India gerentis comites, reuersi retulerunt. Quapropter haud mirum alicui uideri debet, Indicas etiam harundines non per omnia in Europa natis similes esse. Habet tamen India eadem arborum, frumentorum & leguminum genera, quæ apud nos proueniunt, ut tradunt authores: fert enim Nucem, Ficum, Vitem, Oleam, Castaneam, Palmam, Triticum, Hordeũ, Milium, Fabam, Lentem, Lupinum, Smilaces satiuos, & alia pleraque quæ ad nostrarum plantarum genera referuntur, sed specie & magnitudine à nostris differunt. Minimè igitur absurdum est harundines quoque Indiæ à nostris differre, quamuis Cannæ Sacchari, tantum succi dulcedine, crassitudine & crebrioribus geniculis à Nasto uocata in Europa harundine distent. Plinius† certè adeò non dubitauit diuersas esse à nostratibus Indiæ harundines, ut etiam prodiderit singula eius internodia, alueo nauigabili ternos etiam homines ferre: aliam eis naturam quam nostris & arboream amplitudinem tribuens: at ne fabulam scripsisse uideatur, addit: quales uulgò in templis uidemus. Res enim peregrinas uisu raras & insolitæ magnitudinis publicis locis reponi solent: quemadmodum apud nos quoque uidere est in templis Indicæ testudinis immanes testas, ac horrendæ uastitatis Balænarum ossa. Ratiocinatur etiam in hunc modum Manardus: Zucharum Alhusar est Manna cadens supra plantam Alhusar, cui easdem uires Auicenna tribuit, quas Græci suo Saccharo. Ergo idem est cum Zuchara Alhusar Græcorum Saccharum: ex quibus adhuc colligit Saccharum melleum esse rorem. Sed miramur uehementer ipsum suffragia ab Auicenna petere, quem usqueadeo detestatur, & cuius nullam facit authoritatem, nec si qua sit admissurum se protestatur, nisi id in gratiam amici faciat. Nos uerò haud temere Auicennam hoc dicentem reiicimus, etiamsi contra nostram sententiam scribere uideri possit. Ideo autem hoc Manardi argumentum reiicimus, quoniam per Hahoscer, quod idem est cum Alhusar Auicennæ, non eandem omnes plantam intelligunt, aliis rectam & proceram quandam plantam, aliis certam Tithymali speciem sic uocantibus. Præterea non conueniunt inter se in definiendo Zucharo Alhusar authores. Auicenna enim dicit id Mannam esse, quæ cadat supra plantam Alhusar. Serapio contra authoritatem Abrionisæ, scribit Zucharum Hahoscer egredi ex oculis ramorum suæ plantæ, & à locis foliorum eius, hoc est, qua folia à planta sua & oculis enascuntur. Quare cum ille Mannam esse dicat, hic uerò lachrymam ex Hahoscer emanantem, nondum composita controuersia nullum suggerit Manardo argumentum. Nos tamen credimus Hahoscer plantam esse, cannæ Sacchari non dissimilem: quæ perinde ut Sacchari canna Saccharum ab oculis emittat, sed sui generis & minus dulce, quam uerum Saccharum, atque adstrictione & amaritudine etiam ab eo differens.

† Lib. 16. cap. 35.

Zuccharũ Alhusar.

Hahoscer.

rens: Si autem contingit etiam Mannam supra Hahoscer cadere, poterit hæc Manna Alhusar uocari, ut etiam Auicennæ salua maneat fides & authoritas. Quod uero eadem sit materia Mellis apum, Mannæ, & Sacchari antiquorum, haud quaquam concedendum putamus. Diuersa autem à Manna esse Saccharum antiquorum materia, antea ostendimus. At hoc loco demonstrabimus aliam à melle apum materiam habere, atque adeo etiam ipsum apum mel non esse rorem, sed plantarum succum. Saccharum è singularis & cuiusdam certæ harundinis oculis instar Gummi & lachrymæ alicuius erumpit. Mel apum uero non in una aut certa, sed omnis generis plantis gignitur, tam arboribus quàm fruticibus & herbis. Saccharum in sole positum durius euadit, Mel apum solis calore liquescit & diffluit. Saccharum cum ad formam suam peruenerit, salis modo in minutissimum puluerem redigi potest. Mel apum in puluerem haud quaquam tundi potest. Praeterea sol in unam eademque materiam unam & eandem imprimit operationem. Clarum autem est solem aliam in mellis apum, aliam in Sacchari materia operationem exercere. Illud enim in liquidum coquit succum: hoc uero in durum, solidum, crepituque dum confringitur, aut dentibus conficitur, dissilientem, ueluti salem, conuertit. Quare si eadem esset materia Melli quæ Saccharo, alterum alteri simile esset, & utrumque aut liquidum aut durum euaderet. Nam ubi omnes aut præcipuæ causæ sunt eędem, idem etiam effectus sequitur. Propterea unum idemq; cùm sit & mellis & Zachari efficiens, solis uidelicet calor, eadem etiam consistentia & Melli & Zachari esset, si eadem materia constarent. Iam uero quia alia Mellis, alia Zachari est consistentia, etiam natura materiam horum inuicem differre necesse est. Postremo si utriusque materiam rorem ueteres esse credidissent, haud quaquam Mannam, Δροσόμελι, id est, mel roscidum uocassent. Nam dum Mannam uocant roscidum mel, ad differentiam mellis apum, sumunt apum mel rore non constare ut Mannam: (nūc ad alteram propositi partem uenimus, ostensuri mellis apum materiam:) Rationes uerò & argumenta, quibus id demonstrent, non afferunt, quod enim Plinius ea de re scribit libro undecimo, nulli Philosopho altius mellis naturam perscrutanti satisfacit. Quòd autem diuersa sit mellis apum materia à rore, multæ mellis & apum proprietates palàm ostendunt. Mel enim semper quocunque ueris & æstatis tempore in floribus reperitur. Mellei autem rores non semper, sed rarissimè apud nos decidunt. Mel tam noctu quam interdiu in floribus reperitur: Melleus ros tempore tantum matutino. Mellis circa Meridiem plurimum in floribus deprehenditur: Melleus ros incalescente sole statim perit: Mel dum in floribus continetur semper est liquidum: Ros melleus concretus est. Mel apum in floribus continetur: Ros melleus super folia plantarum decidit: Mel uetustatem non tantum per se ferre longam potest, uerum etiam omnia alia quæ hoc excipiuntur in multos annos conseruare, quod Theriaca, Mithridatium, & aliæ huiusmodi confectiones clare ostendunt. Ros uerò melleus, hoc est, Manna, ne solus quidem incorruptus unum atq; alterum annum durare potest, nedum alias res à corruptione tueri. Itaq; in fauis etiā, aut fauis expressum mel, breui corrumperetur, si melleus ros apum mellei materiam præberet. Præterea in Septentrione apud nos maxima mellis est copia, ut in Lithuania, Liuonia, et uicinis regionibus, in quibus tamē rarissimi mellei rores conspiciuntur. Porrò si ros est mellis materia, quærimus qui fiat, quòd hic in flores tantum decidat. Cœlo enim delatus in ea potius se demitteret quæ lata & expansa sunt, ueluti folia plantarum, & minime in tantillos flores: quoniam uerò mel non in foliis plantarum sed floribus reperiatur, atq; ijs non totis, sed abscondítis eorum anfractibus & posteriori tantum parte atque recessu, haud uerisimile est mellis materiam rore constare, quomodo enim his præteritis latissimis etiam foliis, in florum ultima penetralia tanquam furtim irrepens atq; ex industria in latebris se absconsum recipere potest? Postremò constat omnibus, qui usque ad extremam senectutem apum naturam scrutati sunt rusticis, apes ipsas mellificaturas, tantum è floribus collectum liquorem in fauis reponere. Rores uerò melleos † cum decidunt, haud quaquam ad fauos reuehunt: quod ipsi quoq; uerum esse deprehendimus. Prae

Quòd ros neq; Sacchari materia sit, ut prædictum est: neq; Mellis, ut dicetur.

† quo tempore.

terea mellito rore delapso ad hunc frequentes quidem conuolant apes, minimè ut eũ
in aluearia reuehant, sed tanquam ad cibum & pastum: quo adeò se replent, ut pror-
sus inertes et ignauę reddantur, multę emoriantur. Itaq; rustici dicere solent, mellitos
rores bonũ quidem pastum apibus prębere, sed ad mellificationẽ minime cõducere.
Interim enim dum roris suauitate allectę cibi auidę detinẽtur, nihil ad aluearia conue
hunt. Quapropter nemo nobis persuadebit, rorẽ, mellis apum materiã esse. Cũ uerò
res ipsa constet, necesse est alicunde materiam & originem trahere. Nos quidem cre-
dimus, haud absurdis rationibus moti, Mel quod apes colligunt, nihil aliud esse quã
dulcissimum cuiuscunq; plantæ succum, à sole ad extremas eorum partes (quales, flo-
res sunt) elicitum & perfectè excolatum & excoctum, dum per tantum spacium ad
flores trahitur. Itaq; cum tempestiuos imbres serena cœli constitutio sequitur, pluri-
mum mellis gignitur, imbre succum & materiam plantis præbente, sole uerò in dul-
cem liquorem excoquente. Nonnunquam uerò cum melli gignendo aptissimus fue-
rit annus, mel non tantum in floribus latitat, uerumetiam è surculorum dependen-
tium apicibus, oculis & nodis destillat, ut aliquoties in Malo & Quercu obseruaui-
mus: & ut certò sciremus an hoc mel in ipsis gigneretur surculis, uel an ros esset mel-
leus surculis exceptus, mel ab iisdem surculis pluribus diebus abstergentes, singulis
diebus inuenimus renascenti melle eosdem surculos madefactos, etiam cum nulli ca-
derent mellei rores. Postremò rursum abstersos surculos incidimus, et intra corticem
lignumq; eundem liquorem deprehendimus. Nihil autem ab alio melle florum do-
liolis & calicibus contento distabat hic liquor. Quapropter non est, quod credamus
mel, quod apes conuehunt, rori cognatum esse, aut ex rore materiam sumere. Sed
longius quàm locus postulabat hac de re diximus. Quoniam uerò nõnihil ad rei co-
gnitionem hęc facerent, & Manardi argumentum diluerent, cęlare ea legẽtes nolui-
mus. Alexandri uerò Aphrodisei authoritas haud quaquam confirmare potest
opinionem Manardi, contendentis, Saccharum rore constare, siquidem mancum,
mutilum & confusum chaos, eius est exemplar, & prorsus sui dissimile, tum quod or-
dinem, tum sententias attinet. Tres enim Alexandri huius problemata interpretati
sunt, uidelicet Georgius Valla, Theodorus Gaza, & Angelus Politianus, sed singu
li diuersum nacti sunt exemplar. In duobus quidẽ eorum, à Georgio Valla et Ange-
lo Politiano uersis, prorsus non leguntur hæc sequentia uerba à Manardo & Fuch-
sio in subsidium uocata. Quod Sacchar Indi appellant mellis coagulum est, sole co-
gente rores, conuertenteq; ad mellis dulcedinem, quod idem monte etiam Libano fie
ri certum est. Fit Sacchar id proximum salis glebulis, candidum, friabile. Solus autẽ
Theodorus hæc in suo exemplari inuenit. Sed non pertinere ad id problema hęc uer
ba, manifestè testatur problematis argumentum quod quęrit. Cur mel commende-
tur quod acrius sentiatur: & cur amarius, incalescens reddatur: ad cuius questionis so
lutionem nihil prorsus facit meminisse Sacchari & *albanorii mellis, uiresq; eorum
recensuisse. Adiectitium igitur est quidquid ultra quęstionem eiusq; solutionem pro
blemati adscriptũ est. Quin & ipse Theodorus eorũ uerborũ quibus Manardus niti
tur interpres, palàm indicat in præfatione ad Nicolaum, qui tum summum pontifi-
cem agebat, hoc opus non esse Alexandri Aphrodisei, sed alicuius multo recentio-
ris. Quapropter cum minimè constet, ad quem authorem hæc problemata referri de
beant, & cum exemplaria uarient plurimum, ut prorsus sibi dissimilia sint, quis credet
notha hæc Alexandri uerba Manardi opinionem confirmare posse? Serapionem
uero quatuor aut quinq; Zachari genera enumerantem, uulgare hoc penitus præte
riisse nemo concedet, qui nouerit quid sit Zacharum Tabarzet, ita enim appellant fa
ctitium aliquoties despumatum, donec purissimum, solidissimum & candissimum e-
uadat. Porro Vincentius Caprilis haud quaquam Plinio & aliis antiquis repugnat,
Sacchari antiqui & uulgaris eandem esse materiam dicens: & ueteres non ideo Sac-
chari in mellis capite meminisse, quoniam eadem hæc materia constare crediderunt,
sed quia cognata congeneribus adiungere consueuerunt, hoc enim Vincentii Capri-
lis iudicium nobis admodum placet. Quemadmodum enim nullus è ueteribus di-
xit Saccharum rorem esse, ita etiam nullus eorum eandem materiam utriusq; Saccha-
ri esse negare potuit, quoniam natiui tantum meminerunt. Vulgaris uero faciendi ra

Alexandri Aphrodisei problemata.

tionem

tionem ignorauerunt. Quod uerò Dioscorides uno eodemq; capite nunquam agat de diuersis toto genere rebus, ut Manardus causatur, palàm falsum deprehẽdent, qui apud eum authorẽ caput Brassicę, Sisymbrii, syluestris Cymini, Libanotidis, Lonchitidis, Cannalis, Polygoni, Symphyti, Tribuli, Graminis, Tragii, & Aconiti, legent & intelligent. Quid enim simile cũ alia quauis Brassica, marina Brassica habet, quam Sol danellam uocant, seu florem, semina, radices, uiticulas, folia spectes: aut saporẽ consyderes: herba enim est lacte manãs et toto genere à Brassica differens, nullũq; pręter nominis consortium cum ea habet, pręterquam quod nonnunquã in cibos recipiatur ut medicamentũ potius quam alimentum. Ad eundẽ modum alterũ Sisymbrium Cardamine cognominatum, toto genere à primo uero Sisymbrio dissidet: cui solo natali idem est, figura uerò & qualitatibus diuersissima, quid enim quæso Nasturcium cum menta commune habet? Multò magis etiam à syluestri Cymino differt alterum syluestre Cyminum, quod Cornuettam Galli uocant. Quippe uerę Nigellę species cum sit, semenq; suum in Corniculis contineat, quam similitudinem cum Cymino umbellifera herba habere potest? Quid etiam ultimam Libanotidem, cuius Theophrastus meminit, ueræ & umbelliferæ Libanotidi cognatam facit: Nihil prorsus certè quod ad figuram uiresq; attinet: est enim è lactucæ genere, nec quidquam habet, quo umbelliferas plantas imitetur. Idem multo magis apparet in Lonchitide, cuius altera species longo assurgit caule: altera eo prorsus caret, illa folia Porri, hęc uero Polypodii habet: quibus haud potest magis dissimilis esse figura. Cannabis syluestris quoq; quoniã Althee similis est, nihil prorsus cum cannabe cõmune habet, pręter corticis lentorẽ. Polygonon quoq; mas à fœmina Polygono usq; adeo figura differt, ut nõ possit magis differre. Idẽ Symphyto accidit: cuius altera species Serpylli et Origani, altera uero Buglossę potius similitudinẽ refert. Tribulus quoq; terrestris solo fructus aculeo palustrẽ ęmulatur, reliquis notis prorsus dissidet. Idẽ in Gramine uidere est: siquidẽ aliud quouis longo, angusto, acuminatoq; cõstat folio ceu harundines: Parnasium uero hederaceorũ figuram habet. Pari modo toto cœlo differũt Tragium Creticum, & alibi natũ: illud enim, ut alia omittamus, Lentisci, hoc uero Scolopendrii foliis cõstat: utriq; uero nominis causam prębuit Hirco similis odor. Postremo manifeste etiã Aconiti species id ostendunt. Pardaliaches siquidẽ Cucumeris: Lycoctonon, Platani folia refert. Illud longa,† tenui, & geniculata constat radice: hoc uerò longè dissimili. Illud breuem, singularẽ, & in nullos ramulos aut adnata diuisum profert caulem: hoc uero multiplicẽ ramosumq;. Quapropter cum pleraq; iisdem capitibus toto genere diuersa à Dioscoride describantur, nullius est momẽti quod contra Vincentiũ Caprilem prętendit argumentũ Manardus noster. Quemadmodũ igitur iam enumeratę herbę, quãuis aliis, cũ quibus idẽ nomen habent figura & reliquis accidentibus, dissimilimę sint, nomen tamen ideo earum adepta sunt, quoniam aut uiribus, aut natalibus, aut odore, aut alia quadam singulari natura illis respondeant. Ita etiam Saccharum, quoniam non tantum dulcedine, uerum etiam uiribus melli cognatum sit, multo aptius mellis nomen sortitum est. Itaque quod Dioscorides post alias mellis species etiam Saccharum recenseat, minime probat eadem materia & mel & Saccharum constare. Hactenus Manardi argumenta diluimus, cuius uestigia etiam Leonhardus Fuchsius ingressus est, pariter ut Manardus contendens, non tantum efficiente, forma et uiribus, uerum etiam materia differre nostrũ uulgare ab antiquorum Saccharo: nostriq; Cannas Sacchari non esse eas harundines, in quibus ueterum Saccharũ concrescit. Sed quia eadem illi sunt quæ Manardo argumenta, iisdem etiam rationibus quas antea attulimus dissoluenda prætermus. Restat autem ut probemus ex eadem fieri harundine & ueterum & nostrum Saccharum, qua quidem in re minime per longas ambages ingrediemur: cùm antè ulterius quàm cõmentarii magnitudo postulet, sermonem protrahere coacti fuimus. Sed omissis pluribus quæ ad confirmandam nostrã sententiam facerent, statim quid res sit dicemus. Pronunciamus igitur easdem Cannas & ueterum & nostrum Saccharum gignere: illud quidem natura ceu lachrymam aliquam expellere, hoc uero industria humana ac uiolentia pressas fundere. Quod palã fit Auicennę caput de Sacchairo legentibus, utrũq; enumerantis. Tabarzet uidelicet et quod ueluti Gummi ab harũdine assumitur. Per

Sæpe eodẽ communi nomine apud Dioscoridem res toto genere diuersas nũcupari: dũmodo leuis aliqua similitudo eis contigerit.

† Quærendũ hoc an uerè dicatur.

Saccharum Dioscoridẽ mellis nomine uocasse: non quod substantia ei cognatũ, sed dulcedine & uiribus.

Leonhardus Fuchsius.

Probat Saccharum ueterum & nostrum, ex eadem harundine esse.

Tabarzet

Tabarzet enim intelligitur è Cannis expressum prorsus depuratum & candidissimum: per hoc uero quod ueluti Gummi ab harundine assumitur natiuum, cuius ueteres meminerunt. Interim enim dum scribit assumptum sicut Gummi, indicat alterum uidelicet Tabarzet non esse Gummi seu lachrymam, sed succum eiusdem Cannæ, in qua natiuum cõcrescit, quod manifeste declarat uerborum contextus, series et ordo. Sed non multifacienda fortasse quibusdam innato odio aduersus Arabes medicos exacerbatis, Auicennę authoritas uidebitur, quibus ipsam experientiam omnes controuersias conciliantem, & ueritatem certissimè indicantem, opponemus. Accepimus autem à plerisq; qui Canarias uocatas insulas aliasq; regiones perlustrarunt, etiam Ideotis in nullius gratiam dicere paratis, è Sacchari Cannis erumpere liquorem, qui solis calore sponte in Saccharum conuertatur, interdum pellucidum ut candum factitium uocatum Saccharum: interdum uerò candicans, & non pellucidum, sed uulgo negligi, quoniam nõ magna eius copia proueniat, quod quidem nos ex relatione aliorum accepimus, ante aliquot annos, sed altero hinc anno cum missam ex Antuerpia Cannæ Sacchari partem accepissemus, certissime cõperimus, uera narrasse, qui id quod iam diximus, retulerant. In oculis enim Cannæ atq; ea parte qua folia genicula amplectuntur, concretas Sacchari micas pisi magnitudine deprehendimus, itaq; haud uulgari gaudio affecti, hanc Cannæ partem ad alia, quæ chara nobis sunt, reposuimus. Quapropter quia oculis nostris id conspeximus, manibusq; palpauimus, certò affirmamus eandem esse materiam & nostri & ueterum Sacchari, & solo efficiente differre. Vulgare enim igne & industria humana, ueterum uerò natura & solis calore excoctum perficitur. Porrò hæc de Sacchari, Mannæ, & Mellis materia dixisse sufficiat.

DE CERA. CAP. 105.

† In aquã.

Cera est apum simplex fauus, in cellulas digestus, quæ ex colato omni melle, in † qua per se liquata in orbes funditur, omnibus nota, Medicinæ & rei domesticæ ad multa utilis. Sequitur autem Cera mellis sui naturam, unde aliud Sardoæ, aliud Ponticæ, aliud uulgari est temperamentum. Candida autem Cera, quam Plinius punicam, nonnulli Tyrrhenam uocant, qua ratione fiat, Dioscorides docet: fit autem plurima Venetiis, unde ad nos affertur.

* *Cera alba, alia factitia est: alia naturalis, quam apes nouellæ conficiunt, Junckfrawen wachs.*

DE PROPOLI. CAP. 106.

Fuit quondam magnus Propoleos in medicina usus: nunc uero omnibus incognita est. Arabes Mum uocant. Sed male eorum interpretes per eam sordes alueorum intelligunt, multum enim ab his differt. Sordes enim in fundo reperiuntur, suntque derasa apum pedibus à fauis ramenta. Propolis uerò nihil est quàm Betulæ & populi lachryma ab apibus collecta, ut aluearium conuernosas partes exæquent, & foramina contra frigus obturent. Germani Bet & Stopwachs † uocant. Est autẽ insigne medicamentum, in omnibus aluearibus repertu facile, odore styracis. In quo non uulgare officium apes nobis præstare natura uoluit, quia enim tenuem harum arborum lachrymam difficillimum fuit hominibus propter paucitatem colligere, illarum industria res utilissima nobis constat. Efficacior uerò Cretica & Pisidica est Propolis, cuius maiorem partem apes ex styracis lachryma & ladani pinguedine colligunt.

† Aliqui Bin harz.

DE TRITICO. CAP. 107.

Ordo Dioscoridis. Frumentacea quæ.

Enumeratis animalibus, eorumq; partibus, & uictui & medicinæ utilibus, ad ea quæ frumentacea dicuntur sermonem uertit Dioscorides. Sunt autem frumentacea, quæcunq; geniculato culmo & harundinaceis constant foliis, semenq; panificio & pultibus aptum in spicis aut iubis producunt, ceu Triticum, Hordeum, Milium, Panicum, & quotquot his similia existunt. In tanto autem frumentorum numero, nominumq; ancipite significatione, authorumq; in ijs indicandis ac nominandis inconstantia, difficillimum est omnia hæc suis nominibus proprie appellare. Quare cum omnes ueteres authores & ipse etiam Galenus nihil certi nobis reliquerint, arbitramur nos quoque ueniam mereri si in appellandis omnibus defecerimus: præcipua tantum quorum frequens per Europam usus est suis appellationibus ostensuri.

Princi-

principem autem locum inter omnia Europæ frumenta triticum tenet, quod procul dubio est quod Germani Weitzen / Græci πυρὸν uocant, Galli frumentum, generis uocabulum speciei tribuentes: quanquam pleriq; etiam far, frumentum appellant. Sunt autem Tritici species, Robus & Siligo. Robus uocatur densius, solidius, et ponderosius. Siligo rarius, & leuius pondere: sed candidius Triticum. Est & alia Tritici distinctio: semestre, et trimestre: illud ante hyemẽ, hoc uero initio Veris seritur, quare alterum Winterweitze / id est, hyemale Triticum: alterum Sommerweitze / id est, ęstiuum Triticum Germani uocant. An uero idem sit Robus cum semestri, neq; negare, neq; affirmare ausumus. Credimus tamen haud sine causa non differre Robũ à semestri, nam à semestri non distinguunt id authores, neq; Columella cum species Tritici recenset, semestris meminit, sed Robi, quasi idem cum eo crediderit & ipse. Quemadmodum quoq; Robus Siligini præfertur pondere & magnitudine, ita etiã Semestre Trimestri, quod & Sitanium dicitur, & Siliginis species existit. †

Triticum. Robus. Siligo. † Similago hic est species farinæ ex tritico.

DE HORDEO. CAP. 108.

Hordeum, absq; ulla controuersia, est quod Germani Gerst / Græci κριθὴν uocant, eius species apud Columellam sunt: Hexastichum, Galaticum nonnullis uocatum. Est autẽ Hexastichum quod hodie uocant Hordeum sine tunica: quoniam in folliculis nudum gerit granum, figura & colore tritico non dissimile, seni sunt spicis seminum ordines, seu uersus, unde & nomen apud Græcos inuenit, Germani Welsche & Römische Gerste / hoc est, Italicum & Romanũ Hordeum uocant, quoniam ex Italia primum ad nos allatum est. Distichum Hexasticho, quod ad granum attinet, non dissimile existit: sed binis tantũ uersibus semina spicam constituunt, quod nomine etiam pręsefert, quod autẽ uersuum numero decedit, culmorum multitudo restituit: qui frequenter uiceni, triceni, quadrageni è singulis granis exeunt. Nos etiam plures quam sexagenos uno semine emissos uidimus. Germani Fasel gerste / hoc est, fœcundum Hordeũ uocant. Vtrũq; apud nos Vere seritur, & nõ ante hyemem. Pręter hęc duo Hordei genera, adhuc quatuor in Germania rustici nouerũt. Primum candido, ponderoso, omniũq; maximo grano constat, Hessis Andach dictum. Secundũ hoc paulo minus granum fert, & pauciores uersus, atque semestre existit: ideoq; nostris Wintergerste / hoc est, Hyemale hordeũ nominatur. Tertium Vere seritur, ęstate perficitur: quapropter Germani Sommergerste / hoc est, æstiuum Hordeum id appellant. Quartum proprie Trimestre dici potest: quoniam præcox est, & tertio mense maturescit. Germani hoc kleine Gersten / & Zeytgerste (seu, ut Saxones dicunt, Titgerste) hoc est, paruum & temporale Hordeum appellant. Seritur æstatis initio, tertio die ante & post Pentecosten.

HAEC HACTENVS EX SECVNDA, EMENDATA ET AVCTA AVTHORIS Editione. *Quæ uerò deinceps sequuntur, quoniam ab authore (opinor) morte præuento, perfici non potuerunt, ex prima editione, quæ Francofordiæ olim publicata est (cum Gualtheri Riuij Dioscoride) continuauimus: ita ut ea quoq; emendatiora & magis illustria demus, cum aliâs, tum ex breuißimis quibusdam ipsius* CORDI *postremis in quinq; Dioscoridis libros Annotationibus, quas manu scriptas accepimus.*

ZYTHVM ET CVRMI. CAP. 109. 110.

Zythum & Curmi ueteres appellabant ex frugibus facta pocula, qualia illa multa sunt ceruisiæ genera in Germania.

ZEA. CAP. 111.

Zeæ Latinis Zea, Germanis Dünckel uocatur.

* *Zea simplex,* Einkern / *Zea dicoccus,* Zweikern.

CRIMNVS. CAP. 112.

Crimnus crassior farina Tritici & Zeæ est, quamuis etiam ex aliis frumentaceis fiat: Vnde plus postea conficitur, * *(ueteres polton & poltarion uocarunt.)* Germani Grieß uocant.

OLYRA. CAP. 113.

Olyra, ni fallor, uulgare illud est frumentũ, quod Germani Rockẽ / siue Roggẽ / uocant.

cant. Hoc si non fuerit apud ueteres, Olyram non habemus, & quid Rocken sit, ignoramus.

ATERA. CAP. 114.

Athera est ex tenuissima farina liquidior facta pulticula, quã Germani ein Sauffen uocant.

TRAGVS. CAP. 115.

* Hamelkern. Tragus quale sit frumentum, & quo nomine appelletur, non cuiuis cognitum esse puto.

AVENA. CAP. 116.

Auena duas habet differentias. Vna enim frumentum est, quod Habern Germanis dicitur. Altera ab hoc ipso autore in quarto lib. Græcè βρῶμος appellatur, quæ à fruge differt, & à Vergil. Sterilis auena uocatur.

ORYZA. CAP. 117.

Oryza frumenti genus est, quod à recentioribus Rizũ, & Germanis Reiß uocatur: in plaustribus & uliginosis locis nasci ὀρύζαν Dioscorides ait. Nostra uerò Oryza ex India in alias terras translata est, & in multis locis Europæ seritur. Quare necesse est aliam quoq; Oryzę speciem inueniri, quę etiam in Europa sponte nascatur. Nam Dioscorides simpliciter palustribus locis eam nasci ait, nec adiecit peregrinę alicuius regionis nomen. Porrò inuenitur apud nos in palustribus & uliginosis locis frumentum, quod Schwaden uocamus. Hoc proculdubio illius species est. Habet enim folia, culmos, spicam, & semen omnino maiori Oryzæ similia, semen tamen quamuis eandem proportionem, saporem & usum habeat, minus est. Sed hoc nihil impedit, quo minus Oryzæ sit species. Hi autem uehementer errant, qui Schwaden Sesamum esse putant. Quid autem Sesamum sit, statim sequetur.

HALICA VEL ALICA. CAP. 118.

Chondrum Græci Latinorum Alicam uocant. Veteres duas res hoc uocabulo intelligunt, nempe ex Zea, quæ Diazeas uocatur, certo modo factam farinam, & peculiare frumenti genus, quod Latini Far, siue Adoreum uocant. Sed quale hoc sit, nõ dum planè compertum habemus.

MILIVM. CAP. 119.

Conchron Latini Milium, Germani Hirsen uocant: notum est frumenti genus, harundineis foliis, & in harundinea iuba semen ferens.

PANICVM. CAP. 120.

Ελυμος καὶ μελίνη Græcis, Latinis Panicum uocatur. Panicum ab omnibus autoribus Milio simile esse dicitur. Quare in maximo errore uersantur hi, qui Panicum illud frumenti genus esse putãt, quòd Germani Heydenkorn appellant. Verùm cùm Heydenkorn hederacea folia, & minimè harundineum caulem habeat: Panicum uerò harundineo culmo & folio constare describatur, Panicum nequaquam Heydenkorn esse poterit. Sed nõ opus est multis argumentis. Propterea quid reuera Panicũ sit, indicabo. Verum itaq; Panicum milio simile est, frumentum, quod Itali adhuc Panigo, & Germani Fuchßschwantz uocant [aliqui Pfenich/ alii Fench.]

SESAMVM. CAP. 121.

Sesamum à multis esse Schwaden creditur, quod in Oryza negauimus: & hoc loco multis certissimis argumentis idipsum demonstrari posset, nisi breuitati consulerémus: propterea unum tantùm afferam. Scribunt autores Sesamum semen suum in uasculis papaueris† modo continere, Schwaden uerò in spica siue iuba Miliacea suum semen fert. Ergo Schwaden nequaquam Sesamum esse potest. Miror autem uehementer, quo argumento moti sint, ut illi opinioni tam firmiter adhæreant, cùm adhuc uerum Sesamum ex Aegypto ad nos copiosè afferatur, unà cum oleo ex

semine

semine expresso. Nam peregrinum nobis Sesamum est. Schwaden uerò sponte apud nos prouenit. Porro sunt qui Ieseminos flores, quos Itali Seseminos pronunciant, à Sesamino semine non distinguere ualeant, ob eam causam quam in Iasmino unguento indicauimus.

* Leindotter quidam interpretatur. † Ubi hoc scribatur, iam non occurrit.

LOLIUM. CAP. 122.

Αἶρα Græci, Latini Lolium unumquodque degenerans frumentum appellant: quod cùm in Hordeo nascitur, Twalch à nobis, propter insaniam quam facit, dicitur. In Olyra uero Trespe / aliâs Tresp Dorp. Est & alia herba paruæ & quinquefoliæ rosæ similem habens florem, eumque rubentem, & nigrum in uasculo semen, quod nos Raden uocamus. Hoc etiam à quibusdam Lolium esse creditur. Cùm uero autores Lolio spicam tribuant, Raden uero uasculum habeat, nihil affirmo. Hi autem magnopere errarunt, qui Raden Nigellam esse crediderunt.

AMYLUM. CAP. 123.

Nota omnibus res est Amylum, sic dicta, quòd sine mola conficiatur. In pharmacopoliis, una mutata litera, Amidum uocatur. In Germania uerò Stercke et Krafft mehl.

FOENUGRAECUM. CAP. 124.

Fœnugræcum leguminis genus est, quod Græci τῆλιν, Germani Zigenhorn/ BocksHorn & Sibengezeite uocant. Sunt tamen qui posterius hoc uocabulum ad lotum satiuam etiam referant. Zigenhorn uero genuinum Fœnugræci nomen est. Nam sic Germani Græcorum Aegoceron interpretantur. Semen autem Fœnugræci eodem nomine in pharmacopoliis habetur.

LINUM. CAP. 125.

Vescebantur ueteres Lini etiam ut Fœnugræci semine. Propterea leguminibus coniunguntur. Est autem Linum omnibus nota herba, quam Germani Flachß uocant. Semen uero solum Lein.

CICER. CAP. 126.

Ἐρέβινθος Græcis, Cicer Latinis, Germanis Kichern hoc legumen uocatur. Colore habet triplicem differentiam. Est enim quoddam genus ruffum habens semen, & quoddam candidum, quod columbinum dicitur. Et tertium genus nigrum semen habet, quod priuatim arietinum nominatur, quoniam arietino capite semen eius simile sit.

* Zisern/ Candida semina in Austria.

FABA, LEGUMEN. CAP. 127.

Cyamum Græci, Latini Fabam uocant, Germani Bonen/ de quo non opus est dubitare, cùm omnes ab autoribus Fabæ adscriptæ notæ huic legumini conueniant, quod nos Bonen uocamus. Differunt Fabæ secundum colorem & magnitudinem.

* Non esse nostram Fabam hanc, ex Aeginetæ lib. 6. cap. 24. & ex Galeni capite de Aphace patet.

FABA AEGYPTIA. CAP. 128.

Aegyptia Faba in inundatis Nilo campis nascitur, cuius radicem Aegyptii Colocasiam uocant, solo semine hæc nostrati Fabæ similis est. Quod enim ad cæteras eius partes attinet, omnino dissimilis esse cernitur. Nobis autem hæc est incognita.

LENS. CAP. 129.

Φακός Latinis Lens, Germanis Linsen appellatur. Est autem Lens duplicis differentiæ. Quædam enim legumen est, de qua hoc loco agitur. Altera stagnantibus undis innatat, de qua infrà sermonem habebimus.

PHASELVS. CAP. 130.

Distinxerunt Phaselum à Phasiolo, qui post Dioscoridem scripserunt: ita ut Phaselus sit legumen simpliciter nunc uocatum ab Italis Phasiolus, Phasiolus uerò idem cum Dolicho. Sed istam differentiam nullus author adhuc, neq; ipse Dioscorides obseruauit. Nam hic Phaseolum uocat id legumen, quod adhuc Itali Phasiolum uocant. Quapropter cùm uideam à multis diuersas has herbas confundi, distinguam eas, & notas quibus ab inuicem dignosci possint, ostendam. Sunt enim ambæ legumina, magnam in foliis, floribus, siliquis & seminibus affinitatem habentia. Hic Phaseolus igitur quem Dioscorides hoc loco recenset, & ab aliquibus etiam distinctionis gratia Phaselus, seu ut Itali dicunt, Phasiolus uocatur, legumen est, absq; adminiculo seu pedamento per se subsistens, folia habet in uno pediculo tria, hederacea, mollia, quarum spina ex interiore parte candicat. Flores profert candidos, & post hos in siliquis teretibus candida & oblonga semina, media inter fabas uulgares & pisas forma & magnitudine, quibus nigrum quiddam eo loco, quo siliquis annectuntur, inest. Hic est Phaseolus, siue Phaselus ut quidam dicunt, de quo hoc loco scribit Dioscorides.

Altera uerò eius species est huic forma foliorum similis. Circunuoluitur hæc arbustis & hastis, fiuntq; ex ea coronæ æstate, longiores hæc quàm prædictus Phasiolus siliquas fert. Propterea ab aliquibus Dolichus appellatur, & fructus eius Lobi, quoniam insignes sunt siliquæ in quibus figura Phaseli semina nascuntur, non tantùm candido colore. Nam inueniuntur nigro, croceo, ruffoq; colore, & mixtus etiam pluribus coloribus simul. Hic Phasiolus Smilax leuis et satiua etiã appellatur. Quoniam uerò hæ duæ Phaseolorum species inuicem similes sunt, nomen etiam commune habent. Cum uerò propriè loqui uolumus, legumen illud priùs descriptum, Phaselum siue Phasiolum uocamus: postremò uerò descriptum Dolichum, Smilacem leuem siue satiuam, & Siliquas eius Lobas. Porrò utrunque Germaniæ peregrinum fuit legumen, & Phaseolus, siue Phaselus, siue Phasiolus, qui absq; adminiculo erigitur, à paucis in Germania pharmacopolis & herbarum studiosis seritur. Dolichus uerò à plurimis non tantùm ciuibus, uerumetiam rusticis umbræ & ostentationis causa. De Dolicho autem statim post sequetur proprium caput.

OROBVS SEV ERVVM. CAP. 131.

Orobon Græci, Romani Eruum appellant. Peregrinum hoc Germaniæ hactenus legumen fuit, quamuis omnes Orobum uocẽt eam leguminis speciem, quę Germanis Wicken appellatur, sed errore seducti. Nam Wicken est Latinorum Vicia, & Græcorum Aphace, seu Βικία, unde Germanica uox deducta est: Veruntamen Eruum nunc à quibusdam in Germania seritur.

LVPINVS. CAP. 132.

Latini Θέρμον Lupinum, Germani Feigbonen & Wolfschoten uocant. Notus omnibus pharmacopolis eodem nomine Lupinus est.

LVPINVS SYLVESTRIS. CAP. 133.

SATIVA RAPA. CAP. 134. 135.

Γογγύλην, siue γογγυλίδα, Latini Rapum, Germani Rüben/ appellant. Notæ omnibus cum herba radices eius sunt, quibus uescimur. Duplicem habet Rapum differentiam. Sunt enim satiuæ quædam, de quibus hoc capite scribitur: & sponte in aruis prouenientia quædam. Videndum tamen est, ne Raphanum agrestem, cum syluestri Rapo confundamus. Sunt enim ualde similes inuicem herbæ, sed Rapum fruticosius est, & multas alas ramulosq; ad latera spargit, in quibus sunt lutei flores: nascitur pinguibus aruis. Raphanus uero syluestris pallidiores habet flores, & paruas radices, Rapum uero pollicem crassas.

Rapum agreste. Raphanus agrestis.

✱ Rapum agreste, Wilde Rüben. De Raphano agresti, paulò pòst leges.

NAPVS.

NAPVS. CAP. 136.

Napi rapis congeneres sunt, densiores tamen, acriores, & minores. Inueniuntur etiam luteo & croceo colore Napi in Bordueldiano Brunsuicensis ducatus agro, quibus præcipua laus & autoritas attribuitur. Græci hunc Napum βουνιάδα uocant, Itali Nauoni, Germani Napen uel Nopen & Stickel Rüben/ Saxones uerò Brunsuicenses suos Napos Bordtfeldische Rüben appellant, ab oppidulo Bordtfelt/ ubi nascuntur.

RAPHANVS. CAP. 137. 138.

Raphanum Latini radicem, aliqui etiam radiculam, Germani Rettich uocant, siue Rübe Rettich. Est & alia herba, quæ à Latinis Lanaria radicula, siue simpliciter etiam radicula dicitur, à Græcis Struthion, sed diuersa à Raphano. Quare uidendum est, ne alteram pro altera accipiamus. Raphani autem duæ sunt species. Vna seritur, & in Turingia cubitali longitudine & crassitudine, quę utraque manu amplecti nequeat, prouenit. Quare non ineptè Plinius scriptum reliquit, Raphanum in Germania infantium magnitudine nasci. Altera uerò sponte in aruis prouenit, quam Germani Heyderettich/ id est, syluestrem Raphanum uocant, Latini Armoraciam. † Recentiores Raphano etiam adscripserunt acrem istam radicem, quam nos Merrettich appellamus, & ea utuntur, ubi prædicto Raphano uti debebant: sed malè. Non enim habent aliquem ex ueteribus autorem, qui Merrettich/ Raphani speciem esse innuat. Quid tamen Merrettich sit, paulò pòst audiemus.

† Vide etiam superius in Rapo.

SISER. CAP. 139.

Σίσαρον Latini Siser uocant. Serebatur hæc herba olim in Germania cibi causa, & optimè in hac frigida regione proueniebat, qua causa eam quotannis à Germanis flagitauit Tiberius Cæsar, ut inquit Plinius. Hodie uerò quid sit Siser, ignoratur. Brunfelsius tamen in tertio Herbarii sui Tomo scribit, quòd Siser sit illud olus, quod Germani Gerlen uel Gerele/ Girgele uocant: cui omnino subscribo. Hessi uocāt Rlingelmören/ alii Grizelmören. Estq; omnium radicum, quæ uescendo sunt, saluberrima Siseris radix.

*Sapore Pastinacæ, Venerem stimulat.

RVMEX, SEV LAPATHVM. CAP. 140.

Λάπαθον, Latinis Rumex, Germanis Ampffer dicitur. Herba est quinque sub se habens species. quapropter prædicta trium gentium uocabula in genere omnibus speciebus communia sunt. Quidam Rumex satiuus est, hunc nos Gartenampffer uocamus. Agrestis etiam quidam est, qui à pharmacopolis Lapathum nunc dicitur, à Germanis Hasenampffer/ Gassenwurtz/ & Butterampffer/ Butterlattich/ quoniam rustici Butyrum eius foliis inuolutum in urbes uenale ferant. Non desunt etiam qui Buglossum eam uocent, Myssenorum & Vuittenbergensium Saxonum Germanico uocabulo decepti. Tertia species ὀξυλάπαθον Græcis, Latinis Rumex acutus, uel, ut nunc, Lapatium acutum, Germanis Spitzampffer dicitur. Nascitur humentibus, syluestri similis, nisi angustiora & acutiora folia haberet. Quarta ὀξαλις Græcis, Latinis Acetosa, Germanis Saurampffer uocatur. Quinta omnium maxima est. Nascitur aquosis & palustribus locis, unde à Græcis ἱπpολάπαθον, siue ὑδρολάπαθον, & Germanis eadē significatione Roßampffer & Wasserampffer/ nominatur. Hæc sunt Lapathi genera ab antiquis descripta. Est & sextum, acetosæ forma & sapore simile, multo tamen minus, in agris nascens. CAP. 141.

LAPSANA. CAP. 142.

Lapsana agreste olus est ex Brassicę genere, Germanis Reinkol appellatum. Hoc se apud Dyrrhachium uictitasse milites Cæsari in triumpho exprobrauerunt, ut apud Plinium & Suetonium est uidere.

BLITVM. CAP. 143.

Bliton iners & insipidum olus est. Quo autem nomine iam appelletur, superius

cuum est inquirere, cūm nullas habeat medicas uires.

*Quidam Meyer interpretantur, & rectè: alij Güter Heinrich/ quæ potius Atriplex quædam syluestris est.

MALVA. CAP. 144.

Græcorum Malache, Latinis Malua, & Pappeln Germanis appellatur. Vna eius species in hortis seritur, quæ à nobis Römische Pappeln uocatur, sinuosa crispitudine per ambitum foliorum insignis. De hac & syluestri uulgari hoc capite agitur. Sunt enim & aliæ syluestres Maluæ, ceu Althea & Alcea, de quibus infrà sermo erit.

ATRIPLEX. CAP. 145.

Ἀτράφαξις Græcis, Atriplex Latinis, Melde Germanis hoc olus uocatur. Duplicem habet differentiam. Est enim syluestris & satiua. Satiua rursus duplex. est enim uiridi & ruffo folio: Syluestris plures habet discriminum notas. Hæc quod in stercorariis nascatur, Mistmelde appellatur.

BRASSICA. CAP. 146.

Κράμβη Latinis Brassica olim dicebatur, nunc uero Caulis, unde Germani suum Kôl desumpserunt, aliqui per excellentiam uocant Kraut. Multæ sunt Brassicæ species: Est enim uulgaris quædam, quæ simpliciter caulis, & Germanis Bla kôl nominatur. Est & crispa quædam, omnibus etiam nota: utriusque folia ad purpuram colore inclinant. Est etiam alba Brassica, quæ in capita concrescit, unde capitata & sessilis uocatur, à Germanis uero Cappeskraut/ quod nomen ab Italis ad nos uenit. Illi enim caputium sessilem hanc herbam nominant. Habent huius capita in quibusdam
CAP. 148. regionibus, ut Bohëmia, ruffum colorem. † Est & marina Brassica, quę hodie Soldanella in pharmacopoliis appellatur. Porro syluestris Brassicæ plures sunt differentię.

† CAP. 147. De Braßica syluestri nihil dicit.

BETA. CAP. 149.

Τεῦτλον Græci, Betam Romani, Beyßkôl/ Römisch kôl/ Romgraß/ & Mangolt/ Germani hoc olus nominant. Duplicem habet colore differentiam. Est enim nigricantibus in purpura foliis quædam è ruffa radice. Hæc nigra Latinis dicitur, Germanis Rot mangolt/ siue Rote rüben. radices enim rapis magnitudine & forma similes sunt. Candida huic omnino similis est, sed colore differt, quem folia eius in candido uiridem habent, (aliqui Siclam uocāt.) Nigrę Betę radices arte incrementum sumere coguntur, quæ condiuntur & assatis carnibus apponuntur. Candidæ uero Betæ radices minimè curantur.

PORTVLACA. CAP. 150.

Ἀνδράχνη Græcis Portulaca uocatur, Germanis Portzel. Notum est acetarium hoc olus. Est & syluestris Portulaca, in asperis littoribus nascens: de qua alibi agemus.

ASPARAGVS. CAP. 151.

Asparagus pharmacopoliis Sparagus, Germanis Spargen appellatur. Fœniculo foliis simile olus est, cuius radices & semina in pharmacopoliis seruantur. Dicuntur etiam Asparagi omnium olerum, tam syluestrium quàm satiuorum, primo uere teneli & recentes caules, quales in Rapo & Bryonia uidemus.

*Satiuus omnis fuit syluestris. Est autem syluestris alius simpliciter dictus, alius Corruda uel Corrudago.

PLANTAGO. CAP. 152.

Ἀρνόγλωσσον Latini Plantaginem, Germani Wegbreyt uocant. Tres habet hęc herba differentias. Est enim latifolia quædam, & angustis oblongisque foliis quædam, tertia latifoliæ similia habet folia, multo tamen minora, & leniter hirsuta.

SIVM. CAP. 153.

Sion ex Apii genere olus est, quod Germani Klein Wassermerck uocant, quoniã

Palu-

Paludapio simile sit, sed minus. Nascitur glareosis & perennibus riuulis, ut Plinius etiam obseruauit.

* Wasser Eppich. *Romæ utuntur in acetarijs, & ranellam uocant.*

SISYMBRIVM. CAP. 155.

Primum Sisymbrium Mentę species est, quam Germani Fischmüntz uocant. Est quę hæc duplicis differentiæ. Vna enim nigricantem habet caulem, & ubiq; in aquosis nascitur, Bachmüntz Germanis appellata. Altera hirsutioribus est foliis, nec tantùm iuxta riuos, uerumetiã in siccis prouenit (in mõtibus odoratior) Hęc Balsamita à pharmacopolis nominatur. Confunduntur tamen ab imperitis hæ duæ Sisymbrii species.

Alterum uerò Sisymbrium solo nomine priori simile. Nam Nasturtii potius quã illius species est. Quapropter etiam à Græcis Καρδαμίνη, Nasturtiaria, & à Germanis Brunnkreß uocatur. Notum est & salubre olus, quo Hessi frequenter uescuntur. Recentiores hoc aquaticum Nasturtium, maximo errore Senecionem uocant, ut in Senecionis cap. audiemus. CAP. 156.

BATIS. CAP. 157.

Κρίθμον, Latini Batin dicunt. Marinum est olus, quod etiam in hortis serebatur. Nomen tantùm in pharmacopoliis nostris habetur. Res enim quæ hodie sic apud nos uocatur à pharmacopolis, diuersa penitus à Bati est.

CORONOPVS. CAP. 158.

Pro Coronopode malè hactenus ranunculi quadam specie usi sumus: Nunc autem uera Coronopus à quibusdam seritur. Est enim acetarium olus, folia habens pedibus & unguibus cornicis similia, & hodie ab Italis herba Stella uocatur. Quidam etiam Cornuceruinum appellant, à foliorum figura.

SONCHVS. CAP. 159.

Sonchum Latini Cicerbitam & Lactucellam, Germani Sewmelcke, & Hasenköl appellant. Ex Intybi genere hæc herba est.

* *Tertius ubiq; nascitur in agris.*

INTYBVS. CAP. 160.

Serin Latini Intybum uocant. Multiplex Intybi genus est, hoc tamen capite duo satiua, & unum syluestre describit. Satiuum Intybum ab Italis adhuc Endiuia satiua appellatur, estq; per omnia syluestri simile, tenerius tamen & latioribus foliis. Syluestre, quod Cichorium & Picris ob amaritudinem uocatur, & Amarago à Gaza in Theophrasto interpretatur, in pharmacopoliis Cichorea, & à nobis Hindtleufft/ Wegwart & Sonnenwirbel nominatur. Flores habet cœruleos, qui ferè semper solem uersus inclinantur. Vnde etiam à quibusdam Solsequium, siue Heliotropium appellatur: quamuis Heliotropium diuersa sit ab Intybo siue Cichorio, & sui generis herba.

* *Intybum uerum aliqui Endiuiam Romanam uocant.*

CHONDRILLA. CAP. 161.

Χονδρίλλη quoq; intybacea est herba, habetq; duas species: quarum prima Cichorio est similis, multò tamen tenerior & minor, florem interdum cœruleum, interdum etiam candidum ferens. Germani Klein Sonnenwirbel uocant†: nascitur in uineis, quæ solidum & gipsosum habent solum, quales sunt in Ienensibus collibus. Altera Chondrilla in pinguibus & lutosis agris, pręsertim in hordeacea segete nascitur. Luteum habet florem, & à Germanis Sewdistel uocatur: quod nomen ferè omnibus etiam intybi speciebus commune est.

† *Aliqui Steinkrispell.*

CVCVRBITA. CAP. 162.

Cucurbita, Κολοκύνθα Gręcis, Germanis Kürbis appellatur, cuius duæ sunt potiores differentiæ. Vna longos fert fructus, altera latos et sessiles: semine eius Medici utuntur.

CVCVMER SATIVVS. CAP. 163.

Σικυὸς, siue Cucumis satiuus, à Germanis Gurcken appellatur: quod nomen ab anguria deductum est. Sic enim Itali quandam Cucumeris speciem uocant. Semina eius in pharmacopoliis eodem nomine habentur.

Huius species sunt Pepones & Melones.

PEPO, PEPONES QVIDAM MVSCATELLINI VOCANTVR. CAP. 164.

LACTVCA CAP. 165.

Lactuca, quæ Græcis θρίδαξ appellatur, duplicem habet differentiam. Est enim satiua altera, & agrestis altera. Satiua à Germanis Lattich / Melchering / Salat, & Schmaltzkraut appellatur, præsertim in Hessia, ubi illa in acetariis cum eliquato butyro, quod pro oleo affundunt, uescuntur homines: unde & Schmaltzkraut dicta est.

Species eius sunt, tenuifolia, crispa, capitata.

CAP. 166. Agrestis uerò Lactuca ea est, quam Itali Serriolam, uel (ut quidam durius pronunciant) Scarriolam, quoniam dorsum folii serræ modo asperum sit, uocant. Quidam etiam hanc ipsam Endiuiam appellant: nam in hisce regionibus hac herba pro intybo utuntur Medici & pharmacopolæ. Germani hanc ipsam Genßdistel / siue Genßzan appellant, quòd spinosum folii dorsum anserinis dentibus simile sit. Porrò nemo offendatur, quòd hanc Endiuiam Lactucam agrestem appellem. Nam omnes intybi species ad Lactucæ genus referri debent.

GINGIDIVM. CAP. 167.

Gingidion, Syriacum est olus: nuper etiam ad nos ex Syria allatum, per omnia descriptioni respondens. Quidam Carui de Syria uocant. Porrò eò ignorantię quidam peruenerunt, ut Senecionem, qui nobis Creützkraut appellatur, Cerefolium etiam nominent.

Aliqui Cerefolium pro Gingidio habuerunt.

SCANDIX. CAP. 168.

Scandix etiam agresti Pastinacæ simile olus est, sponte in pinguibus aruis proueniens. Candidos & paruos in exiguis umbellis flosculos habet, ex quibus singuli, & ceu acus longi apices sursum enascuntur. Quapropter à Latinis etiam acicula, & à Germanis Nadelmören uocatur.

CAVCALIS. CAP. 169.

Caucalis Dauco similis herba est, non tamen cuiuis Dauco (sunt enim plures eius species) sed illi tantùm, qui in Germania Pimpinella uocatur. Hirsutioribus tamen constat caule & foliis, Germani Rauch Bibenellen uocant. Nam uulgò dicta Germanis Pimpinella, est ueterum Daucus.

Nobis non uidetur.

ERVCA. CAP. 170.

Εὔζωμον, Latini Erucam, Germani Weissen Senff uocant, quoniam simile per omnia sinapi sit, præterquàm semine, quod sinapi nigricans est, Erucę uerò candicans.

Errat Cordus: nam quod Sinapi album Germani uocant, omnino Sinapis species est. Eruca uerò nomine Italico nobis noscitur, Rockelen.

OCIMVM. CAP. 171.

Ὤκιμον Latini Ocimum, recentiores Basilicon uocant. Germani posterius nomen cum Latinis commune habent. Est autem Ocimum duplicis differentię, quoddam enim altius adolescit, & maioribus nigrioribusq́ constat foliis. Quoddam etiam præ-

am prædicto minus, ramosius, & minoribus foliis inuenitur, & Caryophyllos odore imitatur, unde Ocimum Caryophyllatum hoc appellare cõsueuerunt Latini & Pharmacopolæ, Germani uerò Kraus Basilicon.

*Recentiores & Arabes faciunt Ocimum quoddam simpliciter dictum, aliud Nabathi, & tertium Citratum: quæ tria nobis cognita sunt. quartum addunt Caryophyllatum.

OROBANCHE. CAP. 172.

Orobanchen Theodorus Gaza apud Theophrastum Eruangam interpretatus est. Nomen inuenit ex eo, quòd Eruum strangulet: pinguis est, & sine foliis herba. Germanis Sommerwurtz appellata.

*Diuersa ab hac est Theophrasti Orobranche.

HIRCI BARBA. CAP. 173.

Τραγοπώγωνα, Latini Hirci barbam, Germani Bocksbart appellant. Nascitur campestribus locis, nonnunquam etiam pratis & aggeribus, pingui solo congestis.

ORNITHOGALVM. CAP. 174.

Ορνιθόγαλον, Germani Klein Erdtnuß appellant. Porrò duæ sunt in agris nascentes herbæ, quas Germani hoc nomine indicant. Vna candidum habet, aut luteum, qualem hoc capite Dioscorides describit, florem. Altera purpureum, quæ an ab hoc authore descripta sit, ignoro.

*Kickelkern. Vide mox in Tuberibus.

TVBERA. CAP. 175.

Tubera radices rotundæ sine germine sunt, quæ fungis similiter in terra nascuntur. Græci ὕδνα uocant. An etiam in Germania proueniant, nondum comperi. In Italia copiosè proueniunt, ubi etiam Tartofle uocantur. Sunt & tubera, quæ ἀράχιδνα, ab Araco legumine dicantur: de quibus huius instituti non est dicere.

*Tubera, quidam Hirschbrunst interpretantur: alij Cerui boletos sic uocant, Arachidna Theophrasti quidam Erdtnuß interpretantur. Cordus supra Ornithogalon klein Erdtnuß appellauit.

HORTENSIS SMILAX. CAP. 176.

Smilax hortensis, siue lenis, quem Dolichum etiam Græci appellant, nonnulli etiã Phasiolum, Germani Windtbonen/Welsche bonen/& Sprenckelbonen uocant. De hoc legumine in Phaseoli capite etiam disseruimus.

*Türckische/oder Römische bonen. Semper contra Solem uoluitur.

MEDICA. CAP. 177.

Medica à Media nomen habet. Nam ex ea regione per bella Persarum in Græciã allata est, unde postea in Italiam translata, ad iumentorum pabulum serebatur. Propterea nemo speret eã sponte in Germania prouenire, ut ii faciunt, qui se omnes plantas, quas Dioscorides describit, nouisse & indicare posse, uana quadam iactantia & persuasione gloriantur. In Italia autem adhuc à quibusdam seritur. Vidi ego herbam hanc à Georgio Agricola ex Italia allatam.

APHACE. CAP. 178.

Aphace uitia est, quę sponte in aruis nascitur, quam Germani Feldtwicken appellant. Theophrastus intybacei generis herbam Aphacen nominat, quæ diuersa est ab hac nostra Aphace. *Vogelswicke.

PORRVM. CAP. 179.

Notum omnibus Porrum est, quod Græci πράσον, Germani Lauch uocãt. Porrò sub eodem genere hęc omnia continentur: Allium, Vlpicum, Scorodoprasum, Ampeloprasum, Porrum, Ophioscorodon, Cepa, Gethyum & similia.

*Porrum aliud est capitatum: aliud sectiuum, Schnittlauch.

AMPELOPRASVM. CAP. 180.

Nascitur sponte etiam in aruis & uineis, teretibus foliis Porrum, quod Græci Ampeloprason, Germani Wilden lauch appellant.

CEPA. CAP. 181.

Κρόμμυον, Latini Cepam, Germani Zwibeln & Zippeln nominant: Notæ omnibus cum germine suo radices sunt.

*Cepæ aliæ sunt candidæ, aliæ ruffæ. Item aliæ Gordiæ, utrinq; acuminatæ. Scißiles, Fleißlauch. Ascaloniæ, Aschlauch.

ALLIVM. CAP. 182.

Σκόροδον, Latini Allium, Germani Knoblauch appellant. Est etiam syluestre Allium Ophioscorodon appellatum, lata habens folia, ut Lilium conuallium. Hoc Germani Rampen / siue Rempsen / & Ramseren nominant. Estq; inuisum pastoribus, quoniam lac Allii odorem acquirit, si eo uescantur pecora. Vrsinum Plinio.

SCORODOPRASVM. CAP. 183.

Σκοροδόπρασον syluestri Allii genus est, mediamq; inter Allium & latifolium porrũ figuram & temperamentum habet. Vnde ab utroque nomen inuenit. Germani Feldtknoblauch / siue Waldenknoblauch appellant. Hactenus hac herba eiusq; semine pro scordio usi sunt Pharmacopolæ, & adhuc magno errore utuntur. Nõ enim est syluestre siue agreste allium scordium, sed proprii generis herba, ut suo loco indicabimus.

SINAPI HORTENSE. CAP. 184.

Σίνηπι, Latinis Sinapi, Germani Senff appellant. Nota omnibus cum semine suo herba est. *Satiuum à syluestri cultura solum differt.

NASTVRTIVM. CAP. 185.

Κάρδαμον, Latini Nasturtium, Germani Kressen / & Gartenkressen uocant. Hoc capite de satiuo Nasturtio agitur.

*Est & syluestre quoddam, Cynocardamon, Hundskresse.

THLASPI CAP. 186.

Thlaspi minus, Germani Daschelkressen uocant, uel groß Deschen kraut & Wegkresse. Differt tamen à Bursa pastoris, quæ klein Daschelkraut nominatur. Maius uerò Thlaspi sine dubio ea est herba, quam nos Merrettich appellamus, & Arabes Nasturtium album, à candore radicis. Grandibus hoc radicibus & magnifolium describitur. Vergilius autem Marcellus in hoc capite non bene in comparatiuo gradu interpretatus: maiore radice, & latioribus foliis. Ita enim intelligeretur maius Thlaspi minori secundùm proportionem maius esse. Sed Dioscorides hoc non uult, neq; uerba eius hoc indicant. Nam in Græco nulla comparatio legitur, sed simpliciter πλατύφυλλον, καὶ μεγαλόῤῥιζον.

ARABA. CAP. 187.

Quædam exemplaria Arabam, alia Drabam, quædam etiam Arabida appellant. Est autem Nasturtii genus, quod Arabes orientale uocant, hodie ignotum: quamuis Ruellius id cognouisse uideatur. Verùm non temere è Ruellio crediderim, cum plantas ad historias ui torquere soleat. Cæterum non malè ait Virgilius Marcellus, nullam esse apud alios authores herbam hoc nomine. Plinius tamen eius mentionem facit sub nomine Dryophoni.

IRIO CAP. 188.

Ερύσιμον, Latini Irionem, Germani Schnödsenff / aliàs Schutsenff / Steinsenff appellant. Theophrastus alterius Erysimi genus inter frumentacea recenset, quod diuersum est ab hoc. Imperiti Irionem, qui à Dioscoride hoc loco describitur, fœminam Verbenam etiam uocant, uerùm magno errore. Nam Irio sinapi cognata herba est, propterea hîc inter acrimoniam habentia describitur. Verbenaca autem nihil cum sinapi neq; Irione commune habet.

PIPER. CAP. 189.

Piper nouerunt omnes. Habet autem triplicem differentiam. Est enim longum, rotundum seu nigrum, & albũ. Longum nigro & candido omnino dissimile existit, cum hæc duo parua & rotunda sint grana. Illud uerò oblongum & betularum grossulis simile. An uerò ueteres rectè de eius planta, & quomodo nascatur, scripserint, non est huius loci disputare.

ZINGI-

ZINGIBER. CAP. 190.

Zingiber quod hodie Zinziber nominant Latini, Germani Jngber. Diuersæ à pipere plantæ radix est. Cur autem non potius in censu aromatum descriptum sit Piper & Zingiber, in præfatione huius libri indicauimus.

HYDROPIPER. CAP. 191.

Hydropiper parens meus in suo Botanologico ait esse mordacē Persicariam, quæ à Germanis Wasser pfeffer / & Schmertzen appellatur, cui sententiæ Musa non aduersatur. Ruellius uerò eam negat esse ueram, quoniam nigram maculam Persicaria in foliis habeat, qualem authores Hydropiperis foliis inesse non dicant. Ait etiam Persicariam exiccatis paludibus emergere, Hydropiper uerò in lacustrium marginibus adolescere. Addit prætereа, Hydropiper mentæ foliis describi, sed Persicariam Persici folia habere. Antequàm tamen Persicariam Hydropiper esse neget, indicat Hydropiper eam esse herbam, quæ Eupatorium appellata est hactenus falsò. Cùm igitur antea admonuerim, cautos esse Ruellianos lectores oportere, propterea quòd non rarò inuitas plantas ad historias & descriptiones detorquere soleat, suadeo etiam hoc loco, ne illi continuò fides habeatur, uiro aliàs insigniter docto, & qui nō ex industria malè iudicet, sed qui, cùm homo sit, præter opinionem in errores aliquando præcipitetur. Necesse est igitur aut parentem meum, aut Ruellium perperam iudicasse. Quapropter utriusqꝫ iudiciū discutiendū, & cum Hydropiperis historia conferendū erit.

Principio igitur Ruellius negat Persicariam Hydropiper esse, quoniā Persicaria purpurei coloris maculam in foliis habeat, quam si Hydropiper haberet, in descriptione authores non omisissent. Ad hoc argumentum breuiter respondeo: Duplex genus esse Persicariæ. Vna quæ maiora nigrioraqꝫ habet folia, purpureis maculis distincta, quæ nullam omnino acrimoniam in gustu habet. Altera uerò huic similis, candidioribus & minoribus tantum foliis, quibus nullæ insunt purpurei coloris maculæ: hanc dixit parens meus Hydropiper esse, non illam. Quare nullam uim hoc argumentū habet. Diluendum igitur nunc erit illud, quo infert dissimiles etiam habere natales Hydropiper & Persicariā, quoniā hæc exiccatis paludibus, quod Hydropiper nō faciat, emergat. Illud uerò in lacustrium marginibus adolescat, ut historia & descriptio clarè ostēdit. Ego uerò Persicariā nō tantum in exiccatis paludibus nasci uidi, uerumetiā iuxta leniter fluentes aquas, idqꝫ sæpissimè: nec ego tantū, uiderunt etiā plures alii quibus monstrabam, ne fortasse commentum me dicere quidam existiment. Et econtrà, illam herbam quam Ruellius Hydropiper esse existimat, in palustribus exiccatis non semel nasci uidi. Et quamuis Persicaria exiccatis tantùm paludibus nasceretur, minimè tamen hoc solo argumento negare aliquis posset, eam Hydropiper esse, cum nō omnino siccatis nascatur, sed semper subsit aqua. Nec Dioscorides illi tribuit, quod tantum circa leniter fluentes undas proueniat, & non in aliis aquosis. Propterea enim à Græcis Hydropiper appellatur, quod aquosis locis emergat, siue sint palustres, siue leniter fluentibus undis uicini. Præcipuè tamen & plerunqꝫ huiusmodi natalibus, quales Dioscorides recenset, Hydropiper nasci scribitur: quam notam in mordaci quoqꝫ Persicaria non solus neqꝫ semel obseruaui. Quapropter neqꝫ hoc argumentū negare potest Ruellius, quod Persicaria mordax Hydropiper sit. Properemus igitur ad illud quo ait, Hydropiper Mentę foliis ab authoribus describi, Persicariam uerò Persici foliis cōstare. Ad hoc respondemus, nullam similitudinē tam perfectam esse, quæ non habeat aliquam dissimilitudinē. Igitur quamuis Persicariæ folia longiora sint, quàm Mentæ, non tamen continuò sequitur, eam Hydropiper nō esse. Nam nō rarò magnitudo pro longitudine tantum, & econtra accipitur. Si igitur tam strictè hanc notam Ruellius intelligit, illius falsò uocatū Eupatoriū multo minus habet folia, Mentæ similia: nam & ipsa etiam nō proportionaliter maiora sunt, quàm Mentæ folia, sed similiter ut Persicaria longiora & nigriora quàm Mentæ folia, cum Hydropiperi candidiora quam mentæ adscribantur. Igitur neqꝫ hoc argumentū parentis mei sententiam confutabit. Cum uerò adhuc constet, Hydropiper Persicariam mordacē esse, necessariò sequitur, Ruelliū à ueritate aberrare, quod falsò uocitatū Eupatoriū Hydropiper esse iudicauerit. Hoc itaqꝫ probare nunc incipiemus. Principio igitur uidendū est, quale nā falsò uocatū Eupatoriū intelligat. Tres enim sunt plantę,

quibus falsò id nomen inditum est. Vna scilicet quam Mesue describit: altera quæ dodrantali altitudine inter arbusta nascitur, Mētę foliis, & Lupuli odore. Harū nullam intelligere Ruellium certum est, quoniam utraq; siccis nascitur locis. quam uerò ille Eupatorii nomine indicat, circa aquas nascitur, estq; omnino ea, quam nostrates etiam Pharmacopolæ Eupatoriū uocant, Germani Wasserdosten. Hoc an Hydropiper sit, iam uidendum erit. De Hydropipere itaq; sic Dioscorides scribit: Nascitur plerumq; circa stantes aquas, & leniter fluentes: quæ nota pulcherrimè conuenit. Nolo enim respondentes notas omittere, ut Ruellius in Persicaria fecit, cuius Piperi similem acrimoniam præteriit. Quamuis igitur hæc unica nota per omnia conueniat, non tamen sequitur, quod hæc herba Hydropiper sit. Plures enim plantæ in eodem natali proueniunt, tametsi cæteris notis Hydropiperi minimè respondeat. Cùm igitur sola hæc nota conueniat historiæ, fallere potest. Si uerò quæ nunc sequuntur, similiter conuenirent, ipse non inuitis pedibus in Ruellii sententiam currerem. Sequitur itaq; in Dioscoride: Caulem ex se mittit geniculatum solidum. Quas notas Ruellius malè falsò uocato Eupatorio tribuit. Non enim geniculatum habet caulem, Persicaria uerò mordax euidenter tumentibus geniculis intercepta est. solidum etiam caulem eadē Persicaria qualitate habet. Eupatorii uerò falsò sic appellati caulis non tam qualitate quam quantitate solidus. Procerus enim est, & magnum foliorū florumq; onus sustinet. Quapropter necesse est eum robur contra uentorum impetum habere. Persicariæ autem caulis quamuis paruus sit, non tamen paruam soliditatem adeptus est, atq; id qualitate, non quantitate seu magnitudine. Nam omnia quæ proceris constant caulibus, robusta etiam à diuina prouidentia facta sunt. Quæ nunc de foliorum forma & colore dicenda essent, paulò ante relata sunt. Quare ad saporem eorum conuertamus orationem, de quo sic Dioscorides scribit: Δριμέα φύτε γεῦσαι ὥσπερ τὸ πέπερι, quod est: sapore acria, ut Piper. Eupatorium autē acrimoniam nullam habet alios sapores excellentem, sed tantùm amaritudinem magnam. Propterea Ruellius etiam huius Eupatorii folia meram Piperis amaritudinem resipere scribit. Differunt autem plurimùm amarus & acris sapor, & Piper tantum acre, & minimè amarum est. Eupatorium uerò falsum sic uocatum, solam amaritudinem resipit. Ergo quilibet etiam manibus palpare potest, hoc loco Ruellium scribere, quod in rerum natura non inuenia tur. Si igitur sapor non conuenit, à quo Hydropiper appellata est hæc herba, iam planè iudicandum erit, Eupatorium, de quo hîc agimus, Hydropiper minimè esse. Ne tamen alias notas refugere uidear, pergam eas omnes membratim historiæ conferre: Sequitur autem in textu: Καρπὸν δὲ ἔχει ἐπὶ τῶν κλωναρίων μικρῶν ἐκφυόμενον παρὰ τὰ φύλλα συνεχῆ καὶ βοτρυώδη δριμὺ καὶ αὐτό: quod est, si de uerbo ad uerbum uertas: Semen uerò habet in ramulis paruis enascens iuxta folia, continuum & racemosum, acre & ipsum. Ex quibus notis ne una quidem falso uocato Eupatorio conuenit. Nam hoc in summo tantùm caulis uertice, non in ramulis iuxta folia latos potius corymbos, & umbellis similes, quàm racemos fert. Hydropiperis uero caulis circa se alarum cauitates, & paruos ramulos habere debet, & non in summitate tantùm, quod optimè mordaci Persicariæ conuenit. Eupatorii etiam semen sensu deprehendi non potest, neq; aliquam saporis acrimoniam habet, & demum in pappos resolutum auolat, propterea difficilimè colligi potest. Hydropiperis uerò semen non minorem quàm folia in gustu acrimoniā resipit. Propterea unà cum illis ad Medicinæ usum olim colligebatur, quæ omnia in Persicaria acri euidenter apparent. Constat igitur falso uocatum Eupatorium Hydropiperis historiæ minimè cōuenire, Persicariam uerò, quæ maculis purpureis caret, per omnia respondere: quamuis sola foliorum similitudo à longinquo petatur. Sed sine dubio ipse Dioscorides hanc foliorum comparationem largo modo intelligi uoluit. Non tamdiu in hac una herba immoratus fuissem, si Ruellius suum de Hydropipere iudicium tantopere non probauisset, & alios, qui hoc uerum esse inficiarentur, ueritatis cæcos non appellasset. Porro in Piperitide & Siliquastro iudicando, similiter errat Ruellius. Non enim est herba siue Mentha diuæ Mariæ. Verùm hunc errorem huius loci nō est confutare, quoniam in Dioscoridis libros annotationes, & non in Ruellii errores reprehensiones scribimus. Plinius de Hydropipere nihil scripsit, de Piperitide autem siue Siliquastro, non pauca. Differt enim plurimùm à

mum à Piperitide Hydropiper. Quapropter utranque plantam (ne ab aliquo confundi possint) suo nomine indicabo.

Hydropiper est, de qua iam disputauimus, Persicaria, cuius folia & racemosum semen acrem Piperis saporem habent. Piperitis uero sine dubio ea est herba, quæ in Italia & Germania fictilibus uasculis seritur, caule circa alas rubro, foliis laurinis, flore candido, & post hunc semine in oblongis uasculis ceu siliquis (unde Siliquastrũ etiã appellatum est) albo & tenui. Itali eam Piper Hispanum uocãt, Germani Schotten pfeffer/ id est, Siliquaceum Piper, ut sic interpreter.

PTARMICA. CAP. 192.

Ptarmicæ à sternutamentis, quæ olfacta proritat, appellata est. Ruellius eam paruum illud ac syluestre Pyrethrum esse affirmat, quam herbam probè cognitã habeo. Cùm uerò non una tantùm sit quæ reclamet nota, nolo quicquam in hac re affirmare.

RADICVLA, SIVE LANARIA HERBA. CAP. 193.

Longè diuersa est à Raphano, qui similiter radicula uocatur, ut antea etiam, cum de Raphano ageremus, indicauimus.

Alia est quæ Meisterwurtz & Ostrutium uulgò dicitur. Aliqui Saponariam esse putant, Knabenkraut/ Seiffenkraut.

CYCLAMINVS. CAP. 194.

Cyclaminus rotundam habet radicem, & plerunq; latiusculam, quam Pharmacopolæ eodem adhuc nomine appellant: quamuis etiam ab aliquibus Panis porcinus nominetur, & à Germanis Erdtschweiben.

ALTERA CYCLAMINVS. CAP. 195.

Altera Cyclaminus in Pharmacopoliis non habetur. Qualis autem sit herba, & quo nomine iam appelletur, ignorare me fateor. Ruellius eã cognouisse uidetur. Verùm illius decreta cum iudicio legenda esse, suprà monui.

Cyclaminus altera, Periclymenum, & Vitis syluestris, uidetur una herba, tribus capitibus descripta: quæ & Caprifolium dicitur, Speck lilien.

DRACVNCVLVS MAIOR. CAP. 196.

Δρακοντία, siue Ισαρον, Latinis Dracunculus & Serpentaria uocatur. Hanc magno errore Bistortam esse hactenus credidit tota ferè Medicorum & Pharmacopolarum multitudo. Cùm uerò Bistorta, quam nos Naterwurtz appellamus, frigidũ omnino habeat temperamentũ, Dracunculus autem calidum uehementer, nullo modo Bistorta Dracunculus esse potest. Veruntamen Dracontia in Italiæ, Galliæ, & Germaniæ locis quibusdam habetur Ari similitudine, cuius etiã species est, ut ueteres omnes tradiderunt.

Dracunculus est genus ad Dracunculum maiorem, & minorem, Aron & Arisaron. Dracunculus maior, dicitur Luph crispum.

DRACVNCVLVS MINOR.

Minor Dracunculus, qualem hîc Dioscorides describit, nescio an cognoscatur. Mihi enim hactenus eum uidere non licuit.

Luph planum. Est & alia species quæ à Plinio describitur, Wasser Aron/ quæ tot habet genicula, quibus ab alijs distinguitur, quot annos.

ARVM. CAP. 197.

Αρον, Latini Arum, in secunda declinatione uocant. Hodie usus inualuit, ut in tertia Aron, aronis, flectamus. Est autẽ herba ubiq; pingui solo, in umbrosis & antiquis syluis nascens, quam Germani pariter Græcis, Aron/ Pfaffenpint/ & Teutschen Ingwer uocant. Vulgares etiam Herbarii pedem Vituli, propter foliorum similitudinem, dicunt.

Luph minus. hoc uti tuto possumus loco Luph. Cyrenaicum uescendo est. Aron in calidis regionibus mitius est: in frigidis, acrius: sicut & Iris.

ARISARVM. CAP. 198.

Arisaron ab Aro & Isaro, id est, Dracunculo nomen inuenit. Figura enim Aro, & temperamento Dracunculo simile describitur. Hodie incognita est herba. Dicitur etiam Aris, diminutiua forma, quoniam Aro minor sit. *klein Aron.*

ASPHODELVS. CAP. 199.

Magnus in Asphodelo error commissus est hactenus. Vbiq; enim pro eo syluestre Liliũ, quod Hemerocallen Græci, & Germani Goldewurtz appellant, accipiunt Pharmacopolæ. Verus tamen Asphodelus in quibusdã Italiæ locis habetur. Suntq; radices eius Pæoniç radicibus similes, ut authores scribunt, & nos etiã uidimus. Hemerocallis uerò radix, quç iam pro Asphodelo in usu est, Lilii radicis, & minime Pęoniæ similitudinem habet.

BVLBVS QVI EDENDO EST. CAP. 200.

βολβὸς ἐδώδιμος, quemadmodum olim omnibus cognitus fuit, ita hodie omnibus incognitus est.

BVLBVS VOMITORIVS. CAP. 201.

Qualis herba uomitorius sit Bulbus, hodie nõ quiuis dixerit. In quarto libro Narcissus etiam hoc nomine appellatur.

SCILLA. CAP. 202.

Σκίλλα, Latinis Scilla, Pharmacopolis Squilla uocatur. Cepæ cognata est planta, cuius radices in frequenti sunt usu Medicis.
* Merzwibel. *Nascitur locis siccis & salsis*

PANCRATIVM. CAP. 203.

Pancration minor Scilla est, quæ hodie raro ad medicinæ usum affertur: quantitate & uiribus maiori inferior.

CAPPARIS. CAP. 204.

Capparis spinosus frutex est, cuius saliti flores, nondum aperti propriè, et fructus, eodem nomine appellantur, & cum assatis carnibus mensæ apponuntur, Germani Kappern uocant.
**Flores alij magni, alij parui, tanquam duplicis generis, adferuntur.*

LEPIDIVM. CAP. 205.

Lepidium, Iberis etiam uocatur, & falso à quibusdam diuersæ herbæ creduntur. Quapropter malè in fine primi libri caput de Iberide legitur. Est enim una eademq; herba, quæ tamen duas species habet. Maius Lepidium Laurino, sed maiore constat folio, gustu acri. Hoc Arabibus Seitaragi, & Germanis Ingwerkraut / Pfefferkraut / Römische kresse / uocatur. Minus uerò Lepidium Gauchsblũm / Waldkresse.

BATRACHIVM. CAP. 206.

Batrachium, Latini Ranunculũ, Germani Fröschpfeffer / Hanenfũß / & Spiegelblümen uocant. Plures eius sunt quàm Dioscorides descripsit species. Omnes tamen flammulæ appellatione hodie ueniunt, ob igneam in gustu acrimoniam sic dictæ. Est etiam frutex quidam, qui similiter à quibusdam flammula appellatur, qui ab his diuersus est.
**Ranunculo Sardoo excepto, reliqui omnes apud nos nascuntur.*

ANEMONE. CAP. 207.

Anemone agresti Papaueri non dissimile est, hodie autem in nullo usu habetur.
* Teüfelsaug.

ARGEMONE. CAP. 208.

Duplex est Argemone, sed utraq; etiam Papaueri agresti, siue Rhœadi similis est. Neutra hodie cognoscitur, quamuis Ienæ copiosissimè proueniat, ea qua à Dioscoride describitur figura. Nomen eius in Agrimoniam detortũ est, qua appellatione uerum Eupatorium hodie indicatur: de quo errore in Eupatorio sermonem faciemus.
**De Argemone altera caput suppositititium quidem est, reperitur tamen herba talis, qualis hic describitur:* Wilde Garbe / Wilde Grensing.

ANAGALLIS. CAP. 209.

Latini pariter Græcis Anagallidem uocant. Pharmacopolarum quidam Anagallum, Germani uerò Hrundtheyl & Jochheyl / aliàs Gochheyl. Male quidam hanc & Auriculã muris cõfundunt, natura diuersas herbas. **Est & Anagallis aquatica,* Pfunge.

HEDERA. CAP. 210.

Hedera sine dubio est, muros, turres, & arbores scandens frutex seu arbor, quæ à Germanis Ebhew uocatur. Quare sine rationibus & argumentis quidam nos Hederam neque nouisse, neq; habere contendunt.

CHELIDONIVM MAIVS. CAP. 211.

Chelidonium nomen inuenit quod circa hirundinum aduentum erumpat. Germanicè Schelkraut uocatur.

CHELIDONIVM MINVS. CAP. 212.

Minus Chelidonium eandem etiam ob causam nomen accepit, forma uerò priori dissimile est. Habet aurei splendoris flores, & in foliis purpureas maculas, quas Dioscorides nō descripsit. Vergilius uerò diligenter in quarto Georg. depinxit, cùm Amellum florem his carminibus indicat. (Est enim sine dubio eadem herba Chelidonium minus & Amellus.)

Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere Agricolæ, facilis quærentibus herba.
Nanq; uno ingentem tollit de cespite syluam
Aureus ipse, sed in folijs, quæ plurima circum
Funduntur, uiolæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ,
Asper in ore sapor, tonsis in uallibus illum
Pastores, & curua legunt prope flumina Mellæ.

* Erdgersten/Scharbockskraut. *Est autem Scharbock species morbi Gallici.*

OTHONNA. CAP. 213.

Othonna quid fuerit, neq; ueteribus constitit, neque nobis. Hodie nomen cum re amissum est.

MVRIS AVRICVLA. CAP. 214.

Quędam exemplaria duo capita de Muris auricula habent, quædam etiam unum tantum, nempe posterius, quo propriè uocata Muris auricula describitur: de hac etiā hoc loco agimus. Nam quæ priori capite describitur, Alsine est: & in quarto statim Helxinem, in quibusdam exemplaribus hoc loco unum tantum de Muris auricula caput habentibus, sequitur. Vera itaq; Muris auricula Scolopendrio siue Polypodio similia habet folia, minora tamen, quæ singula murium auribus similia sunt, Germani quoque Meußöhrlen uocant. Est & alia quæ similiter ab omnibus Auricula muris uocatur, etiam Germanis quibusdam & Italis Pilosella, nostrisq; equitibus Nagelkraut. Sed hęc minima quædam Intybi species est, quod ex floris forma, colore & lacteo foliorum liquore facilè colligimus. *Pilosella.*

ISATIS SATIVA. CAP. 215.

Isatis satiua copiosè in Turingia ad tingendas uestes seritur. Germani Weydt uocant, Latini Luteam & Glastum. In huius herbæ caulis longitudine uariant exemplaria: quædam enim cubito eum altiorem, quædam uerò duobus proceriorem esse indicant. Prior tamen lectio mihi magis placet. Ea enim altitudine in pingui etiam solo Isatida nasci uidi.

**Species uidetur Braßicæ syluestris.*

ISATIS AGRESTIS. CAP. 216.

Agrestis Isatis eandem cum satiua formā habet, & ab illa nihil differt, præterquàm quòd non seratur. Germani eam wilden Weydt uocāt. Nascitur in spisso & gipsoso solo.

TELEPHIVM. CAP. 217.

Videtur corruptum esse hoc caput, & dubitatur an hoc loco legi debeat. Nam in in quarto eandem herbam aliter describit: & aliter in capite Aizoi minoris, quod Telephium diuersum ab hoc esse, secundum hanc descriptionē, necesse est. Ego nullam hactenus herbam uidere potui, quæ huic historiæ conueniret. Quapropter in minoris Aizoi annotatiunculam sermonem de Telephio reiicimus.

VALERII CORDI SImesusij, in Pedacij Dioscoridis ANAZARBEI TERTIVM DE MEdica materia Librum, Annotationes.

AGARICVM. CAP. 1.



GARICVS FVNGI GENVS EST, ARBORIBVS ADNAscens: nomen suum in Pharmacopoliis adhuc retinet, & à Germanis, quoniam plerunque in abiete nascatur, Dannenschwamm uocatur.

*Potius Lerchenschwamm à Larice uocandus.

RHA PONTICVM. CAP. 2.

Habentur in Pharmacopoliis duæ radices, Quarum unam Rha barbarum, alteram Rha Ponticũ uocant. Verùm neutra est ea, quæ hîc à Dioscoride describitur. Nam Rha Ponticum, quod hodie sic uocant, huic historiæ minimè conuenire potest. Est enim ponderosa & succosa, nec aliquem Croci ex se colorem remittit. Rha Ponticũ uerò, quod Dioscorides describit, fungosum & leue est, & Croci colorem manducatum remittit. Ergo quilibet uidere potest, nequaquam uerum esse Rha Ponticum, quod hodie eo nomine uenditur. Neque enim in Ponto hoc nascitur, sed in Italia, unde ad nos adfertur. Quid autẽ sit ea radix, quæ hodie pro Rha Pontico in usu est, statim pòst audiemus. Nunc uerò quid Rha Ponticum reuera sit, indicandũ puto. Omnes Arabes cum de suo Rha barbaro seu Rauedseni scribunt, Dioscoridis caput de Rha Pontico citant. Vnde necessariò sequitur, Dioscoridis Rha Ponticum, quod in Ponto nascitur, idem esse cum Rauedseni Arabum. Cum uerò Rauedseni ualde odoratũ esse ipse sensus testetur, & Rha Ponticum sine odore, (hoc enim Græcis ἄοσμος significat) à Dioscoride describatur, necesse est diuersas radices esse, nostrum seu Arabum Rha barbarum, & Græcorum Rha Ponticum. Propterea anteà à me dictum est, neutram radicem Dioscoridis esse Rha Ponticum, quod non simpliciter à quoquam intelligi debet. Nam Rha Ponticum, quod in Ponto nascitur, inodorum est: quod uerò in India prouenit, odoratum propter cœli & regionis calorem gignitur. Nam idẽ genus habent, & eandem formam, Rauedseni & Rha Ponticum Græcorum, odore tamen & uirium præstantia Indicum præcellit. Certum igitur est, nostrum Rha barbarum cum Dioscoridis Rha Pontico idem esse genere, & tantum differre natalis loci diuersitate. Propterea minimè errãt Arabes, quod Dioscoridis caput de Rha Pontico in recensendo suo Rauedseni adducant. Subscribo itaque hoc meo de Rha barbaro iudicio Manardo, qui in Epistolarum lib. 6. Epistola 5. ad Leonicenum scripta, idẽ quod ego de Rha barbaro iudicat.

Seritur hodie in plurimis Germaniæ locis herba quædam, quam uerum Rha barbarum esse credunt, quoniam luteum colorẽ radix eius habet: sed magno errore. Est enim nihil aliud, quàm Lapathi uel Rumicis species, quod quilibet ex radicis, caulis, foliorum, florum & seminum figura & uiribus iudicare potest. Nequaquam enim continuo Rha barbarum erit, etsi luteum colorem radix habeat. Nam uulgaris quoque Rumex similem colorem in radice ostendit. Propterea superuacuum est, quod tanta cura eam herbam excolant.

GENTIANA. CAP. 3.

γεντιανὴ à Germanis Bitterwurtz & Encian uel roter Encian appellatur. Nota hoc nomine omnibus Pharmacopolis & Medicis radix est. Nascitur copiosissimè in Sueuiæ & Brisgoiæ montibus.

ARISTO-

ARISTOLOCHIA. CAP. 4.

Tria ſunt Ariſtolochiæ genera. Longa, rotunda, & altera longa, quę Ariſtolochia clematitis uocatur. Hanc hodie ſimpliciter longam uocamus, cùm tamen prior illa ſic appellanda erat, quæ incognita nobis hactenus fuit. Iam uerò ex Italia ad nos rurſus affertur. Radicem habet dodrante non multò longiorem, ut etiam hiſtoria indicat. Quæ uerò hodie longa à nobis appellatur, & ueteribus Ariſtolochia Clematitis, ab CAP. 6. hac diuerſa penitus eſt. Longiſſimam enim & uitis ſarmento ſimilem radicem habet, unde apud Græcos nomen inuenit. Germani eam Oſterlucei uocant.

Rotunda Ariſtolochia radicem rotũdam, inſtar globi, habet: nonnunquam etiam CAP. 5. tuberibus inæqualem. Hac etiam caruimus hactenus, & malè eius loco uſi ſumus ea radice, quam Germani Holwurtz appellant, quæ nihil habet præter radicis rotundi tatem, cur Ariſtolochia dici poſſit. Omnes enim Ariſtolochiæ hederaceo conſtant fo lio. Holwurtz uerò Rutæ & Fumo terræ folia ſimilia habet. Omnes etiam Ariſto= lochiæ eundem ſaporem & odorẽ habent. Holwurtz autẽ ab Ariſtolochia utrumq; diuerſum. Porrò male in omnibus Dioſcoridis exemplaribus Clematitis Ariſtolo= chiæ folia, minoris Sedi, id eſt, Vermicularis foliis comparãtur. Etenim cùm longa & rotunda Ariſtolochia, hederaceis conſtet foliis, par eſt etiam tertiã eius ſpeciem eiuſ= dem formæ folia habere, qualia etiam in ea naſci cernimus. Propterea corruptus eſt hic locus apud Dioſcoridem, cum ait: φύλλοις ὑποστρογγύλοις ἀειζώου μικροῦ ἐοικός. & pro ἀειζώου, legendum eſt ἀστέρου. Sic proculdubio etiam Dioſcorides ſcripſit, & ipſa rei na- tura indicat. Μικροῦ uerò expungendum eſt. Ipſe uerborum contextus uidetur à Dio= ſcoridis ſtylo & loquendi forma in comparationibus plantarum abhorrere. Factum itaq; eſt quorundam diligentia, ut omnes tres ueræ Ariſtolochiæ differentias habere poſſimus. Quid autẽ ſit Holwurtz/ quam malè rotundam Ariſtolochiam uocamus, in Fumi terræ capite indicabimus, ne quicquam relinquere uideamur.

DVLCIS RADIX. CAP. 7.

Glycyrrhizam Germani Süßholtz & Süßwurtz appellant. Eadem eſt cum Scythica, quæ comeſta aliquot diebus ſitim famemq; tolerare Scythas poſſe, autho= res tradunt. Plantatur hæc in Germania etiam ad annonam & uectigal. Plinius erra= uit, quòd dicit ſine dubio inter aculeatas eſſe Glycyrrhizam, foliisq; eam echinatis de ſcribat, id eſt, aculeatis. Decepit Plinium duorum iſtorum uocabulorum ſimilitudo, χίνῳ & ἐχίνῳ. Nã facilis eſt ex uno in alterutrũ lapſus. Dioſcorides folia Glycyrrhizę χίνῳ, id eſt, Lentiſco comparauit. Vidi autem ego Lentiſci & Glycyrrhizę folia: eſtq; his mira in figura, poſitu & ordine ſimilitudo. Quapropter monendi ſunt Pliniani le ctores, ne hoc loco Plinii potius authoritatem, quàm naturæ ueritatem, & oculatam fidem ſequantur.

CENTAVRIVM MAIVS. CAP. 8.

Inuenit olim utrumq; Centaurium, & à ſe appellauit, Chiron Centaurus. Hodie ue ro quale ſit hoc maius Centaurium, omnino incognitum fuit, & adhuc pauciſſimis, quid reuera ſit, notum eſt. Porro ſi huius hiſtoriæ quis conferat radicem iſtam gran= dem, quam hactenus impropriè Rhaponticum uocarunt Pharmacopolæ, haudqua= quam ire inficias poteſt, idem eſſe eam cum maiore Centaurio. Neq; uerò radix tan= tum deſcriptioni conuenit, conueniunt etiam caulis, folia, flores & ſemina. Quapro= pter non opus fuiſſet Antonium Muſam hoc negare.

CENTAVRIVM MINVS. CAP. 9.

Minus Centaurium ob amaritudinem Fel terræ etiam à Latinis appellatur: quam appellationem male ad maius Centaurium tranſtulit apud Theophraſtum Gaza. Non enim amarum guſtu percipitur, ut minus. Eſt autem minus Centaurium ea her ba, quam Germani Tauſentgulden/ & Aurin uocant. Quidam etiã Fiberkraut: In Pharmacopoliis Centaurea appellatur.

✱Cognata huic uidetur Gratiola, ſed efficacior.

CHAMAELEON ALBVS. CAP. 10.

Chamæleonem quidam eum Carduum esse dicunt, qui à nobis Vichdistel appellatur. Alii etiam Marianum Carduum ueluti lacteis maculis in foliis conspersum Chamæleonem uocant. Sed neutra pars probabile quiddã asserit. Nam Chamęleon duplicem habet differentiam. Est enim candidus & niger. Ille nullum omnino caulẽ habet: hic uero tãtum dodrantali lõgitudine. Sed Vichdistel & Mariendistel pro ceros habet caules, qui interdum supra hominis proceritatem excrescunt. Neque hac tantum nota hi Cardui à Chamæleonibus differunt, carent etiam odoris grauitate, propter quam niger Chamæleon Ocimoides & Cinozolon uocatur. An autem apud nos etiam nascatur albus Chamæleon, non facilè quiuis dixerit. In Italia uerò prouenit, unde allatas radices uidi. Ixia uenenum huius radicibus interdum & in quibusdã locis adnascitur, uisco quo aues capiuntur simile, unde & apud Grecos nomen inuenit. Appellatur etiam ipsa herba Ixine ab hoc uisco, ut apud Theophrastum & Plinium uidere est. Apud Plinium tamen lib. 21 cap. 16. male Helxine pro Ixine, scriptum inuenitur.

Carlina candida maior, quæ ex Gargano monte adfertur.

CHAMAELEON NIGER. CAP. 11.

Chamęleonẽ nigrum uulgo ignoramus. Mihi tamen ea Cardui species uidetur esse, quæ à Germanis Eberwurtz appellatur: † historiæ enim omnes notæ conueniunt, & eosdem habet in curandis malignis ulceribus usus. Sed obiiceret quispiam, Nigri Chamæleonis radicem uenenatam esse intra corpus sumptam, ut Galenus ait: radicem uero, quam nos Eberwurtz nominamus, egregiam uim contra pestem & omnia uenena habere. Nos autem respondemus: Non semper huius Chamæleonis radicem uenenatã esse, neq; in omnibus locis, sed iis tãtum, quibus uisco simile quiddam, quod Ixiam uocant, in radice producit, quod si non habeat, non est uenenata. Nam albi etiã Chamæleonis radix si sine Ixia sit, intra corpus contra uarios morbos sumitur. Cùm uerò adnatam Ixiam habuerit, uenenata redditur. Sciendum est illud etiam, in nigro Chamæleone Ixiam interdum inueniri, ut Plinius lib. 22. cap. 18. circa finem ait, additq; omnium generum Chamæleonis radices scorpionibus aduersari. Quare non sine ratione nos quoq; nigri Chamęleonis radice, quam Eberwurtz uocamus, contra pestem & uenena utimur. Porrò accusare aliquis Plinium posset, quòd nigri etiam Chamæleonis genera uiscum ferre dixerit. Verùm cum uiderim in ea radice, quam Eberwurtz uocamus, Ixiam nasci, Plinium uera dixisse, & Eberwurtz nigrum Chamæleonem esse, probare possum. Itali nigrum hunc Chamæleonem Carlinam uocant. *Carlina nigra.*

† Chamæleon niger uerus ab hoc diuersus, noscitur hodie eruditis in Italia.

CROCODILIVM. CAP. 12.

Crocodilion nigro Chamæleoni simillimum est, & sæpe legentes fallit. Germani wild Eberwurtz uocant. In Pharmacopoliis hodie non habetur.

Quidam Rhaponticum Germanicum interpretantur, nescio quam herbam sic appellantes.

LABRVM VENERIS. CAP. 13.

Labrum Veneris Græci Dipsacon, Pharmacopolæ Carduum fullonum, Germani Wolffsstrahl/Weber distel/ & Weberkarten appellant. Notus est omnibus Carduus, cuius echinatis capitibus fullones pannum uellicant & exasperant. Duplicis autem est differentiæ. Quædam enim sponte ubique prouenit, quædam etiam in agris seritur, qua fullones utuntur. Non desunt qui hanc Cardui speciem Virgam pastoris uocent.

SPINA ALBA. CAP. 14

Spina alba, de qua hic agitur, ex Carduorum censu est, & ab Arabibus Bedeguar appellatur. Nondum tamen inter doctos conuenit, quo nomine à nobis appelletur: Quamuis Fuchsius Marianum carduum, cuius folia lacteis maculis distincta sunt, Spinam albam esse certò affirmet. Cùm uero ueteres hanc albam Spinam simpliciter albo colore descripserint, & non candidis maculis cõspersam, quales in Mariano Carduo uidemus, nihil affirmo.

ARABI-

ARABICA SPINA. CAP. 15.

De Arabica Spina, quam Arabes Suchaha uocant, non parua etiam inter doctos & Pharmacopolas contentio habetur, quam componere non est nostrum.

SCOLYMUS. CAP. 16.

Scolymus non est uulgaris ille & incultus Carduus, purpureũ habens florem: sed satiuus ille, quem ueteres Rei rusticæ scriptores simpliciter Carduum uocant, Itali hodie & Galli Artecochum. Pulcher est Carduus, cuius fructu siue capite in cibis uescuntur. In Germania nuper etiam seri cœpit, non tamen ad libidinis luxum, ut in Italia & Gallia. * *Carduus Hispanicus.*

POTERIUM. CAP. 17.

Poterion Cardui species est, quæ hodie non cognoscitur: non, ut quidam putant, arbuscula illa, quæ Germanis Schlehendorn appellatur. Dioscorides Poterion grandem esse fruticẽ scribit. Schlehendorn uerò frutex nõ est, quoniã in iustam arboris magnitudinẽ adolescit, si nõ præcidatur. Poterion longos, molles, uitiliũ modo lentos, graciles, & hircinæ spinę similes ramulos producit. Schlehendorn uerò non ramulos à terra mittit, sed crassum, durũ, inflexilem, & si flectatur continuo fragilem caudicem erigit. Vidi ego Hircinæ spinæ ramulos, qui graciles mollesq; sunt, ut carduorum & aliarum herbarum ramuli. Sed nihil omnino commune cum hac arbore habebant. Poterion totũ multa, tenui, lanosaq; lanugine uestitur. Schlehendorn uero nulla lanuginis uestigia habet, nisi fortè aliquis in uetustis illius caudicibus muscum & uillosam caniciem lanuginem appellare uelit. Sic autem nequaquam intelligit Dioscorides. Multum enim differunt Muscus & Lanugo. Muscus etiam in crassis tantum arborum partibus inuenitur. Poterion uerò totum tam ramulis minimis, quàm maximis lanuginem ostendit. Poterio semen siue fructus odoratus, sed medicinæ inutilis est. Schlehendorn uero inodorum & medicinæ ualde utilem habet. Postremò Poterio sunt radices neruosæ, quæ in terra sectæ gummi lachrymantur. Schlehendorn uero ligneas habet radices, quæ in terra sectæ nullum gummi emittunt. Certum igitur est, arborem quam nos Schlehendorn appellamus, Poterion non esse, neq; à Dioscoride describi. At si eam descripsisset, in primo libro, ubi Prunũ & alias arbores recenset, quærẽda esset, ac minimè inter Carduos in hoc tertio, in quo de radicibus, herbis & seminibus se scripturũ in præfatione huius libri pollicitus est. *Non est Prunus syluestris.*

ACANTHIUM. CAP. 18.

Acanthion diminutiuum est ab Acantho nomen. Est autem sine dubio Carduus, quem Benedictum uocant, Pharmacopolæ Itali Carduncellum diminuto à Carduo nomine, & Germani pariter Latinis Cardobenedicten, & proprio uocabulo Spinnendistel, quasi araneæ carduum, propterea quod aranearum telis capita ipsius simili septa sunt lanugine.

ACANTHUS. CAP. 19.

Ex Carduorum etiam genere Acanthus est. Itali eum Brancam ursinam Romanã uocant. In Germania à quibusdam spectaculi causa in hortis colitur. Differt à uulgo hîc uocata Branca ursina, umbellifera herba plurimùm, quæ à Nicandro & Plinio Bupleuron, & à ueteribus Græcis etiam Buprestis appellatur. Est & Buprestis ex Cantharidum genere, de qua in Secundo dictum est.

* *Branca ursina Romana, alia syluestris est, alia satiua.*

SYLUESTRIS ACANTHUS. CAP. 20.

Qualis sit syluestris Acanthus, nondum comperi.

ONONIS. CAP. 21.

Ononis ab Italis Remora aratri, Resta bouis, & Acutella, à Germanis uero Hawhechel & Stallkraut appellatur. Longissimas habet radices, quæ boues & aratra in arando remorantur, unde etiam ab Italis nomen inuenit.

LEVCACANTHA. CAP. 22.

Antea habuimus Carduum, qui duobus discretis nominibus ἄκανθα λευκὴ appellabatur. Hîc uerò composito ex duobus uocabulis nomine, λευκάκανθα uocatur. Qualis autem Carduus sit, hodie ignoratur.

TRAGACANTHA. CAP. 23.

Tragacantha Latini Hirci spinam uocant, cuius lachryma quæ ex secta manat radice, adhuc in Pharmacopoliis Tragaganthum appellatur. Falluntur aliquot recentiores, qui gummi Arabicum Tragacanthæ lachrymam esse putant.

ERYNGIVM. CAP. 24.

Eryngion, quod hodie quidam Centumcapita, & Germani Wallendistel / uel Radendistel uocant, omnium Carduorum pulcherrimum est, propter foliorum spectabilem formam, & capitulorum posituram, quæ alibi candida, alibi pallida, & in quibusdã locis cœrulea spectantur. Radices eius in Pharmacopoliis siccatæ & Zacharo conditæ seruantur.

ALOE. CAP. 25.

Aloë omnibus Pharmacopolis notus est succus, cuius frequentissimus est in Medicina usus. Affertur autem ex India. Herba ipsa etiam apud nos studiosè in hortis colitur, ea qua à Dioscoride describitur figura. Quidã Semperuiuam Indicã appellant.

✝ *Aliqui Sedum maius uocant. Insipida apud nos est: sed in hypocaustis suspensa, amarescit, uiuitq; ac uiret. Succotrina à loco Succot cognominatur quædam. Præfertur Hepatica. Vilis & arenosa est Caballina.*

ABSINTHIVM. CAP. 26.

Absinthium Germani Wermůt / & Elsenn uocant. Multas habet quæ statim insequuntur differentias. Hoc loco tamen de uulgari & ubiq; nascenti agitur. Errant qui album Abrotanum, Ponticum Absinthium esse dicunt. Errant etiam qui Cupressum herbam (quam nos Cypressen / Græci Chamęcyparissum nominant) Seriphiũ, id est, marinum Absinthium esse contendunt.

✝ *Nostro Absinthio quia parum adstringit, admisceri potest Rosa.*

MARINVM ABSINTHIVM. CAP. 27.

Marinum Absinthium à Seripho Insula etiam Seriphium dicitur. Nascitur maritimis locis, unde nomen inuenit. Pharmacopolæ eius semen habent, quod Alexandrinum semen uocant, quidam etiam Sanctum semen, quod nomen à Santonico de-

CAP. 28. ductum est. Nam hoc marino Absinthio simile est, semine tantum exiliore. Nascitur hoc in Gallię & Germaniæ quibusdã locis, & semen eius ab Italis Sandonigo, à Pharmacopolis Zinæ semen, uel semen Sanctum minus appellatur. Germani utrumque Wurmsamen / & Wurmkraut uocant.

✝ *Huius semen aliqui semen Zedoariæ uocant. Absinthium marinum aiunt etiam in Germaniæ ora, ut Seebergi, inueniri.*

ABROTONVM. CAP. 29.

Abrotonum duplex est, scilicet nigrum & candidum. Illud mas, hoc uerò fœmina intelligitur. Mas apud nos in hortis plantatur, & Germanis Stabwurtz / Garthrim / Ebreiß / candidum similiter in hortis seritur, sed interim multis in locis sponte gignitur, propterea à nobis Wilde stabwurtz & Weisse stabwurtz appellatur. Mas apud nos rarò floret, ob nostri cœli frigiditatem.

HYSSOPVS. CAP. 30.

Hyssopus sine dubio est ea planta, quæ adhuc ab omnibus hoc nomine dicitur: quamuis multis argumentis contendere aliquis posset, nos Hyssopo carere. Sed ea argumenta facilè dilui queunt. Germani Jsop uocant.

✝ *Nascitur circa hunc fruticem Cuscuta, multò reliquis subtilior: qua pro Epithymo, si opus sit, rectè utemur. Ienæ in montibus syluestris etiam Hyssopus prouenit.*

STICHAS. CAP. 31.

Stichas in Stichadibus Insulis è regione Massilię olim serebatur, unde & nomẽ inuenit.

uenit. Huius loco hodie Arabica Stichade utuntur pharmacopolæ, quæ omnino eadem est, sed densiorem spicam habet. Porrò omnibus hodie ignotum est, quidnam sit ueteribus illa herba, quam nos Lauendulam maiorem, siue Spicam, appellamus. Quidam tamen Nardum Celticam esse affirmant: quorum opinionē in Celtica Nardo confutaui. Alii Rorismarini genus quoddam existimant, inter quos Leonicenus, Manardus & Parens meus fuerunt. Verum neq; horum opinioni assentiri possum, salua tamen semper doctissimorum uirorum authoritate, & chari parentis reuerentia. Cum uero ab illorum sententiis omnino recesserim, meam opinionem de Lauendula ista, seu Spica, ut proferam necesse est, ne uidear temerè & absq; ratione à doctissimorum uirorum iudicio recessisse. Mihi autem omnino persuasi, Spicam istam Stichados speciem esse. Nam nascitur & plantatur iisdem locis, quibus Dioscorides Stichada nasci ait. Sed leue est hoc argumentum Consulamus ergo omnes alios sensus, qui si integri nobis fuerint, nunquam in iudicandis plantis errare & falli possumus. Iamdudum itaq; in ea opinione hæsitaui, quòd crederem Spicam istam Stichadis speciem esse. Nolui tamen quicquam certi pronunciare, antequàm utranq; plantam uiuam uidissem. Curaui igitur Arabicum Stichada, nostro orbi peregrinam plantam, mihi afferri, allatumq; ex Narbonensi Gallia semen terræ mandaui aliquoties: & è semine prodiit planta ramulis, foliis, odore, sapore, & ramulorum foliorumq; positu Spicæ Lauendulaceę per omnia similis. Fragrantior tamē est Arabica Stichas, quàm Spica. Neq; tamen his notis contentus fui. Animaduerti etiam flores & semina in utraq; simillima esse, quæ utraq; in oblongis spicis gerit. Arabicæ tamen Stichadis Spica breuior est & densior, quàm Lauendulæ siue spicæ. Spica uulgaris.

Huius etiam generis est uulgaris ista Lauendula, quæ ex maiore illa in eam quam uidemus degenerauit. Porrò Mesue uehementer errat, quòd scribit Arabicam Stichada semen non habere, cum illi satis manifestum & perspicuum sit.

ORIGANVM OMNE. CAP. 32. 33. 34. 35.

Origani multæ sunt species, ut Heracleoticum, Onitis, Origanus syluestris, et Hircina origanus. Heracleotica uero plures adhuc differentias habet, inueniturq; una eius species, quæ forma foliorum & capitulorum Maioranam imitatur. Hæc iam ex Creta à quibusdam allata est, odore iucundissimo. Omnibus illis speciebus nos in nostro orbe caremus, sola syluestri Origano excepta, quæ copiose in nostris montibus gignitur, & à nobis Dosten & Wolgemůt appellatur. Hæc iam in pharmacopoliis habetur.

PVLEGIVM. CAP. 36.

Nouerunt omnes Pulegium, quod humentibus locis sponte gignitur, & à quibusdam in hortis & perforatis fictilibus plantatur, propter miram germinandi facilitatem. Nam etiam minutim incisum satumq; prouenit & germinat. Germani Poley uocant.

DICTAMNVS. CAP. 37.

Iamdudum à doctis deprehensum est, nos uera Dictamno carere, & diuersissimam ab ea radicem in eius locum recepisse, quam magno errore Dictamnum nominamus. Constat uera Dictamnus Pulegii foliis, nostra uerò, qua pro Dictamno utimur, Fraxini folia habet, quæ longè à Pulegii foliorum similitudine recedunt. Vera Dictamnus etiam foliis Medicinam facit tantum, radices enim lignosæ sunt, propterea rarus illarum usus fuit. In nostra uerò solæ radices medicā uim habent. Dictamni præterea folia densa lanugine utrinq; uestita sunt: nostrę autē folia omnino glabra cernūtur. Quapropter in Dictamno hac ualde erramus. Ne autē calumnias & conuicia audire cogar, quod à cōmuni persuasione recedā, indicabo ubi nā uera sit Dictamnus: Georgius Agricola primus in Germaniam Dictamnum ueram attulit, cum ex Italia rediret. Vidit hic uiuam Dictamnum cum Scordio in fictilibus uasculis Venetias ex Creta allatam. Post hunc magnā illius copiam Olingerus Norimbergā Venetiis aduexit, à quo peritiores etiā pharmacopolę emūt. Nūc autē quotannis magnę eius sarcinę ex Creta Venetias, à Venetiis Francofordiā afferūtur. Et tam graphicè ab omnibus descriptā historiam exprimit, ut non possit melius. Verū minimè caule caret, ut

Theophraſtus ſcribit. Minimè etiam flore, ut Dioſcorides putat. Habet enim purpureum florem. Quapropter hac in parte potius Vergilio, quàm Theophraſto & Dioſcoridi crediderim, qui caulem & flores purpureos Dictamno tribuit. Sed uenia dignos illos pronuncio, cùm multæ herbæ quibuſdam temporibus & locis neq; caulem neq; flores habeant. Non tamen id à proprietate illis ineſt. Simile in Cynogloſſa Dioſcorides commiſit, quæ quibuſdam locis & temporibus caulem & flores minimè producit, cùm tamen alibi utrunq; producat. Plures ſunt herbæ, quibus neq; caulem, neq; flores, neq; ſemina Dioſcorides eſſe dicit. Ego tamen multis nunc annis hoc obſeruare uolens, tale nihil inueni, ſed deprehẽdi eas herbas, quibus ille caules omnino negat, interdum, ut antea dixi, ſic naſci. Illud tamen animaduerti uerum eſſe, nullam Filicem Filiciq; cognatam herbam, caules, flores & ſemina ferre. Thelypteris autem quamuis caulem ferat, flores tamen & ſemina minimè gignit.

✱ Vulgarem Dictamnum, Itali Fraxinellam uocant: quod nomen aliqui ſigillo Salomonis non rectè adtribuunt.

PSEVDODICTAMNVS. CAP. 38.

Pſeudodictamnus antedictæ ſimilis deſcribitur, ſed humidioribus locis gignitur. Neceſſe igitur eſt, maiorem priore fieri, quod ad folia & caules attinet. Viribus uerò multo inferior exiſtit. Non affertur hæc. Satius enim eſt nobis priore uti, quæ uiribus hanc ſuperat.

CRETENSIS DICTAMNVS. CAP. 39.

Non apportatur ad nos hoc Dictamni genus. Quidam credunt noſtram Dictamnum illud eſſe. Sed hæc ubiq; naſcitur, propterea non opus fuiſſet, ex Creta eam in Græciam afferri.

SALVIA. CAP. 40.

Eleliſphacum Latini Saluiam uocant, Germani Salbey. Optima eſt quæ minora habet folia. Vehementiorem enim ſaporem remittit. Nota omnibus Saluia eſt.

✱ Saluia cruciata eſt, de qua Dioſcorides ſentit, minor. Maior uerò, Sphacelus Theophraſti.

MENTHA SATIVA. CAP. 41.

ἡδύοσμον ſiue μινθλὼ, Germani Krauſe müntz appellant, Saxones uerò krauſe minthen, pharmacopolæ Mentham criſpam. Satiua hæc Mentha eſt, & niſi ſæpe transferatur, Siſymbrio ſimilis fit.

MENTASTRVM. CAP. 42.

Mentaſtrum agreſtis Mentha eſt. Germanicè Pferdsmüntz appellatur. Serpit per terram hirſutioribus & grauius olentibus foliis, quàm ſatiua Mentha. Sed nemo aquaticam Mentham me intelligere hoc loco credat.

NEPETA. CAP. 43.

Nepeta tres habet ſpecies. Eſt enim montana, agreſtis, & fruticoſa. Montanam nondum uidi. Agreſtis priuatim à Latinis Nepeta uocatur: quod nomen malè nunc tertiæ ſpeciei, quæ omnium ignauiſſima eſt, tribuitur. Habet uera Nepeta Pulegii ſimilitudinem aliquam, & nobis Kornmüntz uocatur. Tertia ſpecies fruticoſa & procera eſt, Germanicè Katzenmüntz uocatur, quoniam feles ea delectantur. Ob eandem cauſam ab Italis Mentha cataria dicitur. Græci omnes has ſpecies Calaminthas uocant. Recentiores pharmacopolæ ueram Nepetam Calamentum & Mentham nõ odoriferam dicunt, ut diſtinguatur à ſatiua & odorata Mentha. Verùm inepta eſt hæc diſtinctio, cum Calamenthum etiam ualde odoratum ſit.

✱ Nepeta alia eſt montana, Steinmüntz. *alia propriè dicta, in aruis & humidis locis,* Kornmüntz. *alia falſo dicta Nepeta,* Katzenmüntz.

THYMVM. CAP. 44.

Thymus in multis Germaniæ locis in hortis plantatur, & à nobis Tymchen uocatur. In calidioribus regionibus ſponte gignitur. Is uerò qui in Creta naſcitur, ſpicata habet capitula, & fragrantiſſimum ſpirat odorem. Nonnunquam etiam ad nos affertur, & à pharmacopolis Thymus aromaticus appellatur.

THYM-

THYMBRA. CAP. 45.

Thymbra syluestris, & satiua est, utraque Cunila à Latinis dicitur, satiua uerò Satureia tantum. Hæc à nobis Saturey & Gartenkunel dicitur. Nemo credat, Columellam Thymbram à Satureia diuersam facere herbam, cum ait: Et Satureia Thymi referens Thymbræque saporem. Satureiæ enim uocabulo satiuam Cunilam intelligit, Thymbræ uerò syluestrem. Quasi dicat: Satureia quæ Thymbra satiua est, medium habet inter Thymum & syluestrem Thymbram saporem. Syluestris autem Satureia, quæ propriè Thymbra uocatur, & ipsa iam affertur ex Creta pro Polio, sed falso, habetque circa se cuscutam Epithymi modo, quam Paulus Aegineta, Epithymbrum uocant.

SERPILLUM. CAP. 46.

Serpillum quoddam satiuum, quoddam etiam syluestre est. Satiuum hodie non temerè cognoscitur. Errant itaque qui nostrum Pulegium illud esse credunt. Syluestre uero ubique in asperis nascitur, & à nobis Quendel kunel & Feldtkunel uocatur. Quidam adeò inertes sunt, ut Feldtkunel & Feldtkümmel eandem rem esse credant: cùm hoc uocabulo Caron agreste, illo uero Serpillum syluestre Germani intelligant. Porro magnam similitudinem Cunila cum Serpillo habet. Propterea hoc illius etiam nomen sibi apud Germanos adoptauit.

SAMPSUCHUM. CAP. 47.

Sampsuchus siue Amaracus, Latinis Maiorana, Germanis Meyeron uocatur. Omnibus nota est herba. Illud tamen reticere nolo, Amaraci nomine etiam aliam herbam Galeno, Dioscoridi, & aliis Græcis significari. Nam Galenus libro tertio κατὰ γένη Amaracum non boni odoris esse indicat, propterea eam delicati cuiusdam emplastro miscere noluit. Quid uero sit Amaracus, quam eo loco intelligit, postea eodem hoc libro in Parthenio indicabimus.

* *Sampsuchum aliud semine seritur: aliud surculo, quod fruticescit.*

MELILOTUS. CAP. 48.

Melilotum Latini Sertulam Campanam uocant. Non idem Melilotum omnes pharmacopolæ habent. Quidam enim humi stratam trifolii speciem, (Heluetii uocant Gäle Taubenkröpfle) quæ luteos habet flores, pro Meliloto accipiunt, sed malè. Neque recens enim, neque sicca aliquam odoris bonitatem habet: Melilotum uero fragrantissimum habere debet, præsertim siccum. Propterea hoc Dioscorides cũ Sampsucho inter alias odoratas herbas describit. Ii tamen melius faciunt, qui Steinklee appellatam Loti siue Trifolii speciẽ, pro Meliloto accipiunt. Odorata enim est ualde, præsertim quæ luteos habet flores: hi siccati melius etiam olent.

* *Melilon uera gratissimum habet mellis odorem: eius uera effigies exhibetur à Fuchsio.*

MARUM. CAP. 49.

Maron olim omnibus nota fuit herba, propterea (ut in re nota fit) forma eius descripta non fuit. Hinc factum est, ut hodie omnino ignoretur.

ACINOS. CAP. 50.

Acinos nisi Ocimum Cariophyllatum fuerit, quod Germani Krauß basilien uocant, omnino incognita est hoc tempore.

BACCHARIS. CAP. 51.

Bacchar siue Baccharis, coronaria est herba. Cuius caput in quibusdam exemplaribus malè Asari capiti commixtum est, & ab imperitis additum, ut suprà, cum de Asaro ageremus, dictum est. Bacchar uero quo nomine iam appelletur, ignoratur. Ruellius eam nouisse se putat. Ego uero qualem ille herbam intelligat, non scio.

RUTA. CAP. 52.

Rutam Germani Rauten / siue Weinrauten appellãt. Omnibus nota est herba.

Habet

Habet autem suas differentias. Vna enim satiua est, de qua nunc agitur. Altera syluestris, odoris & saporis acrimonia satiuam superans. Hanc Arabes Harmel siue Armel uocant: pro cuius semine Cicutæ semen magno periculo hactenus in usu fuit, quem errorem alii ante nos animaduerterunt.

RVTA SYLVESTRIS. CAP. 53.

Parens meus in suo Botanologico ait, nostrum uulgare Hypericum siue Perforatam, Ascyron, id est, alteram Hyperici speciem esse. Antonius Musa uerò negat, & scribit nostram Perforatam omnino eam esse, quæ hoc loco à Dioscoride Ruta syluestris uocetur. Miror autem quomodo in tam peruersum iudicium incidere potuerit, uir ille aliàs acerrimus simplicium censor. Quòd autem hac in re falsum iudicium tulerit, nunc conabimur ostendere, à temperamento Rutæ sumpto initio. Certum est secundum Galeni, & omnium Medicorum sententiam, atque ipsa experientia comprobat, satiuam Rutam in tertio iam completo excalfacientium ordine siue gradu esse, unde etiam tantam exiccandi uim acquisiuit, ut ipsum genitale semen exiccet. Syluestris uerò Ruta integro gradu in caliditate & siccitate satiuam excellit: quo fit, ut non sine nocumento intra corpus sumatur. Qui igitur hæc probè considerauerit, nullo modo iudicabit Perforatam syluestrem esse Rutam: quippe cùm Perforata in secundo tantùm calfaciendi & siccandi gradu sit. Vnde perspicuum est, eam nondum satiuæ Rutæ, nedum syluestris temperamentum habere. Qui hoc credere noluerit, ipsum Galenum & certissima iudicia, quæ à gustu & experientia sumuntur, temerè reprehendit. Sed dicent aduersarii, & errorum eorum assectores (ut sunt ad calumnias prompti) cœli temperamentũ in causa esse, ut Perforata apud nos in calore deficiat. Eos suo gladio iugulabo. Nónne idem cœli temperamentum etiam ipsam Rutam in calore deficere cogere deberet? Nónne Ruta præterquàm quòd satiua est, ex alio etiam orbe ad nos allata fuit, unde necessariò sequeretur eam frigidiorem multo fieri (si cœli ratio tantum in mutandis herbarum uiribus ualeret) & tamen adhuc apud nos calida in tertio gradu existit. Cũ uerò Perforata hîc minimè feratur, sed spõte ubique proueniat, & omnia spõte genita satiuis acriora sint, etiã in eadẽ specie, & tamen in calore integri gradus interuallo satiuã rutam nõ assequatur, minimè uerum esse potest, quòd Musa ait Perforatã rutã syluestrẽ esse. Nec animaduertit Rutę syluestris caput deprauatissimũ esse in Dioscoride, de quo nunc uerba faciemus. Duplex & diuersa syluestris Rutę historia hoc capite in quibusdã exemplaribus legitur, ac malè sibi ipsi totum caput cohæret. Necesse igitur est unam ex illis notam & adiectitiam esse. Quæ autem illa sit, ipsa ratio & meliorum codicum fides docere potest. Siquidem in principio huius capitis tota Hyperici historia legitur, quę malè ab imperito quodam huic capiti pręposita est. Quilibet enim hoc, qui legere tantum Gręcas literas potest, iudicabit. Nam de uerbo ad uerbum totum Hyperici caput huic loco accreuit. Hæc itaque est notha & adulterina historia Rutæ syluestris, cui Musa suam Perforatam contulit, non animaduertens Hyperici descriptionem esse, neque hoc loco in probatis & synceris codicibus legi. Abiecta igitur adulterina hac historia, uera & genuina sequetur, quam ille neglexit. Eam autem Rutæ speciem à quibusdam in Italia seri uidit harum rerum diligentissimus obseruator Georgius Agricola, Medicinæ Doctor, qui aliquot cum foliis, floribus & seminibus ramulos secum ex Italia attulit, eos ego diligenter inspexi, & historiæ contuli. Cui postquàm per omnia respondere sunt uisi, ipsa me rei ueritas pronunciare coëgit, ipsos de Ruta syluestri decerptos fuisse. Hæc uero Ruta omnibus ignota est pharmacopolis. Porro amicis hæc scripsimus. Nam si necesse foret, ualidiora adhuc allaturi essemus argumenta. Hæc candidis ingeniis sufficiant.

* *Nostrum Ligusticum habet candidum semen, quia est satiuum: Dioscorides de syluestri loquitur.*

CAP. 54. *Moly, Galeno & Hippocrati Myle est.*

PANACES HERCVLEVM. CAP. 55.

Panaces Herculeum malè apud Theophrastũ Ligusticum interpretatus est Theodorus Gaza. Sunt enim natura diuersæ, non tamen penitus dissimiles ferulaceæ plantę, quod ad radicem, caulem & semina attinet, folia uero plurimum discrepant. Ipsa

herba

herba apud nos non nascitur sponte, in Italia uero à quibusdam ostentationis gratia eam seri audio. Ex radice incisa liquor manat, qui opoponax & opoponacum uocatur, cuius adhuc est frequens in medicina usus. Atqui non queo satis admirari præcoces eos & temerarios in demonstrandis plantis iudices, qui quàm primum unica tantum nota & similitudo historię siue descriptioni conuenerit, tam facilè plantam aliquam, hoc uel illud esse pronunciant, reclamantibus interim plurimis descriptioni notis. In eorum etiam numero Itali quidam sunt, qui nostram uulgarem Brancam ursinam Panaces Herculeum esse putant, nobisq; Germanis semen eius ceu rei exoticæ mittunt, cum tamen apud nos nihil illa uulgarius ex ferulaceis herbis inueniatur.

PANACES ASCLEPIUM. CAP. 56.

Panacis hoc genus ab inuentore suo nomen inuenit. Hodie uero non cognoscitur.

PANACES CHIRONIUM. CAP. 57.

Inuenit olim Chiron Centaurus, & à se nominauit hoc, quod nunc ab omnibus ignoratur, Panaces.

* *Quidam mentam Saracenicam uocant, sed falso: Theophrastus quidem Panaces Chironium, Helenium uidetur. nam aliud quam Nicander & Dioscorides Chironium habet.*

LIGUSTICUM. CAP. 58.

Ligusticum à Liguria, ubi copiose nascitur, appellatum est. Galenus Libysticum uocat, pharmacopolæ Leuisticum, Germani Liebstöckel.

* *Nostrum Ligusticum habet candidum semen, quia est satiuum: Dioscorides de syluestri loquitur.*

PASTINACA ERRATICA. CAP. 59.

Erratica Pastinaca à Germanis Wilde mören/ & Vogelsnest/ propter umbellæ figuram, appellatur. Græcis Σταφυλῖνος ἄγριος, pharmacopolis uero Daucum. Sed omnes authores Daucum diuersam herbam ab hac syluestri Pastinaca faciunt. Propterea hic scriptor Daucũ seorsim etiam descripsit, cuius caput statim sequetur. Sunt igitur diuersæ herbæ, syluestris Pastinaca & Daucus.

* *Pastinaca alia est satiua, alia syluestris. Satiua rursus duplex: Gallica,* Pastenack *uel* Pasteneye. *Germanis Carota,* Möhren/ Rüble. *& similiter syluestris, alia Gallica,* Roßbibenelle/ Wilde Möhren: *alia Daucus dicitur, Germanis* Vogelsnest.

SESELE. CAP. 60. 61. 62.

Seseleos multæ sunt species, ut Massiliense, Aethiopicum & Peloponnesiacum: Est etiam Creticum, quod proximè sequitur. Aethiopicum autem & Peloponnesiacum, hodie à nobis non cognoscitur. Solius Massiliensis semen pharmacopolæ habent, Sileris montani appellatione, quod nomen à Sile deduxerunt. Nam Seseli ueteres etiam Sili & Seli uocabant. Siler uero pumile salicis genus quoddam est, in aquosis proueniens.

* *Seseli Maßiliensi, uulgo* Roßkümmel.

TORDYLUM, ID EST, CRETICUM SESELI. CAP. 63.

Τόρδυλον sunt qui τορδύλιον uocent. Nicander Hordylon, Aegineta Τόργυλον, nisi uitium in exemplaribus sit. Herba hæc qualis ueteribus fuerit, nulli hactenus cognitum est ex recentioribus, qui de simplicibus scripserunt. Ego tamen affirmare ausim, eam esse quæ à Germanis Berwurtz appellatur, à quibusdam etiam Meu, sed falsò. Parens noster in Botanologico suo herbam, quam Berwurtz uocamus, Daucum Creticum esse putauit. Semen uero manifestè historiæ reclamat, quod ille nondum uiderat. Quapropter ab illius sententia libenter recedo, ne charum alioqui patrem pluris quàm ipsam rei ueritatem æstimare uidear. Non enim is sum, qui suos suiq; parentis errores defendat. Econtrà uero si iniustè ab aduersariis reprehendatur, me illum defendere uis naturæ iubet.

SISON. CAP. 64.

Sison siue Sinon, exiguum semen est. Hoc tamen nomine à pharmacopolis non cognoscitur, qui duo semina Amomi appellatione ostendunt. Vnũ rotundum & Papauere minus, neq; acre, neq; odoratũ, quod Botryos semẽ est. Alterum uero Apii si

ue Pe-

ue Petroselini semen figura & quantitate æmulatur, colore nigrum, cum tunditur odoratum, & in gustu aromatica acrimonia linguam pungens (ut ferè omnia in umbellis genita semina.) Posterius hoc sine dubio est illud semen, quod Dioscorides aliiq́ ueteres Sison siue Sinona appellarunt. Recentiores Medici, qui barbaro illo seculo uixerunt, & pharmacorum compositiones in luminaribus suis, ut uocant, conscripserunt, malè Petroselinum Olusatrum (quod illi corruptè Olixatrum uocant) & Sinon (quod Sinonum appellant) idem esse putant.

ANISVM. CAP. 65.

Anisum omnibus notum est semen, quod in pharmacopoliis nomen suum retinet. Quidam etiam Fœniculum Romanum illud appellant, cum tamen Romæ idem habeant Fœniculum, quod nos. Semine uero nostro dissimile Fœniculo est. Seritur in Germania multis locis ad uectigal, & à nobis Aniß uel Eniß/ appellatur.

CARVM. CAP. 66.

Κάρος siue Caron, Latini Carum uel Careon, pharmacopolæ Carui, Germani Wisenkümel/ siue Feldtkümel/ uocant. Nascitur in pratis & campestribus pinguibus (non tamen uliginosis) locis. Semine eius quotidie in cibis utimur.

ANETHVM. CAP. 67.

Anethum umbelliferum olus est, Fœniculo simile, latiore tantum semine. Pharmacopolæ herbam eodem nomine appellant, Germani uero Dill.

CYMINVM SATIVVM. CAP. 68.

Cyminum sunt qui Cuminum appellant, pharmacopolæ Cyminum, siue Cyminum Romanum, Germani Kramkümel/ Römischer kümel.

CYMINVM SYLVESTRE. CAP. 69.

Duplex sylueſtris Cymini genus hoc capite describitur. Vnũ satiuo simile semen, sed glumosum ferens, quod Haberkümel à Germanis uocatur, quoniam auenæ modo glumosum sit. Apportatur hoc aliunde cum satiuo in Germaniam. Alterum Nigellæ potius quàm Cymino simile est. Cùm uero Nigella quoq; à quibusdam Cyminum nigrum uocetur, potuit etiam ad hanc herbam Cymini appellatio transferri. Vidimus eam sæpe in agris, & hîc quoq; in Vuittenbergensi agro Medicinę studiosis ostendimus. Est autem uerę Nigellę omnino similis foliorum incisuris, florum figura & colore, seminum colore & odore: fruticosior tantum, & semen non uasculo continuo ut Nigella, sed in corniculis pluribus ex uno principio sine flore sursum crescentibus. Hoc Germani Hornkümmel/ id est, cornutũ Cyminũ uocant. Ruellius libro iij. cap. xliiij. ait, ad alterius sylueſtris Cymini descriptionem satis accedere uideri herbam, quam sua rura Cornutam (à Corniculis) uocant. Qua in re bene iudicat Ruellius, propterea nequeo non illius iudicium probare. Atq; utinam ubiq; similiter iudicaret.

Alterum Nigellæ species.

Nigella cornuta.

AMMI. CAP. 70.

Ammi Latini Ammium, pharmacopolæ Ameos nominant. Peregrinum nobis semen est, & interdum eius loco Petroselini semen Materialistæ pharmacopolis uendunt. Seui aliquoties mihi missum recens Ameos semen, & nostrum cœlum minimè respuit, habetq; mediam inter Apium & satiuum Petroselinum figuram.

* *Circa Goßlariam sponte nascitur.*

CORIANDRVM. CAP. 71.

Κόριον ἢ Κορίαννον, Latini Coriandrum, Germani Wandtzkentill (à cimicibus & anetho composito nomine) & Coriander uocant. Nomen inuenit à fœdo odore, quo, cùm uirida adhuc est, Cimices imitatur. Pluribus Germaniæ locis ad uectigal ab holitoribus seritur.

HIERA-

HIERACIVM MAIVS. CAP. 72.

Non reor Dioscoridem hoc loco inter umbelliferas plantas Hieracium descripsisse. Cum enim sint Intybaceæ & oleraceæ herbæ, eas in secundo libro, ubi de Lactuca & Intybo agitur, describi oportuit. Est autem Hieracium maius Intybi agrestis species, quæ à Germanis Wilde Gewdistel uocatur.

HIERACIVM PARVVM. CAP. 73.

Hieracium paruum à Germanis Pippaw/ Pfaffenblatten / & Sommerdohr uocatur. Coliculum breuem, tenerum, concauum, & glabrum sine ramulis & foliis à terra ex circunstratis foliis erigit, in summo luteum orbiculatum & latum florem sustinens, qui postquàm in pappos resolutus fuerit, uestigium relinquit sacrificulorum rasuris simile. Porrò utrunque Hieracium nomen ab accipitribus accepit, qui eius lacteo liquore oculorum suorum aciem acuere existimantur. Idem etiam de Aquila quidam tradunt. Pharmacopolæ rarò has herbas colligunt.

* *Fuchsius Hedypnoida uocat.*

APIVM SATIVVM. CAP. 74.

Omnibus cognitum est satiuum Apium, quod Germanis Eppe/ deducto ab Apio nomine, & Merck/ uocatur. Apium etiam sponte in nigro & pingui solo circa pagorum fossas ac riuulos nascitur, satiuo per omnia simile, & idem, præterquàm quod non colatur. Copiose autem hoc inter Lipsiam & Merseburgum urbes circa pagos crescit.

* *Apium satiuum aliud est latifolium,* Merck. *aliud crispum, nostrum Petroselinum.*

PALVSTRE APIVM. CAP. 75.

Ἐλεοσέλινον apud Theophrastum Paludapium non indoctè uertit Theodorus Gaza. Qui quamuis Græcus natione esset, primus tamen fuit, qui in Latina lingua Græcarum dictionum compositiones imitari auderet, nec infeliciter Latinam linguam in rerum appellationibus auxisse uidetur. Est autem palustre, siue rusticum Apium, grãdis herba, Apio satiuo similis, in palustribus proueniens, quæ à Germanis Wassermerck appellatur. Nullus eius apud nos est in Medicina usus. Cùm tamen eadem omnia quæ satiuum possit.

* *Eleoselinum maius,* Wassermerck: *minus,* Wilde Merck.

MONTANVM APIVM. CAP. 76.

Montanum Apium quid sit, hodie omnino ignoratur. Nolo tamen præterire, uehementer errasse interpretem Virg. Marc. quòd capitula huius Apii Papaueris capitibus comparauerit. Ruellius autem Cicutæ capitibus illa similia uertit, & hoc quidẽ optimè, ut nũc ostendemus. Magna enim est ineptia, umbelliferę plantę capitula, id est, ipsas umbellas papauerinis capitibus cõparare, cum nulla sit inter utrasque illas partes proportio uel similitudo. Gręci tamẽ exẽplaris culpa est, quod Verg. Marcellus in uertenda hac nota peccauerit. Nam in illo legitur: Κεφαλία μηκωνίῳ παρεμφερῆ, ubi ille μηκωνιῶ Papauer uertit, cum tamen μήκων Papauer, μηκώνων uero ex papauere expressum succum significet. Quis igitur herbarum partes succo alicui conferret? Verum abundat in ea dictione μη, syllaba, & simpliciter κωνίῳ legendum, quod est Cicutæ. Et sic etiam uertit Barbarus. Omnes enim Apii species in umbellis flores & semina ferunt, & minimè in papauerinis uasculis. Propterea sine dubio ipse Dioscorides huius montani Apii capitula siue umbellas Cicutæ capitulis comparauit, quæ etiam umbellas & minimè papauerina uascula fert. Venia dignum Marcellum pronunciarem, si non ipse etiam omnia argumenta, quæ pro nobis sunt, probè sciuisset, & pro sua uersione contra Barbarum Apologiam scripsisset, in huius capitis Commentario.

PETROSELINVM. CAP. 77.

Quamuis Petroselinon quoque similiter in montibus ut Oreoselinum nascatur, ta-

men diuersæ sunt herbæ. Petroselinum enim non tantum in montibus gignitur, sed præruptis illorum petris, unde nomen inuenit. In Macedonia optimum nascitur, unde Macedonicum etiam appellatur. Ostendunt eodem nomine grande & nigrum quoddam semen pharmacopolæ, quod Ruellius etiam uerum Macedonicum Petroselinum esse credit, lib. iii. cap. xlvii. Cum uero Petroselini semen Ammio candido & minimo semini comparetur, nequaquam uulgo uocati Petroselini Macedonici semen, uerum Petroselinum esse potest. Hoc enim nigrum & grande est. Quod autem hoc semen Petroselinum Macedonicum non rectè uocetur, eorum culpa est, qui in suis luminaribus docent, Petroselinũ Macedonicum & Olusatrum, siue Olixatrum, (ut illi pronunciant) idem esse: sed magno errore. Habet enim Olusatrum proprium & à Petroselino diuersum genus, eiusq; semen est, quod falsò Macedonicum uocatur Petroselinũ, ut sequenti capite indicabimus. Porrò uero Macedonico caremus. Quod uero eodem nomine apud nos in hortis seritur, illius speciem cultura mansuefactam esse minimè inficias eo. Hoc à nobis Petersilien appellatur.

OLVSATRVM. CAP. 78.

Hipposelinum Theodorus Gaza apud Theophrastum Equapium uertit, propter magnitudinem sic à Græcis uocatum. Est autem Olusatrum sine dubio ea Apii species, cuius semen hodie in pharmacopoliis Petroselinum Macedonicũ appellant. Omnes enim notæ descriptioni conueniunt. Idem etiam Musa sentit. Ruellius Olusatrum non cognouit, cum huius semen antea Petroselinum esse dixerit.

SMYRNIVM. CAP. 79.

Smyrnion à Myrrha nomen habet, quoniam radicis lachryma & semen Myrrhæ aliquem odorem & saporem habeant. Hanc herbam pater Angelicam esse dixit, non uulgarem tamen, sed quę in Pomerania & Brisgoia nascitur, nigra foris radice: & hac in re dubium non est. Ruellius non sciuit, Smyrnium hodie Angelicam uocari, alioqui non affirmaret, Angelicam Laserpitium Gallicum esse. Inuenit enim in quibusdã artis ueterinariæ compositionibus Laserpitium Gallicum requiri. Postquàm igitur satiuam Angelicam in Gallia uidisset, statim, (sed temerè) iudicauit, eam Laserpitiũ Gallicum esse. Cum uerò à nullo unquam probato authore aliqua Laserpitii species in Gallia nasci scribatur, nec eius historia à quoquam ponatur, uana hæc est coniectura, qua patriam suam celebrare conatur, ut similiter Laserpitiferæ appellentur Gallię, quemadmodum Cyrenæ, quas Catullus Laserpitiferas carmine suo appellat. Sed esto (quod non est) Angelica Laserpitium Gallicum uocetur, tamen etiam Smyrnium esse potest. Quapropter ipse Ruellius Smyrnium quoq; non cognouit, quamuis herbam uiderit. Ille Smyrnium eam esse herbam dicit, quæ Gallis Leuechia, siue Leueche, appellatur. Cum uero ego compertũ habeam, Leueche à Leuistico deductum & corruptum uocabulum esse, & sic Gallos satiuum Ligusticum appellare, † minimè uerum est quòd scribit, Leueche Smyrnium Gallis uocari. Porrò uerum Smyrnium, id est, Angelica, à Germanis Heilig geystwurtz/ Brustwurtz/ & Angelick uocatur: quibus nominibus ea est intelligenda, quæ ex Pomerania & Brisgoia affertur radice nigra. Nam aliud etiam genus ubiq; in uliginosis circa paludes & profluentes, & in humidis petris prouenit, quod multis notis à priore discerni potest.

† *Bene diceret Cordus, si nostrum Ligusticum seu Leuisticum uulgò dictum, cum ueterum Ligustico conueniret.*

ELAPHOBOSCVM. CAP. 80.

Ad Elaphobosci descriptionem satis accedere uidetur herba, quæ Germanis Girsche appellatur, aliàs Gerße uel Strenzel.

FOENICVLVM. CAP. 81.

Marathrum Germani Fenchel appellant. Notum omnibus est, ferulaceam & umbelliferam herbam esse Fœniculum.

HIPPOMARATHRVM. CAP. 82.

Hippomarathrum grande & syluestre est Fœniculum. Describitur & alia syluestris Fœniculi species, sed utraq; hodie ignoratur, quamuis Ruellius sibi Hippomarathrum cognouisse uideatur.

* *Fœniculum syluestre craßius est satiuo, & grauioris odoris,* Wilder Fenchel. *Pleriq; cum Peucedano confundunt hodie: sed Peucedano odor est grauißimus, radix foris nigra, Hippomarathro candida.*

DAVCVM. CAP. 83.

Hic Daucus à syluestri Pastinaca plurimum differt, habetq; multas species. Omnium uero maxima Pastinaca Gallica à Plinio uocatur, cui aliæ similes sunt, sed multo minores. Omnes hæ in Germania Pimpinellæ uocantur, uulgo Bibenelle/ quarum radices & semina ualde acrem habent saporem. Itali, inter quos etiam Musa est, aliam herbam Pimpinellam uocant: eam scilicet quam nos Blutstrop/flin appellamus: cuius duæ sunt species. Vna purpureo, altera pallido, cum floret, capitulo. Hæc in æditis & asperis nascitur, illa in pinguibus & lutosis pratis: utraq; Italis ad cibos expetitur, habetq; Dauco, id est, Pimpinellæ nostræ similia folia, minimè tamē umbellas. Temperamento uerò contrario constat, uulnera capitis mira efficacia sanat, quas uires uulgares herbarii magno errore nostræ Pimpinellæ tribuunt. Porrò minime est negandum, quòd etiam Pastinaca syluestris à ueteribus, & ab hoc ipso authore interdum Daucus uocetur. Propterea non merito aliquis Pharmacopolas reprehendet, quod Pastinacam syluestrem Daucum nominent.

DELPHINVM. CAP. 84.

Suspicor Dioscoridem nullum Delphinium, presertim hoc loco, descripsisse. Neq; enim Galenus, neq; Aegineta huius mentionem in simplicium censu faciunt, cum tamen aliàs de omnibus quæ in Dioscoride describūtur simplicibus, ipsi quoq; agunt. Neq; hoc caput in antiquis codicibus legitur, neq; hoc loco inter umbelliferas herbas siliquas ferens describi debuit. Est enim hoc contra authoris huius institutum & ordinem. Non tamen nego fuisse Delphinii appellatione ueteribus herbam, sed à Dioscoride non depictam.

* *Aliqui Delphinium interpretantur* Weydenkraut: *cui folia salicis tribuunt, sed incisa.*

DELPHINIVM ALTERVM.

PYRETHRVM. CAP. 85.

Pyrethrum Latini etiam Saliuarem appellarunt. Radices eius in pharmacopoliis habentur eodem nomine. Seritur in Germaniæ multis locis ad uectigal, & à nobis Græco uocabulo corrupto Perthram/ propriis uerò nominibus Gemeurwurtz/ siue Ge[illegible]fferwurtz/ id est, gustu feruida, & saliuaris uocatur. Ruellius malè folia eius Gallicę Pastinacę comparauit, cùm tamen Dioscorides simpliciter ea syluestri Dauco comparauerit. Hoc autē loco per syluestrē Daucum, Pastinacā syluestrem intelligit. Nam huic similia folia Pyrethrum habere ipse inspexi. Gallica uero Pastinaca ualde lata habet, & Pyrethro dissimilima folia. Atqui Ruellius malè Gallicam Pastinacam idem cum syluestri Pastinaca, siue Carota esse putat. Quamuis autē Gallus fuerit Ruellius, minimè tamen Gallicam Pastinacam cognouit, neq; ipsum Pyrethrum nasci uidit: quod ex Plinio & illius uerbis facilè demonstrare possem.

* *Pyrethrum minus,* Wilder Bertram. *Draco non est Pyrethrum.*

LIBANOTIS. CAP. 86.

Libanotidis species, quæ hoc loco describuntur, nobis hodie omnino incognitæ sunt, & plurimū differunt à nostro uulgari Rosmarino, qui frutex potius quam herba est. Quidam tamen putant nostratem Rosmarinum hanc ueram Libanotida esse, sed apud nos degenerare. Verum hi toto cœlo aberrant. Sunt enim diuersissimæ plantæ. Illæ enim, de quibus hic agitur, umbelliferæ & Fœniculo similes sunt: quæ similitudo nullam habet cum nostrate Rosmarino proportionem. Nam quoties degenerant plantæ, minores aut maiores, aut debiliores euadunt, seruata semper eadem proportione. Hanc autem Libanotida in Theriacis suis intelligit Nicander, & minimè nostratem, quæ proprium ab illo genus habet, ut proximo capite sequetur.

* *Libanotidem primam aliqui putant esse Angelicam syluestrem uulgò dictam,* Wilde Angelica. *secundam uerò* Schwartz Hirschwurtz/ *quam alij Seseli Aethiopicum faciunt.*

CANCHRYS, SEMEN LIBANOTIDIS. CAP. 88.

LIBANOTIS CORONARIA. 89.

Quæ hoc loco describitur coronaria Libanotis, à Romanis & Germanis Rosma-
rinus uocatur: & hæc est quæ ubique ad coronas plantatur, habetque diuersum genus à
priore. In Italia & quibusdam Galliæ tractibus copiose nascitur sponte, apud nos ue-
ro satiua est tantum.

SPONDYLIVM. CAP. 90.

Spondylium Latini Verticillarem uocant. Hodie nobis incognita est planta. Ru
ellius eam cognouisse uidetur, ait enim à Gallis Panacum syluestrem uocari. Viden-
dum igitur est, quamnam ille herbam intelligat.

** Ruellius proculdubio sentit de ea, herbam, quam multi imperiti apud Germanos brancham ursinam falso uo-
cant. Ea quidem ad Sphondylij descriptionem melius accedere uidetur quam Astrantia uulgò dicta, Meisterwurtz/
quæ nonnullis Sphondylij nomine appellatur.*

FERVLA. CAP. 91.

Νάρθηξ Latinis Ferula appellatur. Grandis hæc est & Fœniculo similis planta, phar
macopolis hodie incognita. In Italia sponte quibusdam locis prouenit. Germania ue
ro à paucissimis seritur ostentationis gratia. Omnes umbelliferæ plantæ ab hac feru-
laceæ dicuntur, ceu Fœniculum, Peucedanum, Anethum, &c.

PEVCEDANVM. CAP. 92.

Πευκεδανόν, Latinis Peucedanum, Germanis Harstrangk uocatur. Notum est
Medicis & pharmacopolis Peucedanum.

** Herba Sulphurata.*

NIGELLA. CAP. 93.

Μελάνθιον Latini Nigellam, Germani Schwartzen Kümmel appellant. Errant
uehementer, qui in segetibus longis hirsutisque foliis, & rubente flore nascentem her-
bam Nigellam uocant, quæ à nobis Raden appellatur.

LASERPITIVM. CAP. 94.

Σίλφιον Latini Laserpitiū, pharmacopolę Asam fœtidā, Arabes Aniudē, Germani
Teüfelsdreck appellant. Multi opinantur (inter quos etiam pater meus fuit) Asam
fœtidam minimè esse Silphij liquorem, solo odore rem æstimantes. Verum ij fallun-
tur. Differt enim secundum regionis diuersitatem Silphium. Optimum est Cyrenai-
cum, quo hodie caremus. Quod uero nos habemus, ex Media & Syria affertur, cui
Dioscorides uirosum odorem tribuit, quem in Asa fœtida apertè sentimus. Certum
igitur est, nos eam saltem Silphii speciem habere. Illi autem uehementer errant, qui
Asam dulcem siue Benzoi, uerum Laserpitium esse putant, in quorum numero etiam
est Ruellius, qui Beniuinum pro Benzuinum scripsit, & interpretatur prolem Iudeæ
parentis, cùm tamen Benzoi non in Iudæa nascatur, sed ex India afferatur. Porrò non
erit inutile, differentiam ostendere inter Laserpitium & Benzoi, ne aliquis ad falsam
illorum opinionē inclinet. Certum est Silphii liquorē ex ferulacea & Apio simili plā
ta manare. Qui uerò Benzoi ex India afferunt, uidisse se dicunt procerem arborem, ex
qua resinæ modo destillet, quod incolę Benzoi nominent, ex hoc pinguissimum flo
rem exprimi, quem sibi reseruent, ac potentissimis regibus pro magno dono mittant,
oleum Benzuinum uocantes, & quo Diis suis supplicent. Sedimentum uerò quod
superfuerit, siccæ resine simile aduenis mercatoribus uendi, & demum ad nos etiam
afferri. Lignum etiam huius arboris in sacrificiis iucundissimo odore accendi, habe-
rique in maximo precio & honore.

SAGAPENVM. CAP. 95.

Σαγάπηνον pharmacopolæ corrupto uocabulo Serapinum dicunt. Herbæ ferula-
ceæ in Media nascentis liquor est.

EVPHORBIVM. CAP. 96.

Euphorbium acerrimus est liquor, qui eodem nomine in pharmacopoliis uocatur.
Nomen uero ab Euphorbo, Iubæ regis Libyæ medico & fratre Musæ, Augusti Cæ-
saris medico, inuenit.

** Non est propriè arbor. liquor eius adulteratur lachryma Esulæ & Tithymalli.*

GALBA-

GALBANVM. CAP. 97.

Galbanum uerum eodem nomine à pharmacopolis cognoscitur. Et hoc ferulaceæ cuiusdam plantæ, Metopium appellatæ, liquor est.

GVTTA AMMONIACA. CAP. 98.

In Libya circa Hammonis Iouis delubrum, ex ferulacea planta colligitur Hammoniacus liquor, qui & Hammoniacum Thymiama à Græcis Medicis appellatur. Quidam autẽ Interpretes cum apud Galenum legunt: Ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος, duas dictiones uirgula distingunt, diuersas res intelligentes, sed falsò.

SARCOCOLLA. CAP. 99.

Sarcocolla notum est in pharmacopoliis gummi, quod in Perside ex arbore quadam destillat, & in minimos grumulos concrescit.

GLVTINVM. CAP. 100.

Glutinum siue Gluten, Κόλλα Græcis, Germanis Leim uocatur. Ligna eo conglutinantur, propterea etiam à Græcis Ξυλόκολλα: & quod ex taurino corio excoquitur, Ταυρόκολλα, uocatur.

GLAVCIVM. CAP. 101.

Malè quidam credunt, Glaucium (Arabes Momithe uocant) cornuti Papaueris succum esse. Nam ex sui generis herba colligitur. Hodie uerò ad nos non amplius affertur.

✱ *Quidam* Rattenzagel *interpretantur.*

ICHTHYOCOLLA. CAP. 102.

Ichthyocolla à pharmacopolis colla, siue gluten piscium, à Germanis Hausenblasen uocatur, quod scilicet piscis illius ex aluo sumpta membrana fit. Vtimur ea in gelandis croceis piscium iusculis. Excoquitur etiam ex membranis illis, quemadmodum ex boum coriis pulchrum, flauum & translucidum gluten, Germanis Mundtleim uocatum, quòd eius madefactis in ore frustis chartæ glutinari soleant.

VISCVM. CAP. 103.

Ἰξὸς Germanis Vogelleim appellatur. Ex multis arboribus Viscum fit, quales sunt Myxæ fructus, Aquifolia, & ea quam nos Wadich appellamus. Hoc uero loco Dioscorides Viscum intelligit, quod ex frutice illo fit, quia Germanis Mistel appellatur, nunquam per se è terra crescente, sed aliis arboribus ceu accidens adnascente. Inuenitur hic fructus in quercu, syluestri mâlo & pyro, salice, betula, corylo, abiete, & nonnunquam etiam in uite.

✱ *Melius Viscum fit è ramulis, quam è baccis. fit etiam ex Aquifolia.*

APARINE. CAP. 104.

Aparine à quibusdam Lappa etiam uocatur, quòd tota herba cum semine propter asperitatem suam prætereuntium uestibus adhæreat, Germani eam Klebekraut nominant.

ALYSSVM. CAP. 105.

Alysson hic author, & alii, rotundis foliis descripserunt, Plinius uero Rubiæ similibus, sed malè. Qualis uerò sit hodie, ignoratur. *scilicet.*

ASCLEPIAS. CAP. 106.

Asclepias ea est herba, quæ à quibusdam Vincetoxicum, à Germanis Schwalbenwurtz uocatur, quoniam cum maturuit semen in Siliquis, Siliquæ ipsæ dehiscunt, & hirundinibus uolantibus similes fiunt. Eandem ob causam ab aliquibus recentioribus Hirundinaria dicitur. Sed alia est Hirundinaria, quæ 2. libro Chelidonium uocatur.

COLVS RVSTICA. CAP. 107.

Ατρακτυλὶς, Cnici, quem hodie Cartamum uocant, agrestior quædam species est, quæ hodie non temere à quouis cognoscitur.

POLYCNEMVM. CAP. 108.

Polycnemon qualis sit, hodie omnino ignoratur. Nomen à multis suris siue internodiis inuenit.

CLINOPODIVM. CAP. 109.

Clinopodium Germanis Werbeldost appellatur, multos habet, ut Marrubium, circa caules uerticillos, lectorum rotundis pedibus similes, à quibus Græci & Germani nomen illi indidere.

Origanum longum nimirum.

LEONTOPETALVM. CAP. 110.

Leontopetalum omnino est incognita hoc tempore planta.

TEVCRION. CAP. 111.

Teucrium à Germanis Kummertrost uocatur. Huius etiam species est, quæ hodie dicitur (nomen Germanicum uidetur deesse) & nobis pro Chamędry in usu Germaniæ pharmacopolis habetur.

Herba Kleiner Kummertrost nascitur saxosis locis, & alia species in montibus.

TRIXAGO. CAP. 112.

Χαμαίδρυς Germanicè Erdeiche uocatur. Non cognoscitur hæc à Germaniæ pharmacopolis. Eius tamen loco Teucrii speciem habent, quam omnes etiam uulgares Herbarii Chamædryos appellatione indicant. Differunt autem plurimum inter se. Hæc enim ubiq; in campestribus nascitur, cœruleo flore, & minimo semine in compressis pericarpiis clauso: Sed uera Chamædrys asperis & caluis exit montibus, flore purpureo, & semine nigro & rotundo in denticulatis caliculis, Hyoscyami uasculis similibus, multò tamen minoribus. Affertur iam ex Italia & Creta ad nos. Ego autem maximam eius copiam in Germania Ihenæ inueni. Brunfelsius eam in tertio Tomo sub Chamæpyteos nomine depinxit.

LEVCAS. CAP. 113.

Leucadis Nicander etiam meminit. Quo uero nomine nunc appelletur, nulli cognitum est.

LYCHNIS CORONARIA ET AGRESTIS. CAP. 114. 115.

Vtraq; Lychnis hodie incognita est. Ruellius tamen eam cognouisse uidetur.

Lychnis satiua, Dausent schön: syluestris, Donner nägele. Nostri Caryophylli nihil sunt quam Lychnidis species. Plinius Rosam Græcam uocat. Lychnites Marienröslin.

LILIVM. CAP. 116.

Multæ sunt Liliorum differentiæ. Hoc tamē loco candida Lilia intelligenda sunt, quæ nobis Lilien uocantur.

BALLOTE. CAP. 117.

Ballote Latinis nigrum, siue cantherinum Marrubium, & Vlceraria, Germanis Schwartzer Andorn uocatur.

APIASTRVM. CAP. 118.

Duplex est Apiastrum. Vnum sic appellatur, quod Apio simile sit. Hoc alio nomine Ranunculus uocatur, & in Sardinia uenenatum est. Alterum ab Apibus Apiastrū uocatur, quæ hac herba delectantur. Melissophyllon hoc à Græcis uocatur. Plinius hanc distinctionem non cognouit, ut lib. xx. capite xi. uidere est. Vbi dicit; Apiastrum Higinus quidem Melissophyllon appellat, sed in confessa damnatione est uenenatum in Sardinia. Apiastrum uero, id est, Melissophyllon, quod Higinus intelligit, nequaquam est uenenatum. Pharmacopolæ hanc herbam Melissam, Germani Binenkraut dicunt.

Nascitur in Hessia montibus quibusdam.

MARRV-

MARRVBIVM. CAP. 119.

Prasion, Latini Marrubium, Germani Andorn & Gotts vergiß uocat. Nota est omnibus herba.

STACHYS. CAP. 120.

Stachys spicata herba est, & Marrubio similis, candidior tamen, & ob eam causam Germanis Weisser Andorn / & Grein Andorn uocatur.

PHYLLITIS. CAP. 121.

Omnibus persuasum, & Pharmacopolarum animis altius infixum est, Scolopendrion esse Linguam ceruinam, quæ Germanis Hirschzung uocatur. Cùm uerò Scolopendrium Polypodii modo incisis foliis describatur ab omnibus, Lingua ceruina uero nullas omnino incisuras habeat, necesse est differre plurimum Scolopendrium & Linguam ceruinam. Quid autem reuera lingua ceruina sit, hóc loco indicabimus. Posthac etiam quid uerum Scolopendrium sit, indicaturi. Lingua ceruina igitur sine dubio est, quæ hîc describitur, Phyllitis, tam graphicè omnes notæ descriptioni conueniunt.

PHALANGIVM. CAP. 122.

Phalangium hoc nomine omnino hodie ignoratur.

TRIFOLIVM. CAP. 123.

Multæ sunt Trifolii species in campis & pratis nascentes. Hoc autem loco diuersum ab illis Trifolii genus intelligit Dioscorides, quod priuatim Oxytriphyllon & Asphaltion ab odore uocatur. Quale autem Trifolium hoc sit, nondum compertum est.

POLIVM. CAP. 124.

Duplex est montani Polii genus, sed neutrum Pharmacopolis in Germania cognitum. Quod enim hi Polium uocant, asperis locis exit, Serpyllo syluestri simile, deinceps per ramulos nascente semine, non iniucundè uiride hoc olet: siccatum uerò nullum habet odorem, hyeme etiã perit. Sed uerum Polium altis & caluis exit montibus, in summis ramulis Corymbi figura capitula, & in his semina ferens. Viride & siccum suauiter olet, & hyeme tota uiret. Sic describitur Polium à ueteribus. Huius minor species ex Creta, Lugduno, & Massilia, Galliæ urbibus ad paucos nostrates Pharmacopolas affertur. Maius uerò in Germania copiosè nascitur, presertim Ihenę, & ab incolis Wilder Rosmarin uocatur, impropriè tamen.

*Wilden Lauendel *in Turingia appellant. Teucrium est propriè minus Polium.*

SCORDIVM. CAP. 125.

Scordion hęc herba appellatur, quòd odore tantum Allium imitetur. Forma enim omnino Allii dissimilis est. Pharmacopolæ magno errore syluestre Allium Scordiũ appellant. Veruntamen Scordium in Germania multis locis nascitur, ut Rundenbergi, Peynę in Brunsuicensi Saxonia, ut in Cheruscorum agris, necnon Vuittenbergę. Herba est Chamædri similis, odore Allii, nascitur palustribus locis, unde etiam Romanis palustris Trixago appellata est. Germanicum nomen nondum audire licuit. Scordium quod in Creta, Italia & Gallia nascitur, eandem habet cum nostrate figurã.

TVSSILAGO. CAP. 126.

Βήχιον καὶ χαμαιλεύκη, siue χαμαίγειρος, Latinis Tussilago, Farfarella, Farfarago, & Vngula caballina, Germanis Hüfflattich & Brandtlattich appellatur.

ARTEMISIA. CAP. 127.

Artemisiæ duo cognouimus genera. Alterum rubente, & alterum candicante caule. Pharmacopolæ eodem utrunque adhuc nomine appellant. Germani Muggart & Beifüß. *Artemisia latifolia,* Weisser Beifüß.

TENVIFOLIA ARTEMISIA. CAP. 128.

Huius Artemisiæ caput genuinum non uidetur, quoniam antea etiam tenuioris Artemisiæ mentionem fecit. Propterea in antiquis exemplaribus nusquam legitur.

AMBROSIA. CAP. 129.

Ambrosiam recentiores Tanacetum, id est, Reinfar esse putant, quidam etiam

Hirschwurtz. Sed utrunque falsum est. Nam Ambrosia Artemisiæ speciebus annumeratur. Hodie uerò non cognoscitur.

BOTRYS HERBA. CAP. 130.

Et hæc Botrys altera Ambrosiæ species est, cuius semen ab aliquibus Pharmacopolis Amomum uocatur. Seritur à paucis in Germania. Herba est admodum odorata, & ab holitoribus, qui eam serunt, Türckischer Beifüß uocatur. Nomen à copioso semine illi Græci indiderunt, quod in racemulis paruis circa totos ramulos nascitur.

GERANIVM. CAP. 131.

Geranium siue Gruina, Germanicè Kranchschnabel & Storckenschnabel uocatur, quoniam semina gruinis rostris similia ferat. Habet hæc herba aliquot differentias, quæ à foliorum & florum diuersitate cognoscuntur.

*Vna species quæ habet Maluæ folia, dicitur Pes columbinus, quod nomen etiam Amomo tribuitur. Alia, Acus moschata uel herba Roperti.

TOMENTVM, SIVE CENTVNCVLVS. CAP. 132.

γναφάλιον, Latini Centunculum & Albinũ, Germani Rhurkraut appellant, mollis est & lanuginosa herba, qua pauperes olim culcitras farciebant. Vnde à Græcis & Latinis nomen inuenit. *Cotonaria Rhurkraut.

TYPHA. CAP. 133.

Typha palustris siue lacustris est planta, quæ à Germanis Kolben / siue Narrenkolben uocatur, florem in summo densum, copiosum & clauæ similem habens.

*Wasser kolben.

CIRCAEA. CAP. 134.

Circæa quo nomine iam appelletur, omnino incognitum est.

OENANTHE. CAP. 135.

Oenanthen Theodorus Gaza uitis florem apud Theophrastũ interpretatus est: Satis huic descriptioni respondet herba, quæ Filipendula iam uocatur, quod glandibus similes radices à longis & tenuibus fibris ceu filis pendeant. Germani proprio uocabulo Erdeycheln / quasi terrestrem glandem, à radicum similitudine, appellãt. Videndum tamen est, ne cum hac Chamædrin confundamus, quę nobis Erdeyche / id est, terrestris Quercus uocatur.

*Filipendula proximè accedit qualitatibus ad Pæoniam.

CONYZA. CAP. 136.

Confundit Plinius cum Origano & Cunila Conyzam, diuersas natura plantas, quas hîc Dioscorides & alii ueteres seorsim diuersis etiam capitibus descripserunt. Nihil enim commune inter se habent. Sunt autem plures Conyzæ species, quę magnitudine, natali solo, & odoris grauitate dignosci possunt. Germani generali uocabulo omnes eius species Hundsaugen uocant.

*Aliqui Dürrwurtz. Species sunt tres. Montana, campestris, palustris. Prima ab odore thuris, etiam Libanotis dicitur: & recentioribus, Incensaria. nam Itali Thus, Incensum uocant.

HEMEROCALLIS. CAP. 137.

Hemerocallis syluestre Lilium est, quod Germani Goldtpoln / siue Goldtwurtz appellant. Pharmacopolæ uerò Asphodelum, sed falsò, ut antea dictum est, cùm de Asphodelo sermonem haberemus.

* Wild lilgen. Species una Porphyranthes dicitur. Altera Germanis Goldt lilgen: quæ in montibus Sueuiæ sponte nascitur: alibi seritur.

VIOLAE. CAP. 138.

λευκόϊον, Romani Violam albam, Arabes Cheiri, Germani Gelbe violen uocant. Inueniuntur albo, luteo, cœruleo & purpureo colore. Ad medicinam tamen utilissimæ sunt luteæ.

*Fuchsius pro Damasken blůmen esse Leucoia putat.

CRATAEOGONVM. CAP. 139.

Non cognoscitur hoc nomine aliqua herba. Est etiam arbor apud ueteres eiusdẽ nominis.

nominis. Porro si quis ea probè intellexerit, quæ proximo capite de Phyllo dicturus sum, manifestum erit Ruelliũ errare, quod Thelygonon & Arrhenogonon Persicariæ species esse scribit.

PHYLLVM, HERBA. CAP. 140.

Phyllon superuacuã habet in hoc authore historiam. Nulla enim per se est herba, quæ propriè Phyllon appelletur. Neq; Dioscorides eius historiã quasi suam posuit, sed ex Crateua Herbario, ut ipse fatetur, descripsit. Non tamen inutile futurum existimo, si quid sit Phyllon indicauero. Theophrastus lib. 9. cap. 19. de historia plantarum, herbam ponit, quę duas habet species. Vnam appellat Arrhenogonõ, quod masculinum sexum concipi faciat: alteram θηλύγονον, quòd fœmininus sexus ea potaçon cipiatur. Ex quibus cõstat, hanc Theophrasti herbã cum Dioscoridis Arrhenogono & Thelygono, (quas etiam Phyllon uocat) eandem esse. Descriptio enim, nomen, & attributæ uires conueniunt. Quoniam uerò antè dixi, Phyllon nõ habere proprium genus, & tamen est herba quę Arrhenogonon uocetur, necesse eã sub alio nomine latere: quod manifestum fiet, si quis Mercurialis historiã & uires ab hoc authore descriptas, cum Theophrasti Arrhenogono & Thelygono cõferat. Sunt enim sine dubio Arrhenogonon & Thelygonon, Phyllon & Mercurialis, una eademq; herba, quæ duas habet species, ut suo loco indicabimus. Propterea nemo existimet, folium, herbam, hoc loco descriptũ, diuersum à Mercuriali esse. Deprehensum à nullo hactenus est hoc in Dioscoride uitium. Nemo tamen hanc ob causam minus fidei Dioscoridi habere debet. Non enim ipse proprium Phyllo genus à Mercuriali diuersum constituit, sed hæc ex herbario Crateua descripsit, ad quem etiam ea reiicit.

TESTICVLVS. CAP. 141.

Ὄρχις, Latinis Testiculus, siue Canis testiculus, Germanis Knabenkraut/Ragwurtz/Standthart/Stendelwurtz/Geylwurtz/& Erdgeyln uocatur. Pharmacopolæ omnes eius species Satyriones nominant, cùm tamen Satyrion diuersum ab Orchi genus habeat.

ALTER TESTICVLVS. CAP. 142.

Orchis Serapias priori similis est, maiora tamen folia, & minores testiculos habet: Germani iisdem hanc quibus illam nominibus appellant. Porrò plures hodie Testiculorum species, quàm à ueteribus descriptæ sunt, cognoscimus.

SATYRIVM, HERBA. CAP. 143.

Qualis hęc prima Satyrii species sit, non facile quis dixerit.

* *Hoc etiam aliqui* Knabenkraut *interpretantur.*

ALTERVM SATYRIVM. CAP. 144.

Alterum siue Erythron Satyrion, Germani Rot knaben kraut uocant.

ORMINVM SATIVVM. CAP. 145.

Ormini duo sunt genera, Satiuum unum & syluestre unum. Vtrunq; hodie Centrum galli, & malè etiam Gallitricum uocant. Quidam etiam Scarleam, unde Germanicum nomen Scarlet deductum est.

* *Orminum syluestre,* Wilde Scharley/wilde Salbei.

HEDYSARVM, *uel* PELECINVS *latinè Securidaca.* CAP. 146.

ONOSMA. CAP. 147.

Onosma ex Anchusarũ genere est. Hodie uerò quo nomine appelletur, nõ cõstat.

NYMPHAEA. CAP. 148.

Nymphæa ea est herba, quã Arabes Nenuphar, Germani Seekenneken/Seeblůmen/& Keulenwurtz uocant. Prior hæc species grandem & candidum florem habet, multis oblongis foliis constantem.

ALTERA NYMPHAEA. CAP. 149.

Altera Nymphæa priori omnino foliis & fructu similis est. Flore differt, quem luteum & Rosæ similem habet.

ANDROSA-

ANDROSACES. CAP. 150.

Androsaces parens meus suspicabatur Cuscutam esse, nihil tamen certi pronunciauit, quoniam descriptioni Androsaces non per omnia responderet Cuscuta.

Verum Androsaces Matthiolus pingit.

ASPLENVM. CAP. 151.

Asplenion, siue Asplenon, eadem est cum Scolopendrio. Scolopendrium uerò, ut in Phyllitide dictum fuit, non est Lingua ceruina. Propterea errant omnes, qui adhuc Linguam ceruinam Scolopendrium uocant. Verum autem Scolopendrium Arabes, & quidam Pharmacopolę Ceterach uocant, Germani Nösselfahrn / id est, Scolopendrę similem Filicem. Est enim Scolopendrium siue Asplenum, herba ex Filicis genere, Polypodii, & Scolopendræ uermis modo utrinque incisa, habens folia ex una parte glabra & uiridia, ex altera flaua & aspera. Quidã Germani Scolopendriũ etiã klein Spicant / uocant. Dictum itaque iam est quid sit uerum Scolopendrion, siue Asplenum, & quid etiam sit Lingua ceruina, quæ hactenus falsò Scolopendriũ est nominata. Sufficere igitur hæc puto iis, qui præteriti & barbari seculi erroribus adhæserunt.

HEMIONITIS. CAP. 152.

Hemionitida Theodorus Mulã in Theophrasto uertit, propterea quod in Theophrasto non Hemionitis, sed ἡμίονος legitur. Quo autem nomine iam appelletur, nondum constat. Ruellius tamen putat Linguam ceruinam, quæ hodie falsò Scolopendria uocatur, Hemionitida esse, sed antea ostensum à patre meo & me fuit, Ceruinam linguam sine dubio esse Phyllitida, quæ seorsim ab Hemionitide descibitur. Illud tamen fateor, me sæpe suspicatum esse, & adhuc suspicari, quod Hemionitis & Phyllitis una eademque sit herba. Descriptio enim & uires conueniunt. Quod si fuerit, nemo Ruellium accusare poterit, quòd Hemionitida Linguam ceruinã esse dixerit. Porrò Verg. Marcellus maximè errat, quod Asplenon & Hemionitida eandem esse herbam suspicatur: in quam suspitionem ideo incidit, quod Asplenon etiam secundũ uulgatum errorem Ceruinam linguã esse crediderit. Plinium, Teucrium & Hemionion, diuersas natura plantas, confundere, sciant Pliniani lectores.

Hemionitim ueram Matthiolus exhibet.

ANTHYLLIS. CAP. 153.

Duæ sunt Anthyllidis species. Vna lenti, altera Chamępity similis: utraque salso est gustu. Propterea ab Italis Salsolæ appellantur, & stercus passerũ. Priorem nondum uidi, Altera uerò quæ Chamæpityi similis est (licet malè in quibusdam Dioscoridis exemplaribus Chamædryi, scriptum reperiatur) in Apricis Hercyniæ syluæ locis nascitur, & à Germanis Saltzkraut appellatur, tam manifesto salis sapore, ut etiam ex utraque, usta & non usta, Sal excoqui possit, quem Salem Alkali uocant Arabes. Propterea neque Aristotelem, neque Plinium rectè sensisse constat, quod scribant omnes sapores præter salsum plantis inesse. Nec enim sola Anthyllis excipitur, cum aliæ etiã plures huiusmodi inueniantur.

ANTHEMIS. CAP. 154.

Ανθεμὶς, siue χαμαίμηλον, corrupto nomine Pharmacopolis Camomilla uocatur. Germanicè Camillen / Hermelen / & Meydblůmen. Prior species, quæ foris candidum, intus luteum habet florem, hodie in omnibus Pharmacopoliis ad usum Medicinæ seruatur.

Leucanthomus cognominata, cæteris melior. Tertia species, cuius folia in ambitu floris aurea sunt, nascitur in montibus. Est & alia species, Anthemum Theophrasti.

PARTHENIVM. CAP. 155.

Parthenium hoc à Pharmacopolis Matricaria uocatur, quod Arabum quoque interpretes minimè latuit. Galenus hanc herbam Amaracum uocat, ut in Sampsucho dictum est. Propterea magno errore in sexto libro Gal. de Simplicib. Amaracũ Maioranã uertit Theodoricus Gerhardus Gaudanus. Nam Maioranæ Galenus postea in 8. meminit, sub nomine Sampsychi, & diuersum ei ab Amaraco temperamentum tribuit. Quinetiam ab hoc authore Parthenium Amaracus dicitur.

Cotula fœtida non est Parthenium.

BVPHTHALMVM. CAP. 156.

Sunt aliqui qui Buphthalmum & Chrysanthemon eandem herbam esse credant, quibus non uehementer repugnabo. Illud tamen nouisse oportet, plures esse Buphthalmi species: Sunt enim quibusdam candidi simulq; lutei flores, quarũ maiorem nos Rüdille / minorem uerò Hundsdille & Hundsblümen appellamus, Pharmacopolæ Cotulam fœtidam. Quædam etiam species omnino luteos flores habet, & his Chrysanthemi nomen Græci indiderunt, Germani uerò, idem significante uocabulo Goldtblümen.

Cotula alia fœtida est & dicitur: alia non fœtida, quæ potius fuerit Buphthalmus.

PAEONIA, SIVE GLYCYSIDE. CAP. 157.

Insignis est herba Pæonia, & omnibus cognita: habet tamen duas species sexu distinctas. Fœminam nos habemus, cui radices numerosæ ceu gracilibus Isthmis cohærent. Masculam uerò in Germania haberi nondum comperi, cuius semen aliunde mihi missum terræ mandaui, sed nulla cura mulceri potuit ut exiret. † Quamuis enim authores scribant ex omnibus seminibus nasci plantas, & Pæonia utraq; insigne semen habeat, nullum tamen audiui, qui ex sato semine germen nasci uidisset, tametsi plures periculum fecerint, atque ipse etiam sæpius. Oportere igitur adesse certum serendi tempus & modum, quidam uolunt, & illud etiam curari, ne unquam semina, cùm è corniculis eximuntur, digitis attrectentur. Quibus an assentiri debeam, nescio. Quoniam etsi quotannis semen sponte è corniculis in terram excidat, & seipsum serat (ubi magnam Pæoniæ copiam holitores habent) minimè tamen enascitur: quod diligenter ipse animaduerti, & hortulanos huius rei causa interrogaui, qui simile se deprehendisse responderunt. Pæoniam Germani Peonien / & Freisam rosen uocant. Pharmacopolę Latino siue Græco nomine utuntur.

† Nobis quidem è semine non una planta prouenit: sed tardè.

LITHOSPERMVM. CAP. 158.

Lithospermon, Germani Steinsamẽ / Meerhirsen / & Steinhirß. Pharmacopolę Milium solis uocant. Nullam herbã usq; adeo admiratus est Plinius, atq; hanc.

PHALARIS. CAP. 159.

Phalaris Pharmacopolis incognita est herba, nec cuiquam adhuc constat, quo nomine iam appelletur. Mihi uerò ante paucos annos semẽ è Norimberga missum est, à Gallis Milium syluestre uocatũ: quod cum seuissem, Phalaris ipsa, quã Dioscorides hoc loco describit, erupit. Optimè descriptioni respondent notæ omnes. Germanicũ eius nomen ignoro, quoniã apud nos adhuc neq; satiuam, neq; sponte nascentẽ uidi.

Quidam Blutthirßen interpretantur.

RVBIA. CAP. 160.

Ερυθρόδανον, Theophrastus Ερευθέδανον appellat, qui eam longè aliter quàm hic author describit: quàm bene autem, non uideo. Siquidem nos cum omnibus antiquis & recentioribus Medicis optimè Rubiam cognoscimus, ea qua Dioscorides eam describit figura. Seritur hæc in multis Germaniæ locis ad uectigal. Pharmacopolæ Rubeam tinctorum uocant, Germani Röten. Ii autẽ uehementer errant, qui Anchusæ, id est, Buglossę asperę siue rubẽtis radices pro Rubia accipiunt, quales noui multos.

LONCHITIS. CAP. 161.

Lonchitis hæc mihi adhuc incognita est. Hodie in Pharmacopoliis habetur nusquam. Ruellius tamen nouisse uidetur. Cùm uerò nesciam qualem ille herbã nigros Capetos Gallice uocet, eidem assentiri non possum.

ALTERA LONCHITIS. CAP. 162.

Altera Lonchitis sine dubio ea mihi uidetur esse, quæ Germanis groß Spicant appellatur. Mediam figuram inter Scolopendrium & Polipodiũ habet. Scabræ sunt foliorum incisurę. Vnde eam asperam Lonchitida cognominauerunt.

ALTHAEA. CAP. 163.

Althæa, syluestris Maluæ genus est, in uliginosis & palustribus locis nascens.

Planta-

Plantatur à quibusdam etiam in hortis. Pharmacopolæ eam eodem & Bismaluæ nomine nouerunt. Latinis Hibiscum olim dicebatur. Germani Eibisch/Sammet-bappeln/Stockwurtz appellant.

ALCEA. CAP. 164.

Et hæc syluestris Maluæ species est. Folia profundius Verbenæ modo incisa habet, florem uerò & semẽ Althæa. Germani eam Hochleuchten & Sigmarswurtz uocant, aliqui Feltritz/ quia rumpat pannos oculorum. Nascitur plerunq; in pratis, quæ fluuii tumescentes attingere possunt, & non procul ab horum ripis. Pharmacopolæ hanc herbam non habent.

CANNABIS SYLVESTRIS. CAP. 165.

Syluestris Cannabis omnibus nota est. Nullũ habet apud nos in Medicina usum.
*Wilde Eybisch. est similis Althææ.

CANNABIS SATIVA. CAP. 166.

Satiua Cannabis à nullo nõ cognoscitur. Rarus & huius est in Medicina usus. Male huius folia Malo similia Verg. Marcellus interpretatus est. In Græco enim textu Μελίᾳ id est, Fraxino, legitur.

ANAGYRIS. CAP. 167.

Anagyris, quæ ob fœtorem suum in prouerbiorum censu habetur, hodie non temerè à quouis cognoscitur.
*Frutex est, qui post annum primum è semine prouenit: habet enim hoc osseæ duritiei.

CEPHAEA HERBA. *simpliciter Portulaca agrestis ei uidetur.* CAP. 168.

Κηπαία quamuis ab hortis nomen habeat, tamen in arenosis littoribus, & minimè in hortis nascitur. Est autem eadem herba cum Portulaca, præterquam quod Cepæa sponte in asperis littoribus nascatur, cùm Portulaca in hortis seratur. Apparet igitur permutasse inuicem nomina sua has herbas. Germani Cepæam wilde Bortzel uocant.

ALISMA. CAP. 169.

Alisma siue Damasonium, hodie Herbarii corrupto uocabulo Almeam uocant, Germani wilden Wegerich/ uel Hirtenpfeiff. Hic author unum tantùm Damasonii genus ponit. Plinius uerò duo. Nos autem plures eius differentias nouimus. Nullus est hodie in Pharmacopoliis Domasonii usus.

ONOBRYCHIS. CAP. 170.

Qualis Onobrychis sit herba, hodie omnino ignotum est.
*Italorum hanc Rutam caprariam esse putant.

HYPERICVM. CAP. 171.

Tres sunt reuera Hyperici species. Prima propriè & simpliciter Hypericum uocatur. Altera priuatim suo nomine Ascyron & Ascyroides nominatur. Tertia etiam peculiari nomine Androsæmon appellatur: quamuis etiam omnes tres species Androsæmi appellatione ueniant, propterea quòd digitis confricatæ earum comę & flores, sanguineo colore succum remittant. Prima igitur species, quę priuatim Hypericum dicitur, nondum mihi cognita est. In nostris autem Pharmacopoliis loco eius Ascyro utimur, quod altera est, ut antea indicauimus, Hyperici species. Demonstrauimus etiam malè ab aliquo Hyperici caput, syluestris Rutæ capiti commixtum esse, & quòd Ruta syluestris differat à Perforata. Ruellius in tertio de natura stirpium libro, cap. 74. scribit, Dioscoridem in Hyperico mentione floris digitorum attritu cruen-
tati non meminisse. Concederem ego hoc (quoniam sunt quędam Dioscoridis exem
plaria, quibus ea nota deest, quale etiam Verg. Marcellus habuit) nisi in probatis co
dicibus, ubi de Hyperico agitur, manifestè hæc uerba legerentur: Ἄνθος ἔχει μήλινον,
ὃ διατριβὲν τοῖς δακτύλοις αἱματώδη τὸν χυλὸν ἐκκρίνει, ὅθεν καὶ ἀνδρόσαιμον ἐκλήθη. Quæ sic
uerti possunt: Florem habet luteum, qui digitis attritus sanguineum succũ excernit,
unde & Androsæmon, id est, Humanus sanguis appellatur.

*Aliqui

Aliqui hodie Hypericum uocant, cui folia sunt minora, perforata: Ascyrum, latioribus folijs: Androsæmum, non perforatis. Vide mox in Ascyro & Androsæmo.

ASCYRON. CAP. 172.

Ἄσκυρον, quod aliqui Ascyroides uocant, secunda est Hyperici species, quam Pharmacopolę etiã simpliciter Hypericon & Perforatã, Germani Harthaw & Sanct Johanskraut appellãt. Folia eius inter lucem & oculos nostros posita crebris punctis ceu Perforata uidentur. Vnde etiam Perforatæ nomen inuenit. Hanc herbam Antonius Musa in suo simplicium examine Rutam syluestrem esse contendit, cuius sententiam antea confutauimus.

Lege proximè retro caput de Hyperico.

ANDROSAEMVM. CAP. 173.

Ἀνδρόσαιμον, quod Διονυσιάδα etiam uocãt Græci, in nullo usu hodie habetur. Herba est rubente caule, cuius cortex ita striatur, ut quadrangulum reddat caulem. Ramulos & alas Ascyro similes, folia tantùm maiora & minores flores quàm Ascyron habet. Nascitur circa profluentes riuulos, & à Germanis rot Harthaw appellatur.

Vide superius caput de Hyperico.

CORIS. CAP. 174.

Coris à graui & cimicibus simili odore nomen inuenit. Fruticulus dodrantalis est, foliis Ericæ similibus, profert etiam baccas Iuniperi baccis similes, sed minores, quæ cum foliis attritæ medium inter Iuniperum, Pinum, & Cimices odorem remittunt. Estq; hic minimè ingratus. Germani Cleyn Erdkyner/ quasi paruam & terrestrem Thedam appellant, quoniam odore etiam Thedam arborem imitatur. Dioscorides fructus siue baccas eius non descripsit, quas tamen urinam & menses trahere dixit.

CHAMAEPITYS. CAP. 175. 176.

Chamæpityn Græci uocant herbam, Pini odorem aliquem habentem, cuius tres ponunt species, quæ olim omnes à Latinis Aiuga & Ibiga dicebantur. Hodie uerò quid reuera Chamæpitys sit, non omnibus est notũ: quamuis à parente meo, & quibusdam aliis scriptis sit proditum. Quidam Pharmacopolæ Chamępeucen, à Germanis Zeitheyde appellatã, Chamæpityn uocant. Quidam eius loco primam Syderitis speciem, quam Germani Zeitskraut appellant, ostendunt. Et hæc herba etiam à Venetis nobis huc transmittitur, cum tamen ubiq; apud nos in montibus nascatur. Sunt etiam qui ueram Chamædryn Chamæpityn uocent. Alii quoq; alias herbas eo nomine indicant, sed omnes illi errant. Nam uera Chamæpitys est herba illa, quæ à Pharmacopolis Iuæ dicitur.

VALERII CORDI SImesusij, in Pedacij Dioscoridis ANAZARBEI QVARTVM DE MEdica materia Librum, Annotationes.

VETONICA. CAP. 1.



VETONICA, PHARMACOPOLIS BETONICA, GERMANIS Bethonien uocatur. Nota est omnibus herba. Sequitur in quibusdam exemplaribus aliud Betonicæ caput, uerum illud non est Dioscoridis, quod superstitiosa uerba indicãt, quibus totum caput constat. Neq; etiam in antiquis scriptoribus legitur. Negandum tamen minimè est, aliud quoq; Vetonicæ genus esse, quod Aegineta Pulegii similitudine describit. Cuius Galenus etiam lib. 4. de sanitate tuenda meminit, aitq; eam Sarxifagon uocari: de qua in proprio loco dicturi sumus.

BRITANNICA. CAP. 2.

Certum est copiose nasci in Germania Britannicam, cùm olim uires eius Frisiis etiam cognitę fuerint, qui eam Romanis cõtra Stomachacem demonstrarunt: Quo uerò nomine iam appelletur, non constat, nisi quis Bistortam, seu herbam paralysios eã esse dixerit: quorum neutrum adhuc neq; affirmo, neq; nego.

Bistorta potius Limonium fuerit.

LYSIMACHIA. CAP. 3.

Lysimachiam Leonicenus Corneolam esse putat, qua tinctores uiridem colorem inficiunt. Huic subscribit Ruellius lib. 3. cap 78. Quamuis post aliam herbam Lysimachion esse putet, quam Galli Pellibossam uocant. Ego autem nullo modo illis assentiri possum, qui Corneolam Lysimachion esse putant. Quoniam Corneola est fruticosa herba, quæ à Germanis Gilbekraut appellatur, in æditis nec aquosis nascens, neq; gustu magnopere astringens. Hanc Corneolam Georgius Agricola, Medicinæ doctor, secum ex Italia attulit, sibi à Leoniceno pro Lysimachia demonstratam, sed plures notæ non conueniunt. Vera tamen Lysimachia in aquosis nascitur, & à Germanis Weiderich appellatur. Ruellius eodem quo antea de Lysimachia eum scribere loco dixi, putat Lytri uocabulum corruptum esse à Luteo. Nam ut Victruuius est author, qui non possunt Chrysocolla propter raritatem uti, herba Luteũ appellata, cœruleum inficiunt. Verùm nequaquam ibi Victruuius per Luteum Lysimachiam intelligit (quod Lytron etiam appellatur) sed sui generis herbam, quæ Gręcis Isatis, Germanis Weyde / Latinis Lutea, siue Glastum appellatur.

SANGVINALIS MASCVLA. CAP. 4.

Polygonon mas, Latinis Sanguinalis mascula, & Proserpinaca, Pharmacopolis Lingua passerina, Corrigiola, & Cẽtumnodia: Germanis Wegedritt & Denngraß uocatur.

SANGVINALIS, FOEMINA. CAP. 5.

πολύγονον θῆλυ, quæ Romanis Sanguinalis fœmina, Germanis Schafftenhew appellatur, masculę omnino dissimilis est. Habet enim idem cum Hippuri genus, specie tantum differt. Nascitur in stagnantibus & lacustribus pratis, caulibus geniculatis, in se farctis, & foliis Hippuridis (id est, Roßzagel) similis. qui mirum in modum eius pabulo delectantur. Huic etiam similis alia est, sed asperior, quam Germani Schabrauß appellant, quod ea sculptores in poliendis ligneis operibus uti soleant.

Polygonos hæc nascitur tantum in aquosis locis: Hippuris etiam extra aquas.

POLYGONATVM. CAP. 6.

Polygonatum sine dubio est ea herba, quam Pharmacopolæ Sigillũ Salomonis, Germani Weißwurtz & Gelenckwurtz appellant. Vtraq; gens ab articulata radice illi nomen indidit. Vulgares Germanici herbarii hanc herbam cum Dictamno & Helleboro albo confundunt, detestabili, & digno ut confutetur errore.

CLEMATIS. CAP. 7.

Clematis hæc Peruincæ species est, quæ astringẽdi uires habet. Est enim alia quoque Peruinca, quæ aluum ducit: de qua hoc loco non agitur. Germani hanc Clematida wilden Singrün uocant: aliqui Jngrün/Berwinck.

ALTERA CLEMATIS. [*Quidam codices, ut à Gonpylo editus, Clematidem alteram hoc loco non habent.*]

Alteram hanc Clematida, ut Galenus refert, Dioscorides in fine quarti libri descripsit. Nunc uerò in principio libri quarti utraq; describitur, sed malè. Priorem enim in principio huius libri astringentibus herbis, ceu Britannicæ, Lysimachiæ, & utriq; Sanguinali, propter uirium similitudinẽ, coniunxit. Hanc uerò quoniam aluum semen eius duceret, in quarti libri fine, ubi de purgantibus agitur, descripsit. Est autem Clematis hęc duplicis differẽtiæ. Vna enim grandis frutex est, proceras arbores scandens, & singulis annis incrementum sumens, quoniam caudex & uiticulæ illi aliarum arborum modo durant. Altera uerò per omnia huic similis est, breuior tamen (quamuis & hæc interdum 15. pedum longitudine adolescat) & autumno caules siue

uiticu-

uiticulas amittit. Nascitur hæc in pratis circa arbusta, quò fluuiorum inundationes peruenire queunt Illa uerò in mõtibus arbores & uinearum sepes ascendit. Vtraq; Germanis Lebling uocatur. Arborescens tamen maioris, & herbacea minoris cognomen habet. Saxones etiam **wilde weinrancken** nominant, quò d sarmẽtis uitem æmulentur.

POLEMONIA. CAP. 8.

Polemonia quo nomine iam uocetur, nulli cognitum est. Ruellius tamen Polemoniam eam esse credit, quam Gallica rura Boscisaluiam uocant, quod nomen cum Germanis commune habent Galli. Nos enim sic eam herbam uocamus, quod Saluiæ similitudinem aliquam habeat, & in dumosis locis nascatur, quæ nos Busche appellamus. Vulgo apud nos Busch salbei herba hæc uocatur. Sed Ruellius eam ui ad historiam torquet. Neq; folia enim, neq; radix conueniunt, quas ille cõuenire dicit, contra oculis perspectam experientiam & testimonium.

PETRAEVM SYMPHYTVM. CAP. 9.

Σύμφυτον πετραῖον, Latini Petræam Consolidam uocant, Germani Steingünsel. Nascitur petrosis & in petris. In pharmacopoliis autem hoc tempore non habetur, præsertim in Germania: quamuis in petrosis locis nascatur, quales sunt Asciburgi, duobus à Brunsuico miliaribus.

ALTERVM SYMPHYTVM. CAP. 10.

Alterum Symphytum sine dubio est aspera illa in uliginosis locis nascens herba, quam Pharmacopolæ maiorem Consolidam, Germani uerò Beynwelle/Schmerwurtz/Schwartzwurtz/Walwurtz & Lotwurtz uocant.

HOLOSTEVM. CAP. 11.

Holosteum mollissima dicitur esse herba, quapropter ex aduerso sic appellata est. Quo nomine iam dicatur, ignotum est. Ruellius eam à Gallis Denticulum canis appellari scribit. Cùm uerò idem author alibi gramen, alibi Coronopum dentem canis esse dicat, parum sibiipsi constat. Propterea illius opinioni astipulari non possum.

STOEBE. CAP. 12.

Stœbe quo nomine iam appelletur, nondum comperi. Sunt tamen aliqui qui eam Scabiosam esse credant. Cùm uerò ab hoc authore nulla eius descriptio ponatur, nihil affirmo.

✠ *Alia uidetur Stœbe Dioscoridis & Galeni, neutra uidetur esse Scabiosa.*

CLYMENVM. CAP. 13.

Qualis Clymenon herba sit, nondum scio, Ruellius eam cognouisse uidetur.

PERICLYMENVM. CAP. 14.

Periclymenon omnium doctorum consensu frutex est arbusta scandens, quem Itali & Pharmacopolæ Matris syluam, Germani Geißblat/id est, Caprifolium appellant. Porrò cauendum est ne diuersas res confundamus. Nam quidam Itali & nostrates etiam Pharmacopolę, pedali altitudine herbam quandam foliis oblongis per interualla quiuis plerunq; in uno geniculo stellæ modo dispositis, similiter Matris syluam uocant. Ea Germanis Waldtmeister dicitur, & est Aparinæ syluestris quædam species.

✠ *Dioscoridis Peryclymenum idem uidetur cum Cyclamino eius altero, & cum Vite syluestri, una planta tribus locis descripta.*

TRIBVLVS. CAP. 15.

Tribuli duplex est genus. Terrestre unum, & aquaticum alterum. Terrestrem in Germania nasci nondum uidi. Aridum tamen à Georgio Agricola ex Italia allatum conspexi, habetq; eã figuram, quam Dioscorides illi tribuit. Vehementer errant qui Tribulos in Georg. Vergilii uulgares Carduos, id est, Disteln interpretantur. Nihil enim cõmune cum his habent. Aquaticus uerò Tribulus, quem aliqui non rectè Marinum cognominant, sine controuersia est, quam nos Wassernuß/Stachelnuß/& Spitznüsse appellamus, cuius miram in germinando proprietatẽ obseruauimus. Nascitur in limosis & stagnantibus fluuiis, ut apud nos est inferior Mildæ pars circa Dieben: Elister in Misnia, Albis, & alii quidam.

SARXIPHAGON, SIVE SAXIFRAGA.

Credunt nonnulli nō esse hoc caput Dioscoridis, eo solo argumēto persuasi, quod Latina uox, Saxifraga, in principio capitis loco Græci nominis legatur, quam Græci in Sarxiphagon corruperunt, ut fit in alterius linguæ uocabulis nō intellectis. Nullius autem est id argumentum ualoris. Nam ipsi Græci Latina quædam uocabula in suam linguam receperunt, quales sunt ὀξύγγια, id est, Axungia, & hæc Saxifraga, & alia quædam. Porrò hoc Sarxiphagon est quod Galenus Cestron etiam dici testatur, quodq; Aegineta Pulegio simile esse dicit, sed minus. In Cestri, id est, Betonicæ capite, Dioscorides cum Epithymo comparat. Ego uerò suspicor nō legendum esse Epithymum, quoniam nulla est inter Pulegium & Epithymum similitudo. Præterea in quibusdam Græcis exemplaribus non habetur hoc uocabulum. Quare Thymum pro Epithymo legendum esse non sine ratione coniicio, quoniam magna est affinitas inter paruum Pulegium & Thymum. Nascitur apud nos herba quædam in asperis locis, mediam figuram inter Serpyllum, Thymum & Pulegiū habens, qua apud nos Pharmacopolæ pro Polio utuntur, Germanicè wilder Künel/wilder Poley. Hęc an Saxifraga sit animaduertendum. Errat Ruellius, quod hanc Saxifragiam esse putat Saluiam uitam. Nam Saluia uita idem est cum Adianto & Capillo Veneris, de quo seorsim, ferè in fine huius libri aget Dioscorides. Porrò mira est hodie in appellandis herbis inconstantia. Quicquid enim sanguinem sistit, Sanguinariam uocant: & quicquid calculosis medetur, Saxifragiam, nimis latè patente significatione & uocabulo.

LIMONIVM. CAP. 16.

Limonium nomen inuenit, quod in palustribus pratis nascatur: pediculos ex una radice emittit tres uel quatuor, dodrantali longitudine, & in singulis terna sunt Betæ similia folia, quo fit, ut decem aut pluribus foliis à Dioscoride describatur. Flores habet candidos, quorum nullam mentionem Dioscorides facit, Germani hanc herbam Wisenmangolt & Biberklee appellāt. † Nullus est eius in Pharmacopoliis usus. Sunt & alia duo syluestris Betæ genera, quæ ab Italis & Pharmacopolis Pirole, à Germanis Waldtmangol id est, syluestres Betæ, & Wintergrün appellantur, quorū Dioscorides non meminit.

Gesnerus hanc sententiam nō probat: & Bistortam potius Limonium facit.

LEPORINVS PES, HERBA. CAP. 17.

Λαγώπους qualis sit, uel quo nomine iam uocetur, uulgo incognitum est, quamuis, ubiq; in agris nascatur, estq; Trifolii species, quam Germani Katzenklee uocant, & Hasenpfoten.

MEDIVM. CAP. 18.

Medion ut minus cognoscamus, diuersæ eius apud authores descriptiones faciunt. Plinius enim Iridi satiuæ folia eius comparat, Dioscorides uerò Seridi. Sunt etiā Græca Dioscoridis exemplaria, in quibus Iridi, manifestè pro Seride, legitur. Quare uidendum est, & rationibus & coniecturis artificiosis scrutandū, utrum Iridi, uel Seridi, legendum sit.

✝ Seridi potius quam Iridi legendum conijcimus.

EPIMEDIVM. CAP. 19.

Epimedion suo nomine similiter ut Medion hodie incognitū est. Sed nunc aliud habet nomen, nempe Trinitas, à tribus foliorum partibus. Vnde etiam Gręcis Trias uocatur.

✝ Trinitas dicitur apud Chirurgos Italiæ: Germanicè Edel leberkraut.

GLADIOLVS. CAP. 20.

Nō temerè cognoscitur hodie uerus Gladiolus. Veteres omnes herbas, quæ Gladio similia haberent folia, Gladiolos cognominabant, quales sunt Acorus, Sparganeum, Xyris, Iris, &c. Quos hodie nos quoq; imitamur, sed maiori quàm par erat licentia. Est enim sui generis herba, quæ Gladiolus Latinis, & Græcis ξίφιον, φάσγανον, & μαχαιρώνιον appellatur. Eam apud Theophrastum Gaza interdum pugionē, interdum ensem, interdum etiam Gladiolum interpretatus est. Quinetiam Ciperū sui generis Iuncū, Gladiolū uertit, sed malè. Verus autē Gladiolus in pinguibus & humētibus locis

bus locis nascitur, quæ fluuiorum inundationes obtegere possunt. Caulem habet insi gni leuore, ut Theophrastus ait. Propterea Ruellius contra Theophrastum & ipsam experientiam, scabrum caulem illi tribuit. In summo caule ceu umbellam habet, purpureis & ab inuicem distantibus floribus plenam. Hoc enim sibi uult in Græco Dioscoridis textu στιχιδόν. Germani hunc Gladiolum Schwertel appellant. Videndum tamen est, ne aliam herbam pro hac aliquis intelligat. Nam Germani quoq;, ut Græci & Latini, Gladioli nomen ad Iridis & Acori species transferunt.

✠Gladiolum sunt qui Victorialem rotundam, aut fœminam hodie nominēt, Runde Sigwurtz/Neünkrafft. *Longa quidem uel mascula cognominata Victorialis, non est huius generis, sed Allium alpinum. Gladiolus uagum est nomen, ad herbam hic descriptam, & Gladiolum aquaticum, & Cyperum.*

SPARGANIVM. CAP. 21.

Sparganium semen suum in pilulis fert: Nascitur humentibus locis, & Germanis Degenkraut uocatur. Nullus est huius, quemadmodum & ueri Gladioli, in nostris regionibus usus.

XYRIS. CAP. 22.

Xyris sine dubio est illa Iridis species, quæ ab Italis Spatula fœtida nominatur, ea habet quidem florem, sed qui post multos annos primum erumpat: unde aliqui sine flore esse crediderunt, iuxta uulgares hos uersus.

Iris purpureum florem gerit, Ireos album:
Gladiolus luteum, sed Spatula fœtida nullum, &c.

ANCHVSA. CAP. 23.

Anchusæ prima species, quæ Onoclea dicitur, nō temerè apud nos prouenit. Herba est ex syluestris Buglossæ genere, cuius radix usq; ad interiorem medullam siue neruum rubenti turget succo. Affertur radix eius ex aliis regionibus ad maritimæ Germaniæ urbes, ubi eam Alkannam, Orcanettam Galli, impropriè uocant Pharmacopolæ. Nam Arabes Ligustrū Alkannam appellant, ut in primo libro diximus.

✠Anchusa alia maior est, alia minor: & tertia species minima, quæ Schminckwurtz *uulgo nominatur.*

ALTERA ANCHVSA. CAP. 24. 25.

Nullus adhuc ex recentioribus scriptis certi aliquid de Anchusa prodidit, præter patrem meum, qui suo studio inuenit, Anchusam alteram hanc esse in sabulosis nascentem, rubente radice, Buglossam. Nihil enim est quod descriptioni repugnet. Germani eam wilde Ochsenzungen uocant. Radicis superficies per messem sanguineo succo manat. Malè hæc à quibusdam Cynoglossa dicitur.

✠ Aliqui hanc Echion faciunt.

LYCOPSIS. CAP. 26.

Lycopsis à florum figura dicta est, qui (scilicet flores) hiante suo rictu, patulas luporum fauces imitantur. Alteræ Anchusæ similis est, & species eius, longiorem tantum & asperiorem caulem habens, Germani similiter wild Ochsenzungen / uel scharpff Ochsenzungen appellant. Nascitur in sabulosis campis, nonnunquam etiā in muris & circa arces in montibus sitas. Malè & hæc ab aliquibus Cynoglossa appellatur.

ECHIVM. CAP. 27.

Echion absq; controuersia est illa syluestris Buglossa, quam hodie Pharmacopolæ simpliciter Buglossam uocant, Germani Ochsenzungen. Leonicenus, uir alioqui doctissimus, & qui primus commissos in plantis errores corrigere conatus est, non satis certis & sufficientibus rationibus, hanc Buglossam Cirsion esse putat: quē secutus etiā est Ruellius. Equidem diligentius illos hanc herbam considerasse optarem. Porrò cùm iam dixerim, nostram uulgo uocatam Buglossam, nō esse ueram Buglossam, sed Echion, necesse est in eius locum ueram Buglossam substituere, ne in calumniatorum cauillationes incidam. Hoc autem in suum locum differemus. Est & alterum Echion prædicto minus, nigrioribus in purpura floribus. Nascitur hoc in pinguibus aruis: Nicander quoq; duas Echii species cognouisse uidetur.

OCIMASTRVM. CAP. 28.

Ωκιμοειδὲς Ruellius Iaceam albam esse putat, ubique in agris nascentem herbam;

quàm uerè autem, nondum uideo: Quandoquidem notæ, quas tamen Ruellius conuenire dicit, descriptioni non respondeant. *Gesnerus cum Ruellio sentit.

ERINVS. CAP. 29.

Erinos hæc herba appellata est, quòd Caprifici modo lacteum liquorem remittat. Hodie autem incognita est: quamuis Ruellius eam cognouisse uideatur.
*Aliqui Rapunculum syluestre Erinum esse putant: quam rectè ipsi uiderint, wilde Rapuntzel.

GRAMEN. CAP. 30.

Ἄγρωστις, siue Gramen, quod Germani Graß appellant, hoc loco non quoduis fœnum significat, sed eam herbam, quæ ubique in cultis nascitur, geniculatis & dulcibus per terram serpens radicibus ceu uiticulis: foliis arundini similibus, sed multò minoribus. Hanc Germani singulari etiam uocabulo, Quecken / Queckgraß / & Graß à iumentis appellant, quæ ea herba delectantur. Queck enim Saxonica lingua utentibus populis iumenta significat. Quapropter hoc uocabulo Germani ἁμαξίτιν interpretantur. Nam sic etiam Gramen à Græcis dicitur.
CAP. 31. Gramen arundinaceum, Germanicè Rhorgraß / Saurhaw.
CAP. 32. Parnasinum uerò Gramen nobis incognitum est, quoniam in Parnaso monte gignitur.

SIDERITIS. CAP. 33.

Prima Sideritis à Germanis Zeyßkraut appellatur. Omnes enim notæ conueniunt descriptioni. Hanc herbam quidam Chamæpityn appellant, sed falsò, ut in fine tertii libri demonstrauimus. Ruellius herbam Iudaicam, siue Tetrahit Sideritida primam esse putat: quam uerò ipse Iudaicam herbam intelligat, non scio. Nam illi qui authores huius nominis sunt, sibiipsis non constant, quam herbam Tetrahit, siue Iudaicam appellent.
CAP. 34. Alteram Sideritida & tertiam, quę Heraclea uocatur, ignorare me ingenuè fateor.
35. Ruellius tamen utranque cognouisse sibi uidetur.

ACHILLEIA. CAP. 36.

Ἀχίλλεια qualis sit, hodie omnino ignorant. Ruellius tamen hoc ἀχίλλειον Millefolium esse dicit. Intelligit autem Millefolium uulgare siue terrestre: sed magno errore. Nam nostrum Millefolium est Stratiotes Millefolia, siue terrestris, apud ueteres authores. Hic autem error in grauiorem illum errorem coniecit, ubi Stratioten terrestrem indicare conatur: de qua re suo loco dicemus. Reuera autem Achilleia est terrestri Millefolio cognata planta, quam Germani Feldtgarbe uocant, alii weisse Reinfarn. Copiosissimè nascitur in pinguibus & quiescentibus aruis.

RVBVS. CAP. 37.

Βάτος, sunt etiam qui κυνόσβατον appellent: quamuis κυνόσβατος in primo inter arbores describatur, sitque diuersus ab hoc Rubo. Hæc igitur nominum permutatio in causa est, quod diuersas κυνοσβάτου descriptiones apud authores legamus. Rubus uerò, de quo hîc agitur, triplicem differentiam habet. Quidam enim frutices & arbusta
1 ascendit. Quidam etiam paruus omnino est, & in opacis montibus gignitur, rarò cubitum excedente longitudine, fructum post Solstitium maturum ostendens, spinis
2 horret caulis eius, quem singularem plerunque erigit. Tertius humi in aruis & alibi repit in terra, aculeatos ramos siue uiticulas spargens, hanc χαμαίβατον Theophrastus
3 uocat, & à Theodoro Gaza nō ineptè Humirubus interpretatur. Omnes hæ species à nobis Brahmē & Kratzen appellantur. Fructus uerò eius, qui Mora Rubi sunt, Brahmbeer & Kratzbeer appellantur. Malè quidam mora bacci pro bati, id est, Rubi, pronunciant. *Chamæbatus, Daubenbeer.

RVBVS IDAEVS. CAP. 38.

Rubus hic in Ida, Troadis monte, non tantum gignitur, unde nomen illi Gręci indiderunt: Nascitur apud nos etiam in montibus & syluis, sine adminiculis per se uirgis rectà ascēdentibus subsistēs, tenuibus & exilibus spinis, quamuis frequentissimus etiam sine spinis, omnino glabris inueniatur uirgis. Folia à tergo candidiora habens,

quàm

quàm supradictus. Fructus quoque solstitio maturescere incipit, qui rursus & leniter hirsutus est. Germani hunc Rubum priuatim Hinpeer/Hindbehr, & Mora eius Hinperen uocant, quæ gustu iucundiora quam prioris Rubi fructus percipiuntur. Ruellius sine dubio cognouit hunc Idæum Rubum, aitque à Gallis Frambosciam appellari. Idem Ruellius fraga Idæi rubi speciem quandam esse putat, nec malè, si non Idæus rubus frutex, & fragaria exilis herbula esset, quæ tota foliis, floribus & fructibus constat: neque enim † dignos caules, neque ramos aliarum herbarum modo habet. † Hoc nomine dignos.

HELXINE. CAP. 39.

Duæ sunt herbæ Helxine appellatæ. Vna Cissampelus Græcis, Latinis Conuoluulus uocatur: altera uero Parietaria Latinis dicitur. Vergilius autem Marcellus malè Cissampeli Helxines caput è Dioscoride, quasi adulterinum reiicit, nihilominus tamen nomina eius in Helxines (quæ Parietaria est) capite relinquens, ut sunt Cittampelon, Cissampelon, Melampelon, & Cissanthemon. Helxine igitur, quæ Cissampelos uocatur, à Germanis Winden/Wede winden/ & Zaunwinden appellatur, cuius flores hactenus Ligustrum interpretati sunt apud Verg. magno errore, ut in primo libro indicauimus. Nascitur etiam in segetibus Helxine, gracilibus & oblongis foliis, flore prædicti floribus simili, sed secundum proportionem minore. Vtraque lacteum liquorem confracta remittit, hæc Kornwinden Germanis appellatur. Huic Helxine Elatine similis est, propterea Serapio statim post Conuoluulum Elatinen (Dioscoridem citans) describit. Idem tamen Serapio Cissampelon Ascui, Elatinen uero Athin, corruptis ab Helxine & Elatine nominibus, appellat. Altera uero Helxine, quæ parietaria, Perditium & Muralium dicitur, in parietibus & muris sub stillicidiis nascitur, unde à Germanis Tranffkraut uocatur: ab aliis S. Peters kraut/Tag vnd nacht. Huic similis est Alsine, cuius caput in secundum librum ante Auriculam muris ab aliquo transpositum est. Nam hoc loco omnes quatuor illæ herbæ describi debent, scilicet Helxine duplex, id est, Cissampelos & Parietaria, illisque similes Elatine & Alsine. Hunc enim ordinem ipse Dioscorides in describendis his herbis seruauit. In multis hodie pharmacopoliis Alsinē (id est, Tag vnd nacht) Parietariam uocant, sed magno errore. Nam Parietaria tantū in stillicidiis circa muros & parietes nascitur, Alsine uero in syluis, plurimum à parietibus distante natali, à quo utraque nomē suum inuenit. Cum autē hoc loco de Alsine mihi sermo sit, nequaquam omittere possum, magno errore apud Plinium Helxines appellatione Carduū quendam describi. Verba Plinii ex lib. xxi. cap. xvi. hęc sunt: Helxine rara uisu est, neque in omnibus terris: est radice foliosa, ex qua media ueluti malum extuberat, contectum sua fronde. Huius uertex summus lachrymā continet iucundi saporis, Acanthicen Mastichen appellatam. Hęc autē de uerbo ad uerbū ex Theophrasti libro vi. cap. iiii. de plantarū historia desumpsit Plinius. Theophrastus uero hoc loco non Helxine habet, sed ἰξίνη, quæ carduus pinea à Theodoro interpretatur. Pliniū secutus est Hermolaus Barbarus, qui eadem in Corollario huius cap. scribit. Hunc autē errorem facilè in librarios et scriptores reiiceret aliquis Collinutius, nisi ipse Plin. lib. xxii. cap. xvii. (ubi Dioscoridis Helxinē, id est, Parietariā, siue Perditium describit) scriberet, se, qualis uera esset Helxine, in priori libro dixisse, hoc est, ubi Helxinen pro Ixine apud Theophrastū legit, ut suprà demonstraui. Grauē hunc errorem nullus adhuc in Plinio animaduertit, quamuis toties emendatus, & reprehensus sit. Sed satis esset, si quis eos errores corrigeret, qui post uitam Plinii librariorū incuria irrepserunt. Nam omnes ipsius authoris errores corrigere, onus esset ualde impar unius uiri humeris.

Parietaria. Alsine.

ELATINE. CAP. 40.

Elatine, ut iam diximus, Helxine Cissampelo similis est, florē habet ualde exilem, & triquetrum semen, lacteum liquorem non remittit, qua sola nota à Cissampelo distingui potest. Nascitur in aruis & cultis locis, Germanis Erdwinden appellatur. Hodie nullus illius est in Medicina usus.

* Quidam hanc Orbanchen faciunt.

EVPATORIVM. CAP. 41.

Eupatorii nomine non omnes pharmacopolæ eandē herbam ostendunt. Vt autē

breuiter dicam: Nullus uerum Eupatorium cognouit, præter eos qui hodie Agrimoniam uocatam herbam Eupatorium uocant. Nam reuera Eupatorium est ea quæ nunc falsò appellatur Agrimonia: qui error Dioscoridis etiam ætate fuit. Propterea illius authores à Dioscoride in hoc capite iure reprehenduntur. Sed tanta fuit hactenus barbaries, ut nullus eam reprehensionem animaduerterit. Dudum de hac re scripserunt Leonicenus, parens meus, & alii plures, quibus etiam ipse Ruellius subscribit. Germani Odermenig/ Eupatorium uocant, & Leberkletten/ quia lappas habet.

QVINQVEFOLIVM. CAP. 42.

Quinquefolium Græci πεντάφυλλον, Germani Fünffblat/ & Fünffingerkraut appellant. Serpit per terram multis & longis uiticulis, ex geniculis singulis radices in terram demittentibus. Est etiam sine dubio Pentaphylli species, quæ Tormentilla appellatur: quod ex foliorum & florum figura, & totius herbæ sapore, temperamento & uiribus iudicare quiuis potest. Quapropter illi minimè sunt accusandi, qui Tormentillam πεντάφυλλον esse scripserunt. Hi autem qui omnino nos uero Pentaphyllo carere scriptis prodiderunt, nullo modo probandi sunt. Vbiq; enim in pharmacopoliis uerum habetur πεντάφυλλον.

* *Quinquefolium simpliciter dictum, humi serpit: eiusdem species minor, id est, Tormentilla uulgò dicta, rectà surgit.*

PHOENIX. CAP. 43.

Phœnix hæc herba à punicei coloris semine dicta fuit. Est autem frumentacea & spicata planta, in aruis & recenter illitis luto maceriis nascens, & Germanis Meüse korn/ siue Meüse gersten appellatur, aliis Fürsthaber/ frumentum tectorum.

IDAEA RADIX. CAP. 44.

Idæa radix qualis sit, hodie omnino ignoratur. Nomen inuenit ab Ida monte, in quo fortè copiosè nascitur. Quapropter non credo ubiq; eam apud nos prouenire.

* *Sunt qui aliud faciant Idæam herbam apud Plinium: aliud radicem Idæam, quarum parum à Rhodia distare putant, & fortè Ben rubrum uulgò dictum esse. Folia autem rusci non huic, sed herbarum Ideæ attribuenda: confunde utriusq; historiam.*

RHODIA RADIX. CAP. 45.

Ex Macedonia olim Rhodia radix in Græciam ferebatur, propterea radicem tantum descripsit Dioscorides: folia uerò, caules, & alias eius partes quales sint, nullus unquam scriptor prodidit. Radicis tamen tam certæ à Dioscoride afferuntur notæ, ut facillimè deprehendi possit, si modò aliquis in eam incidat. Ego cum præterito anno apud circumforaneum herbarium radicem quandam uiderem omnes notas habere, quas Dioscorides Rhodiæ tribuit, statim iudicaui eam Rhodiam siue Rhodiada radicem esse: simulq; nomen ab eo quærens, quod Rosaria erat, cum audirem ipsum quoq; nomen conuenire, nihil dubitabam. Emptam itaq; radicem terræ mandaui, quæ proxima æstate caules, folia, flores, & semina maiori Crassulæ similia protulit. Eandem radicem cum in Italia uidisset Georgius Agricola Medicus, harum rerum studiosissimus sectator, statim ipse quoq; iudicauerat eam Rhodiam esse, cuius partem apud illum uidimus, estq; omnino cum nostra hac eadem. Idem Agricola Portulacæ siue Crassulæ folia Rhodiam radicem habere in Italia obseruauit, qualia etiam in nostra domum ab illo reuersi inuenimus. Cum igitur diuersorum hominum iudicia in eadem re conueniant, respondentibus etiam omnibus descriptioni notis, nihil est, quod aliquis dubitet, Rosariam esse Rhodiam radicem, quam Germani Rosenwurtz appellant, ab odore rosarum dictam, non à Rhodo. Nascitur copiosè in Alpibus circa Saltzburgum. Porrò illud constanter dicere ausim, Galenum hanc radicem non cognouisse, quoniam eam calidam in secundo, siue in principio tertii esse scribit: Quod temperamentum ex uiribus, quas Dioscorides illi tribuit, collegit. Verum cum ipsæ quoq; Rosæ similiter ut Rhodia radix, capitis doloribus medeantur, nec tamen calidæ sint, falsa est hæc ratiocinatio. Galenus autem Rhodiam radicem tantum digerendo capitis dolores pellere credidit, cum tamen id partim propter repercutiendi uim, partim etiam propter aliquam partium tenuitatem faciat. Constat enim ex

nim ex

nim ex contrariis qualitatibus, humida ac calida, scilicet terrea & frigida, quemadmodum ipsæ etiam Rosæ, quod ii qui plantarum odoribus nares, & saporibus linguam exercuerunt, facilè percipere possunt. Nam odore, sapore, & colore omnino rosas imitatur Rhodia radix.

EQUISETUM. CAP. 46.

Hippuris, Cauda equina, siue Equisetum, à Germanis Kannenkraut / Roßzagel / Schaffthew / & Taubenrocken, id est, Columbina colus, appellatur quoniam præludium quoddam ante germinationem colo in torulos tornatæ simile, ceu penso inuolutum, primo uere emittit. Longiora folia & teneriorem habet caulem, quam Polygonos fœmina, nec in aquis, ut illud, prouenit. Facilè igitur ab inuicem discerni possunt.

EQUISETUM ALTERUM. CAP. 47.

Alterum Equisetum priori simile est, breuioribus tantum foliis. Quapropter non existimo hoc genere ab illa differre, quoniam primam etiam Hippurim multum mutari secundum diuersos natales obseruauimus.

*Nascitur in syluis, Wilder Roßzagel.

COCCUS INFECTORIUS. CAP. 48.

Frutex est sui generis, foliis Aquifoliæ. Kermes Arabibus. Est & alius Coccus uermiculus dictus, Zerbs Polonis.

TRAGIUM. CAP. 49.

Si (ut Dioscorides scribit) sola Creta Tragium gignit, nulla nobis spes est, quòd in nostris regionibus inueniatur.

*Non eodem modo ab authoribus describitur.

ALIUD TRAGIUM. CAP. 50.

Aliud Tragium quo iam nomine appelletur, uel an apud nos proueniat, nondum compertum est.

*Non est propriè frutex.

TRAGUS, HERBA. CAP. 51.

De Trago hac parens meus in Botanologico suo disseruit, qui primus eam in lucem rursus restituit, Germani Hünerbeer / siue Hünertrauben uocant, quidam etiam Katzentreubtin / uel Blatloß. Sed hoc nomen latius patet. Itali Pegnollam dicunt, quod oblongi eius acini, quos pro foliis habet, Pineis nucleis similes sint. Nascitur maritimis littoribus, fluminibus imminentibus apricis petris, & in muris, aliquando etiam in tegulis. Antonius Musa errat longè, quod Italorum Pegnollam Aizoon minus dicat esse. sunt enim tam similes inuicem herbę, ut non facilè à quouis discerni possunt, minus Aizoon & Tragus. Propterea utriusque differentias ponere non erit inutile. Dioscorides Aizoo minori ἄνθη χλωρὰ tribuit. Significat autē hoc loco χλωρὸν non simpliciter uiridem, sed luteū & modicè ad uiridem inclinatum colorē: Theophrastus etiam per χλωρὸν simpliciter luteū intelligit lib. vii. de hist. plantarum in fine capitis xiii. Vbi Anthemi, id est, Chamęmeli florē foris candidum, intus uero χλωρὸν esse scribit. Eo loco Gaza malè uiridem, interpretatus est. Nam omnes uidemus, Chamęmeli florem in medio nō uiridem, sed luteū colorem habere. Et ipse Dioscorides mediū floris Anthemidis ad aureum colorem inclinare scribit, qui plurimū à uiridi differt. Quapropter cū Aizoon minus ἄνθη χλωρὰ, id est, luteos flores habeat, quos sępissimè etiam nos in ea herba uidimus, nullo modo Pegnolla minus Aizoon esse poterit. Habet enim Pegnolla, id est, Tragus, nō luteos, sed candidissimos flores, quos in omnibus locis producit. Hinc est quod nullos flores in Trago describit Dioscorides. *Huius herbæ folia Dioscorides fructus nominat.

IUNCUS. CAP. 52.

Σχοῖνος Græcis in genere omnis Iuncus dicitur. Germanis Bintzen / Rit & Sempten. Habet autem multas species Iuncus. Est enim molli acumine quidam, qui ubique apud nos in aquosis nascitur, & priuatim à Græcis σχοῖνος λεῖα, id est, leuis siue lenis Iuncus appellatur. Qui uero maritimis nascitur locis, acuto & ad uulnus infesto est acumine, ὀξύσχοινος uocatus: eo nos caremus. Grandis uero Iuncus in lacubus-

bus & stagnis nascens, quæ Græcis ὁλόχοινος, Germanis Roßbintzen/ siue Pferdebintzen/ Latinis Mariscus nominatur. Est & quartus Iuncus Euripici nomine, quamuis quædam exemplaria Dioscoridis Aethiopicum eum appellent. Sed ut meam opinionem dicam, nullus est hoc nomine apud omnes alios authores Iuncus. Quapropter necesse est huic loco subesse mendam, & neque Aethiopicus, neque Euripicus legendum. Nam Galenus, qui Iuncorum species & uires ex Dioscoride collegit, nullam facit Euripici siue Aethiopici Iunci mentionem. Et quod hic de Euripico legitur, ille de Holoschœno scribit. Serapio etiam qui de uerbo ad uerbum Dioscoridis caput de Iunco interpretatur, nullum Aethiopicum siue Euripicum Iuncum habet, sed similiter ut Galenus de tertio Iunco, id est, Holoschœno eadē scribit, quę nūc in exemplaribus Dioscoridis Euripico siue Aethiopico tribuuntur. Quapropter audacter ex Dioscoride hæ duæ dictiones reijciendæ sunt, Aethiopicus siue Euripicus, & in locum ὁλοχίνος substituenda.

LICHEN, HERBA. CAP. 53.

Lichenem Græci hanc herbam appellarunt, quod more lichenis, id est, impetiginis in humidis & umbrosis petris serperet. Serapio eam Hazez Alsacher appellat, interpres uero Epaticam reddidit. Vulgo enim Epatica herba uocatur, quam Lichena ueteres dixerunt. Sed præter hanc innumeras alias habent Epaticas, qui uulgaribus & à nullis authoribus traditis nominibus delectantur. Lichen autem (ut ad rem nostram redeamus) herba est in humidis & umbrosis petris, nonnunquam etiam in gelidorum puteorum lapidibus serpens, quam quidam Epaticam, Germani Steinflechten & Mößflechten/ & Läberkraut appellant, neque caulem, neque flores, neque semen habet, quamuis interdum breuissimos quosdam pediculos, parua ceu acetabula ferentia protrudat. Sed hæc neque flores, neque caules, neque semina propriè dici possunt.

PARONYCHIA. CAP. 54.

Paronychia quo nomine iam appelletur, non quiuis dixerit.

CHRYSOCOME. CAP. 55.

Similiter etiam ignoramus, quid Chrysocome sit, cui nomen aurei coloris corymbi indiderunt. Saracenica tamen Mentha, quam recentiores Græci Costum herbam, Germani uerò Marien müntze appellant, sine dubio est Chrysocome cognata. Habet enim in summis caulibus aurei splendoris corymbos, & Veratro nigro similes radices. Estque herba tota cum radicibus admodum odorata.

CHRYSOGONVM. CAP. 56.

Chrysogonon ab aurei coloris semine nomen suum inuenit. Quo uero nomine hodie uocetur, & an apud nos proueniat, omnibus adhuc ignotum est.

HELIOCHRYSVM. CAP. 57.

Heliochryson apud Theophrastum Aureliam interpretatur Theodorus Gaza. Est autem herba quæ in pharmacopoliis Stichados citrinum, & Germanis Reinblům/ Steinblům/ Winterblům/ & Jüngling uocatur. Malè in hoc capite aquosis conuallibus interpretatus est Verg. Marcel. Nam in Græcis codicibus χαραδρώδεσι τόποις legitur: quibus uocabulis significantur torrentibus & imbribus abrupta loca, quæ aliàs sicca sunt, præterquàm cum per ea imbrium torrentes delabuntur. Huiusmodi enim locis in aspero sabulo Heliochrysum nascitur, & nunquam in aquosis uallibus. Nam aspero, arenoso & sicco solo gaudet. Apud Gal. & Aeginetam per Amaranthū Heliochryson est intelligendum. Nam huius etiam flores, quemadmodū purpurei Amaranthi, nō marcescunt, ut nomen indicat. Si quis autem illorum authorum capita de Amarātho Dioscoridis Heliochryso conferat, omnino eandem herbam esse pronunciare cogetur. Purpurea uero Amarāthus, Plinii nimirū, qui uulgò flos amoris dicitur, nullam facit Medicinam, propterea ab hoc authore non descripta est. Ruellius minimè uerū Heliochryson indicat, qui lib. iij. cap. xxiiii. Stechados ci-

dos citrinã uerã Stichada esse dixit, magno & ipsum errore. Nam Stichas uera longè alia est herba, quam quæ Stichados citrinum uocatur.

CHRYSANTHEMVM. CAP. 58.

De Chrysanthemo seu Caltha in Buphthalmo disseruimus, ubi eam à Germanis Goldtblumen appellari indicauimus.

* *Videtur hoc caput cum Buphthalmo confusum.*

AGERATVM. CAP. 59.

Ageraton quo nomine iam appelletur, & an in nostris etiam regionibus nascatur, nulli cognitum est.

VERBENACA RECTA. CAP. 60.

Verbenaca hæc recta dicitur, quod rectis surgat caulibus. Germani hanc Hanenkamp appellant. Nascitur aquosis locis.

VERBENACA SVPINA. CAP. 61.

Hæc autem Verbenaca resupinatos erigit caules, & ubiq; adhuc in pharmacopoliis Verbena, & à Germanis Eysenkraut/ siue Eisenhart (ab effectu, quia incuruos habet circa radicem ramulos) appellatur. Columbæ utraq; Verbena delectantur, unde illi περιστερεὼν nomen Græci indiderunt, qui eam ἱερὰν βοτάνην etiam, id est, Sacram herbam uocant. Sunt hodie aliqui qui luteis & paruis floribus herbam quandam Verbenacam fœminam uocant, sed eam Irionem esse secundo libro docuimus: nihil enim cum Verbenaca commune habet.

ASTRAGALVS. CAP. 62.

Astragalus herba à radicum, cum talis, similitudine appellata est, hodie autẽ quid sit, ignorant omnes. Ruellius tamẽ cognoscere uisus est sibi, cui cum ratione est adhibenda fides. Nascitur ubiq; æditis fruticosisq; locis. Germanis Knollenkraut uocatur, quibusdam Christianwurtz.

HYACINTHVS. CAP. 63.

Quantum ex poëtis & aliis Rei rusticæ scriptoribus intelligere possumus, non unius tantum herbæ nomen Hyacinthus fuit. Nam Irin quoq; Hyacinthum aliqui nominarunt, & poëtę Lilio similem Hyacinthum esse dicunt, colore tamen differre, quoniam Lilio insit argenteus candor, Hyacintho uero purpureus color. Porrò Hyacinthus quem Medici intelligunt, parua herba describitur, multis & purpureis in coma gibbosa constitutis floribus. Hunc licet hodie omninò ignoremus, spero tamen me, quid reuera sit, non ita post longum tempus nos assecuturos. Nascitur in Comitatu Mansfeldensi iuxta montem Petri copiose, & Germanis Breünling uocatur.

* *Heluetijs, ut quidam aiunt, nescio quibus,* Kolrosen.

PAPAVER ERRATICVM. CAP. 64.

Μήκων ῥοιὰς, Latinis Papaueralis, & Papauer erraticum, pharmacopolis Papauer rubeum, Germanis Wilder mahn/ Feldtmahn/ Kornrosen/ Klapper rosen/ & Klitschen dicitur. Notum omnibus erraticum Papauer est, nascitur in aruis & segetibus. Sciendum est in hoc cap. improuidè comparari huius Rhœadis Papaueris folia Origani & Thymi foliis, Non posset dissimilior esse horũ proportio. Habet enim Rhœas Erucæ siue Cichorii modo incisa folia, à qua similitudine longissimè recedunt Thymi & Origani folia. Abundant igitur & ab aliquo malè adiecta sunt uocabula ista. Vehemẽter errant, qui hoc Papauer cornutũ Papauer et Memithen, id est, Glauciõ esse putãt. Est enim quęlibet illarũ ab aliis diuersa, et proprii generis herba.

SATIVVM PAPAVER. CAP. 65.

Μήκων ἥμερος, id est, satiuum Papauer, quod Germani Mahn/ siue Magen uocant, duo prima diuisione genera habet. Thylacite ab oblongo et utriculis simile capite nominatur, habet hoc candidum semen, quod hodie Papauer album dicitur. Alterum uero nigrum semen in lato sessili & doliolo simili capite, unde etiam à Græcis Pithite nominatum est, uulgo hoc nigrum Papauer à pharmacopolis nuncupatur. Ex nigro hoc Papauere lacteus liquor leniter incisis uasculis colligitur, quẽ Opium in omnibus adhuc pharmacopoliis nominant. Exprimitur etiam ex tusis foliis & uasculis succus, & exiccatur. Eum priuatim Græci μηκώνειον uocant, sed uiribus multo est liquore imbecillior, propter inconcoctam & aqueam substantiam, eandem

ob cau-

ob causam facilimè putrescit & teredines sentit. Quidam interpretes cum apud Græcos authores Opon, siue Opium legunt, succum Papaueris interpretantur: sed magno errore. Nam Μηκώνιον succus est Papaueris, Opos uerò siue Opium, est liquor eiusdem.

PAPAVER CORNVTVM. CAP. 66.

Μήκων κερατῖτις, Latinis Corniculare, siue Cornutum Papauer, Germanis Hornmahn appellatur. Non habetur hoc in nostris pharmacopoliis. A quibusdam tamē in hortis seritur. Siliquam habet longam Fœnugræci siliquæ æqualem. In Dioscoridis exemplaribus malè legitur καρπὸν δὲ μικρὸν, id est, fructum breuem, ut Vergilius Marcellus interpretatus est. Cum uero eundem fructum cornu modo inflexum, & Fœnugræci siliquæ similem esse dicat, nequaquam μικρὸν sed μακρὸν legendum est, quod ipsius fructus oculis subiecta forma manifestè indicat. Serapio quoq;, ubi hoc Papauer de uerbo ad uerbum ex Dioscoride descripsit, dicit, illud habere semen minutum in subtilibus & longis uaginis. Errant qui cornutum Papauer esse putant in segete nascens Papauer, quod antea Rhœada nominauimus. Differt etiam ab hoc Papauere cornuto Memythe, id est Glaucium, ut prius aliquoties indicauimus.

PAPAVER SPVMEVM. CAP. 67.

Μήκων ἀφρώδης, quod quidam etiam Herculeum, siue Heraclion uocant, ignota omnibus nunc est herba, neq; ipse Plinius eam cognouit. Nam libro xx. capite xix. de hoc Papauere sic scribit: Alterum è syluestribus genus Heraclion uocatur, ab aliis Aphron, foliis (si procul intuearis) speciem passerum repræsentantibus, radice in summa terræ cute, semine spumeo, ex hoc lina splendorem trahunt æstate. Hæc autem de uerbo ad uerbum ex Theophrasti de hist. plant. libro ix. cap. xiii. desumpsit Plinius. Sed nequaquam Theophrasti mentem intellexit. Nam hic Papaueris huius folia Struthi siue Struthii herbæ foliis comparauit, quæ lanaria radicula etiam appellatur, quod scilicet radice eius lanæ & lintea candorem acquirant. De Struthio hoc in secundo libro disseruimus. Commisit itaq; hoc loco Plinius duplicem errorem, utrunq; satis magnum. Primus est, quòd pro herba Struthio passerem animal interpretatus sit. Alter uerò, quod dixerit, Papauere lina candorem trahere. Cum igitur Struthos passerem etiam significet, facilis esset prior error, nisi ipse Theophrastus apertè indicaret, se non passerem, sed herbam Struthi appellatione intelligere. Dicit enim Heraclion Papauer folio constare Struthi, quo splendore in linteis tribuant. Candorem autē linteis non passere, sed herba lanaria, quę Struthos siue Struthion Græcè dicitur, tribuunt. Potuisset etiam ex hoc colligere Plinius, Theophrastum herbam & non auem intelligere, cum sic de Papauere Herculeo scribat: Constat folio Struthi. Quibus uerbis apertè indicatur, Struthon folia habere, quod plantis & non animalibus propriū esse omnes nouerūt. Ne autem alicui incredibile uideretur, herbæ huius folia passeris speciem habere, Theophrasti uerbis hanc parenthesin adiecit Plinius: Si procul intuearis.

Error Plinij.

* *Hoc fortè est Ben album syluestre.*

HYPECOVM. CAP. 68.

Ὑπήκοον quo iam nomine appelletur, nullus adhuc scriptis prodidit, neq; aliquis ex doctis nouit. Propterea mihi quoq; ueniam dari non est iniquum, quod ipsum non nouerim.

APOLLINARIS. CAP. 69.

Ὑοσκύαμος, Latinis Altercum, Apollinaris, Symphoniaca, & Hyoscyamus, Germanis Bilsenkraut uocatur. Tres habet differentias. Est enim purpureo flore & nigro semine quædam. Altera florem luteum & semen subflauum habet: utraque apud nos non nascitur, & quoniam uenenatæ sint, nihil refert quod iis careamus. Tertia omnium est innocentissima, quæ flore constat albo, sed in medio purpureo, & semine candido. Nascitur hæc apud nos ubique in ruderibus, fossis, & circa oppida pagosq;.

PSYLLIVM, SIVE PVLICARIS. CAP. 70.

ψύλλιον & Pulicaris dicta hæc herba est, quòd semen eius colore & quantitate pulicibus simile sit. Notum hoc est eodem nomine omnibus pharmacopolis. Herba ipsa sponte apud nos etiam & copiosissimè nascitur, præsertim Iuterboci, & uicinis locis.

SOLANVM QVOD EDENDO EST. CAP. 71.

Στρύχνος κηπαῖος, Latinis Solanum & Cacubalum, pharmacopolis Solatrum, Germanis Nachtschatte uocatur. Multa sunt solani genera, quæ deinceps enarrabimus. Hoc loco Dioscorides uulgare solanum intelligit, quod nos simpliciter Nachtschatten/ & pharmacopolæ Solatrum appellant. Serebatur olim cibi gratia. Nos uero illud in cibo uitamus. Theodorus Gaza omnes Solani species Vesicarias apud Theophrastum interpretatur, sed malè. Nam Vesicaria speciale nomen est, & uni tantum Solani speciei proprium, quæ fructus uesicis similes fert, unde & nomen inuenit.

VESICARIA. CAP. 72.

Ἁλικάκαβος, quod φυσαλίδα etiam hic author & Aëtius uocat, Arabibus & pharmacopolis corrupto ab Halicacabo nomine Alkekengi dicitur, Germanis uero Juden kirssen/ Blasenbeer/ Blasenkirssen & Schlutten. Nascitur circa uineas sponte, in quibusdam etiam locis in hortis seritur: fructum habet in rubenti & leniter turbinato folliculo ceu uesica, croceum, & Ceraso magnitudine æqualem.

SOMNIFICVM SOLANVM. CAP. 73.

Στρύχνον ὑπνωτικὸν hodie ignoramus. Id tamen certum est, Amarum dulcem, id est, Je lenger je lieber/ huic ualde cognatam esse. Foliis enim, florum forma, fructu & uiribus (quas in me ipso expertus sum) Solanum refert.

SOLANVM FVRIOSVM. CAP. 74.

*Στρύχνον μανικὸν in Aegypto copiose nascitur, unde ad nos fructus eius afferuntur, quos pharmacopolæ Cuculos de Leuante, id est, Solanum orientale uocant. Nam Cuculus idem est quod Cacubalus siue Solanum, Leuante uero Itali orientem à leuando uocant. Antequam autem ad nos perferantur hi Cuculi, omnino exiccantur interiores nuclei, & succosa caro quæ corticem ambit. Semel satis recentes uidimus. Pisces quàmprimum eos deglutierint, uertigine corripiuntur, & supini aquis innatant, ita ut facillimè manibus apprehendi possint.

Mihi Coccali orientis uulgò dicti cum Solani huius historia conuenire non uidentur.

DORYCNIVM. CAP. 75.

Nullus ex ueteribus tum Græcis tum Latinis, hanc herbam descripsit, præter Dioscoridem, qui historiam eius ex Crateua desumpsit. Plinius & alii quidam crediderunt, Dorycnium idem esse cum Solano furioso, quod falsum esse Nicander, Dioscorides, & plures alii testantur. Reuera autem sui generis herba est Dorycniũ, de quo meam opinionem paucis proferam: Seritur à Venetis monachis, & à paucis in Germania Medicis herba, quam Granacordis & Halicaccabum alterũ uocant, ab Halicacabi fructus similitudine. Habet hæc herba omnes notas & uires, quas Nicander & Dioscorides Dorycnio tribuunt, † sola tamen folia non conueniunt, quæ Dioscorides oleę foliis similia esse dixit. Sed hoc me nihil mouet: Desumpta ex Crateua est historia, potuitq́ corrũpi locus iste, ubi de foliis agitur. Respondẽt candidi flores, folliculi, unde etiã Halicaccabus à ueteribus & nostris appellatur. Conueniunt etiã ad amussim in folliculis contenta, rotunda, dura, leuia & colore uaria semina. Conuenit etiam eorũ numerus, & cõmanducata lacteum habent colorem & saporẽ, quas notas Dorycnio Nicander tribuit. Quinetiam somnifica sunt eius semina, nec sine periculo uitæ intra corpus sumuntur. Quapropter cum omnes alię notę conueniant, uerisimile est in foliorum comparatione mendam esse. Seuimus hanc herbam, uidimus & gu

† Reprehẽdit hanc opinionem Matthiolus.

ſtauimus. Propterea non ex aliorum relatione iſta de Dorycnio ſcripſimus: Grana
eius comeſta ſuauiorem ſomnum quàm Opium afferunt: Sed cauendus eſt magnus
illorum numerus.

MANDRAGORAS. CAP. 76.

Non ſine cauſa turbabitur, qui Theophraſti & Dioſcoridis de Mandragora uer=
ba conſiderabit. Dioſcorides enim Mandragoræ primi fructus ſorbi magnitudine,
& luteo colore eſſe dixit, quamuis Marcellus malè uitellis ouorum interpretatus ſit,
ratus ὠοῖς legi oportere, quę uox oua, non ouorum uitellos ſignificat. Probati codices
ὄυας, id eſt, ſorbis, habent, ubi Serapio Meſpilum interpretatus eſt, ſed malè. Hoc au=
tem peccatum potius interpreti, quàm Serapioni adſcripſerim. Alterius uerò mala,
ſiue fructus, duplo maiora, & crocco colore depinxit, utricꝫ etiam caulem negat. Sed
Theophraſtus Mandragoræ caulem eſſe manifeſtè indicat, de hiſto. plant. lib. vi. cap.
ii. Vbi fructus eiuſdem niger & acino uuæ ſimilis deſcribitur. Sed malè ῥαγώδης ra=
cemoſus reddidit Gaza. Nam ῥὰξ, ῥαγός, uuæ acinum ſignificat, unde deriuatur ῥαγώ=
δης, quo uocabulo acino uuæ ſimile quiddam Græci intelligunt. Ruellius non race=
mum, ſed ouum legi oportere apud Theophraſtum cenſet, ſed magno errore. Non
enim corruptus eſt iſte apud Theophraſtum locus. Cum uerò contraria omnino ſit
Mandragoræ hiſtoria apud Theophraſtum & Dioſcoridem, facilè temerarius qui=
dam alterutrum authorem mentitũ eſſe pronunciaret: quod ne aliquis faciat, moneo
& ſuadeo. Nam utercꝫ ſatis exquiſitè & optimè Mandragorę hiſtoriam executus eſt,
(quod fortaſſe Paradoxon alicui uidebitur.) Sed illud nunc demonſtrare incipiam:
Dioſcorides tres Mandragoræ ſpecies enumerat, Theophraſtus autem unam tan=
tum. Dioſcorides autem marem & fœminam Mandragoram, id eſt, priores duas ſpe
cies, quas ſolas uiderat, deſcripſit ea forma, qua adhuc in Italia cognoſcuntur. Quin &
ego fructus & ſemina uidi, plantaui & enata folia hiſtoriæ conuenire animaduerti.
Hos duos Mandragoras Theophraſtus non cognouit, necꝫ aliquam eorum mentio
nem facit. Tertiam uerò Mandragoræ ſpeciem, quæ Morion priuatim dicitur,
Dioſcorides non uidit, ut ex uerbis illius apertè colligimus, & hæc eſt quam Theo=
phraſtus deſcribit Mandragoras: grandem habet radicem, caulem procerum, folia
Solani & Mandragoræ prioris foliorum mediam habent figuram, flores profert ni=
gros, & poſt hos nigros fructus grandi uuæ acino æquales (id eſt, wie ein groſſe
Weinbeer) qui uinoſum ſuccum guſtatus emittit. Vidimus eam plantam in Heſſiæ
umbroſis & antiquis ſyluis iuxta ſpeluncas naſci, Heſſis Dollkraut dicitur, quo no=
mine Græcorum Morion interpretantur, Alii etiam Schlaffbeer eam uocant, quo
niam ſoporem fructus eius faciunt. Porrò nullum tam ſtupidum eſſe exiſtimo,
qui credat in humanam formam ſculptas illas radices, quas Agyrtę oſtentant, Man=
dragoram eſſe. Fingunt enim radicem aliqui ex radice bryoniæ & althęæ, alii aliter.
Veri Mandragoræ radicis cortex in pharmacopoliis ſuo genuino nomine habetur.

ACONITVM PARDALIANCHES. CAP. 77.

Pardalianches Aconitum, quo pantheras uenatores necant, hodie nulli cognoſci=
tur. Si tamen huius hiſtoriæ conferamus herbam, quam nos ab uno fructu, quem ſo=
lum fert, Einbeer uocamus, uireſcꝫ cõſideremus, manifeſtè uidebimus eam hoc A=
conitum eſſe, quod Theophraſtus alibi Telyphonon, alibi Μυόφονον, alibi etiam Scor
pionem uocat, quoniam radicem habet graminis modo geniculatam, & ſcorpionis
caudæ ſimilem.

** Fallitur Cordus: eſt enim Einbeer Solanum ſyluaticum quoddam, frigidæ facultatis, non ſepticæ.*

ALTERVM ACONITVM, ID EST, LYCOCTONON, SIVE Cynoctonon. CAP. 78.

Aconitum quod Lycoctonon & Cynoctonon dicitur, quoniam lupos & canes in
terimat, tres habet differentias: quarum una, quæ eſt efficaciſſima, à pharmacopolis
habetur, & ab his radix Aconiti dicitur. Germani uerò Græcum nomẽ Lycoctonon
interpretantur, Nam Wolffswurtz à nobis appellatur, quòd uenatores Lupos &
Vulpes eius radice necent.

** Id quod purpureos flores habet, dicitur Münchskappen.*

CICVTA. CAP. 79.

Κώνειον Latini Cicutam, Germani Wüterich & Wütscherling uocāt. Non cognoscitur ab omnibus Cicuta. Nam aliam herbam minimè uenenatam hoc nomine habent pharmacopolę, cuius semen longum & gracile existit, ideoq; creditur apud nos non esse uenenata Cicuta. In causa est, quod ueram Cicutam non nouerunt, quæ in nostris etiam terris præsens est uenenum: quod manifestissimis exemplis probari potest. Non enim rarò contingit pueros radice & semine eius, quod Aniso ęquale est, uesci & intermori. Habet Cicuta fœdissimum odorem, quo solo statim abominabile eius uirus percipitur. Sunt autem plures eius species.

✱ De temperamento eius controuersia est, sicut de Coriandro. Species Cicutæ etiam in areis hortorum nascitur, semine aniso simili, Gleysen.

TAXVS, ARBOR. CAP. 80.

Taxus arbor, quæ à Græcis Σμίλαξ appellatur, uenenum est. Ideoq; oportet, ut diligenter animaduertamus, quam rem intelligant scriptores, cum Smilacem apud eos legimus. Nam præter hanc arborem duæ sunt adhuc plantæ, quę Smilaces appellantur. Vna lenis siue satiua dicitur Smilax, id est, Dolichus. Altera aspera est Smilax, siue Hedera Cylissa. Est autem Taxus arbor sine dubio ea, quam nos ein Eiben uocamus, è cuius ligno adhuc arcus & scorpiones fiunt, quos optimos ex Taxo fieri authores tradunt. Hi autem maximè errant, qui Eiben Ebenum esse credunt, sola nominis similitudine decepti. Noluit in primo libro inter arbores describere Taxum Dioscorides, ne cognata facultate præditæ res distraherentur. Cum igitur Taxus uenenum sit, non immeritò hoc loco inter uenenatas plantas recensetur.

APOCYNVM. CAP. 81.

Apocynon qualis sit herba, hodie omnino ignoramus. Cognominatur hæc etiam Cynocrambe, quoniam canes interimat. Porrò alia est etiam quæ proprio nomine Cynocrambe uocatur, ut suo loco ostendemus. Quapropter uidendum est, ne diuersæ naturæ res confundamus.

✱ Apocynum uerum pingit Matthiolus.

NERIVM. CAP. 82.

Nerion quod aliqui Rhododaphnen & Rhododendron, à rosæ simili flore uocant, arbor est quibusdam temporibus uenenata, è cuius & Aconiti floribus in Ponto uenenatum mel apes colligunt. Arbuscula hæc in nostris regionibus non nascitur, in Italia à quibusdam in hortis ostentationis causa plantatur, & nos ipsius semina seuimus: fructum habet longum, intus ceu carduorum pappis refertum, qui in quibusdam Dioscoridis exemplaribus malè Hyacinthi pappis similes esse legūtur. Cum autem Hyacinthus nullos omnino pappos habeat, legendum est Acanthi, id est, Spinę siue Cardui alicuius, ut probati codices & ipsa experientia testantur. Monendi etiam Medicinæ studiosi sunt, apud Aëtium in compositione Esdræ malè seorsim legi Flores Nerii & Rosarū Rhododaphnes, Nam eadem arbor Nerion et Rhododaphne est. Rosæ itaq; Rhododaphnes nihil aliud sunt, quàm flores Nerii. Videtur itaq; flos Nerii interpretatio esse Rosarum Rhododaphnes ad marginem signata, quę postea ab aliquo indocto in ipsum uerborum contextum posita est. Porrò ipse Galenus & Dioscorides diuersas Nerio uires adscribunt. Ille enim Nerion homini quoq; uenenum esse dicit: Hic uerò homini contra uenena remedium facere. Possent autem hi authores conciliari hoc modo, si intra corpus sumatur Nerion uenenum esse, Si uero foris imponatur, contra uenenatorum morsum Medicinam facere. Sed sic se rei ueritas habet. Nam probata exemplaria addunt σὺν οἴνῳ πινόμενα, id est, cum uino pota, uidelicet flores & folia. Sic etiam in Plinio manifestè legitur, qui proculdubio hoc ex Dioscoride transcripsit. Quin etiam in Esdræ Antidotum, cuius præcipuus usus est contra uenenata animalia, Nerii flores recipiuntur, ceu medicamentum contra uenena efficax. Id tamen uerum est, florem eius insaniam facere, sed non semper. Accidit enim hoc quibusdam locis, & quibusdam temporibus.

FVNGI. CAP. 83.

Fungorum multiplex est differentia. Quidam enim edendo sunt, quidam uerò in-
tra corpus sumpti strangulant. Germani omnes generali uocabulo Schwemme uo
cant. Qui autem edendo sunt, suis etiam distinguuntur generibus. Sunt enim quidã
Piperis sapore, & lacteo liquore manant, hos Germani Pfifferlinge uocant. Sunt
& Boleti, quos Bölze eadem nostra gens appellat, uenenati Fungi. Multa habent
genera, sed omnia Poggenstül/ id est, Bufonum cathedræ siue sellæ Saxonibus di-
cuntur. Sub Betulis arboribus in candido & rufo colore uarii nascuntur Fungi, quos
Fliegenschwemme/ id est, Muscarios fungos uocamus, quoniam muscas lacte intri-
ti occidunt. Pharmacopolæ etiam in suis Officinis Fungos habent, quos Boletos &
Fungos ceruinos uocant. Ferunt eos in syluis ex semine ceruorum enasci, & propte-
rea Venerem stimulare: sed falsum hoc est. Inueni enim hos Ceruinos fungos in præ-
ruptissimis montium syluis, quò ne Damæ & Rupicapræ quidem peruenire possent,
nedum cerui. Nec uerisimile est eos Venerem stimulare, cum frigidum, pituitosum,
crudum, & malignum succum in humano corpore gignant. Quæ enim Venerem ac-
cendere debent, contrarias facultates & qualitates habere necesse est.

Fungorum edulium optimi sunt Pfifferlinge & Reißken dicti.

COLCHICVM. CAP. 84.

Colchicon copiose in Colchide nascitur, unde etiam nomen inuenit. Estq; in illis
regionibus uenenata herba. Quod uero apud nos prouenit, amarius est, quo sapore
ueneni aliqua pars diluitur, nec tamen omnino innoxium redditur. Homines enim
quos eo purgauerimus, seuissima incurrunt accidentia. Pharmacopolæ hanc herbam
Hermodactylum, Germani Herbstblümen/ Wisensaffran/ & Zeitlosen appel-
lant. Quidam huius florem Narcissum esse crediderunt, sed reuera Narcissus pluri-
mum ab hac herba differt. Colchicum aliqui etiam Ephemerum appellarunt, quòd
eadem die qua sumatur, hominem occidat.

Huius radix tot habet annos, quot cortices. Theophrastus Narcissum uocat, ut quidam putant, mihi non uidetur.

EPHEMERVM. CAP. 85.

Ephemeron hoc solo nomine Colchico simile est: uiribus enim & forma multum
ab illo differt. Alio nomine etiam Iris agrestis uocatur. Hodie autem ignotum est.

Non est Lilium conuallium, ut quidam rentur.

HELXINE. CAP. 86. *Vide suprà, Cap. 39.*

ALSINE. CAP. 87. *Vide suprà, Cap. 39.*

PALVSTRIS LENS. CAP. 88.

Φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, id est, Lens in lacustribus locis genita. Differt hæc à lente le
gumine. Nam aquis stagnantibus innatat ceu muscus, minimis & compressis foliis
constat. Figuram Lentis semina repræsentant. Vnde & nomen inuenit. Germanis
eadem significatione Wasserlinsen uocatur.

SEDVM MAIVS. CAP. 89.

ἀείζωον τὸ μέγα Latini Semperuiuam, siue Vitalem maiorem, pharmacopolæ Bar
bã Iouis, Germani groß Haußwurtz/ groß Donnerkraut/ groß Immergrün/
& Haußlauch appellant. Plinius Gramen & Aizoon diuersas natura plantas con-
fudit, lib. xxiiij. cap. ult. errore manifesto. Plinium secuti sunt Hermolaus Barbarus
& Ruellius, qui ferè de uerbo ad uerbum illius errorem exscripserunt. Miror autem
uehementer, hos doctissimos alioquin uiros, istum insignem Plinii errorem non ob-
seruasse.

AIZOON MINVS. CAP. 90.

Semperuiua minor nõ est Italis uocata Pegnolla, ut antea in Trago demõstrauimus.

Habet

Habet autem alterum Aizoon duas species. Prior Germanicè klein Hauszwurtz/ klein Donnerkraut/ Daubenweitz/ & klein Jmmergrün uocatur. Oblonga, pinguia, & acuminata habet folia, caulem gracilem, altitudine dodrantalem, in summo luteos flores, paululum ad uiridem colorem inclinatos, ferentem. Flores huic tribuit Vergilius Marcellus interpres colore pallidos: in Gręco uero χλωρὰ legitur, quę uox etiam luteum colorem significat, ut antea quoque dictum est. Serapio uero eiusque interpretes citrinum interpretati sunt, & hoc optimè quidem. Recentiores minus Aizoon Vermicularem uocant, estque frigida herba, ut maius Aizoon, pro qua nostri aliam similem herbulam, sed contrario temperamento, accipiunt. Aizoon minus.

Altera minoris Aizoi species incertã habet apud hunc authorem historiam. Corruptus enim uerborum contextus est, quod quilibet in hoc studio exercitatus facillimè uidere potest. Plinius uero optimè eam describit, & uidentur omnia eius uerba, quæ facit de tribus Aizoi generibus, ex hoc authore desumpta esse. Eius authoris uerba ex libro xxv. cap. xiii. hęc sunt: Quod minus est in muris parietibusque nascitur, & tegulis, fruticosum à radice & sursum usque ad cacumen, foliis angustis, mucronatis, succosis, palmo alto caule, radix inutilis. His uerbis egregiè describit primam minoris Aizoi speciem, cui deinde alterum minus Aizoon comparat, dicens: † Huic simi- † CAP. 91. lis est quam Græci Andrachnen agriam uocant, Itali Illecebram, pusillis, latioribus fo Illecebra. liis, breuiore cacumine. Quibus uerbis euidenter indicat eam herbulam, quam Germani Erdpfeffer/ Steinpfeffer/ & Maurpfeffer appellant. Hęc sola ex omnibus Aizoi generibus calidum habet temperamentum. Propterea eam magno errore pro Vermiculari accipiunt. Distinximus itaque ab Aizoi speciebus Tragũ, & omnes tres Aizoi differentias indicauimus, & scio me in hac re non errare.

ACETABVLVM. CAP. 92.

Primam κοτυληδόνα, quam Cimbalion, Scitalion, Acetabulum & Vmbilicum Veneris uocant, in nostris regionibus nondum nasci uidimus. Quidam tamen hoc nomine herbam quãdam rotundo folio, cui in medio est pediculus, indicant, quam ego probè noui. Nascitur in humentibus & putridis arenosis locis: sed plurimum ab Acetabuli descriptione differt, radicem enim habet tenuissimam, Acetabulum uero oliuę similem, & grandem. Quapropter qui herbis ignotis ex hoc authore nomina indere uolunt, ut omnes descriptionum notas considerent necesse est.

* Recentiores aliqui Scutuncellum uocant, Itali Rondelam.

ALTERVM ACETABVLVM. CAP. 93.

Alterum Acetabulum sine dubio mihi esse uidetur pinguis illa herba, quam recentiores Crassulam maiorem. Germani Fettehenne & Donnerbonen appellant. Crassa & carnosa habet folia, ut Aizoon maius, quę hyeme unà cum caule exarescũt.

* Gesnerus Crassulam hanc ueteri Græco uocabulo Anacampserotem uocat.

VRTICA. CAP. 94.

Ακαλήφη, siue Κνίδη, Germanis Nessel appellatur. Nota omnibus herba est. Plures eius inueniuntur species, quàm ueteres descripserunt. Semen eius in pharmacopoliis seruatur.

* Fœmina paßim uulgaris est, exili semine: mas, Vrtica Romana uocatur.

GALIOPSIS. CAP. 95.

A florum figura nomen hæc herba inuenit, qui hiantibus mustelæ faucibus similes sunt. Nota omnibus est, Germani eam Biensaug/ & Todt nesselen/ siue Taube nesselen appellant. Videndum tamen est ne quis eam cum Ballote, id est, Marrubio nigro, simili herba, confundat. Quod ne fiat, foliorum creber intuitus faciet. Galiopsis enim longiora & acuminata Vrticæ modo folia habet. Ballote uero rotundiora. Inueniuntur etiam Galiopsis species aliæ, candido, luteo & uario flore. Nam Dioscorides unam tantum speciem descripsit, quæ purpurascentes habet flores.

* Plinius aliquando Mesoleucum & Dialeucum nominat. Non est Scrophularia.

GALION. CAP. 96.

Galion hoc à coagulando lacte nomē inuenit. Duplicis est differentiæ. Vna enim candidum, altera luteum florem habet: utriq; Aparines sunt folia. Flores quamuis parui sunt, multitudine tamen herbam ex longinquo conspicuam reddunt. Germani Kaynritzen & Labkraut/† appellant. Recentiores quidam Aspergulam. Sed latè patet hoc nomen, neq; in aliquo probato authore legitur.

† Nam Lab, coagulum uocant.

SENECIO. CAP. 97.

Ἠριγέρων & Senecio hæc herba dicitur, quòd flores eius cito in ipsa iuuentute canescant. Magnus hodie in hac herba error committitur, ne dicam maximus. Senecion enim refrigerandi uim habet. Hodie uero Senecionem alii Carduum benedictum, alii Nasturtium aquaticum uocant, herbas in tertio gradu calidas. Verum autē Erigeron siue Senecion, ubiq; cultis & incultis circa oppida, & in muris nascitur. Itali eam Petrellam, Germani Baldgreiß & Creützkraut appellant. Sunt & huius plures species.

THALICTRVM. CAP. 98.

Thalictron non est Argentina siue Argentilla, ut Ruellius opinatur, neq; hoc ille certò affirmat. Verum autem Thalictrum est ea herba, quam Germani Heylblat appellant, qua rustici in Saxonia maxima curant uulnera, sine aliquo adiutore Medico. Nascitur in campestribus & in pratis, non ita humentibus. Sunt autem tres ipsius species, quæ suis differentiis distingui possunt.

* Aliqui Widerthon appellant: sed hoc uocabulum latè patet.

MVSCVS MARINVS. CAP. 99.

Βρύον θαλάσσιον, Muscus marinus, Plinio Lactucæ similibus constat foliis, iisq; rugosis & contractis, sine caule ab ima radice exeuntibus. Sed malè ista de Marino musco scribit. Intelligit enim eam herbam, quam antea Lichena esse ostendi. Muscus uero marinus multis capillamentis tenuior est, quam ut Lactucæ foliis constare possit. Mihi sine dubio Marinus muscus esse uidetur Muscus ille salsus, quem pharmacopolæ hodie Corallum herbam, siue Corallinam appellant. Idem etiam Antonius Musa iudicat. Affertur ex maritimis locis, una cum adhærentibus marinis testis. Est alia etiam herba nomine Carolina siue Carlina, cuius in Chamæleone mētionem fecimus.

MARINVS PHYCVS, SIVE ALGA. CAP. 100.

Nobis in mediterraneis locis habitantibus, omnino incognita est marina Alga.

POTAMOGETON. CAP. 101.

Potamogetona bellē nouisse se credit Vergilius Marcellus. Interim tamen ait, nomen inuenisse à uicinitate fluminum, prope quæ nascatur. Quæ uerba indicant, eum nullo modo herbam hanc cognouisse. Nam Potamogeton in ipsis aquis nascitur, & tantum folia paulum extra aquas eminentia ostendit. Quæ uero reuera sit Potamogeton, nondum constat. Noui ego herbam Betæ folio, sed longiore, quę spicatum florem extra aquam erigit. Ipsa uero longis uiticulis in aqua spargitur, & gustu uehemēter astringit. Nascitur stagnantibus & limosis fluuiorum partibus, & in aqua repletis urbium fossis. Est & alia huic omnino similis, sed rotundiore folio. Quamuis autem omnes huius herbæ notæ Potamogetoni conueniant, nullam certam tamen sententiam de ea ferre ausim.

* Aliqui Wassermangolt uocant: quod nomen etiam Limonio Cordi attribuunt.

AQVATICVS STRATIOTES. CAP. 102.

Si in Aegypto & Nili inundatione tantum hic Stratiotes nascitur, ut Plinius scribit, eum in nostris regionibus quærere superuacuus esset labor. Cum uero Dioscorides illum indefinitè aquis innatare & sine radice uiuere scribat, soli Plinio non credo. Quis enim omnium regionum fluuios & paludes uidit, ut certò affirmare ausit, nusquam

quam nisi in Aegypto nasci hunc Stratioten. Hodie uerò quid sit ignoramus. Nomē inuenit, quod milites uulnerati se hoc curarent. Sed malè cū illis ageretur, si ex Aegypti Nilo eum toties petere deberēt, quoties uulnerarentur. Propterea eam in nostris quoque fluuiis inueniri non despero. Innatat enim stagnantium undarum superficiei ubique herba quædam pinguibus foliis, necullam è terra habet assurgentem radicem, fibras tamen in aquam spargit, ut lentes aquaticæ, per quas nutritur. Germanicè hæc uocatur aut uocari potest groß Wasserlinsen. Folium tamen Aizoi foliis simile nō est, sed Asari. Propterea sępe suspicatus sum an ne Asari pro Aizoi legendum sit. Nō parum certa est Aizoi foliorum comparatio, cùm duæ potiores species Aizoi sint diuersæ figuræ folia habentes, nec adiecta sit distinctio, cuius nam Aizoi foliis Stratiotis huius folia similia essent. Habet autem hæc berba, quæ apud nos prouenit, refrigerandi & astringendi uim, ut ipse Stratiotes.

MILLEFOLIA STRATIOTES. CAP. 103.

Χυλιόφυλλος ὁ στρατιώτης, id est, Millefolius Stratiotes sine dubio est illa herba, quæ hodie ubique Millefolium uocatur, à Germanis Garben & Relcten. Hanc herbam Ruellius antea Achilleam esse credidit, sed magno errore. Propterea nunc etiam non minus in indicando Stratiote terrestri siue Millefolio errat. Nam ferulaceam quandā herbam & Dauci speciem Millefolium Stratioten esse dicit, quæ Daucus asininus, Anethum, syluestre, & Cuminum syluaticum à quibusdam appellatur. Quamuis autem Stratiotes hic Millefolius umbellæ similes corymbos habeat, minimè tamen ex ferulacearum siue umbelliferarum genere est. Porrò hæc herba, quam Ruellius Stratioten Millefolium esse falsò dicit, à Theophrasto Pastinaca Patrensis uocatur, nigrā habet radicem, sapore & odore Pastinacæ.

✝ *Est & alia Stratiotæ terrestris species, non descripta Dioscoridi, quam uulgò uocant* wild Wurmkraut.

VERBASCVM. CAP. 104.

Φλόμος, id est, Verbascus multas habet species, quas Germani omnes generali uocabulo Königskertzen / Feldtkertzen & Wullenkraut appellant. Pharmacopolæ uerò corrupto nomine Tapsum barbatum, Barbassum siue Barbatum dicunt. Est etiam ferulacea planta Tapsia, ut suo loco audiemus, sed à Verbasco diuersa.

Porrò Coronarium Verbascum Græcis Lychnitis & θρυαλλὶς nominatur: quoniā ramulis illius & conuolutis foliis pro funiculis siue conuolutis linteolis in lucernis quidam utuntur. Seritur hoc in hortis, foliis cōstat oblongis & hirsutis, floribus purpureis rosæ simplici similibus: quamuis etiam cādido colore inueniantur, hos Germani Campelosen / Marien rosen / Sammet rosen / & Damasten rosen appellant.

✝ *Herbam paralysin uulgo dictam* Schlüsselblümen / *aliqui Verbasculum uocant, nescio quam rectè.*

AETHIOPIS. CAP. 105.

Aethiopis quæ sit herba, nulli hodie ex doctis cognitum est, quoniam in peregrino & alio quàm nostro orbe nascitur.

✝ *Aethiopidis picturam apud Matthiolum reperies. Aliqui Symphyto maiori cognatam putant esse herbam.*

ARCTION. CAP. 106.

Arction quo nomine iam appelletur, non constat, quamuis Ruellius hoc cognouisse uideatur.

ARCION. CAP. 107.

Ἀρκεῖον, siue προσωπὶς, Latinis Personatia & Lappa grandis, Pharmacopolis Bardana. Germanis Butzenkletten / Roßkletten / Butzebletter & grosse Kletten uocatur. Confundunt quidam Arction cum Arcio, ut Brunfelsius & Ruellius, magno tamen errore. Sunt enim diuersæ herbæ, sed facilè hoc Librariorum & Chalcographorum incuria accidere potest. Brunfelsius uehementer errat, quòd Vngulam caballinam Arcion siue Personatiam esse dixerit.

PETASITES. CAP. 108.

Πετασίτης à petaso, id est, galero nomen habet. Grande enim illi est folium, quod caput humanū à solis æstu, uice galeri defendere potest impositum. Mediam habet hæc

herba inter Personatiam & Bechion figuram, folia tamen huic rotundiora quàm Personatiæ sunt. Primo uere spicam longam purpurascentibus floribus plenam protrudit, qui lappularum aliquam habent similitudinem, sed reuera lappæ non sunt. Germani Petasiten Heublen uocant, alii Neunkrafft: uel Pestilentzwurtz, quod radix bubones pestilentiales maturet. Nascitur uliginosis & pinguibus locis.

EPIPACTIS. CAP. 109.

Epipactis quæ sit herba, hodie omnino ignoratur, nec facile erit eam inuenire, quoniam nullus ex ueteribus, ut in re nota fit, totam eius historiam posuit.

CAPNOS, ID EST FVMARIA. CAP. 110.

Κάπνος, Latinis Fumaria & Fumus terræ, Germanis Erdtrauch / Nunnenkraut & Daubenkropff dicitur. Sunt etiam qui Wilderauten appellant, sed malè. Capnos hæc, quam Dioscorides describit, ubiq; in Pharmacopolis Fumi terræ appellatione habetur. Nascitur in agris. Est & alia Capni species, cuius Plinius & Aëtius meminerunt. Vocatur hæc Capnos siue Capnium phragmites, quod in dumosis sepibus nascatur, & Capnos Chelidonia, quod Hirundinū aduentu erumpat. Cauliculo eius, ubi è terra erumpit, gallinaceorum calcaribus simile quiddam adiacet, à quo etiam Romanis pedes gallinacei dicta fuit hæc herba, ut apud Plinium legitur. Hęc Capni species proculdubio est ea herba, quam Germani Holwurtz & Hanensporen appellant, quam ubiq; per Germaniam Aristolochiam rotundā uocant, cuius species duæ sunt, maior & minor, sed magno errore, ut in tertio libro diximus. Habet enim huius herbæ folia Rutæ & Fumi terræ foliorum mediam similitudinem. Aristolochiæ uerò omnes hederaceo constant folio.

SATIVA LOTVS. CAP. 111.

Græci Loti appellatione eas herbas indicant, quas ipsi alio nomine τρίφυλλα, & Latini Trifolium uocant, Germani Klee. Has omnes Arabes Andacochæ appellatione comprehendunt. Loti species omnes sponte nascuntur, sola satiua excepta, quæ in hortis seritur. Propterea quamuis hæc nullam habeat apud authores descriptionem, cùm sola in hortis seratur, ex omnibus aliis Loti generibus, facilè erit eam cognoscere. Est itaq; hæc sine dubio Trifolium illud satiuum, quod Germani Gartenklee / aliqui etiam ab odore, Nardes / id est, Nardum uocant. Spirat enim iucundum odorem siccata. Flores habet in capitulis ferè cœruleos, quibus in iisdem capitulis semina succrescunt Fœnugræci seminibus similia, sed multò minora, in leniter aculeatis utriculis inclusa. Quoties igitur apud Arabes simpliciter Andacocham scriptum inuenerimus, hæc herba accipienda est. Nam hodie ex Trifolii uulgaris genere sine odore herbulam hirsutam, nullas uires præter astringendi habentem, & ubiq; in agris nascentem, Andacocham uocant, sed magno errore.

Lotus satiua Gallis & Italis Fœnugræcula dicitur: Germanis Nartz/Gartenklee/ Heluetijs Zigerkraut.

SYLVESTRIS LOTVS. CAP. 112.

Syluestris Lotus hoc nomine nulli hodie cognita est, propterea nihil adhuc certi de ea pronunciare ausim.

Aliqui Melilotum uulgarem esse putant. Steinklee.

CYTISVS. CAP. 113.

Satiuus cultu differt à syluestri: qui frutex in Germania sponte prouenit, Geißklee/Bergklee.

LOTVS AEGYPTIA. CAP. 114.

MILLEFOLIVM. CAP. 115.

Μυριόφυλλον, quod Latini Millefolium uocant, plurimùm differt ab ubiq; uocato Millefolio, quod antea Stratioten Millefolium esse indicauimus. Nam Stratiotes asperis & siccis locis nascitur, hoc uerò Millefolium palustribus. Porrò Germani hanc herbam Vasserfenchel / & Wassertannen appellant, quoniam folia eius Fœniculo similia sunt, & tota herba nuper natam abietem figura imitatur.

MYRRHIS. CAP. 116.

Myrrhis umbellifera est herba, Cicutę ualde similis. Nascitur iuxta arbusta, & Germanis Buschmöhren uocatur. Sunt etiam qui Kelberkernen appellant. Sed hoc nomine eam indicare non satis tutum est. Nam & Cicuta palustris etiã Germanis Kelber uocatur. Et non rarò accidit, pueros nominum uicinitate deceptos, hanc pro illa cibi gratia tempore famis eruere, & comesta mori. Cuius rei aliquot exempla uidi.

MYAGRVM. CAP. 117.

Myagros hoc nomine ignota hodie est. Ruellius tamen eam cognouisse uidetur, sed sibiipsi non constat. Nam lib. 3. cap. 26. semen eius Fœnugræco comparat, & benè. In quibusdã tamen Dioscoridis exemplaribus non τήλιδι, id est, Fœnugræco, sed τραχήλῳ, id est, ceruici, magno errore comparat. Quam enim figuram Fœnugræci semen cum collo siue ceruice habet? Ruellius uerò in lib. 2 cap. 30. ubi quid sit μυάγρου indicat, & deinceps notas eius descriptioni confert etiã, dicit semen eius in colli speciem exporrigi. Quo loco manifestè uidemus, quomodo cogat etiam falsam notã descriptioni respondere.

OENAGRA. CAP. 118.

Οἴναγρα, siue οἰνόθηρα, uel ὀνάγρα, ut quædam exemplaria habent, hodie ignota est planta.

CIRSIVM. CAP. 119.

Cirsion, quod aliqui transpositis literis Crission uocant, nequaquam est uulgo uocata Buglossa, ut Leonicenus & Ruellius scribunt, salua tamen doctissimorum uirorum authoritate. Certum enim est uerum Buglossen esse Boraginem. Cirsion uerò quoniam Buglosso siue Boragine grandius est, grande etiam Buglossum appellabatur. Vulgaris autẽ Buglossa, siue Hircina barba uel lingua, Boragine multo minor existit, Ergo nequaquam Cirsion esse potest. Antea etiã uulgarẽ Buglossam Echion esse indicauimus. Sed uerum Cirsium grandis est herba, latis & multo longioribus quàm Borago foliis, proceriore etiã caule. Seritur à quibusdam apud nos in hortis, siue Italicum uel Romanum Buglossum uocatur.

ASTER ATTICVS. CAP. 120.

Astera Atticum Arabum interpretes, & Pandectarum author Mattheus Syluaticus, cum Eryngio confundunt, sed fœdo errore. Sunt enim diuersissimi generis herbæ. Ruellius quoque Astera Atticum non rectè indicat, quamuis non suam, sed aliorum de hac herba opinionem ponit. Ego autem scio me uerum Astera Atticũ in montibus circa Ienam inuenisse. Non enim melius historiæ conuenire posset, tam exquisitè respondent descriptioni omnes eius herbæ partes. Nascitur in petrosis montibus, ut quædam etiam Dioscoridis exemplaria indicant. In quibusdam etiam exemplaribus de floribus eius leguntur, ἄνθος πορφυροῦν ἢ μήλινον, id est, florem purpureum aut luteum, sed falsò. Non enim in quibusdam locis purpureos, & in quibusdam luteos habet. Sed utrunque colorem simul iidem flores ostendunt. Quapropter πορφυροῦν καὶ μήλινον, id est, purpureum & luteum legendum est. Hoc enim alia exemplaria & ipsa floris figura testantur. Media nanque floris pars luteum habet colorẽ, circa quam parua & purpurea foliola, ut in Chamæmeli floribus uidemus, disposita sunt, quo fit ut purpureo & luteo simul colore Asteris flos describatur. ✱Sternkraut.

ISOPYRVM, HERBA. CAP. 121.

Quę sit Isopyron herba, hodie nulli non incognitum est, neque aliquis adhuc ex recentioribus eam inuenit.

✱*Sunt qui Nigellam Damascenam esse coniectent.*

VIOLA NIGRA. CAP. 122.

Ἴον μέλαν, Romani Violam purpureã uocant, Germani Violen / siue Veieln. Nota omnibus hæc herba est, quæ primo Vere ubique in hortis & uepribus emicat, coliculo gracili, & ualde odorato flore. Herba eius in Pharmacopoliis Violaria uocatur.

CACALIA. CAP. 123.

Cacalia non est agreste Carui, ut quidam apud Ruellium opinantur. Hodie enim omnino incognita est.

Sunt qui Lilum conuallium aut cognatam herbam esse suspicentur.

BUNIUM. CAP. 124.

Bunion nulli hodie hoc nomine notũ est. In secundo libro sermo de Buniade etiã habebatur, quæ plurimum ab hoc Bunio differt.

PSEUDOBUNIUM. CAP. 125.

Pseudobunium in Creta nasci Dioscorides scriptum reliquit. Quapropter nescio an apud nos etiam nascatur. Hodie uerò quid sit, omnes ignorant.

HEDERA TERRESTRIS. CAP. 126.

Terrestris Hedera, quam Græci χαμαίκισσον uocant, non est herba illa, quæ Germanis Gundelrebe dicitur: de qua re parens meus in Botanologico suo disseruit.

*Smirgel *herba aliquo modo huic descriptioni conuenit, sed nulla est in floribus amaritudo.*

CHAMAEPEUCE. CAP. 127.

Quædam exemplaria pro χαμαιπεύκη, χαμαιλεύκη habẽt, sed malè. Nam Chamæleuce diuersa est ab hac herba, & eadem cum Bechio, id est, Tussilagini. Correctiores uerò codices & Plinius Chamæpeuce habent, id est, pumila picea. Est enim paruus frutex Chamæpeuce, foliis uirentibus, & piceæ similibus, odore admodum graui, & Germanis Sewtannen/Erdtannen/ & Zeytheyde appellatur. Quidam hunc fruticem etiam Chamæpityn uocant, sed malè: ut suo loco indicauimus.

BUGLOSSUM. CAP. 128.

Verum Buglossum, quod ueteres medici intelligunt, sine dubio est omnibus nota Borrago. Nam Apuleius dicit Corraginẽ à Lucanis appellari Buglosson, B, litera in C, mutata. Folia Buglossi ueteres dixerunt animi uoluptates & lętitiam facere, si uino iniiciantur. Idem nos Boraginis floribus tribuimus.

Mesues facit duplicem Borraginem, unam syluestrem quæ est nostra Buglossa: & alteram satiuam, quæ est Borrago.

CYNOGLOSSA. CAP. 129.

In hisce regionibus malè asperam Anchusam illam quam Lycopsin esse diximus, Cynoglosson uocant. Veram autem Cynoglossam omnes aliæ Germaniæ gentes Hundszunge/ id est, Caninam linguam uocant: quam etiam Pharmacopolia habent. Dioscorides ei caulem negat: & nos etiam sine caule eam nasci ubiq; uidemus, quibusdam tamen temporibus eadem caulem, purpureos flores, & post hoc minutas lappas producit, quas Plinius etiam illi tribuit. Ergo imprudenter Ruellius scribit, non esse Cynoglosson quod in Officinis habeatur, quoniam caules & lappas ferat. Multis enim nunc annis obseruauimus Cynoglossam interdũ primo anno nimirum, fortè & secundo sine caule nasci, ut Dioscorides eam depingit, reuera tamen caulem fert. Duplex inuenitur Cynoglossa, maior & minor. Hæc Dioscoridi non fuit cognita, & foliis, caulibus, floribus & lappulis maiori similis est, sed minora hæc omnia habet. Quinetiam natales & odoris uires cum illa communia habet.

PHYTEUMA. CAP. 130.

Phyteuma hodie omnino incognita est herba, neq; opus ea magnopere habemus, si amatoriis tantùm ueneficiis est utilis.

LEONTOPODIUM. CAP. 131.

Leontopodion similiter ut Phyteuma incognita nobis est, nec alias habet in medicina uires, quàm quod amatoriis ueneficiis utilis sit. Quędam tamen exemplaria eã corpori foris impositam abscessus discutere addunt.

HIPPOGLOTTON. CAP. 232.

Quędam exemplaria Hippoglosson habent, sed malè. Nam nomen suum ab Hippoglottide

poglottide inuenit. Habet enim, ut Plinius etiam ait, parua foliola linguularū forma
ex foliis exeuntia. Propterea Vergilius Marcellus malè Hippoglosson legi censet,
qui nequaquam etiam uerum Hippoglosson in suo Commentario indicat. Nescio
enim quam spicatam lanuginem introducere conatur, cùm tamen nullus unquam au
thor alicuius lanuginis uel spicæ in hac herba mentionem faciat. Mihi profectò hoc
Hippoglosson, siue Hippoglossidion, siue Hippoglotton eadē esse uidetur cum Lau
ro Alexandrina. Vtrunq; enim Hippoglossum ab hoc authore & aliis omnibus uo=
catur, utrumque Rusci folio describitur. In Lauro Alexandrina tamen paruorum fo=
liorum ex foliis nascentium non meminit: ècontra etiam in huius Hippoglossi histo
ria, foliis adnati fructus mentionem non facit. Sed hoc meam opinionem magis con=
firmat. Quod enim utriusq; descriptioni deest, id etiam ex utriusq; descriptione sar=
ciri potest. Quo fiet, ut unam tantum herbam Hippoglosson & Alexandrinam Lau=
rum esse cognoscamus. Nam habemus in Pharmacopoliis herbā Vuulariæ nomine,
ècuius foliis alia minora nascuntur folia, quæ omnia Rusci modo aculeata sunt, sed
molliora. In mediis uerò foliis iuxta parua foliola rubentem fert fructum, Ciceris ma=
gnitudine. Hæc itaq; Vuularia Hippoglossi & Alexandrinę Lauri descriptioni opti
mè conuenit. Ruellius hoc loco laudandus est, quòd Hippoglosson Bonifaciam, siue
Paganam linguam ab Italis uocari scribit. Est enim Bonifacia eadē herba quæ Phar-
macopolis Vuularia, & Germanis **Zepfflinkraut/Zungenblat/** & **Berblat** ap=
pellatur. Nec me mouet, quòd Galenus & Aegineta diuersis locis de Hippoglosso
& Alexandrina Lauro agāt. Aegineta enim ex Galeno, Galenus ex Dioscoride earū
uires transcripsit. At certò scio, Galenum Hippoglossi nomine ab Alexandrina Lau=
ro diuersam herbā nō cognouisse. Potuit itaq; hæc una herba ab alio Hippoglossum,
ab alio uerò authore daphne Alexandrina appellari. Nam Theophrastus Alexandri
næ lauri tantùm meminit, proculdubio sub hac etiā Hippoglosson intelligens, cuius
alibi nusquam mentionem facit. Vnde Dioscorides etiam, & qui Dioscoridē secuti
sunt scriptores, occasionem nacti sunt credendi Hippoglossum ab Alexandrina Lau=
ro differre. Talis quoq; error ipsi Dioscoridi in Phyllo & Mercuriali accidit. Similes
etiā innumeros in Plinio inuenias. Alexandrina Laurus etiā Idæa dicitur, quod si a=
liquis ignorauerit, & nomē illud solum apud authorem aliquē inuenerit, statim opi=
nabitur, eam sui generis esse herbā, sed falsò. Constat etiā certissimis uulgi experimen
tis, Vuulariæ radicem etiam siccam bubones in peste maturare. Hinc est quod mala=
cticā uim Hippoglossi radici authores tribuant. Quinetiam Vuularia difficulter pa-
rientes epota adiuuat, menses cit, & calculos pellit, quæ licet omnia uulgi experimen=
ta sint, tamen easdē etiā facultates Lauro Alexandrinæ authores adscribunt. Cùm igi
tur Vuularia utriusq; descriptioni respondeat, & utriq; etiam attributis uiribus pol=
leat, ac Alexandrina Laurus & Hippoglosson etiam eandē historiam & idem nomē
habeant, sine dubio Vuularia eadē est cum Alexandrina Lauro, & Alexandrina Lau
rus eadem cum Hippoglosso. Possemus hoc loco plura argumenta afferre, si non bre
uitatis causa illud omitteremus.

ANTIRRHINVM. CAP. 133.

Antirrhinon, siue Anarrhinum, quod alio nomine Cynocephalea & Bucranion
appellatur, fructum fert canino siue uitulino capiti similem, tam exquisita similitu=
dine, ut etiam os & nares appareant, quæ in maturitate in eo aperiuntur, ut per eas
maturum semen excidere possit. Nascitur ubiq; in agris & hortis. Germanicum eius
nomen est **Brackenhaupt**/Hessis etiam **Orant** uocatur. Quod uocabulū pluribus
herbis tribuitur, quæ à ueneficiis hominem tueri superstitiosè creduntur. Idem etiam
de Antirrhino ueteres tradiderunt.
* **Orant den alten weibern wol bekant.** *Aliud est* **Orant** *Tragi: quod tamen & ipse Antirrhinum facit.*

CATANANCE. CAP. 134.

Catanances duæ sunt species. Cum uerò utriusq; ad amatoria tantùm usus sit, nihil
refert eam non cognosci. Mirum in modum autē errat Ruellius, quòd Bistortam al=
teram Catanancen esse credit. Atque in hac sola herba uidere possumus, quomodo
ad descriptiones torqueat plantarum partes. Catanance enim folia, figura & colore
oleæ foliis similia describuntur. At oleæ folia minimi hominis digiti longitudinem
& latitudinem non habent. Bistortæ uerò folia dimidii ferè pedis latitudinē habent,
& sesqui=

& sesquipede etiam longiora sunt, quæ nullam cum oleagineis foliis proportionem habent. Cætera taceo.

TRIPOLIVM. CAP. 135.

Tripolium (si Arabibus, & ex his in simplicibus exercitatissimo Serapioni credimus,) nihil aliud est quam Turbith Arabicè dicta herba, cuius radices in Pharmacopoliis habentur. Serapio in sui Turbith descriptione, totū Dioscoridis caput de Tripolio recenset. Dioscorides certè Tripolii radicem per aluum aquam & urinam pellere scribit, quas uires omnes Medici Turbith habere nouerunt. Illi uerò uehementer errant, qui Pityusam Turbith esse dicunt. Nam Arabes seorsum etiam à Turbith Pityusam describunt.

Plinius uidetur Polium cum Tripolio confundere.

ADIANTVM. CAP. 136.

Duplex est Adianti genus, candidū & nigrum. Vtrunque tamen Polytrichon, Callitrichon & Capillus Veneris uocatur. Recētiores inexcusabili errore Scarleam Callitrichon uocant, quę diuersissima est herba ab Adianto. Hunc errorē Ruellius quoque animaduertit, qui Scarleam saluiam transmarinam appellat. Est autem Adiantum ex Filicū genere ferè minima. Dioscorides nigrum tantummodo describit, quo diu caruimus, nunc uerò copiosè affertur, & à Pharmacopolis Capillus Veneris uocatur. Habet hoc nigros, splendentes & extremæ gracilitatis coliculos. Malè autem in eius historia legitur: φύλλα ὅμοια πτέριδι, quæ uerba ab aliquo adiecta sunt. Nam antea eius folia diligenter descripsit, cum ait: φυλλάρια ἔχει κοριανώδρω ὅμοια. Impositititia & adulterina igitur sunt ista uocabula: Folia Filici similia. Nam ipse etiam Serapio ea non habet, quamuis totam Adianti historiam ex Dioscoride transscripserit. Candidum aliud Adiantum dicitur, quod respectu nigri candidiores habeat coliculos, qui aliàs reuera in uiridi pallent. Hoc à Germanis Maurrauten/ & Eselfarlin dicitur, quoniam onisci animalia in humidis muris, iuxta illius cespites agunt.

TRICHOMANES. CAP. 137.

Et Trichomanes quoque à capillo similibus coliculis nomen inuenit. In Pharmacopoliis Polytrichon uocatur, quamuis hoc omnium Adianti specierum cognomen potius sit, Germanicum eius nomen est Steinfarlin/ Fäderhar/ Widerthon/ & Steinfeder. Sunt etiam qui Saxifragiam illud uocant, sed nimis latè patet hoc uocabulum.

XANTHIVM. CAP 138.

Xanthion inde nomen habet, quòd flauos faciat capillos. Nascitur ubique in iisdē in quibus Dioscorides ait locis, & Germanis Betlers leuse/ & Igelkletten appellatur.

AEGILOPS. CAP. 139.

Facile quidem est dictu, Aegilopem sterilem esse Auenam, & Hordeum necare, sed eam indicare non est cuiusuis.

BROMVS. CAP. 140.

Bromos quoque sterilis Auenæ species est. Cùm autem eius generis plures in aruis reperiantur herbæ, non facilè indicari potest. *Dauber haber.

GLAVX. CAP. 141.

Glaux non tantum in maritimis locis nascitur. Nam apud nos etiam in siccis apricis montibus & abruptis uiis inuenitur.

POLYGALA. CAP. 142.

Ab effectu nomen suum hæc herba inuenit. Lactis enim generandi facultatem possidet. Germanis wilde Süßwurtz appellatur, uel wilde Lakeritz.

OSYRIS. CAP. 143.

Osyris sine dubio est ea herba, quam nunc Linariam recentiores uocant, Germani uerò Krottenflachs/ & Harnkraut. De qua re etiam parens meus in suo Botanologico scripsit.

SMILAX ASPERA. CAP. 144.

Asperam Smilacem, quam Theophrastus etiam Cilissam hederam uocat, in Germania non nasci puto. Quoniam ex Cilicia in Græciam translata sit. Et nunc in Italię quibusdam locis in hortis ostentationis causa colitur. Florem habet odoratum, cuius Ouidius meminit, cùm ait: Et Crocon in paruos uersum cum Smilace flores. Ramulos & folia eius uidi, quæ Georgius Agricola (cuius antea memini) secum ex Italia attulit.

LENIS SMILAX. CAP. 145.

Lenis Smilax eadē est cum satiua, quæ Dolychus etiam appellatur: quod palàm fiet, si quis alios authores de Smilace legat, qui eandem herbam lenem & satiuam esse indicant, & duo tantum Smilacis genera esse dicunt, scilicet asperum, & lene, quod in hortis nascitur. Ad hæc si utriusq; descriptio & uires in hoc authore cōsiderentur, quilibet iudicabit eandē esse herbam, lenem & hortensem Smilacem. Propterea ipse Dioscorides errauit, quod crediderit lenem Smilacē propriū genus à satiuo habere. Dioscoridē in hac re secutus est Galenus, qui ait, lenē Smilacē asperę similes uires obtinere, quod falsum est: Nam lenis Smilax terrestri constat substantia, ut omnia ferè legumina: propterea etiā grauia & tumultuosa facit insomnia. Asper uerò Smilax lōgè alio constat temperamēto, quod ex gustu percipi potest. Sapore enim nihil cōmune cum leni Smilace habet. Cum autem plantarum temperamenta & facultates (ipso Galeno tèste) ex sapore iudicentur, necesse etiam est, asperam Smilacem nihil in uiribus cum leni Smilace commune habere, ut Dioscorides etiam indicat, qui Smilacem lenem tumultuosa insomnia facere dicit, Asperam uerò contra letalia uenena antidotum esse. Cum igitur tam breuiter Galenus lenis Smilacis uires perstringat, & minimè uerum temperamentum illi assignet, facilè colligitur, ipsum nesciuisse, quid lenis Smilax esset. * Türckische bonen.

RVSCVS. CAP. 146.

Μυρσίνη ἀγρία, siue ὀξυμυρσίνη, Latinis Ruscus appellatur. In Germania eam nasci nondum uidi, uel ab aliis nasci audiui. Propterea nullum eius Germanicum nomen expiscari potui. Quidam cum mihi locum in Germania describeret, ubi copiosè Ruscus nasceretur, eò ut uiderem uiuam plantam profectus sum. Ruscum minimè inueni, sed aliam herbam graminis foliis, iisq; mollissimis, quorum figura nō posset magis à Rusci foliis differre, radices tamen Rusco simillimas, quod ad figuram attinet, habentem, quarum in plurimis Pharmacopoliis pro Rusco usus est, & Rusci radices appellantur, sed magno errore. Hanc aliqui pro Phalangiti ostendunt. Nam uerum Ruscum uidi aridum ex Italia allatum, dura & aculeata folia habentem: quam ob causam Vergilius quoq; horridum eum appellat.

Huius Oxymyrsinę fructus plurimùm differūt à Cubebis aromaticis granis, quos duos fructus, Serapio eosdem esse credidit: quem errorem iamdudum deprehendit & scriptis mandauit, doctissimus uir Nicolaus Leonicenus, cuius inuentum alii etiā sibi adscripserunt.

LAVRVS ALEXANDRINA. CAP. 147.

De Lauro Alexandrina, siue Idæa, in Hippoglosso satis dictum est. Melius scribitur Hypoglossus, quod in summo sub foliis ceu ligulas exerat, authore Galeno & Dioscoride. Eadem uidetur Idæa Laurus. Serapio huius quoq; in Lauri capite meminit, Hippoglossi uerò nusquā, proculdubio intelligēs Hippoglosson à Lauro Alexandrina nihil differre. Porrò quod ad capitis huius emendationē faciat, etiam prosequamur. Omnia exemplaria folia Lauri Alexandrinæ, Rusci foliis cōparant, quædam tamen minora esse indicant. Rusci autem folia multò minora sunt, quam Vuulariæ. Ergo dicet aliquis, Vuulariam Laurum Alexandrinam non esse: cuius uenia dico, locum in Dioscoride corruptum esse, nec minora sed maiora legi debere, quod Plinius & Serapio claris uerbis ostendunt. Hic enim de uerbo ad uerbum eius historiā ex Dioscoride transscripsit. Testantur idem correctiora exemplaria, in quibus manifestè μείζονα, id est, maiora legitur. Huius autem erroris causa & origo est, uocabulorū

contrariam significationẽ habentium similitudo. μεῖον enim minus, μείζον uerò maius significat. Facilis itaq; & lubricus est ex alterutro in alterutrum lapsus. Fallitur Ruellius in indicanda hac uerba. Non enim cognouit eam cum Hippoglosso eandem esse.

DAPHNOIDES. CAP. 148.

Δαφνοειδὲς recentiores Laureolam uocant, quæ in nostris Pharmacopoliis nõ habetur, nec ego quę sit compertum habeo.

Semen oblongum habere quidam aiunt, & Germanicè interpretantur groß Kellershalß. Daphnoides pictum Matthiolus exhibuit.

CHAMAEDAPHNE. CAP. 149.

Chamæ daphne, ut à Dioscoride describitur, non multum ab Alexandrina Lauro differt. Hodie non cognoscitur, si alia & diuersa est ab Alexandrina Lauro.

VERATRVM ALBVM. CAP. 150.

Ἐλλέβορος λευκός, id est, albũ Veratrũ, siue albus Helleborus, Germanis weiß Nießwurtz uocatur, ubiq; in Pharmacopoliis habetur. Vulgares herbarii confundunt Dictamnum, Helleborum album, & Sigillum Salomonis, id est, Polygonaton, ut antea etiam dictum fuit. Albus Helleborus copiosè in Germaniæ alpibus iuxta Heluetios nasci dicitur.

VERATRVM NIGRVM. CAP. 151.

Ἐλλέβορος μέλας, id est, nigrum Veratrum, apud nos in hortis plantatur: quamuis quibusdam in locis sponte proueniat. Nascitur ad Hercyniam syluam Sesamoidis genus, cuius radices Radicarii Agyrtæ Pharmacopolis pro Helleboro hoc uendunt. Sunt enim illi simillimæ, sed multò inefficaciores, quoniam non tam uehementer ut illæ purgant. Hinc est quòd aliqui temerè pronuncient, nos uero Helleboro carere. Porro Hellebori huius flores à Dioscoride in candido purpurascentes, † & figura racemosi describuntur, quod ex minori Sesamoide huc adscriptũ est. Aliqui enim hunc Helleborum cum Sesamoide confundunt. Sed uerus niger Helleborus uiridem in pallido florem habet, & minimè racemosum, Germanicè schwartz Nießwurtz & Christwurtz appellatur. Folia habet Platano, siue Aceri similia, profundius tamen & usq; ad pediculum per ambitum secta, & quælibet eius diuisuræ seu partes undiq; serræ modo asperis incisuris horrent. Quæ uerò ab Agyrtis pro Helleboro iam uenditur, Nigellæ constat foliis: & Sesamoides minus esse uidetur.

† Atqui talis iam agnoscitur uerus Helleborus niger in Italia circa Comum: cuius tamẽ uulgaris noster, species una est.

SESAMOIDES MAIVS. CAP. 152.

Sesamoides dicitur, quòd Sesamo simile semen habeat. Hoc in Anticyra nasci dicitur. Vires quas Dioscorides huic adscripsit, Plinius Sesamo assignauit, malè Sesamũ pro Sesamoides, in hoc authore legens. Pliniũ secutus est Ruellius. Sed miror hunc tam crassum errorem adeò non animaduertisse, ut etiam ipse in eum inciderit.

Sueuis Leusekraut/ ut quidam interpretantur: sed ea puto Consiligo fuerit, à Sesamoide longè diuersa.

SESAMOIDES MINVS. CAP. 153.

Minus Sesamoides foliis priori dissimile existit. Ab huius historia non mulùm abludit ea herba, quàm Agyrtæ Pharmacopolis pro Helleboro nigro uendunt. Vires enim easdem habet, nec radicum descriptio dissidet, quæ tenues, graciles & nigri Hellebori radicibus similes sunt. Germanis hęc herba klein Christwurtz appellatur. Vide supra in Helleboro nigro.

CVCVMER AGRESTIS, ET ELATERIVM. CAP. 154.

Σίκυς ἄγριος, Latinis Cucumis agrestis, siue anguinus, & à recentioribus Asininus appellatur. In Germaniæ quibusdam locis ad Medicinæ usum seritur, & ab holitoribus Pompen uocatur, propterea quod semen & humorem eiaculetur, quemadmodum machinæ quædam aquam, quam nos Pompen appellamus.

CAP. 155. Elaterion uerò est exiccatus & in pastillos cõformatus fructuũ succus. Dissidẽt autẽ in eius electione

grauissimi

grauissimi authores, Aegineta, Dioscorides, & alii. Ego autem Aeginetæ sententiã magis laudauerim, qui illud probat, quod ad uiridem colorem inclinat, Dioscorides uerò candidum. Sed impossibile est uiridem per se succum, cùm exiccatur, candidum fieri. Quod uerò ex radicibus fit Elaterion, candidum colorem acquirit. Nam ipse succus etiam lacteus est. Sunt & alia quędam in hoc capite absurda, ubi Elaterii conficiendi modus traditur. Sed huius instituti non est, omnes errores discutere.

Germanicè dici potest Igelsfürbes.

PEDICVLARIS, HERBA. CAP. 156.

Staphis agria, siue Phthiroctonon, Latinis Pedicularis herba, & Pharmacopolis adhuc Staphis agria uocatur. In Germania eam nondum nasci uidi.

THAPSIA. CAP. 157.

Thapsia à Thapso Insula, in qua primum inuenta est, appellatur: rarò afferuntur ad nos radices, interdum tamen pro Turbith aduehuntur, sed Turbith est durius. Est autẽ ferulacea & Fœniculo similis planta. Nicander Trinacriam Thapsiam probat. In Sicilia enim efficacissima nasci creditur.

✝*Duplex est: una, minor: altera, maior: quæ pro Costo interdum affertur: & foris quidem Costi loco uti licuerit, intus non item.*

GENISTA. CAP. 158.

Sparton, Latini Genistam, Germani Günster uocant. Copiosissimè nascitur in Hessiæ montibus, ubi etiam arborescit. Semina eius in Pharmacopoliis habentur. Est autem duplicis differentiæ. Quædam in funes torquetur, ex qua etiã corbes uuis passis & ficubus seruandis texuntur in Hispania. Spartum id ueteres uocarunt. Altera non tam lentas habet uirgulas, ut simile quiddam ex iis fieri possit.

SILYBVS. CAP. 159.

Silybus quid sit, nemo adhuc compertum habet. Serapio illud Hacub Alkandee uocat.

GLANS VNGVENTARIA. CAP. 160.

Βάλανος μυρεψική, ab Arabibus granum Ben appellatur. Sunt etiam radices Been uocatæ, sed ab Vnguentaria glande diuersæ. Videndum igitur est, ne res eas confundamus, ut quidam faciunt. Affertur rursus ad nos ex Aegypto fructus hic. Theophrastus eum simpliciter etiã βάλανον uocat, nulla adiecta differentię nota, Martialis quoque in Apoph. Myrobalanum, cùm ait:

Quod neq; Vergilius, neq; Carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex Balano.

NARCISSVS. CAP. 161.

Narcissi plura sunt genera. Ex his purpurei serò florere feruntur. Cãdidi uerò Narcissi (de quibus Dioscorides scribit) genus est, flos ille quem Germani Mertzenblůmen & Josephsstäbe appellant. Nascitur Lipsiæ in syluis. Et sponte in hortis & sepibus in Hessia. Hodie nullus est huius in Medicina usus.

✝*Narcissos aliqui interpretantur* Hornungsblůmen/ Mertzenblůmen/ Aprillenblůmen/ *& Narcissum autumnalem pro Colchico accipiunt.*

HIPPOPHAES, HERBA. CAP. 162.

Hippophaës quid sit, hodie omnino ignoramus. Herba autem est ex aculeatarũ genere.

HIPPOPHAESTVM. CAP. 163.

Hippophæston quoq; nulli hodie hoc nomine cognitum est.

RICINVS. CAP. 164.

Croton siue Cici, Latinis Ricinus dicitur, quoniam semen habeat Ricino insecto simile. Est autem Ricinus animal paruum, quod ouium, canum & boum feminibus ac cuti adhæret, exitu carens, propterea eo usq; sugendo se implet, donec rumpatur. Germanis ein Zeck appellatur. Porro ipsam plantam Pharmacopolæ Cataputiam

maiorem, Arabes Kerua, & Germani Wundelbaum / & Römiſchen Hanff appellant, aliqui Reuſſiſche bonen. Seritur à quibuſdã oſtentationis cauſa in hortis. Platano & Aceri ſimilibus foliis, ſed maioribus. Agyrtæ eum Türckiſchen hanff uocant; quod nomen uulgus etiam retinet.

TITHYMALI. CAP. 165.

Tithymalum Latini Lactariam herbam appellant. Eſt autem omnibus illius ſpeciebus lacteus liquor, qui ex abrupta herba emanat. Cùm uerò plures ſint herbæ pręter Tithymalos, quæ lacteum habent liquorẽ, neceſſe eſt earũ differentias ponere, ne aliquis error committatur, qui in his herbis cõmitti poſſunt maximi. Sunt enim quędam lacteum liquorem habentes frigidæ, quædam etiam in ſumma caliditatis gradu conſtitutæ. Conſtituamus igitur tres illarũ differentias. Prima Tithymalorum eſto, Altera Intybaceorum, Tertiæ uerò adſcribamus eas plantas, quæ neqꝫ ex Tithymali neqꝫ ex Intybaceorum genere ſunt. Quomodo autem illæ ab inuicem dignoſci poſſint, nunc oſtendemus. Tithymalus quamuis in multas ſpecies diuidatur, omnes tamen oblongo & nullis inciſuris diuiſo folio conſtant. Intybaceæ uerò herbæ omnes circumroſo & inciſo per ambitum conſtant folio. Tithymalorum maxima pars umbellas habet. Quibus uerò hæ non ſunt, illæ loco earum in medio duorum foliorum ſingulos flores & fructus ferunt. Intybacea uerò in ſingulis pediculis ſingulos habẽt flores, ex minimis foliolis compactos, colore luteos, ſola Condrilla minore & Cichorio excepto, quæ interdum cœruleos, interdum candidos flores producunt. Intybaceorum omnium flores in lanuginẽ uocatam pappos reſoluuntur. Tithymalorum uerò minime, qui omnes fructus habent tribus loculamentis diſtinctos, & in his ſingulis ſingulos nucleos. Intybaceorum ſemina cum pappis leniter per auram auolant. Tithymali cum impetu & crepitu ſuum ſemen eiaculantur. Intybaceorum lacteus liquor amaro guſtu ſtatim in lingua percipitur, Tithymalorum liquor à bubuli lactis ſapore nõ multùm recedit, dum primo guſtatur, deinde paulatim totum os & fauces accendit, & Coccognidii modo urit, & foris cuti impoſitus exulcerat, quod Intybaceorum liquor minime facit, propter temperamenti frigiditatem. Hæ igitur herbæ quas iam ab Intybaceis ſuis notis diſtinxi, omnes Tithymali appellatione ueniunt, eſtqꝫ hoc generale eorũ nomen. Intybaceæ uero herbæ ſunt omnes Lactucæ ſpecies, utraqꝫ Chondrylla, utrunqꝫ Hieracion, Intybum ſatiuum & agreſte, quod Cichorion uocant, & quęcunque his ſimiles ſunt, & lacteo liquore manant. Tertia uero lactariarum plantarum differentia ad neutrum genus illorum referri poteſt, neqꝫ ſimul unum proprium reuera genus habet, ut Tithymali & Intybacea. Non enim ſibiipſis, ut illa, ſimiles ſunt. At huiuſmodi pauca inueniuntur, ut Ficus, Erinos herba, Scammonia, Ciſſampelus utraqꝫ, & tenella minoris Clematidis germina, quæ ſingulæ proprium habẽt genus, nec omnes ſub eodẽ genere cõtineri poſſunt, ut Tithymali & Intybacea.

✝ Rapunculi, etiam ut uulgo uocant, & herbæ ei cognatæ, lactis nonnihil habent: & Opuli folia. & ferulaceæ herbæ, calidæ & acris naturæ liquorem lacteum non paucæ continent.

Tithymalorum autem, quas Latini priuatim lactarias herbas uocant, plures ſunt ſpecies, ſed nobis non perinde cognitæ: quamuis nos non pauciores etiam cognitas habeamus. Sed eæ quas nos habemus, partim à ueteribus nõ deſcriptæ ſunt: & è contra nos non habemus aliquot, quæ apud illos deſcriptæ ſunt.

Prima itaqꝫ Lactaria herba, quæ Characias, id eſt, Vallaris appellatur, & mas exiſtimatur, nulli hodie hoc uocabulo cognita eſt, aliqui Teüfelsmilch interpretantur. Secunda, fœmina eſt, & Caryites Myrſinitesqꝫ appellatur, fructus ferens ceu nuces, & hęc uulgo nõ cognoſcitur. Quidã tamen Nucẽ uomicã Pharmacopolis dictum fructum, cornea ſoliditate, in hac lactaria naſci credunt. Tertia paralius eſt, in maritimis naſcens, quam nemo adhuc ex recẽtioribus indicauit. Quarta Helioſcopius dicitur, quod comam ſuã cum ſole circumagat. Hęc proculdubio mihi eſſe uidetur, quæ à Germanis Hundsmilch uocatur. Cypariſſias quinta in ordine recenſetur, ad quam refertur etiã Pityuſa, quę ſpecie tantùm ab hac differt. Miror autẽ cur Cypariſſias appelletur, cùm tamen Dioſcorides eã nuper natæ Pinu ſimilẽ eſſe, & inde nomẽ accepiſſe dicat. Vnde neceſſario ſequitur, eã Pityuſę nomẽ habere. Nam Pitys Pinus eſt cui nuper è ſemine enatę ſimilis eſſe Cypariſſias dicitur. Cypariſſus uero Cupreſſus eſt. Eadẽ

igitur

igitur genere est Cyparissias & Pityusa. Porrò duæ sunt Pityusæ, minor & maior, proptèrea etiam post septem hos Tithymalos priuatim describuntur. Sine dubio au tem Cyparissias & minor Pityusa, eadē herba mihi uidetur, quam Arabes Scobram, Pharmacopolæ uerò & recentiores Medici Esulam minorem, & Germani Wolffs=milch appellant. Sextum locum Dendroides habet, arboris modo ramosa & frutico-sa hæc mihi esse uidetur sine controuersia, quam Germani Steynmilch uocant. Na scitur in petris. Septima est Platyphyllos, à latitudine foliorum dicta, quam non faci lè hodie aliquis demonstrauerit.

Matthiolus Tithymalorum aliquot species pulchrè pinxit. Cyparißiam aliqui Esulam minorē uocant, Wolffs milch.

PITYVSA. CAP. 166.

Pityusa, ut antea dictum fuit, duplicem habet differentiam. Minor genere à Cypa rissia nihil differt. Maior uerò in pinguibus & uliginosis nascitur locis, recentioribus Esula maior, & Germanis Teüfelsmilch appellatur, uel wilde Wolffsmilch.

LATHYRIS. CAP. 167.

Λάθυρις quoq; ex Tithymalorum genere est, forma & fruticosis ramulis insignis. Recentiores & Pharmacopolæ eam priuatim etiam Tithymalum uocant, & Cata-putiam minorem, quoniam fructus & semina maiori Cataputiæ, id est, Ricino simi-lia habeat. Germanicè Springkörner/Sprungsamen/ & Fuchsmilch uocatur.

PEPLVS, HERBA. CAP. 168.

Peplus parua est herba, ex Tithymali genere, ubiq; in hortis & uineis nascēs, Ger manicè kleyn Hundsmilch dicitur.

PEPLIS. CAP. 169.

Peplis genere Peplo cognata est, sed quo nomine iam appelletur, nulli cognitum esse puto.

*Kleine Wolffsmilch.

CHAMAESYCE. CAP. 170.

Chamæsyce dicitur hæc herba, quod Ficus modo lacteo liquore abundet. Hodie uerò incognita est.

SCAMMONIA. CAP. 171.

Scammonia herba est nostro Cyssampelo, id est, Conuoluulo similis, lacteo liquo=re etiā similiter plena, maiore tamen radice. Hinc est quòd Cyssampelus tenuis Scam monia uocatur, quoniam multò tenuiorem radicem quàm Scammonia habeat. Com parantur apud Dioscoridē Scammoniæ folia Helxines foliis, quo loco Helxine non Parietariam, sed Cyssampelum, id est, Conuoluulum significat. Colligitur ex Scam=moniæ radice liquor, qui exiccatus ad nos perfertur, & similiter ut planta, ex qua fit, Scammonea uel Scammonium uocatur.

CHAMELAEA. CAP. 172.

Chameleа est planta oleę foliis, unde & nomen inuenit, quę ab Arabibus & Phar macopolis Mezereon appellatur. Huic similis est Thymelæa, id est, frutex in quo Coccongnidion nascitur. Cōfundunt hodie diuersas has plantas. Nam Thymelęam quoq; Mezereon, & Coccongnidium grana Mezereon uocant, quantumuis admo-nuerit Dioscorides Coccognidion nō esse Chamelęæ, id est Mezerii, sed Thymelęæ semen.

THYMELAEA. CAP. 173.

Thymelæa frutex est, quem Germani Zebast/ & Kellershalß appellant, ex quo colligitur granum gnidium, quod composito nomine etiam Coccognidium appel-latur. Nascitur pinguibus, montanis & opacis locis.

SAMBVCVS. CAP. 174.

Ἀκτῆ, Latinis Sambucus, Germanis Holunder/ & Albern appellatur. Nota o-mnibus Sambucus est, flores candidos, & nigras baccas in latis umbellis ferens. In-uenitur etiam aliud Sambuci genus prædicto minus, floribus & baccis non in um-

bella, sed racemo constitutis. Baccæ rubentem habent colorem. Hoc à ueteribus non est descriptum. Nascitur pinguibus montanis locis: **wilder Holder.**

EBVLVS. CAP. 175.

Χαμαιακτῆ, id est, parua Sambucus, herba est. Autumno enim caules illi omninò pereunt, uirgas habet quadrangulas, Sambuci modo inanes, folia, flores, umbellas & baccas Sambuco similes & æquales, quamuis baccæ non nigrum habeant, sed rufum colorem. Germani eam Attich appellant.

PYCNOCOMVM. CAP. 176.

Pycnocomon quid sit omninò ignoramus. Brunfelsius in tertio Tomo nequaquã ueram huius imaginem pingi curauit. Malè Vergilius Marcellus semen eius Porro simile interpretatus est. Correctiores enim codices πρασίῳ, id est, Marrubii, habent, non πράσῳ. Necesse enim est hanc herbam Marrubii semen habere, si Ocimo similes flores fert: quod si opus esset demonstrare, possemus ex plantarũ constitutione, sumptis rationibus & argumentis.

APIOS. CAP. 177.

Ἄπιος, quam ἰσχάδα etiam uocant, herba hæc dicitur, quod Pyro similem radicem habeat. Quidam etiam Raphanum syluestrem appellant. Videndum tamen est ne cum agresti Raphano, id est, Armoracia cõfundatur. Quædam exemplaria radicem eius Asphodeli radici similem faciunt, quædam Spondylii, sed facilis est ex altero in alterum lapsus. Ea uerò exemplaria quæ radicem huius herbæ Asphodeli radici comparant, deprauata sunt, siue ea Theophrasti, siue Dioscoridis fuerint. Asphodelus enim multas oblõgis glandibus similes radices habet, ut Pæonia fœmina, quibus nulla est cum Pyro similitudo. Spondylion uerò rotundam habet, & Pyro conformem radicem. Ruellius se ueram hanc Ischiada inuenisse putat, sed fallitur: quod ex diuersis facultatibus colligere possumus. Nam Ischiadis siue Apii huius una tantum radix intra corpus sumpta, utrinq;, id est, per aluum & uomitum purgat, eiusq; liquor sesquioboli pondere, id est, scrup. s. & gra. v. idem præstat. Eius uerò herbæ radice (quam Ruellius Ischiada esse putat) famis tempore pauperes in Gallia uescuntur, quod uidisse se Ruellius testatur. Cùm uerò Apii radix una tantum tam uehementer purget, & corpus inaniat, minimè cibus & alimentum esse potest, neq; aliquis ea sine periculo uitæ uescetur. Illa autem cuius Ruellius meminit, alimentum est: Ergo minimè Ischias appellanda erit. Fateri autem omnes cogimur, nos hanc herbã ignorare.

✝Hodie nota est, pingitur à Matthiolo.

COLOCYNTHIS. CAP. 178.

Colocynthis diminutiuum est à Colocyntha, id est, Cucurbita. Est autem Colocynthis Cucurbitæ syluestris genus, quàm Pharmacopolæ Cucurbitam deserti, & Coloquintidam uocant.

✝Huius species una fructu oblongiore, propriè est Colocynthis: hac olim pro uentosa utebantur. Altera Somphos est, qua in Pharmacopolijs utimur.

EPITHYMVM. CAP. 179.

Epithymum, quo nos hodie utimur, uerum Epithymum esse negat Antonius Musa, infirmis admodum argumentis nitens, nos uerò in utranq; partem prolixè disputare possemus, si cum aduersariis res nobis esset. Cùm uero hæc amicis scribamus, satis sit eos nouisse, uerum Epithymum in Pharmacopoliis haberi, & reuera nihil aliud esse quàm Cuscutam in Thymo nascentem. Adnascitur etiam Thymbræ Cuscuta, quæ Epithymbrum appellatur. Cuscuta enim aliarum herbarum accidens est, è quarum caulibus nõ aliter quam uiscum ex arboribus, erumpit, quod nos diligenter obseruauimus. Propterea bene legitur apud Plinium, Epithymum sine radicibus nasci. Nam proprias radices minimè in terram agit, sed herbarum abundanti succo uiuit & nutritur.

ALYPVM. CAP. 180.

Alypum herbam qui cognosceret, nullum adhuc uidere uel audire mihi licuit.

EMPETRVM. CAP. 181.

Empetron hoc an idem sit cum Sarxiphago superius descripto, uel diuersum, non facilè aliquis indicabit. Vtcunq; fuerit, nulla iam hoc nomine extat herba.

* *Quærendum an Millegrana uulgò dicta sit.*

CLEMATIS. CAP. 182.

VITIS SYLVESTRIS. CAP. 183.

Aliquam planta hæc cum Vite similitudinem habet. Ideoq; hoc nomen inuenit, impropriè tamen. Non enim idem genus cum Vite satiua habet, ut satiua cultura tantum ab hac distinguatur, sed suum genus à Vite diuersum habet. Germanis hæc syluestris Vitis Speckreben appellatur, & flores eius Specklilien/ Periclymeno ualde similis est. Videndum ergo erit, ne cum eo confundatur.

VITIS ALBA. CAP. 184.

Ἄμπελος λευκή, uiticulas, folia, & capreolos satiuæ Viti similia habet, & candidã radicem, propterea albæ Vitis nomen inuenit. Herba est sepes ascendens, quam pharmacopolæ Bryoniam, Germani Zaunreben/ Gichtrüben/ Gichtwurtz/ Hundsreben/ & Stickwurtz appellant. Baccas fert rubentes.

VITIS NIGRA. CAP. 185.

Ἄμπελος μέλαινα in quibusdam similis est Albæ uiti, Radicem tamen nigram habet. Hæc eodem nomine iam appellatur. Habet autem nigras baccas.

FILIX. CAP. 186.

Filix siue πτέρις hæc, mascula appellatur, folia ab una radice multa emittit, magnarum auium alis similia, unde etiam nomen acquisiuit. Caulem nunquã producit, Germanicè Faren/ siue Farenkraut uocatur, propterea quòd latos uentris lumbricos expellat, quos Faren Germani nominant.

THELYPTERIS. CAP. 187.

Θηλυπτέρις fœmina est Filix, proceris constat caulibus, & foliis pluribus, mascula Filice latioribus & breuioribus. Germani hanc Roßfaren (an quod equis medeatur, ut Tragus de hac aut illa scribit) appellant: aliqui Hôfaren/ Creützfaren.

POLYPODIVM. CAP. 188.

Ex Filicum etiam genere est Polypodium, quod Latini Filiculam, siue Filicularem, & Germani Engelsüß/ & Süßfaren appellant. Pharmacopolis Polypodii nomẽ cognitum est. Sunt etiam Germani qui Polypodium Steinfaren appellant, quoniam plerunq; in muscosis petris nascitur. Hoc tamen nomen differt à Steinfarlin/ id est, Trichomane.

* *Filicula modo pro Polypodio, modo pro Trichomane accipitur.*

DRYOPTERIS. CAP. 189.

Δρυόπτερις thelyphteridi similis est, multo tamen minor. Nascitur in uetustarum quercuum muscosis partibus. Germanis, quoniã parua sit Filix, Erdfaren/ Waldtfaren/ Baumfaren/ & Eychfaren appellatur. Vulnerarias habet uires, rusticis non incognitas. Quęrenda est in antiquis & umbrosis syluis, in quibus annosę Quercus fuerint. In piceis & abiegnis syluis minimè prouenit.

* *In marem & fœminam diuiditur.*

CNICVS. CAP. 190.

Cnicon pharmacopolæ & recentiores Medici Carthamum appellant. Germani Distelsaffran/ siue Feldtsaffran. Theophrastus de historia plant. lib. vi. cap. iiij. tria genera Cnici siue Cneci describit. Vnum satiuum, quod Carthamum appellari iam diximus. Et duo syluestria. Ex his primum est quod à Dioscoride Atractylis libro tertio uocatur. Alterum uero syluestre Cnicum, Dioscorides & alii Græci Acanthii nomine indicant. Propterea minimè errat Ruellius, quòd alterum syluestre Cni-

cum, Carduum benedictum appellari scribit, quem nos Acanthium esse in tertio libro diximus. Porrò Cnici flores à Dioscoride Croco comparantur, quo loco non ipsius Croci flores, sed in medio flore nascentia rubro colore stamina, quæ Crocus appellantur, intelligenda sunt. Nam Dioscorides non dicit, quòd Cnici flores Croci floribus similes sint, sed simpliciter Croco. Quilibet autem nouit Crocum nō ipsum florem sed floris stamina, ut iam diximus significare. Igitur nullum turbare uel in dubitationem rapere potest florum Cnici cum Croco comparatio.

MERCVRIALIS. CAP. 191.

λινόζωσις Latinis Mercurialis, Germani Bingelkraut appellatur. Duplex illius genus sexu distinguitur. Mascula appellatur, quæ bina semper, & testiculorum figura iuncta semina habet. Fœmina racemosos flores & semina producit. Repetantur hoc loco quæ superius de Phyllo herba dicta sunt, ubi indicauimus Phyllon proprium genus, & à Mercuriali hac diuersum non habere, sed idem esse Phyllon & Mercurialem Dioscoridis cum Theophrasti Arrhenogono, & Thelygono. Pharmacopolis hæc herba Latino nomine cognita est.

CANINA BRASSICA. CAP. 192.

Κυνική, siue Cynocrambe, sine dubio est Mercurialis mascula syluestris: quod ipse Dioscorides etiam indicat. Herba est Mercuriali masculæ similis, semina uerò quam Mercurialis maiora habet. Fœmina in hoc genere non inuenitur. Nascitur in syluis, & Germanicè Wild Bingelkraut appellatur. Ruellius in hac herba indicanda errauit.

HELIOTROPIVM MAIVS. CAP. 193.

Ἡλιοτρόπιον τὸ μέγα, id est, Heliotropion maius, qualis sit herba, & quomodo iam uocetur, ignoro cum omnibus. Solus Ruellius eam sibi cognouisse uidetur, qui herbam Cancri appellari scribit: ubi diligenter animaduertendum est, Ruellium longè aliam herbam intelligere quàm Millegranum, quæ apud nos herba Cancri uocatur. Nam hæc tam exigua habet foliola, ut uix conspici possint, & in arenosis areis nascitur. Quam uerò Ruellius sic uocat, pingui solo prouenit, & Ozimi folia habet, ut ille scribit. Vulgo creditur Heliotropium esse ea herba, quæ à Germanis Wegwart appellatur, sed falsò. Nam Wegwart Cichorium est, id est, Intybum agreste, cuius Dioscorides ij. libro meminit. Hoc autem loco Heliotropium seorsum ab illo describitur. Erroris causam protulit Plinius, qui cœruleum florem Heliotropio tribuit, qualem Cichorium habet, quem etiam cum sole circumagit. Quamuis igitur multæ sint herbæ, quæ solis cursum sequantur, una tamen est, quæ propriè Heliotropium dicitur, estque duplex, maior & minor. De illa iam egimus. Hæc uerò iam sequetur.

HELIOTROPIVM MINVS. CAP. 194.

Ἡλιοτρόπιον τὸ μικρὸν quæ sit, hodie omnino ignoramus. Neque aliquis adhuc eam scriptis ex recentioribus indicauit.

SCORPIOIDES. CAP. 195.

Scorpioides hoc plurimum differt ab herba, quam Theophrastus Scorpionem appellat. Nam Scorpioides hoc semina habet, Scorpionum caudis similia. Scorpio uero apud Theophrastum radice Scorpionis caudæ simili describitur. Theophrastus autem Scorpionis appellatione primum Aconiti genus intelligit, quod aliàs Teliphonon & Pardalianches appellatur. Porrò Scorpioides quæ sit herba, hodie ignoramus.

VALERII CORDI SImesusij, in Pedacij Dioscoridis ANAZARBEI QVINTVM DE MEdica materia Librum, Annotationes:

Qui est de Vitibus, Vino, & Metallicis.

VINIFERA VITIS. CAP. 1.



OTA OMNIBVS EST QVAE IN VINEIS COLITVR VItis, Germanicè Weinstock appellatur. Plurimas habet hæc diuersis regionibus differentias.

✠ Capreoli, Kläbern/Gäbele. Vinacea, Trebern/Träst.

LABRVSCA. CAP. 2.

Αμπελ⊕ ἀγρία, Latinè Labrusca, Germanicè Wilder Weinstock appellatur, eadem est cum prædicta Vite, præterquàm quòd non colatur. Sola igitur hac nota ab illa differt. Nascitur apud nos circa uineas, & in uinearũ sepibus.

VVA. CAP. 3.

Σταφυλὴ, Latinè Vua, Germanicè Weintraub uocatur. Intelligitur autem hac appellatione totus in Vite racemus multis acinis cõstans: der Traub. Ipse acinus Vuę à Græcis ῥάξ, à Germanis ein Weinbeer appellatur. Passa uerò Vua σταφὶς Græcis, & Rosein Germanis appellatur. Cuius in pharmacopoliis tres sunt differentiæ: omnium maximæ sunt, quas hodie Cibebas appellant, anteriori pollicis articulo magnitudine ferè ęquales. Arabibus Vua Cibib dictæ. Secunda differentia continentur uulgares, quas simpliciter Vuas passas uocamus. Tertia uero omnium minima, nullo intus nucleo. Afferuntur hæ non in racemis, sed ab his decerptæ, & in grandes massas compactæ. Pharmacopolę eas Corinthiacas siue minores Passulas uocant. Germanicè klein Rosein.

VVA PASSA ALBA. CAP. 4.

LABRVSCAE, FLOS. CAP. 5.

Οἰνάνθη syluestris Vitis, quam Labruscam uocant, flos est. Habetur eodem nomine herba etiam, quæ in iii. lib. descripta est. Verg. Marc. Interpres in huius capitis Commentario scribit, se non meminisse, quod in aliquo loco apud Dioscoridem eo nomine herbam legerit, cum tamen illius caput interpretatus sit, & adiectis etiam Scholiis illustrauerit.

OMPHACIVM. CAP. 6.

Ὀμφάκιον immaturæ Vuæ, quæ ὄμφαξ Græcè dicitur, succus est: ab Italis nunc Agresta appellatus.

VINVM. CAP. 7.

Notum est omnibus Vinum, Cuius natura uuarum diuersis locis genitarum temperamentum sequitur.

VINVM ALBVM. CAP. 8.

VINVM SAPORE DIFFERENS ET MIXTIONE. CAP. 9.

VINVM LOCO DIFFERENS. CAP. 10.

VINI FACVLTAS. CAP. 11.

OMPHACITES. CAP. 12.

LORA. CAP. 13.

Δευτερίας, siue πότιμ⊕, Latinis Lora, Germanis Lauer uocatur. Fit expressis Vuis, affusa aqua, & iterum calcatis.

VINVM E SYLVESTRI VVA. CAP. 14.

VINVM

VINVM MELITITES. CAP. 15.

οἶνος μελιτίτης ex austero musto & melle conficitur. Hodie uerò an conficiatur, ne scio.

MVLSVM. CAP. 16.

οἰνόμελι, id est, Mulsum, ex ueteri austero uino & melle conficitur, apud nos non præparatur.

AQVA MVLSA. CAP. 17.

Μελίκρατον Latini Aquam mulsam, Germani Honigschrauff uocant. Differt Melicraton ab Hydromele, quod Melicraton ex melle & aqua simpliciter fiat, estque subitanea & temporanea confectio. Hydromeli uero similiter ex aqua & melle cōficitur, sed præparatur ut seruari & uetustatem ferre possit. Cuiusmodi est quod in Germania Medt appellatur, quo præter Germanos etiam alii Septentrionales populi pro uino & ceruisia utuntur.

* Medt *quod ex fauis paratur, Apomeli est potius quam Hydromeli.*

AQVA. CAP. 18.

Nota est omnibus Aqua. Cuius qualitas secundum loca in quibus scaturit, uel per quæ fluit, uariatur.

MARINA AQVA. CAP. 19.

Nota omnibus ad mare habitantibus Marina aqua existit, pro qua nos in mediterraneis habitantes salinarum muriam, uel ex aqua & sale confectam aquam, accipere oportet.

THALASSOMELI. CAP. 20.

Purgationum causa conficiebatur olim θαλασσόμελι, nunc nusquam, quod ego sciam, conficitur.

ACETVM. CAP. 21.

ὄξος Latinè Acetum, Germanicè Essig appellatur. Quoties Acetum apud Medicos scriptum inuenerimus, semper uini Acetum intelligere oportet, & nequaquam ceruisiæ. Est autem Acetum uinum uel ceruisia uetustate corruptum, & in acidi liquoris saporem conuersum. Saxones qui Brunsuicensem Saxoniam incolunt, ex industria etiam Acetum, quemadmodum ceruisiam coquunt, quod non fit ceruisia, sed statim musteum illud decoctum, refrigeratum in Acetum transit, quo illis finitimæ gentes ferè omnes pro Aceto in cibis utuntur.

ACETVM MVLSVM. CAP. 22.

ὀξύμελι pharmacopolæ adhuc conficiunt, Oximel simplex uocantes:

OXHALME. CAP. 23.

ὀξάλμη ex aceto & muria conficiebatur: iam uero nullus restat eius usus.

THYMOXALME. CAP. 24.

θυμοξάλμη etiam Dioscoridis ætate non amplius conficiebatur, eius tamen præparandi rationem Dioscorides tradit.

ACETVM SCILLITICVM. CAP. 25.

Acetum Scilliticum adhuc in pharmacopoliis conficitur, & Acetum Squilliticum uocatur. Quid autem Scilla sit, in secundo libro dictum est.

* *E cruda scilla fieri: nam è cocta facile putrescit.*

VINVM SCILLITICVM. CAP. 26.

Scilliticum uinum nusquam in Germania confici uidi.

MARINA AQVA CONCINNATA VINA CAP. 27.

Non conficiuntur apud nos eiusmodi uina:

VINVM EX COTONEIS MALIS CONFECTVM. CAP. 28.

Duplex est apud Dioſcoridem huius confectio, ſed altera tantum apud nos fit.

MELOMELI. CAP. 29.

Μηλόμελι ex malo Cotoneo & melle conficitur. Rarus hodie eſt illius uſus.

HYDROMALVM. CAP. 30.

Υδρόμηλον nuſquam in Germania præparatur, neq; alibi confici exiſtimo.

OMPHACOMELITES. CAP. 31.

Ομφακόμελι ex acerbæ uuę ſucco & melle conficitur. Sed huius non ita frequens eſt in Germania confectio.

VINVM EX PYRIS CONFECTVM. CAP. 32.

Conficitur hoc quemadmodum Cydonite, Sed rarus eſt eius uſus in Medicina. Heſſi ruſtici ex Pyris ſylueſtribus ſuccum exprimunt, qui uini ſaporem habet, ſed ob frigidius temperamentum, & humiditatis inconcoctæ abundantiam ſtatim aceſcit, ideoq; muſteum ebibitur.

VINVM E LABRVSCAE FLORIBVS CONFECTVM. CAP. 33.

Huius conficiendi rationem Dioſcorides docet, ſed nuſquam apud nos conficitur.

VINVM EX PVNICIS. CAP. 34.

Ex Punicis malis exprimitur hoc uinum. Seruatur in pharmacopoliis & uinum Granatorum appellatur.

ROSACEVM VINVM. CAP. 35.

Roſaceum uinum in Germania nuſquam uidi præparari, Acetum uerò Roſaceum ubiq; fit.

VINVM EX MYRTI BACCIS CONFECTVM. CAP. 36.

Ex contuſis & expreſſis Myrti baccis conficitur Myrtite uinum, In noſtris uerò regionibus nuſquam præparatur.

VINVM MYRTEVM. CAP. 37.

Vinum cui contuſæ Myrti baccæ & ramuli cum foliis iniiciuntur, Græcis Μυρσινίτης, Latinis Myrteum appellatur.

LENTISCINVM ET TEREBINTHINVM VINVM. CAP. 38. 39.

Lentiſcum & Terebinthum arborem, nuſquam in Germania habemus. Ideoq; hoc uinum apud nos non confici poteſt.

PALMEVM VINVM. CAP. 40.

Ex uulgaribus palmulis conficiebatur hoc uinum. Nos illud nunc non præparamus. Arabibus Nabith uocatur.

FICATVM VINVM. CAP. 41.

In Cypro olim ex Ficubus cōficiebatur, eo quo Dioſcorides docet modo, hoc uinū.

VINVM E SYCOMORIS. CAP. 42.

VINVM RESINATVM. CAP. 43.

Reſina in frigidis regionibus uino adiicitur, ne aceſcat.

PINEIS NVCLEIS CONDITVM VINVM. CAP. 44.

Non preparatur hoc apud nos, niſi quis ex induſtria & Medicinæ cauſa conficiat.

CEDRINVM VINVM. CAP. 45.

Cedrus arbor apud nos non prouenit. Quapropter illius baccis uinum condire non poſſumus.

E BACCIS IVNIPERI. CAP. 46.

CEDRITES. CAP. 47.

VINVM PICATVM. CAP. 48.

Picatum uinum nuſquam adhuc confici uidi.

VINVM ABSINTHITE. CAP. 49.

Ex Abſinthio ubiq; conficitur Vinum & Ceruiſia, quod nulli incognitum eſſe exiſtimo.

VINVM HYSSOPITE. CAP. 50.

Hyſſopo etiam uinum, quemadmodum Abſinthio, conditur, & in multis Germaniæ locis conficitur.

MVLTIS ALIIS PLANTIS CONDITA VINA. CAP. 51. *& deinceps, usque ad 63. inclusiue.*

Plantæ quibus sequentia uina condiuntur, omnes antea descriptæ sunt. Ipsa uerò uina nondum confici uidi.

VINVM AROMATITE. CAP. 64.

Conficitur hodie multiplex Aromatite uinum, præsertim in maritima Germania & Saxonia, quæ Claretum, & Lautertranck appellant: hoc, candidum: illud, crocatum est. Sed secundum Dioscoridis descriptionem non conficiuntur.

PLVRIBVS DIVERSISQVE ODORAMENTIS CONDITA VINA. CAP. 65. *Vsq; ad* CAP. 70. *inclusiue.*

Sequentia uina apud nos non præparantur, solo Nectarite excepto, quod ex Inulæ etiam, Nectarion appellatæ, radicibus conficitur. Vbiq; uulgo Alantwein uocatur.

PLVRIBVS HERBIS CONDITA VINA. CAP. 71. *Vsq; ad* CAP. 83.

Herbæ quibus sequentia uina condiuntur, antea explicatæ sunt. Satis igitur sit nouisse, nullam ex illis apud nos confici præter Saluiacum. Conficitur tamen in quibusdam locis etiam ex Dauco, quem syluestrem Pastinacam in iij. lib. nominauimus. Ihenæ in Thuringia ex Polio etiam uinum præparant, cuius Dioscorides nullam facit mentionem. Sequitur etiam uinum ex salis flore confectum. Quid uerò sit salis flos, ipse Dioscorides hoc eodem lib. scribit in Metallicis medicamentis, quæ nunc sequuntur.

DE METALLICIS MEDICAMENTIS.

CADMIA. CAP. 84.

Multæ sunt Cadmiæ species, nos tantum duas in pharmacopoliis habemus: Vnã ex fossilium genere, Alteram factitiam. Illam Germani Galmey / & pharmacopolæ Lapidem calaminarem. Hanc uerò Thutiam appellant, quę omniũ efficacissima est. Thutia autem Arabica est dictio, qua metallicum Spodium & Pompholyga indicat Serapio. Posteriores uerò Botryiten Cadmiam minorem sic appellarunt, sed malè. Est autem Botryites Cadmia minor, ex accenso & liquefacto æroso lapide fuligo quædam sursum in caminos euolans, & ferreis hastis undiq; eminentibus tuberculis ceu racemus adhærens. Cadmiæ uocabulum recentiores in Cmaiam & Chniam (alias Climiam, Catimiam) corruperunt. Reliquum autem Cadmiæ genus in multas diuiditur species, à Galeno & Dioscoride descriptas, quarum maximus olim erat in Chirurgia usus. Verum hæ omnes hodie ubiq; incognitæ sunt, quamuis in nostris metallicis fornacibus, maximè Goslariæ, omnes species gignantur. Diuiditur autem omnis Cadmia in Natiuam & factitiam. Natiua duplex est. Vna cuius Galenus meminit, quæ in Cypri montibus & torrentibus inuenitur, Galeni ætate omnibus aliis à quibusdam Medicis prælata, cuius magna copia in Vuestphaliæ montibus & torrentibus reperitur. Aspectu racemosa, & mixtis ueluti cubis constans, foris spadiceo, intus autem æreo aut argenteo colore. Altera lapis est ponderosus, scaber & uersicolor, quem antea lapidem Calaminarem appellauimus.

Factitia autem Cadmia in plures species conciditur. Prima Botryitis dicitur, quòd grandis racemi instar, à fornacũ lateribus pẽdeat. Hęc rursum duplex est. Vna qualẽ iam demõstrauimus, sponte & casu inter liquefaciendum genita. Altera minor est, & ferreis hastis ex industria fornacibus insertis, undique tuberosa, & racemosa facie adhærens. Secunda Cadmiæ species Placodes appellatur, quod ueluti latis crustis compacta sit, quæ & ipsa duplicem habet differentiam. Vna crassioribus constat crustis, altera multo tenuioribus, & sibiipsi inuicem superiacentibus compacta est, quarum commissuras candicantes aut pallidæ lineæ cingulorum modo intersecant, quam ob causam Zonitis nominatur. Tertia uerò Ostracitis dicitur, quę testaceã & terrestrẽ habet substantiam, concretione tenuis, & colore plerunq; nigricans, in ima fornace

nascens,

nascens, cum cæteræ in mediis fornacibus gignantur. Omnes prædictæ Cadmiæ du-
ræ & ponderosæ sunt. Quarta autem puluerulenta leuissimaq́ est, Pompholygi, id
est, Bullæ, substantia & pondere similima, colore ut plurimum ex candido in æreum
aut cœruleum modicè degenerans. Inuenitur & subfusca, quæ prædictæ plurimum
bonitate cedit, Capnitis uero uocatur, quod fuliginis & fumi modo leuis sit. Gigni-
tur hæc non ut reliquæ in ipsis fornacibus, sed in earum ore, quo flammæ eluctantur.

** Cadmia capnitis est fumus pyritæ lapidis. Pompholyx est fauilla (cum æri citrinus color inducitur, & aurichal-
cum fit) ad tectum ascendens: Spodium uerò cinis relabens. Tutia est Cadmia fistularis hodie in pharmacopolijs ita di-
cta, sed falso: nam Tutia Arabicum nomen Spodio debetur. Pyrites est materia æris & plumbi, & ubi non est Pyrites,
ibi non gignitur Cadmia.*

SPODIVM ET POMPHOLYX. CAP. 85.

Magno errore Spodium in pharmacopoliis uocatur Ebur ustum, siue Canna, id
est, arundo combusta. Est enim hoc Arabum commentum. Adscribunt huic suo Spo-
dio maximas in confortando epate uires, sed quas neq́ ratione neq́ aliqua experien-
tia illi inesse cognoscere possumus. Verum tamen Spodium nihil aliud est, quàm ex-
tinctæ metallorum fauillæ, quæ propter pondus rursum decidunt, & circa fornacem
eiusq́ pauimentũ colliguntur. Hoc hodie in pharmacopoliis Nihili griseum, et à Ger-
manis Graw nicht appellatur. Pompholyx uero tenuissimis & leuissimis fauillis con-
stat, quę summis fornacum caminis adhærent, atq́ in magnum corpus accrescunt, sed
principio cum fit, in aqua surgentibus bullis similis est, unde etiam nomen inuenit.
Pharmacopolæ eam Nihili album, Germani Weiß nicht appellant. Probatur apud
nos quę Norimbergæ conficitur. Antispodia ueteribus dicebantur arborũ qua- CAP. 86.
rundam frondes & chartæ exustæ, quibus utebantur pro Spodio, cum huius non es-
set copia. Tale etiam est Arabum Spodium. Nullum tamen Spodion, siue Antispo-
dium intra corpus sumitur. Quapropter nemo credat Arabum Spodium eas uires
in confortando hepate habere, quas illi adscripserunt.

** Lege etiam suprà in capite de Cadmia. Spodium uulgare est antispodium, quo extrinsecus tantum uti conuenit:
efficacius, quod præparatur cum camphora.*

CREMATVM AES. CAP. 87.

Inualuit hodie consuetudo, ut cuiusuis metalli rudem adhuc materiam, quam Ger-
mani Metallici Ertz uocant, æris uocabulo significent. Quidam etiam hoc omnium
metallorum generale nomen esse existimant; sed falsò. Nam nullus unquam author,
siue Græcus, siue Latinus, qui de metallis scripsit, hoc testatus est, sed omnes æris ap-
pellatione, quod Græcis χαλκός dicitur, peculiare metallum significant, quod Germa-
ni Kupffer/ & Latini recentiores Cuprum appellant, cuius laminę uruntur, & in
pharmacopoliis Aes ustum uocantur.

FLOS AERIS. CAP. 88.

χαλκοῦ ἄνθος, id est, Aeris flos, plurimum differt à re metallica, composito nomine
χάλκανθον appellata; Est autem propriè Flos æris, tenuissima æris liquefacti substan-
tia, quę ex repentina frigidę aquę affusione in milii magnitudine colore purpureo
ceu grana densatur & expuitur. Nullum hodie in Medicina usum habet, quoniam fe-
rè omnia metallica ignota hactenus fuerunt. Errant aliqui ex recentioribus, qui ęru-
ginem, id est, Spangrün/ florem esse ęris existimant.

SQVAMA AERIS. CAP. 89.

Λεπὶς χαλκοῦ, id est, Squama ęris, est ęris superficies, quę malleorum ictu in squa-
mas resoluitur. Duplex eius genus est, crassa, & farinę modo tenuis. Crassa Kupffer-
schlag Germanis dicitur. Subtilior uero Kupfferbraun/ siue Kesselbraun. Tenu-
iorem Plinius etiam Stomoma appellat, quod ex summa lanugine excutiatur. Por-
rò Stomomatis squama, de qua hoc loco Dioscorides agit, à tenui illa plurimum dif-
fert. Nam tenuis squama ex ære fit. Stomomatis uero Squama ex optimo ferro,
quod ueteres Stomoma appellabant, quoniam cultellorum et gladiorum acies (quas
ora etiã appellat sacra scriptura) ex illo fierent. Stomoma ferrum hodie etiã Cha- CAP
lybs, & Germanicè Stahel uocatur. Vergilius Marcellus errat, quod Stomomatis

squamam, æris squamam uocat. Nam ipse Dioscorides aliter scribit:

AERVGO. CAP. 91.

ἰὸν Græci æruginem uocant, quoniam florida sit æris rubigo, quæ priuatim in ære ærugo, ut in ferro ferrugo, uocatur: utraque ceu putrefactio sui metalli est. Pharmacopolis uiride æris, Germanis Kupffergrün/Spangrün/& Grünspan appellatur. Qui barbaris & impropriis uocabulis delectantur, Aeruginē Prasion uiride uocant, ut simpliciter Prasion appellatam herbam ab ea distinguant. Sed ridicula hæc est distinctio. Sunt autem duo potiora æruginis genera. Vnum ἰὸν ξυστὸν, à Græco uerbo ξέω, quod rado significat, dicunt. Hoc ex industria & arte præparatur, & laminis æris deraditur, unde nomen inuenit. Derasum in massas formatur, & hæc est quæ ubiqꝫ habetur ærugo. Alterum eius genus sponte in ærariis metallis siue fodinis gignitur, & interdum in uermiculorum formam concrescit, quapropter ἰὸς σκώληξ nominatum est. Hoc autem hodie in nullo usu Medicis est. Inuenitur tamen non raro in nostris ærariis fodinis.

CAP. 92.

FERRVGO. CAP. 93.

ἰὸς σιδήρου, Latinis Rubigo ferri, siue ferrugo, Germanis Eisenrost appellatur. Nota omnibus res est.

RECREMENTVM FERRI. CAP. 94.

Omnium metallorum recrementum Græci σκωρίαν, Germani Schlacken appellant. Hoc uerò capite de ferri tantum recremento agit Dioscorides, quod nos Eisen Schlacken/ appellamus. Quidam ex recentioribus ferri squamam impropriè etiam σκόριαν uocant, ex qua pilulas præparant, à calore resoluto uentriculo salutares.

PLVMBVM ELOTVM. CAP. 95.

Plumbum Græcis μόλυβδος, Germanis Blei uocatur. Duo habet genera Plumbum. Vnum nigrum, Alterum candidum dicitur. Illud est quod hodie simpliciter Plumbum, et à nobis Blei appellatur. Hoc uero iam Stannum tantū Latini, et Zinn Germani nominant. Porrò elotum plumbum ex nigro fit, estqꝫ nihil aliud quàm ipsum Plumbum, cum liquore aliquo in crassiusculam substantiam detritum, quod siccatum in puluerem transit. Malignis & calidis ulceribus curandis utilissimum.

CREMATVM, SIVE VSTVM PLVMBVM. CAP. 96.

Plumbum usqꝫ in cinerem crematum hoc loco intelligit Dioscorides. Rarus hodie eius est usus, nisi quòd figuli eo utuntur.

RECREMENTVM PLVMBI. CAP. 97.

Plumbi σκωρίαν, siue recrementum, Germani Bleischlacken appellant.

PLVMBARIVS LAPIS. CAP. 98.

λίθος μολυβδοειδὴς lapis est metallicus, colore plumbi, ex quo etiam Plumbum excoquitur. Germani Metallici illum Glantz appellant, Plinius etiam Galenam. Estqꝫ pariter argenti & plumbi ferax uena.

STIBIVM. CAP. 99.

Stibium Græci στίμμι & στίβι, pharmacopolæ Antimonium, Germani Spießglaß appellant, quod Plinius etiam lib. xxxiij. cap. vi. Alabastrum & Larbasum uocari scribit. Est autem scissile metallum, colore plumbi, cum prunis inijcitur, sulphuris modo liquefit, & fœdum odorem remittit. Si diutius cremetur, tandem in plumbum transit.

Vix est metallum, cum in laminas duci non poßit, sed res metallica. Purgato hoc ad characteres fundendos typographi utuntur.

PLVMBAGO. CAP. 100.

Plumbaginem Græci μολύβδαιναν uocant, Cuius duplex est genus. Fit enim quædam cum plumbo aurū, siue argentum purgatur. Estqꝫ horū metallorū fæx, quę ablata massa in fundo catini reperitur. Hęc Germanicè Test appellatur. Altera fossilis est, colore prędictę nō dissimilis, quę plumbiferax uena est: nōnunquā etiam argenti. Eā Germani Bleischweyff uocāt. Plinius utrāqꝫ hāc plumbaginem, galenā etiam uocat:

Vtebantur

Vtebantur ueteres in emplastris Molybdæna. Iam uero à Metallicis tantum cognoscitur.

Quæ colorem lithargyri habet, aut fossilis aut factitia est: quæ plumbi, est lapis plumbarius, Galena fossilis Plinio.

ARGENTI RECREMENTVM. CAP. 101.

Argenti recrementum priuatim Græci ἕλκυσμα, Germani Silberschlacken uocant.

SPVMA ARGENTI. CAP. 102.

Argenti spuma Græcis λιθάργυρος, pharmacopolis Lithargyrium, Germanis Silberschaum, & Gledt uocatur. Duplex eius genus colore distinguitur. Quoddam enim aureo est colore, ideoq; Grecis χρυσῖτις, pharmacopolis Lithargyrium auri, Germanis Goldtgledt dicitur. Alterum colore argenteum candorem imitatur, quod Græcis ἀργυρῖτις, pharmacopolis Lithargyrium argenti, Germanis Silbergledt nominatur. Est autem Lithargyrium plumbum nigrum, quod purgationis causa argento additur, cum argenti sordibus in spumam concretum.

CERVSSA. CAP. 103.

ψιμμύθιον Græci, Cerussam Latini, Bleiweiß Germani uocant. Et hæc plumbum est aceti acerrimi halitu in candidum pollinem resolutum. Hæc si uratur, donec rufum contrahat colorem, colorem facit, qui Sandix appellatur. Quem Vergilius intelligit, cum ait:

Sponte sua Sandix pascentes uestiet agnos.

Quo loco aliqui Sandicem herbam esse interpretati sunt, quæ lanas inficiat: sed male: quamuis ipse Plinius etiam crediderit Vergilium herbam intellexisse: quod tamen ex uerbis illius nullo modo colligi potest.

Sandix est uulgare minium.

CHRYSOCOLLA. CAP. 104.

Chrysocolla Germanis Schifergrün appellatur, qua olim pictores & aurifabri utebantur. Illi, quoniam iucũdum haberet colorem: hi uerò ut aurum ferruminarent, unde etiam nomen inuenit. Hodie nullum habet in Medicina usum.

Humor est qui defluit per uenas auri & æris, & putrescit.

ARMENIVS LAPIS. CAP. 105.

Armenium, siue Armenius lapis, æruginosam habet substantiam, ideò ærugini quoq; secundum proportionem in uiribus respondet. Paucissimi pharmacopolę hũc lapidem habent, quidam tamen eundem Smaragdi nomine ostendunt, sed magno errore.

Smaragdus pellucidus est, & sapore caret. Armenius Chrysocollæ et Cœruleo cognatus est.

COERVLEVS. CAP. 106.

κύανος, siue Cœruleum, Arabibus Lapis lazuli, Germanis Lasurstein uocatur. Duplex illius genus est. Vnum in aurifodinis inuenitur, uenis eius per lapidum commissuras in diuersas partes tendentibus. Alterum in maritimis quibusdam litoribus gignitur, crasso sabulo simile. Est etiam factitium, quo pictores tantum utuntur. In pharmacopoliis ex cœruleo pilulæ fiunt, quas de Lapide lazuli cognominant.

INDICVM. CAP. 107.

Malè lapidis appellatio Indico præponitur, neque enim lapis est, neq; terra, sed color in purpura cœruleus, propterea Dioscorides eum cœruleo coniungit. Est autem duplicis differentiæ. Vna in India arundinibus adnascitur, ut scribit Dioscorides. Altera infectiuum, siue βαπτικόν appellarur, quæ apud nos à tinctoribus ex Isatide herba præparatur, cuius florida spuma est, unde à Germanis Weydtblüm / & Indich appellatur.

OCHRA. CAP. 108.

Ochra lutei coloris terra est, quam Germani Ochergeel uocant, cuius tres sunt differentiæ. Quoties Ochræ colore plantarum flores à Dioscoride describuntur, non

pallidus color tantum, sed luteus etiam intelligendus est.

* *Probatißima Goslariæ effoditur.*

CINNABARIS. CAP. 109.

Cinnabaris sine dubio est Gummi, siue exiccatus ille rubeus succus, qui in pharmacopoliis sanguis Draconis appellatur. Plinius ex Elephanto & Dracone pugna elisum & commixtum sanguinem esse credidit, uerum falsò, & mercatorum fabulis deceptus. Nostra ætate inuentum est, proceræ cuiusdam arboris in Aphrica genitæ Gummi, siue lachrymam esse. Fallitur Anto. Musa, dum putat nostrum Draconis sanguinem diuersum esse ab eo, qui à Serapione describitur, quoniam Serapio Sideritidis esse succum scribat. Qua in re errauit Serapio. Propterea non sequitur, quod sint res diuersæ.

* *Natiua ex arboribus fluit, & sanguis Draconis Arabice uocatur. Metallica propriè Minium uocatur. est autem uena argenti uiui. fit etiam factitia ex argento uiuo & sulphure.*

MINIVM.

Minium, cuius hoc capite meminit Dioscorides, uena est, ex qua Argentū uiuum conficitur, & alio uocabulo etiam ἄνθραξ, à colore uocatur, Germanis Bergzinober/ & Queckfilber ertz nominatur. Quod hodie ubiq; Minium à pharmacopolis, & Germanis Menge dicitur, minimè uerum est Minium, sed sandicis species, neq; unquam ex eo Argentum uiuum fieri potest, quod Minio proprium est.

ARGENTVM VIVVM. CAP. 110.

Argentum uiuum, siue Vena eius in marmore, siue per se inueniatur, idem est. Plinius Hydrargyron ab Argento uiuo distinguit, sed malè. Germanis Queckfilber/ pharmacopolis Chimistis Mercurius appellatur.

RVBRICA SINOPICA. CAP. 111.

Μίλτος Σινωπικὴ in Cappadocia olim effodiebatur, nunc uero in nullis pharmacopoliis habetur.

* *Aliqui hodie pro uero bolo Armeno adferri putant.*

FABRILIS RVBRICA. CAP. 112.

Fabrilis rubrica est rufa gleba, quam hodie Bolum appellamus. Huic etiam cognata est lapidosa ista terra, quam nos Rötel/ siue Rötelsteyn uocamus.

* *Vna est natiua: alia factitia, Braunrot ex Ochra cremata.*

LEMNIA TERRA. CAP. 113.

Rarissimè hodie Lemnia terra affertur. Mirum enim in modum adulteratur. Olim hæc Lemnia sphragis, id est, Sigillum appellabatur. Nunc uero Terræ sigillatæ appellatione in pharmacopoliis habetur, sed quæ minimè uera sit.

ATRAMENTVM SVTORIVM. CAP. 114.

Atramentum sutorium Græci χάλκανθον, pharmacopolæ Vitriolum, Germani Kupfferwasser appellant, multas habet differentias. Quoddam in stirias destillando concrescit, unde σαλακτὶς, σαλακτικὸν, & λογχωτὸν appellatur. Quoddam in glebas concrescit, quod πηκτὸν, id est, gelatum uocatur. Tertium coquitur donec refrigeratum geletur. hoc ἑφθὸν nominatur, & ubique habetur. Colore etiam distinguitur Chalcanthum. Est enim cœruleum, uiride, & candidum. Posterioris Dioscorides non meminit. Errat Antonius Musa, quum scribit Vitriolum Romanum nunc appellatum, ueterum Mysi esse. Olim coria sutores Chalcantho tingebant, unde apud Latinos nomen inuenit.

* *Est aqua aluminosa, quæ destillauit per uenas æreas, Stalactidem interpretantur Gogkel. Vide etiam in Additione ad Chalcitin.*

CHALCITIS. CAP. 115.

Quantum

Quantum ex Galeno coniicere possumus, duplex est Chalcitis. Vna quæ in fodinis concreta inuenitur, Altera quæ ex Chalcantho fit. Vtraq; hodie ignota est, quamuis in nostris ærariis fodinis reperiatur. Galenus cum scribit Chalcanthum etiam in Chalcitida paulatim mutari, incepta foris à superficie mutatione, non intelligit in superficie cuiusuis Chalcanthi colore in candidam seu pallidam substantiam resolutam materiam, ut Musa falsò putat. Quapropter idem Musa immeritò reprehendit Galenum, qui ipse metallicas fodinas inspexit, & diligenter Chalcanthi in Chalcitida mutationem obseruauit.

Chalcites Græcis aliàs pyriten significat, sed additur lapis. aliàs Chalcanthum ruffum, Rot Kupfferwasser/ uel Solet/ inuenitur & candidum Chalcanthum.

PSORICVM. CAP. 116.

Ψωρικὸν compositio est, ex metallicis quibusdam medicamentis, contra scabiem facta, unde & nomen inuenit.

MISY. CAP. 117.

Misy non minus quàm Chalcanthum, congelatus est humor, qui per commissuras Pyritidis, id est, ærarii lapidis, fluxit: Ibidem aliquandiu contentus in duram, sed interim friabilem substantiam concreuit. Est autem Misy gleba, substantia, sapore & uiribus Chalcantho similis aspectu, atq; in friando arenosæ naturæ, colore aureo, stellarum & scintillarum ignis modo splendens. Fuit hoc medicamentum olim Galeni ætate in frequenti usu, à quo tempore usque ad nostram ętatem omnino incognitum fuit, nec adhuc à quoquam cognoscitur, uno atq; altero excepto. Antonius Musa in suo de simplicibus examine scribit, Vitriolum uulgo appellatum in pharmacopoliis Romanum, uerum esse Misy, magno errore. Siquidem Vitriolum Romanum uiridissimum habet colorem, Misy aureum: nec est ulla in aspectu nota, quæ conueniat. Non animaduertit ille, Vitriolum Romanum illam esse Chalcanthi speciem, quæ Pectòn uocatur, uiridi aut cœruleo colore, & sponte in fodinis concrescens, unde nomen inuenit. Verum autem Misy in maxima copia inueni Goslariæ, cùm in metallicas fodinas ibidem descendissem, omnino ea facie, colore, substantia & facultate, quibus à Dioscoride, Galeno & Plinio describitur. Cuius magnam quantitatem mecum Vuittenbergam attuli, sperans posse fieri, ut rursus in usum recipiatur.

*Gelben Kupfferrauch.

ATRAMENTVM METALLICVM. CAP. 118.

Μελαντηρίαν pharmacopolæ adhuc Atramentum nigrum, siue griseum, Germani Atrament appellant.

Vena est Chalcanthi, pura, non cocta: schwartz Kupfferrauch.

SORY. CAP. 119.

Σῶρυ Melanteriæ cognata res esset, nisi ruffum magis colorem haberet. Pharmacopolæ Sory ostendunt sub Atramenti rubei nomine, Germani Rot Atrament uocant. Sciendum est Chalcanthum, Chalcitida, Misy, Melanteriam, & Sory, omnia ex una materia constare, nempe gelato humore, qui per lapides æs in se habentes, fluxit & destillauit, sed differre, secundum admixtam illi terræ diuersitatē, quo fit ut omnia illa in aqua cocta Chalcanthum remittant.

Hoc etiam uocant Schwartzen Kupfferrauch.

DIPHRYGES. CAP. 120.

Triplex est Diphrygis genus. Primum luto simile quiddam est, & in cuniculis è terra eructatur, quod Dioscorides in sola Cypro gigni testatur. Sed hoc certò affirmare difficillimum est, cum tam spaciosum terrarum orbis, multa habeat loca omnium metallicorum medicamentorum feracia, quibus olim Cyprus nobilitata fuit. Inter quæ Germania iam diu principatum obtinet. Ipsum natiuum Diphryges non minus quàm Cyprus gignens. Eructatur namq; Goslarię è terra in cuniculis colore lu-

teum, substantia lentum glutinosumque, figulinæ cretæ modo, tanto impetu, sed paulatim expuitur, ut lapillos etiam prodiens sursum attollat: natura & facultatibus Misy respondet. Secundum fæx æris est, quemadmodum Molybdæna auri & argenti. Tertium ex Pyrite lapide usto præparatur. Omnium tamẽ optimum est secundum, quod Germani Offenbruch uocant, hodie nullum habet in Medicina usum. Pandectarius uehementer errat, quod Diphryga & lapidem Phrygium eandem rem esse scribit. Confundit enim hæc duo.

AVRIPIGMENTVM. CAP. 121.

Auripigmentum Græci Αρσενικὸν uocant, Germani Auripigment / siue Operment / Goldgeel / Chimistæ & pharmacopolæ Arsenicon ab Auripigmento hodie distinguunt. Nam Arsenici appellatione facta quædam ex metallicis quibusdam uenena indicant. Est autem apud Græcos & Latinos duplex Auripigmenti genus. Vnum in glebas concretum & lapidosum. Alterum in laminas, fissile & purum. Hoc uerò optimum est.

** Arsenicum uulgare factitium est & chymicum.*

SANDARACHA. CAP. 122.

Sandaracha eandem habet cum Auripigmento materiam, & in iisdem fodinis, & in iisdem glebis inueniuntur. Differentia est quod flammeo colore, ut Cinnabaris metallica, fulgeat, propterea ab Arabibus Auripigmentum rubeum uocatur. Hodie in pharmacopoliis Gummi Iuniperi Sandaracha uocatur, maximo errore, & qui ab Arabum interpretibus originem duxerit, melius autem diceretur Sandarax. Antonius Musa, Georgium Agricolam in Sandaracha reprehendit immerito, quoniam ipsius Agricolæ uerba de Sandaracha nullo modo intellexit.

* Roter Schwefel / Feürschwefel.

ALVMEN. CAP. 123.

Alumen Græcis Στυπτηρία, Germanis Alaun uocatur. Multæ olim eius erant differentiæ. Nos uero illud habemus, quod Græci βολίτιδα, id est, glebosum, atque hoc factitium. Nam ex natiuo gleboso scissile Alumen gignitur, quod flos ueluti illius est, uiribus efficacissimũ omnium. Antonius Musa errat, quòd scribit Alumen scissile esse illud, quod hodie Alumẽ plumosum, siue de pluma uocatur. Nam omne Alumen in aqua resoluitur, & in igne exuritur. Plumosum uero in aqua nunquam dissoluitur, neque in igne mutatur, etiam si pluribus diebus cremaretur. Alumen scissile omnium efficacissimè totum os astringit, Alumen uero plumosum nihil omnino præter quod exiccet. Quid uerò Alumen de pluma sit, statim indicabitur, ubi ad lapides peruentum erit.

** Alumen zucharinum fit è factitio subtilissimè trito & albumine oui.* Bolitis, id est, glebosum, *Arabes Iamenum nominant. Pro omnibus speciebus uti licebit nostro factitio.*

SVLPHVR. CAP. 124.

Θεῖον Græci Sulphur, Germani Schwefel appellant. Viuum Sulphur appellatur Græcis ἄπυρον, quoniam ignem nondum expertum est. Tale existit omne fossile Sulphur, quod nondum liquefactum & in frustula fusum est.

**Sulphur est adeps terræ, ideoq; in oleo resoluitur.*

PVMEX. CAP. 125.

Pumex lapis omnibus est notus, quem Græci Κίσσηριν, Germani Bimbs appellant. Est autem lapis in ardentibus montibus natus, qualis in Melo, Lipara, Sicilia, & aliis quibusdã locis sunt, è quibus insulis & montibus mari expositis, nonnunquam in mare præcipitantur, cui postea innatant propter substantiæ raritatem, quod uidentes nautæ & mercatores, spumam maris esse pumicem credunt: sed falsò.

** Alius est candidus, alius niger.*

SAL. CAP. 126.

Salis genera plurima sunt. Prima tamen diuisione in duo genera diuiditur. Quidã

enim

fossilis est, & quidã factitius. Ex fossili olim maximè probabatur ad Medicinã Hammoniacus, pro quo alius factitius eiusdẽ nominis irrepsit, aurifabris & æerariis fabris quàm Medicis utilior. Nunc uero ex fossili primam bonitatis notam habet, qui lucẽ transmittit, & in cubos dum frangitur se diuidit, quem gemmæ salem Pharmacopolæ uocant.

*Marinus sal fit, cum marina aqua in lacubus concrescit, Grob saltz/Meersaltz.

SALIS SPVMA, AVT LANVGO. CAP. 127.

Ἁλὸς ἄχνη, id est, Salis spuma, qua hodie omnino in nostris Pharmacopoliis caremus, quamuis etiam in nostris maris cautibus gignatur, ut in Suecia, Dania, & Nortuegia.

*Est marina spuma densata, Meerblümen.

MVRIA. CAP. 128.

Halme, id est, Muria, duplex est, Natiua & factitia. Natiua ex salinarum fontibus hauritur. Factitia eo modo præparatur, quo Columella docet. Germani Muriam factitiam Saltzlacken, Natiuam uerò Sahl appellant.

*Non est Lacken piscium aut carnium, quod Garum uocari debet.

SALIS FLOS. CAP. 129.

Ἁλὸς ἄνθος in Aegypto Nili gignitur, & in aliis quibusdam locis. Quapropter nobis ignotus est.

*Non salis, sed maris florem interpretari oportebat: est autem nihil aliud quam Sperma ceti uulgo dictum. Dioscorides describit crudum, nos præparatum habemus.

NITRVM. CAP. 130.

Nitri multæ sunt differentiæ. Ex quibus etiam est quod hodie Salpetræ appellatur. Hoc substantiæ tenuitate omne aliud Nitrũ antecellit, differtq; à ueterum, id est, uero nitro, quod salis modo candentibus testis prunisque impositum, primùm paucas bullas emittit, quibus cessantibus ipsum nitrum remanet, nec ab ipso igne accendi aut consumi potest, sed salis modo tostum igni resistit. Nostrũ uerò nitrum, quod ex nitrosæ terrę diluto coquitur, contactũ igne ocyssimè flammã concipit, totumq; in aërem resoluitur. Hinc colligimus ualde esse tenuium partium. Nam gustatum quoque cum maxima tenuitate pungit, atq; copiosam ex alto saliuã prouocat. Errant igitur, qui nitrum frigidum esse pronunciant.

*Fel Nitri est nitrum arboreum, quo uti licet pro ueterum nitro.

SPVMA NITRI. CAP. 131.

Dupliciter huius medicamenti nomen profertur. Aut enim duobus separatis uocabulis Ἀφρὸς νίτρου nominatur, aut ex utroq; composito nomine ἀφρόνιτρον. Hinc Martialis in Apophoretis utrunq; illi nomen hoc disticho tribuit:

Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicas,
Spuma uocor Nitri, dicor & Aphronitrum.

Gignitur autem duobus modis. Primum per se in cautibus cauernosis, nullo iuxta nascente nitro. Secundo autẽ, in ueri Nitri, quale in Aegypto habetur, aceruis, superficietenus, in spumosam substantiã resolutis eius glebis, quod ad nos omnino non adfertur, neq; apud nos hactenus inuentũ est. Primum uerò in petris & antiquis muris ex nitroso tenuiq; humore in illis concepto gignitur, habetq; hoc duas ab inuicem diuersas species. Quod enim in petris nascitur, substantiã habet magis terrestrẽ, ideoq; in testa prunis impositũ, donec ipsa testa excanduerit, primùm bullas agit, quibus attolli desinentibus, id quod aqueũ in eo erat, consumptũ esse cognoscimus, quo consumpto quod terrestre est, salis & ueri nitri modo remanet. Hinc dicit Dioscorides, paulò post principiũ, quòd utrunq; tam nitrũ quàm spuma nitri, salis modo torreantur, uel crementur. Porro Aphronitrũ in antiquis muris nascens, iã dicto aspectu simile est, colore candidissimũ, substãtia uero multo tenuiore, quàm in petris natũ cõstat. Ideoq; factitii nostratis nitri instar prunis inspersum, facilimè flammam concipit, totumq; in flammã, fumũ & aërẽ resoluitur: capellę uehemẽter huius linctu delectãtur.

Nouisse autem oportet, omne nitrum quod accendi potest, nō esse illud nitrum quod ueteres describunt. Color uerò tam nitro quàm Aphronitro non ubique terrarum idem est. Alibi enim rubent, alibi ad purpuram inclinant. At Aphronitrū quod Ihenæ cauernosis cautibus adnascitur, partim cinereo, partim candidissimo conficitur colore, atq; hoc triticeæ farinę aspectu simile est, ut etiam Galenus scribit. Quod autem antiquis muris efflorescit, nunquam alio quàm candido conspexi colore.

FAEX. CAP. 132.

Fæcis appellatione hoc loco Vini & Aceti fæcem intelligit Dioscorides. Est autē Fæx horum liquorum sedimentum, quod Germani Hefen appellant.

CALX. CAP. 133.

Ἄσβεστος Græcè inextincta Calx appellatur, Germanicè vngeleschter Kalck. Crematur & Calx ex marinis buccinis, ut in maritima Germanię ora, ubi omnia ædificia, tam publica quàm priuata, huiusmodi calce extruuntur. In mediterraneis locis ex albo lapide & marmoris genere quodam uiliore paratur.

Calcarius lapis est de specie Marmoris.

GYPSVM. CAP. 134.

Gypsum in multa genera diuiditur. Quoddam in longos & rectos pectines finditur: quoddam uerò in laminas, quod idem est cum Aphroselino, siue speculari lapide. Quoddam etiā in glebas magnas concreuit. Omnia hæc genera Germani Gips uocant.

Gypsum aliud est Sciscile, aliud alabastro simile, ex lapide speculari etiam, quem Erdglaß uocant, fit optimum Gypsum.

SARMENTORVM VITIVM CINIS. CAP. 135.

Sarmenta uitis omnibus nota sunt, ex quibus Cinis lixiuię causa uritur: quamuis ipse etiam Cinis per se Medicinam faciat.

ALCYONIVM. CAP. 136.

Ἀλκυόνιον marinę spumæ species est, propterea in Pharmacopoliis spuma maris uocatur, cuius quinque habentur differentiæ. *Meerschaum.

ADARCES. CAP. 137.

Ἀδάρκης quoque, uel Pericalamitis, spumosum quiddam est, quod Itali Pallam marinam uocant.

SPONGIAE. CAP. 138.

Spongiæ omnibus notæ sunt, quibus mensæ & alia quædam exterguntur, Germanicæ Schwemme uocantur: quo nomine etiam Fungi continentur.

CORALLIVM. CAP. 139.

Corallium lapideus frutex est in mari natus, cuius tres species triplici colore distinguuntur. Est enim nigrum, candidum & rufum, Omnes Germanicè Corallen appellātur. Vulgatius est rufum, & preciosius candidum. Nigrum rarò inuenitur, & priuatim ἀντιπαθὲς uocatur, Theophrasto memoratum.

CAP. 140

PHRYGIVS LAPIS. CAP. 141.

Qualis sit lapis Phrygius, hodie omnino incognitum est, quamuis in omnibus ferè Pharmacopoliis habeatur sub lapide Lyncis nomine. At cùm duo sint lapides Lyncis appellatione uenientes, necesse est ut indicem, uter horum Phrygius sit. Primus itaque instar digiti oblongus atque teres est, & in mucronem desinit. Alter uerò aspectu terræ glebam pumicosam & laxam imitatur, mediamq; inter lapidem & terram substantiam habet: colore est pallidus aut subfuscus, candidisq; maculis & lineis ueluti situm contraxisset, distinguitur. Posteriorem hunc Phrygium lapidem esse censemus.

mus, Author Pandectarum atque Serapio Diphryges & Phrygium lapidem confude runt, eandem rem esse falsò existimantes.

LAPIS ASSIVS. CAP. 142.

Assius lapis in Asso Troadis promontorio inuenitur, unde nomen inuenit. Hodie uerò ignotus est.

Idem Sarcophagus appellatur. Germanicè Walstein/ lapis laxus & rarus. sed aliqui etiam Arabicum lapidē qui candidi coloris sit, Walstein interpretantur.

PYRITES LAPIS. CAP. 143.

Pyrites lapis, Arabibus Marchasita, Germanis Kiß uocatur, cuius multæ sunt species, metallicæ rei peritis cognitæ.

Vnus est aurei coloris, Golt oder kupffer kieß: alius argentei.

HAEMATITES. CAP. 144.

Hæmatites lapis nomen suū in Pharmacopoliis retinet, & Germanicè Blůtstein appellatur, cuius multæ species à Plinio enumerantur, quæ omnes in Hercyniæ Saxoniæ montibus gignuntur, una tantum excepta.

Nomen ei uel à colore, uel ab effectu, idem cum ferro temperamentum habet, cum aliqua tamen caliditate. Bonus non statim debet resolui. Ambergi ex nigro fit ferrum.

SCHISTVS. CAP. 145.

Σχιστὸς scissilis est lapis, substantia & uiribus Hæmatiti similis, colore tamen magis pallido, & uiribus secundum proportionem debilioribus ab illo dignoscitur.

GAGATES. CAP. 146.

Gagates & Thracius lapis substantia & uiribus ualde similes sunt. Vterque enim ex bituminosa materia constat. Distinguuntur inuicem formæ diuersitate. Gagates enim crustaceus est. Thracius uerò sibiipsi undique æqualis. Porrò lapidis Gagatæ species est, qui copiosè in Germaniæ montibus inuenitur, & quo fabri ærarii & ferrarii pro carbonibus utuntur, quod ex substantia, odore, uiribus & forma demonstrari potest. Germanicè hi lapides Steinkolen appellantur. Hoc Gagatæ genus Theophrastus ἄνθρακας γεώδεις uocat. Vide mox in Thracio.

THRACIVS LAPIS. CAP. 147.

Thracius lapis idem est cum succino nigro, quod nos Schwartz Augstein appellamus.

Aliqui Chalcanthum uocant Augstein/ id est, Ophthalmicum lapidem. Succinum uero Agstein/ nescio qua etymologia. Thracium aliqui putant Anthracium quoque dici. Vide proximè retro in Gagate.

MAGNES LAPIS. CAP. 148.

Magnes lapis in multis Germaniæ locis inuenitur, propterea omnibus notus est, Germanicè Magneth/ & Eisenbraut uocatur. Nascitur in Misniæ montibus, & in Hercynia Saxoniæ, prope Harzburgum, milliare Germanicum à Goslaria distantem arcem, & ab eius loci incolis Segelsteyn appellatur, quòd nautæ eo utantur.

ARABICVS, GALACTITES, MELITITES, MOROCHTHVS, ALAbastrites, & Thyites, lapides. CAP. 149. 150. 151. 152. 153. 154.

Arabicus, Galactites, Melitites, Morochthus, Alabastrites, & Thyites, hodie omnino incogniti sunt lapides: quamuis ad Thyiten etiam referri possit lapis, qui Stolpæ nascitur, duritie sua etiam ferrum durissimum respuens. Ex hoc olim mortaria fiebant, unde & nomen inuenit. Porrò Galactites Hildenshemii gignitur, iisdem forma, substantia & uiribus, quas illi Dioscorides tribuit. aliqui uiridi colore describūt, sed malè. Arabicus quoque, quamuis non cognoscatur, Hildenshemii in montibus inuenitur, partim candidissimo, partim maculoso ebori similis. Vstus exasperatur, ideoque optimum dentifricium existit.

*Arabicus

Arabicus alius est cinerei coloris: alius candidi, quem Germanicè Walstein uocant: quanquam & Aßium lapidem aliqui Walstein interpretantur. Alabastrites uel Onyx (quanquam & gemma Onyx est) hodie Alabastrum uulgo dicitur, & marmor candidum: est enim marmoris species. Alabaster, weisser Marmelstein. Thyites est uiridis, & remittit lacteum liquorem: Auicenna uocat lapidem Nigrorum & Aethiopum.

IVDAICVS LAPIS. CAP. 155.

Iudaicus, qui etiam Balanites, Phœnicites, Tecolithus & Eurios appellatur, adhuc in Pharmacopoliis Iudaici nomine habetur. Plinius ex eo lapide quatuor fecit lapides, nominum diuersitate deceptus. Est autem insigni & mirabili forma lapis, in quo solo naturæ artificium cognosci potest.

Species una est figura glandis, unde & Balanites dicitur: altera similis uertebræ piscium.

AMIANTVS LAPIS. CAP. 156.

Amiantus lapis sine dubio est scissilis ille & friabilis lapis, quem Pharmacopolæ Alumen plumosum uocant, qui eam habet naturam, ut igne nunquam consumatur, etiamsi aliquot diebus cremetur. Multæ eius differentiæ sunt. Inuenitur interdum flexilis, ut fila & telæ ex eo fieri possint. Agyrtæ pilos Salamandræ esse dicunt, sed falsò. Est enim lapis qui ex montibus effoditur. Plinius Indici cuiusdam lini meminit, quod igne consumi non possit: sed mercatorum fabulis deceptus. Nam idem est cum Amianto linum illud. Germanice hic lapis Federweiß/Steinflachs/Steindacht/ vnd das Ewig liecht appellatur. Est & alius Amiantus, qui in laminas finditur, ut lapis specularis, sed huius nullam facit mentionem Dioscorides.

Videtur descriptio Amianti lapidi speculari potius conuenire, nam in igne non consumitur, & purior redditur. Aliqui uocant Reussisch glaß. Veteres Amiantum, etiam Thernitin uocant.

SAPPHIRVS. CAP. 157.

Sapphirus gemma est omnibus nota, cuius plures sunt species, uulgo Saphir uocatur.

MEMPHITES. CAP. 158.

Memphites circa Memphim urbem Aegypti inuenitur. Hodie uerò omninò incognitus est.

SELENITES. CAP. 159.

Selenites qui alio nomine Aphroselenus uocatur, idem est cum speculari lapide, quem Germani vnser Frawen Eiß/ & Erdeglaß appellant. Finditur in laminas, ex quibus olim fenestræ fiebant, quales adhuc in uetustis tēplis & ędificiis uidemus.

Vide supra in Amianto.

IASPIS. CAP. 160.

Iaspis multas habet species, quæ colore distinguuntur, hodie tantum notus est qui ad rufum colorem inclinat, Ienæ pluribusq́ aliis locis in Germania nascens.

AETITES. CAP. 161.

Aëtites non in Aquilarum nidis gignitur, sed in montibus & saxorum cōmissuris inuenitur. Germanicè Adlersstein uocatur.

OPHITES. CAP. 162.

Ophites multas habet differentias. Qui uerò cinereo est colore, & maculis distinctus, in Germania etiam inuenitur, & uulgò Schlangenstein appellatur, è quo cochlearia & pocula fiunt, quæ cōtra uenena uim habere creduntur. Diui Bennonis monumentū quatuor columnis ex Ophite factis sustentabatur Misnæ in arcis templo, quod hoc anno destructum est.

Porrò Ophites, cui grauitatem Dioscorides tribuit, hodie omnino non cognoscitur, dubiumq́ est utrum ea uox βαρὺς, id est, grauis, ad pondus an ad odoris grauitatem referenda sit. Porro Hildenshemii marmor planum ceditur, maculis atq́ etiam squamis serpentinis similibus cōstans, odore cùm teritur graui ustum cornu, simulq́ putrida

putrida oua referenti, qui etiam eo odore alioquin saluberrimum fontem sub huius marmoris petra largis undis scaturientem inficit. Nam ieiuno stomacho haustus, ructus cit, odorem & saporem ipsius lapidis referentes. Porrò hoc marmor sine dubio est Ophitis species. Hinc colligitur, grauitatem non ad pondus, sed ad odorem referendam esse, cùm alias ferè omnes lapides ponderosi sint.

SPONGIARVM LAPIDES. CAP. 163.

In Spongiis testacei inueniuntur lapides, qui in Pharmacopoliis adhuc habentur.

LITHOCOLLA. CAP. 164.

Lithocolla gluten est, quo Lapicidæ lapides fractos conglutinant. Germanicè Steinleim uocatur, cuius plures sunt confectiones.

OSTRACITES. CAP. 165.

Ostracites Hildenshemii nascitur substantia et asperitate testas lateresq; imitatur, atque percussus eorum modo resonat, concretione planus est, sibiipsi crebris ceu lateribus interpositus, (*forte impositus.*

SMYRIS LAPIS. CAP. 166.

Smyris duritia Adamanti proximus est, ideoq; Gemmarii utroque gemmas poliunt. Vitrum etiam eo finditur. Germanicè Schmirgel / siue Schmirel uocatur.

✝Aliqui Smyrillum uocant.

ARENA LITTORALIS. CAP. 167.

Hoc loco intelligenda est Harena, quæ in marinis littoribus inuenitur.

COS NAXIA. CAP. 168.

Naxiæ cotes in Cypro olim inueniebantur, nobis pro eis alias accipere licet, quæ simile habeant temperamentum.

GEODES LAPIS. CAP. 169.

Geodes lapis Aëtitę cognatus est. Quemadmodũ enim Aëtites lapidem, ita Geodes terram in se complectitur, propterea à Græcis γεώδης, & à Germanis Erdstein uocatur. Gignitur in Misnia non procul à Dresda, & in Saxonia prope Hildenshemiam urbem.

TERRA. CAP. 170. &c. usq; ad 178.

Eretria, Samia, lapis in Samia terra repertus, Chia & Selenusia terræ hodie omnino non afferuntur. Cimolia uerò Creta etiam appellatur, cuius duplex genus colore distinguitur. Est enim purpurascens altera, & candida altera, hanc Cretam Latini, & Germani Kreiden / siue Crit appellant. Affertur ex Anglia.

✝Pro terris illis ueterum, quæ ad nos non adferuntur, aliæ apud nos nascentes substitui possunt.

MARINAE TESTAE. CAP. 178.

In maritimis locis & littoribus ex salis aspersione, terra & calculis testacea corpora concrescunt, quæ Dioscorides hoc loco intelligit.

TERRA EX FORNACIBVS. CAP. 179.

Fornacum terra omnibus nota est, quam Germani Ofen leymen / siue Backofen leymen uocant. Non tamen intelligenda est terra, siue lutum ex quo fornaces fiunt, sed ea quæ iam in fornacibus longo tempore exusta est.

MELIA TERRA. CAP. 180.

Ex Melo insula olim terra hæc in alias terras ferebatur. Nunc illi cognata quędam alia ex Tripoli Aphricæ affertur, temperamento, uiribus & substantia Meliam referens, qua Barbitonsores in extergendis peluibus utuntur. Ipsa tamen Hildeshemii inuenitur, ea substantia, colore, strepitu, & abstergendi ui, quibus hîc describitur. Plinius candidæ etiam meminit, quæ Melini nomine & ipsa ibidem reperitur.

AMPELI-

AMPELITIS TERRA. CAP. 181.

Ampelitis, siue Pharmacitis terra, Bituminosam habet substantiam, & gagatis modo crustacea est, & in assulas finditur. Scissilis talis apud nos etiam cum fossilibus carbonibus (quos gagatis speciem esse dixi) ex montibus eruitur Zuiccauig in Misniæ finibus, & Aquisgrani in inferiori Germania à fabris lignariis Schwartze kreide/ id est, Nigra creta appellatur.

FVLIGO CAP. 182.

Ασβόλη Græcis, Fuligo dicitur, Schmitze & Kienrauch Germanis. In primo libro de Fuligine dictum est, quæ ex pinguibus rebus conficitur. Hoc uero loco eam Fuliginem intelligit Dioscorides, quę in Vitrariis officinis ex siccis lignis flamma resolutis gignitur. Inuenitur etiam pinguis, lenta, & in nigras massas pici similes concreta Fuligo, maximè in rusticis ædibus, trabibus supra focum adhærens, quæ ex humidis lignis fit, & Germanis Rüß appellatur, acrimonia prædictam superans.

ATRAMENTVM LIBRARIVM. CAP. 183.

Omnibus notum est quo scribimus Atramentum. Hodie tamen alia ratione fit, quàm qua Dioscorides docet.

Finis Annotationum Valerii Cordi in Dioscoridem.

Hieronymo Heroldo Lipsensi, rei-
PVB. NORIMBERGENSIS MEDICO DO- ctissimo, experientissimoq́; CONRADVS GESNERVS medicus S. D.

De libris quatuor Valerij Cordi, quibus stirpes uarias, earumq́; partes describit. De adnotatiunculis adiectis, nominibus ab authore confictis, & eiconibus.



REMITTO humanitati tuæ nunc tandem clarissime HEROLDE, diligentissimi desideratissimiq́; VALERII CORDI tui, quatuor illos sanè egregios, quibus uarii plantarũ generis descriptiones accuratissimè persequitur, libros, quos cum tu superiori anno liberaliter mihi communicasses, utq́; publicæ utilitatis ergò typis excudi efficerem, hortatus esses: ego mox reliquos etiam eiusdem authoris libros inquirere cœpi, ut pleraque eius scripta uno uolumine concluderentur. In ea cogitatione dum uersor, commodùm & insperatò mihi à præstantissimo medico Ioanne Placotomo, libri aliquot Cordi offeruntur: inter quos iidem quoq́; De stirpibus libri erant, iiq́; ipsius authoris manu, sed prima festinataq́; perscripti: ita ut quædam, nisi apographo tuo adhibito, legi non facile à quouis potuissent. Videtur autem circa annum à nato Domino quadringentesimum supra mille quingentos hæc condidisse. Opus quidem cum aliàs imperfectum apparet, tum lacunis alicubi relictis (pro quibus nos asteriscos inseruimus) dissitum & hiulcum: quarum tamen pleræq́; ab harum rerũ studiosis obseruatoribus poterunt aliquando suppleri. Ipse, si vixisset, emendaturus pleraq́;, ac suppleturus, si licuisset, erat. Ego qualecunq́; est, publica luce dignum iudicaui, non minus (in suo quidem genere) quàm olim Aeneidem Augustus. Parcent igitur operi posthumo ambitiosi homines, & cornicum oculos configere soliti, qui ut aliquid esse uideantur, nodum uel in scirpo quærunt: et reprehendendis hisce libris, quibus extremam manum imponere authori non permisere fata, abstinebunt. Sed mihi quoq́; uitio non uertent, si quædam emendanda fortè prę teriui. non meum enim hunc fœtum, sed alienũ edo: in quo ingenium meum ostentare non libebat, neque vacabat, sed ne decuisset quidem opinor. Adnotatiunculas illas breuissimas, quæ ad margines paginarum, uel ad principia aut fines capitum leguntur, plerasq́; ut reperi, partim in autographo Cordi, non ab ipso, sed docto quodam uiro eiusq́; nominis studioso (pro suo in singulis iudicio, præsertim circa Germanica nomina:) partim in alio exemplari, similiter ab erudito quodam adscriptas, reliqui. De meo pauca quædam sparsim addidi, nec ulla separaui nota. Quod ad stirpium aliquot nomina à Cordo conficta attinet, ubi uetera Græca Latináue non reperiebat, monui ubique Lectorem, ne quis imperitior quam ut antiqua à nouis discernere ualeat, intricaretur. Finxit autem pleraq́; omnia aptè, & ita ut rerum quæ nominantur naturis perpulchrè congruant. eiusmodi quidem nomina rebus indere, ubi antiqua desunt aut ignorantur, hominem philosophum & qui rerum naturas calleat, maximè decet. Horum pauca quædam, in quibus Græcæ linguæ proprietas & anologia non satis obseruatur, suis locis notauimus, ita ut quomodo aptius formari possint, indicaremus. Eicones stirpium, ut nouit præstantia tua, nullę ab eo expressæ fuerũt: quas ego passim addendas curaui, ut hoc etiam ornamentum libris eius accederet. idque eò libentius feci, quoniam Iosias Rihelius (Argentinensis typographus, de bonis literis præclarè meritus, & inter alias optimi parentis Vuendelini uirtutes huius etiam laudis hęres, quòd multos subinde egregios diuersis in linguis codices suis prælis excudat) qui typis suis impri-

Adnotatiunculæ.

Nomina stirpium.

Eicones.

mendum hoc uolumen ſuſceperat, permultas iam prius imagines ſculptas in prom
ptu habebat, quibus in publicandis De natura ſtirpium eruditis et copioſis illis Hie
ronymi Tragi commentariis, Germanica Latináq; lingua, Vuendelinus pater uſus
eſt. Subiui igitur non inuitus hunc laborem, ut quæ nam in Tragi libris propoſitæ
eicones, quibus à Cordo deſcriptis plantis congruerent, inquirerem & notarem:
quod in nonnullis præſtare ſatis difficile erat, ubi ſcilicet res una nominibus longè
diuerſis ab utroque deſcribitur. His autem, quæ ex Tragi opere deſumptæ ſunt
imaginibus, Tragi nomen, unà cum libri, capitis, paginęq; numero adſcribere uo
lui: quo uidelicet ita nõ ſolum appareat, unda petita ſit pictura: uerumetiam ſi quis
plura de eadem ſtirpe cognoſcere cupiat, mox inueniat locum. Porrò præter has ei
cones, adieci nonnullas ex aliorum, qui hodie imaginibus ſtirpium inſignes extant,
libris. deniq; de meo ſtirpium pictarum theſauro, deq; ijs, quarũ Io. Kentmannus
illuſtris medicus Torgæ apud Miſenos candidiſsimè me participem fecit, multis ſa
nè et raris, pleraſque reliquas addidi: idque adeò nõ minus libenter et iucundè per-
feci, quàm ſi uiuenti ipſi Cordo (cuius etiam memoriam colo) impartiri eas mihi li
cuiſſet. Sacchari arundinis effigiem è Coſmographia Munſteri mutuatus ſum.
Quòd ſi ex his picturis aliquæ non admodum accuratæ aut elegantes uidebuntur,
Lectorem tamen pleræq; omnes, ut ad rerum ignotarum cognitionem facilius per-
ueniat, promouebunt. Quòd uerò nonnullis Cordi deſcriptionibus eicones nullæ
adiectæ ſint, cauſa eſt, quoniam ſtirpes aliquæ (quamuis notæ mihi) hoc tempore
haberi non potuerunt. uel quia aliquæ, ut nihil diſsimulem, adhuc mihi incognitæ
ſunt, aut eſſe uidentur. Forte enim aliquas earum noui, non tamen ex iſtis tum no-
minibus tum deſcriptionibus ſtatim agnoſcere potui. alicubi etiam picturæ quæ-
dam minimè neceſſariæ mihi uiſæ ſunt, ut ubi proximè alia eiuſdem generis & per
omnia ferè ſimilis proponitur pictura. Quare cum Nigellæ effigiem poſuerim, illi-
us quam Damaſcenam cognominant, omiſi. Hoc certè quantum in me fuit per-
ficere ſtudui, ut Cordi lucubrationes hactenus ſuppreſſæ, quibus medicamento-
rum ſimplicium natura illuſtratur, in publicum uſum ac lucem tanquam è tenebris
productæ ſimul alijs prodeſſent, ſimul ſui conditoris nomen celebrarent: & inter
Germanos qui editis noſtra memoria libris rem herbariã excoluerunt, (ut ſunt prę
cipuè Otho Brũfelſius, Leonhartus Fuchſius, Hieronymus Tragus, Adamus Lo-
nicerus: et nuper uno alteroq; libello etiam Antonius Schneebergerus ciuis meus,
qui nũc Vilnę in Polonia medẽdi artẽ egregie exercet, Valerius Cordus quoq; me
ritò neq; poſtremo loco, nominaretur. Et quoniã tibi inprimis doctiſſime Herolde,
Cordi exiſtimationem ac famam curæ eſſe ſciebam, tum hanc ob cauſam: tum quia
æquum erat, & gratitudinis officium poſtulabat, ut à te primo communicati mihi
huius authoris libri, ad te quoq; primum redirent, in tuo tanquam optimi patroni
nomine eos apparere uolui. Remitto igitur tibi ſortem tuam cum uſura ferè pari,
nempe alijs Cordi libris, & in eos quos tu miſeras eiconibus scholijsq; adiunctis.
Spero autem te diligentiam meam, non quidem ſummam aut exquiſitam, ſed quan
tam hoc tempore præſtare mihi licebat, boni conſulturum: & ſi quid inciderit tibi
per otium ad hęc legenda diuertenti, quod emendandum exiſtimes: aut ſi addenda
aliqua eicon communicari abs te queat, id omnino facturum, quod ego de humani-
tate tua mihi polliceor: & quod præcipuum eſt Cordi noſtri famam honeſtare, &
Geſnerum tuum amare perpetuò dignaturum. Vale. Tiguri. VII. Cal. Decem-
bris. Anno M. D. LIX.

VALERII

VALERII CORDI SImesusij, Historiæ plantarum, liber I. qui est de herbis diuersis.

Prouida quas hominum causa natura creauit,
Pulchrius est rerum cognitione nihil.

DE RORELLA SIVE SALSIRORA, [*quæ ab alijs Ros Solis dicitur.*] CAP. I.





FOLIOLA habet minima, septem uel octo numero, plura interdum, & interdum pauciora, longis et rubentibus pediculis in orbem per terram sparsa, leniter plerúmque, qua cœlum spectant, concaua & hirsuta, ceu rubenti capillo uestita, eoq; in medio breuiori, in ambitu uerò longiori: siccissimis etiam temporibus ceu roris minutissimas guttas et aspergines habentia: sapore acri. nitent & glabra omnino sunt ex inferiore parte foliola, habentq; tota minimi cochlearis figuram: è medio uerò foliorum coliculus exit dodrante breuior, gracilis, rubescens, & sine ramulis, in summo paruos & pallidos flosculos sustinens. radiculas habet paucas, breues, & capilli modo tenuissimas. Nascitur uliginosis & palustribus arenis. Habent folia, caules, & flosculi, acerbum, leniter acetosum & modicè acrem saporem.

DE LIMNESIO SIVE CENTAVRIDE, [*quæ uulgo Gratiola dicitur.*] CAP. II.

CAVLES ab uno radicis cespite multos erigit, teretes & dodrantem altos, interdum uero altiores: in quibus folia centaurio minori, hyperico, uel ascyro similia, longiora tamen, & ad hyssopi foliorum longitudinem accedentia, leniter per ambitum incisa, quatuor uersibus usq; ad summum cacumen nascuntur. in quorum alis flores singulos oblongos, inferius ubi pediculo iunguntur, subflauos, cætera candidos, & quatuor foliolis constantes producit: quorum inferiora tria clausa & contracta plerumq; sunt, superius uero expansum ac sursum reflexum. quibus singulis singuli succedunt fructus, anagallidis fructui magnitudine æquales, sed oblongiores, & in turbinem desinentes, semina minima intra se claudentes. Radices candidas trãsuersas & multas in terra spargit, gramini similes, crassiores tamen & crebrius geniculatas: à quibus plurimę hellebori modo descendunt fibræ. saporem habet tota herba ualdè amarum, ac omnino nihil (quod sensu percipi possit) adstrin



gentem. purgat egregiè bilem & pituitam, nihil interanea lædens: quoniam horribili isto ac ingrato odore, quo cætera purgantia medicamenta prędita sunt, caret.


DE SAGITTA SIVE SAGITTALI, [*Sagittam inter uluas appellamus, quam Mago dicit Pistanam à Græcis appellari, &c. Plinius lib.21.cap.17.*] CAP. III.

SAGITTA pediculos habet triquetros, intus raros & spongiosos, bicubitales, interdum longiores, breuioréſq;, secundum lacuum in quibus nascitur altitudinem. iis in summo triplici acumine folia alatæ sagittæ modo pręfixa sunt: inter quæ caulis erumpit foliorum pediculis altitudine ferè æqualis, & ipse rarus, spongiosus, rectus, & læuore insignis, in quo per interualla terni plerumq; candidi et tribus foliolis constantes contrariis pediculis nascuntur flores: quibus punicea intus sunt stamina, floribus subnascuntur hirsutæ et castaneę magnitudine pilulæ: quarũ exterior pars tota copioso, plano, & tenui semine constat: in medio uerò globulus rotundus est, cui annectitur semen. radices habet multas, hellebori fibris similes, colore pallidas. Nascitur in lacubus & stagnantibus undis.

* *Telum Iouis in Albi.*

De

Sagitta.



Bistorta. Trag. l. 105. pag. 321.



DE BISTORTA. CAP. IIII.

BISTORTA in triquetris pediculis folia circa radicem profert, rumici ęqualia, acutiora tantum, superius uiridi, inferius candido ad cinericeum inclinante colore: è basi in utroq; pediculi latere deorsum fastigiata, & sinuosa: inter quæ caules assurgunt solidi, geniculati, & bicubitali ferè longitudine: quem singula ex geniculis prodeuntia ac sursum nascentia folia amplectuntur, inferioribus multo minora: ii in summo minutos, candidos, & modicè purpurascentes flores in spica dispositos ferunt: quibus triquetra, similia lapathi seminibus, sed maiora semina succedũt. radicem habet pollice crassiorem ceu geniculis distinctam, bis in sinum detortam ac inflexam: cui foris est nigricans, intus uerò in candido rubescens color. Adstringũt gustata, radix, et semen. folia præterquam quòd paululum etiam adstringunt, lubrica & glutinosa gustu percipiuntur. Nascitur pinguibus & lutosis pratis, nonnunquam etiam in syluis antiquis.

DE CARDVO SPHAEROCEPHALO, [*Spinam albam in Italia quidam hodie uocant. quærendũ an Echinopus ueterum sit.*] CAP. V.

SPHAERO Cephalus Carduus multa ab una radice folia mittit, pedali & aliquando maiore longitudine, latitudine pedis dimidii utrinq; aliquoties profun



dis & ſpinam ferè cõtingentibus inciſuris diuiſa, per ambitum breuibus nec adeò infeſtis aculeis armata, ſuperius uiridia, inferius candicante lanugine obducta. Caules poſthæc ab una radice duos aut tres, interdum etiam plures erigit, altitudine duorũ triúmue cubitorum, ſolidos robuſtóſque intus ceu ſambuci medullam habẽtes, rubente & tactu glutinoſa lanugine ueſtitos, quæ digitis ad caules confricata odorẽ aliquem remittit. Caulibus folia (prius deſcriptis, ſimilia) per interualla adnaſcuntur, minora quo ſummitati propiora: è quorum alis circa ſuperiorem caulium partem ramuli oriuntur, pilę magnitudine, rotunda, hirſuta & aculeata capitula ferentes. Flores undiq; ex ſingulis capitulorum aculeis ſinguli naſcuntur, colore candidi (aut ferruginei) quinq; oblongis & ualdè exiguis foliolis conſtantes. Habent etiam ſinguli (cum aperiuntur) flores ſingula cœrulea ſtamina: quorum deinde ſummitates in duos paruos et reflexos apices finduntur. Flores ex ſuperiore capitulorum parte prius erumpunt. Vltimo autem inferius ubi ramulis iunguntur, quapropter particulatim & inęqualiter enaſcuntur flores. qui ubi defluxerint in aculeis foramina relinquunt, quibus ſemina oblonga, candida, hirſuta & aſpera lana ceu amianto obducta, includuntur. Radicem habet longam, craſſam, & intus omnino lignoſam. Folia & ſemina ſapore leniter amara ſunt. Naſcitur ſaxoſis & fluuiis imminentibus collibus.

* *Crocodilium uidetur.*

DE SENA. CAP. VI.

SENA caulem erigit cubitali altitudine paucis ramis fruticoſum, foliis in ſingulis pediculis utrinq; tribus uel quatuor binis ſemper per interualla ex contrario & rubente annexu erumpentibus, Portulacę foliis figura ſimilibus. In ſupremo pediculo nullo inter utrumq; ordinem intercedente, quod (ut in reliquis ſiliquis ferentibus herbis fit) parem numerum turbet. Ex pediculorum alis (in quibus folia naſcuntur) alii indiuidui & ſinguares prodeunt ramuli, circa quos ex interuallo diſpoſiti ſunt lutei & palleſcentes flores, quinq; foliis in concauitatem aliquam reflexis,

constantes, eiusdem coloris stamina habentes, è quorum medio sursum incuruatum corniculum prominet, quod paulatim in latam, planam & compactam excrescit siliquam, sex uel septem cordis figura, & nigrescente colore semina intra se claudentē. radice nititur oblonga, tenui, lignosa et inutili. odore ingrato tota herba sentitur, ut Cynoglossa & punicę folia. flori stamina prius, deinde folia decidunt. Radice nititur tenui flauescente & inutili. Aestiua est herba.

Sena. T.3.9.p.964. Piperitis. Trag.2.148 p.928.



DE PIPERITIDE SIVE SILIQVASTRO. Peruniano, [Capsico fortè aut Cardamomo Arabico, cognata planta.] CAP. VII.

PIPERITIS caulem erigit cubitalem, minimi digiti crassitudine, in angulos striatum & circa foliorum ramorumq; eruptiones in purpureo colore nigricantem, intus seu sambuci medulla farctum. in summo in duos seu tres ramos similiter striatos diuisum, qui rursus in minores diuiduntur. oblongis foliis constat, in posteriori parte trium plerunq; & quatuor digitorum latitudine, in mucronem fastigiatis, quo fit ut mediam habeant lauri & solani foliorum similitudinem. flores ex alis ramulorum erumpunt candidi, quinq; aut sex foliis stellæ modo dispositis. constantes paucis in medio staminibus, quibus amissis ex caliculis teretia & sine commissuris succrescunt ceu siliquæ, uascula longitudine digitali, latitudine uero pollicari (& interdum latiore) sensim in turbinem seu mucronem desinentia, principio uiridia.

cum autem maturuerint ruffa aut punicea, nitentia & deorsum, ut flores ipsi pendentia. quæ cultello in longitudinem aperta plurima in flauo candida, compressa & Lenti similia semina sed tenuiora ostendunt membranæ crassæ ceu callo per media uascula transeunti adnata. constant intus uascula & calli pingui & succosa substantia quæ uetustate in puluerem resoluitur. Radicibus nititur numerosis, tenuibus, & in minimas fibras diuisis: seritur fictilibus uasculis. radices, caulis, folia & flores nullam fatu dignam saporis qualitatem habent. uascula uero cũ seminibus & quod carnosum in medio est acerrimo sapore linguam uellicant, & odorata sentiuntur. Aestiua est herba.

DE BALSAMELLA, [*Balsamine peregrina, quam Fuchsius alteram facit, Dodoneus fœminam. Itali (inquit) Balsaminum genere neutro uocant, & à Balsamina seu Charantia distinguunt.*] CAP. VIII.



BALSAMELLA caulem cubito altiorem à radice mittit, rubentem inferius circa terram, qua manum implere possit crassitudine, superius minimo digito multò graciliorem, cui ab inferiori parte usque ad summitatem undiq; cubitum longi, crassi & recti adnascuntur rami: ex his duo circa terram contrario sibi opponuntur exortu. caulis & rami lęuorẽ habent, & pingui, carnosa, succosaq; cõstant substãtia ut portulacæ caules, sed multo robustiores sunt. pinguia et mollia totam herbam uestiunt folia tenui foliæ lauri foliis similia leniter per ambitum serrata. in utroq; pediculorum latere paruas & ruffas excrescentias habentia. è quorũ alis in ruffo purpurei flores erũpunt purpureis uiolis non dissimiles, sed multo maiores (nullis in medio staminibus præter unum capitulum seminum ferendi causa enascens) à tergo breuem apicem & incuruam caudam ferentes. quamuis in anteriore etiam parte longiorem apicem gerant. ex singulis floribus singula hirsuta prodeunt capitula, magnitudine cynosbati, in quibus milio ęqualia sunt semina, colore nigra et aliquantulum aspera. Radicibus nititur numerosis, tenuibus, pinguibus & succosis ab eraso caulis trunco descendentibus. Aestiua est herba.

* *Balsamina Amygdaloides.*

A

De

DE DORYCNIO, [*Ego neq; Dorycnium puto, neq; Solanis cognatum, etsi quidam Halicaccabum peregrinum nominant.*] CAP. IX.

T.2.229.p.897.




DORYCNIVM ex breui caulis trunco plures singulares & striatas emittit iunceæ gracilitatis uiticulas, duorũ plerumq; cubitorum altitudine, tenuia affixa uirgulta ascendẽtes. è quibus per interualla striati pediculi, tria folia apio similia ferentes prodeunt, & quodlibet eorum in tres partes per ambitũ profundius incisas diuiditur. hæc quo summitati propinquiora fuerint eo minora etiã sunt. ex foliorũ alis singuli exeunt pediculi, longitudine digitali, gracilitate sua mediocri filo equales, in extremitate duobus breuibus & retroflexis capreolis contrario annexu sibi ipsis oppositis. uirgultorum alas ac furculas apprehendẽtes, quo melius uiticulæ ea ascendere et imbecillitati suę cõsulere possint. in fine pediculorũ ante capreolos fert flores candidos, paruos, exiguis intus luteo colore staminibus, quorum magna pars caduca apud nos est: qui uero abortiui non ceciderint, sed remanserint, è medio triquetros dẽsos et aëre inflatos emittunt folliculos, magnitudine halicaccabi uesicis ęquales, tenui admodum membrana constantes principio. Viride mox in ruffo pallescente intus tribus mẽbranulis à medio ad angulorum interualla usq; transeuntibus in tres camerulas interseptos. qui interdum non tribus tantum, sed quatuor constant angulis, uerũ hæc non est propria eorum, sed monstrosa forma ex superabundanti in ea parte nutrimentali humore causam et originẽ habens. singulis camerulis ubi in medio folliculo coniunguntur, singula semina innascuntur magnitudine parui pisi, figura rotunda, colore nigra ab una parte, nempe in annexu cãdidam & satis magnam maculam habentia, figura quadam tenus azari folium uel latiusculum cor imitãtem, unde etiam ipsa semina grana cordis appellantur, ea foris dura sunt, intus uero candidum & inflexo septo distinctum nucleum complectuntur, sapore dulcem, radicem habet digitali crassitudine, multis fibratam cirris. Aestiua est herba.

DE ANBLATO, [*Germanicè dicto: id est, Aphyllo, quod folijs careat. Orobanchen aliqui putant, non tamen ea, sed ei similis superficie herba est. nos aliquando Plinij Aegolethron esse putauimus.*] CAP. X.

ANBLATVM primo uere coliculum profert longitudine dodrantalem, minimo digito graciliorem, tenerum & succosum. à cuius medio quatuor florum ordines usq; ad summitatem enascuntur. & omnes antrorsum spectantes, flores in ruffo candicant, foris hirsuti & à tergo foliolis ceu squamis eiusdem coloris operti sunt: è quibus parua & acuminata prodeunt uascula plena seminibus paruis,

hyoscyami seminibus similibus, uascula maturo semine in duas partes se aperiunt. radicibus nititur multis crassis, succosisq́ʒ, squamarũ modo sibi ipsis superiacẽtibus & hyeme non pereuntibus. caret herba hæc foliis. nascitur putri et umbroso solo in syluis aut secus eas. saporem habet in acerbo leniter amarum, adiuncta pauca partium tenuitate.

Anblatum.



Helianthemum. T.1.73.p.221.



DE HELIANTHEMO, *id est*, Sonnenblůme. [*Est hæc, ni fallor, immerito Hyssopus syluestris dicta à Trago, cuius eiconem etiam posuimus*, Heyden hyssop. CAP. XI.

HELIANTHEMVM coliculos producit graciles, lignosos & subhirsutos, in quibus folia sunt poligonii foliis similia, carnosa & leniter hirsuta, per quorum longitudinem singularis transit linea intus ceu cannale foliis impressa, foris uero eminens siue elata. coliculis flores lutei deinceps adnascuntur pentaphylli floribus similes forma & magnitudine, quibus singula succedunt oblongi erui magnitudine uascula, et in his papaueris quãtitate semina, colore. Radicibus nititur tenuibus & lignosis nullius usus. habent folia & flores dulcem lubricumque saporem. folia item confracta mox apte coniuncta ob succi lentorem rursus coalescunt. Nascitur asperis, siccis & apricis, tam campestribus quàm montanis locis.

* *Consolida aurea Chirurgis quibusdam.*

De

DE HYOSCYAMO PERVNIANO, [*Stramonia, uel Nuce Methel.*] CAP. XII.

T.2.128.p.896.



PERVNIANVS Hyoſcyamus, prima qua ſeritur æſtate caulē emittit uiridem, candicantibus punctis diſtinctū, craſſitudine ferè digitali, longitudine cubitali, in paucos ramos diuiſum. folia fert iuxta alas ſolani foliis ſimilia: multo tamē maiora, longitudine ſpitamæ. latitudine paulo anguſtiora, mollicie, odore et ſapore hyoſcyamum uulgarem referentia,* quamuis etiam coctorum piſorum aliquo modo odorem referant. iuxta quę uirides, concaui & oblongi calices ſunt, è quibus ſinguli prodeūt flores, colore candidi, inferius anguſti et ſtriati, ſuperius uerò cōplicati: poſtea ſe in calathi figuram explicantes, reſupinato undiq; labro: è cuius circumferentia quinq; plerumq; aut ſex erumpunt mollia acumina, paribus interuallis ab inuicem diſtantia, à quibus ſingulis ternę deſcendunt uſq; in imam florum partem, lineæ, colore in uiridi, candicantes intus & extra conſpicuæ, ſed intus concauæ, foris uero eminentes, flores triente ſunt longiores & ſuperius quatuor digitos lati: inferius uerò, qua ex caliculis prodeunt, unum tantum in mediis ipſis quina plerumq; ſunt aut ſena colore candido ſtamina, forma lilii ſtaminibus ſimilia. inter quę etiam claua ut in lilio apparet. in ſumma conuoluoli, id eſt, cyſſampeli florum imaginem referunt. hii toti decidunt. ima tantum caliculorum partibus relictis, è quibus ſingula naſcuntur rotunda & aculeata capitula, magnitudine iuglandis, & ſingulis eorum aculeis in flauo candidum durumq; ſubeſt ſemen magnitudine & figura ſenæ ſemini æquale. Radice nititur candida, digitali craſſitudine in fibras diſtracta, eáq; inutili. ſeritur in hortis magno ſtudio, ſed raròmatureſcit. Aeſtiua eſt herba.

imò Mandragoræ folia & radicem olent: etſi fortius

DE GINGIDIO *Syriaco olere. Icon hæc Gingidij à Dodonæo exhibetur. Biſacutum (inquit) Romani uocant, ut Dioſcorides ait: cuius nominis ueſtigium hac ætate Itali et Hiſpani ſeruantes, hanc herbam uulgò Biſniago appellitant. Naſcitur in Italia, in aruis frequens. utuntur coliculis eius ad dentium expurgationem. Brabantis raro uiſum.* CAP. XIII.

VMBELLIFERA & æſtiua herba Gingidium eſt, hiſce proximis annis ad nos primum in Germaniam allata. Prima æſtate qua ſeritur geniculatum emittit caulem, minimi digiti craſſitudine, cubito proceriorem, nigricantibus striatum lineis, multosq; ramulos ferentem. folia ſub geniculis exeunt, paſtinacæ ſatiuæ foliis ſimilia, tenuiora tamen, pluribusq; inciſa eruptionibus, ſingulæ ramulorum diuiſiones, umbellas, & in his candidos exiguóſq; floſculos ſuſtinent, Ammios uel



paſtinacæ umbel-
lis et floribus ſimi
les: quarum maxi
ma eſt, quæ à me-
dio producitur
caule, floribus ſuc
cedunt Ammio ſi
milia colore &
quãtitate ſemina.
ſub ipſis umbellis
foliola in orbẽ ſe
proferũt, inferiori
bus multo mino-
ra, tenuiora, acu-
minatioraq́ꝫ. Vm
bellæ ſemine ma-
turo claudũtur ut
ſylueſtris paſtina
cæ: tactuq́ꝫ gluti-
noſæ & pingues
ſunt, odore non
ingrato, qualem
ferè cera habet.
Radicem habet
ſylueſtri paſtina-
cæ ęqualem, colo
re candidam, in-
tus lignoſam, fo-
ris uerò carnoſi-
ore cortice con-
ſtantem: cuius ſa-
dam acrimoniam præ ſe fert. ſemina item Ammii ſaporem habẽt, por non iniucun-
amarioremq́ꝫ. folia deniqꝫ radice & ſemine mitiora ſunt, quamuis acriorẽ
addi poſſunt. & ob id oleribus aptius

DE MELONGENA, [*Malum inſanum aut Melanzanum uocant aliquì recentiores, Simeon Sethi fortè Mazinzanion.*] CAP. XIIII.

MELONgena, quam Itali corrupto nomine Melanzanam uocãt. Prima qua
ſeritur æſtate caulem erigit longitudine cubitali, craſſitudine minimi digiti,
ſolidum lignoſumq́ꝫ, in ramos inæquali ordine diuiſum, ex quibus alia prodeunt
adnata folia iuxta alas fert dodrante breuiora, quatuor digitorum latitudine, per
ambitum parum et inęqualiter ſinuoſa, in mucronem deſinentia aſpera & in confri
cãdo ſtrepentia, ſecus ea longos rubentesq́ꝫ pediculos & in his ſingulos aculeatos
calices, ex quibus ſinguli item naſcuntur flores in quinqꝫ acuminata & rugoſa foli-
ola, ſtellæ modo diuiſi, colore purpuraſcente, eſtqꝫ tota florum latitudo duorum fe
rè digitorum, in quorum medio quinqꝫ ſunt erecta, lutei coloris ſtamina in medio
eorum uno eminente apice, florum foliola poſtquam defluxerint ex calicibus ſin-
guli ſubnaſcũtur fructus anatis & interdum anſeris oui magnitudine, nonnunquã
oblongi & ouati, nonnunquam etiam rotundi, & interdum ſurſum recurui, colore
plerumqꝫ rubente, quamuis etiam flaui & candicantes inueniantur, intus rara,
lenta

lenta et fungosa carne constantes, apud nos serò maturescentes, in mediis fructibus sinuosæ quædam cauitates sunt, & in his semina copiosa figura lentis colore flauescente, minora tamen tenuioraq;. Radicibus nititur numerosis in minimas fibras ceu capillamenta diuisis. seritur à nobis ad spectaculum in hortis aut fictilibus. Arabes etiam in alimentis fructu utuntur, sed uitiosum gignit succum. saporem habet in dulci fatuum, pauca admixta amaritudine.

Melongena. T.2.127.p.894.



Scorodonia. T.1.4.p.15.



DE SCORODONIA (*id est,* Wildesalbey.) *syluestris.* [*Tragus Saluiam syluestrem uocat lib.2. cap.4.*] CAP. XV.

SCORODONIA caulem habet scordij modo quadrangulum, longitudine cubiti. & hirsutum, per interualla singula folia ex oppositis lateribus alternis uicibus proferentem, Betonicæ foliis similia: minora tamen, tenuiora, candidioraq;. è quorum alis supra medium caulem singuli nascuntur ramuli, & minora inferioribus folia. flores ex adnatorum & medii caulis uno latere erumpunt, hiantes & in candido pallidi, deinceps usq; ad summitatem dispositi, semina fert nigricantia quaterna, plerumq; in singulis florum caliculis chamædryos seminum quantitate. Radice nititur tenui, lignosa & paucis fibrata cirris, ideoq; inutili, & singulis annis intereunte. quotannis autem semine se propagat: est enim æstiua herba. Folia gustu

amara sunt, odore scordium & lupuli fructus imitantur. Nascitur editis incultis locis, inter arbusta, & syluis lucidioribus, solū amat aliquatenus arenosum uel alioquin asperum, non tamen omnino siccum.

* Windtleube. *Est scordium Montanum Odi.*

DE POLYACANTHA *cardui specie, fruticosus carduus est* [*Itali quidam Carduū stellatum uocant, à spinis stellatis: & aliqui, ni fallor, Calcatrippam: quod nomen Cordus lib. 2. cap. 140. Consolidæ regali uulgò quibusdam dicto adscribit. Polyacanthus Theophrasto alicubi inter acanacea numeratur, Gaza Aculeosam interpretatur, sed acanacea dicuntur, quorum & folia & conceptaculum florum spinosa sunt: id quod Polyacanthæ Cordi non conuenit.*] CAP. XVI.



POLYAcantha caulē habet gracilem in multas alas et adnata diuisum, easque nonnunquā humi undiq; prostratas, circa quē ab inferiore parte folia sunt dodrante breuiora utrinque, profundius usque ad spinam incisa, súntq; eorū diuisiões seu partes ferè minimi digiti longitudine, latitudine eiusdē, maioribus interuallis dispositę et molliter hirsutæ. capitula fert numerosa quinque aut sex gracilibus lōgis, acutissimis & flauescentibus aculeis septa, ex quibus purpurei prodeunt & capillacei flores: iis subsunt parua, oblonga & candicantia semina cum floribus in pappos resolutis auolantia, sub ipsis capitulis parua quædā foliola sunt, quæ singula inferiorum foliorum partes figura imitantur, leniter & ipsa hirsuta. Radicem habet digitali crassitudine, longitudine dodrantali candidāq;, per cuius medium lignosus à caule descendit neruus: ea gustu & odore uulgarium carduorum radices refert: folia uerò sapore amara sunt. Nascitur circa urbes, oppida & pagos, planis & campestribus locis, pręsertim in Rhenana regione.

* *Iconem è Dodonæi libris mutuati sumus, pictorum fortè incuria, non optimam: capitulum ex arida depictum, seorsim apposuimus.*

De Tana-

DE TANACETO PERVNIANO. CAP. XVII.

PERVNIANVM Tanacetum cuius flores alii Indianos charyophyllos, alii Indianas rosas uocant, paucos ante annos ad nos allatum est, sed uix summo studio & cultura ad maturitatem peruenit. Prima qua seritur æstate caulem emittit trium cubitorum altitudine, in ruffo nigricantem, & angulis striatum, à quo iuxta terrã bini alterno ordine seu positu resupinati & contrario exortu enascuntur rami, medio caule paulo breuiores. folia habet in singulis pediculis multa tanaceti foliis similia, undiq; per ambitum serrata, flores foliaceos in summis ramorum surculis ex oblongis uiridibus et angulosis caliculis profert pulcherrimos aspectu, media inter caryophylli calendulę et rosarum flores forma et magnitudine, quorum foliola inferius lutea sunt, intus uero in fuluo rubentia, et leniter holoserici modo hirsuta. in mediis floribus stamina sunt similiter lutea, semina in caliculis fert oblonga, nigra et tenuia, florum foliolis annexa. Radices subsunt tenuibus cirris fibratæ, quotannis intereuntes. folia trita ualde odorata sunt, flores uero imbecillem spirant odorem, gaudet assiduo sole & crebra rigatione.

* *Petilium aliqui suspicantur.*

DE ALTERO NIGRO HELLEBORO, *uel Helleborine maiore.* CAP. XVIII.

CAVLEM habet singularem minimi digiti crassitudine, dodrantali altitudine, propter foliorum quæ defluxerunt uestigia asperum, circa quem folia sunt nigri hellebori foliis similia, molliora tamen, candidioraq; : caulis superius in ramulos diuiditur, quos folia sine pediculo prioribus dissimilia uestiunt, duorum ferè digitorum latitudine in extremitate in quinq;, sex uel septem partes ceu digitos diuisa. quorum medio flores prodeunt lati & concaui, foris uirides, intus uero in uiridi candicantes, quibus singula succedunt nigellæ capitibus similia uascula, maiora tamen, & in his nigricantia semina tritico similia, sed multo minora. Radice nititur tenui, lignosa, foris nigra, paucis fibrata cirris, eaq; inutili. Olẽt folia grauiter quemadmodum sambucus, & amara gustu percipiuntur, quemadmodum ipsa etiam semina. Nascitur asperis, apricis calculosisq; montibus, plurimumq; in Sueuia Vuirtembergensi, iuxta Reutlingam & Messingam in Taurino monte.

* *Consiligo Columellæ.*

DE AIZOO *serrato,* [*quod folijs albicantibus & serratis in saxis montium prouenit,* Fisch3ung *aliqui uocant.*] CAP. XIX.

AIZOVM serratum circa radicem numerosa & crassa habet folia, maiori aizoo similia, multò tamen minora & undiq; minimis sursumq; uergentibus incisuris instar serræ incisa, aizoi maioris modo globum ueluti oculum constituentia. caulem erigit unum atq; alterum, gracilem, lõgitudine pedis, pauca & deinceps disposita foliola ferentem: in cuius cacumine flores sunt candicantes, minoris aizoi floribus similes : quibus succedunt minima semina. radicibus adhæret paucis, nigris, & tenuissimis. Adstringit tota herba, folia uerò efficacius. Nascitur altissimis calcariis petris, iisq; humido musco obductis: ut supra Reutlingam, auff der Almen, non longè à Nebulosa spelunca in Sueuia.

* *Aizoi serrati species duas appinximus: quarum ea, cui rariores sunt flores, eosdem punctis sanguineis distinctos habet.*



DE HELLEBORINE *tenui folia,* [*Matthiolus hanc Conſiliginem eſſe ſuſpicatur, ſed uera Conſiligo deſcripta eſt ſuperius, ſecundo ante hoc capite.*] CAP. XX.

COLICVLOS ab uno radicis capite plures erigit teneros, teretes, longitudine dodrantali: circa quos folia ſunt abrotono aut Chamemelo ſimilia, in ſummis coliculis colicorumq́ indiuiduis: adnatis ueris principio ſinguli ſunt ſtellati flores: quorum hæc eſt forma, in medio paruum eminet capitulum flauum aſperumq́, per ambitum numeroſis & luteis ſtaminibus circumuallatum, è quorum annexu floris foliolia enaſcuntur undique in orbem radiorum modo diſpoſita, unciæ longitudine, latitudine uerò quarta unciæ non excedentia, colore lutea & ut puriſſimum aurum ſplendentia, à tergo alia & minora ſunt foliola, colore nigricante, quibus nondum apertus flos continebatur. Radices habet numeroſas, nigras, graciles, hellebori nigro ſimiles ſapore amaro. Naſcitur montanis aſperisq́ locis.

* *Eſt Seſamoides noſtrum minus.*

Helleborinum. T.1.135.p.406.



Epimedium. T.1.177.p.518.



DE TRINITATE, *id est, Epimedio. [Germani aliqui Hepaticam nobilem, uel auream nominant.]* CAP. XXI.

FOLIA asaro æqualia similiaq; habet, sed in tres partes diuisa, unde nomen inuenit, superius uiridia, inferius rubentia, asari instar, contra hyemem contumacia. è quorum medio primo uere dodrante breuiores prodeunt graciles teretésq; coliculi, & in singulis singuli flores, magnitudine & colore purpureis uiolis similes, sex paruis foliolis constantes, in medio paruum est capitulum, paucis & exiguis staminibus circumdatum. Radices subsunt graciles, numerosæ nigræq;, in diuersa tendentes. Nascitur umbrosis syluis.

* *Anthera.*

DE BECHIO, [*id est, Tussilagine.*] CAP. XXII.

BECHION primo uere singulares, molles, hirsutos, dodrantalesq; emittit coliculos, oblongis squamis ceu foliolis deinceps uestitos, in quorum summitate singuli sunt flores in orbem circumacti, luteis et capillatis foliolis constantes in medio eiusdem coloris stamina sunt, minimis liliis similia partimq; reflexa.

Bechion. T.1.139.p.408.



Anchusa. Trag.1.77.p.234.



DE ANCHVSA *minima.* [*Eadem autem cognatissima uidetur, quam Tragus syluestris Buglossæ nomine describit lib.1.cap.77.*] CAP. XXIII.

MINIMA anchusa primo uere caule assurgit gracili, anguloso, solido & hirsuto, foliolis oblongis hirsutisq; uestito, inferius minimi digiti ferè longitudine, in summitate uerò multò minora. diuiditur caulis in pedales ramulos, in quibus per interualla exigui & singuli flores minimis foliolis obsidentur, quibus quaterna plerumq; succedunt semina, colore nigro, forma & quantitate echii seminibus æqualia. floret particulatim, ita ut in summis ramulis tantum flores conspiciantur. Radicem habet longam & gracilem, foris sanguineo colore tinctam, & tingentem, maximè sole taurum occupante. deinde æstate arescente herba, ipsa quoq; nigrescit & moritur, qualitatibus echio & aliis anhusis respondet. nascitur in aggeribus & aruis.

DE LITHOSPERMO. CAP. XXIIII.

LITHOspermon ab una radice plurimis assurgit cubitalibus aut maioribus caulibus, iunceis, teretibus, asperis & solidis, digiti minimi longitudine et latitudine, foliis utrinq; acuminatis et asperis uestitis, superius in copiosos ramulos diffusis. in quibus breui interuallo utrinque folia sunt inferioribus breuiora, in exortu non coniuncta, se alternatim oppositorum spaciis contraria. secus

quæ

quæ singuli sunt, breuesq; pediculi in quinq; minima foliola diuisi, & in horum me dio terna plerumque aut bina & singula semina milii quantitate, modicè superius turbinata, colore in candido cæsia, splendida & dura, intus minimum nucleolum ha bentia. floret particulatim in summitate tantum conspicuis floribus, paruis candidisq;, similibus et equalibus minime anchusæ, sed diutius floret usq; in autumnum. Radice nititur digitali crassitudine, longitudine pedali, in partes distracta foris, initio ueris usque ad solstitium, ferè anchusæ modo, cruento et roseo succo tincta, intus autem cãdidam quæ singulis annis nouos emittit caules, eoq; plures quo annosior fiat. donec deinde nimia radicum copia & senio suffocetur, qualitatibus & temperamento Anchusis & Echio æquipollet. ad illorum itaq; genus referendum est, quod ueteres non animaduerterunt.

Lithospermon. T.1.183.p.536.



Filipendula. T.2.122.p.883.



DE FILIPENDVLA, [aliqui Oenanthen Dioscoridis faciunt.] CAP. XXV.

FILIPENDula multos dodrantales à radicis capite coliculos emittit, admodũ graciles, utrinq; ex interuallo breui semuncia longioribus & serratis foliis alatos, sine peciolo, pediculo adnatis, in summis pediculis unum folium ueluti in tria diuiditur, ita ut duo ad utrumq; latus inclinet, medium uerò rectà promineat. omnibus autem foliorum interuallis ueluti paruula foliorum rudimenta immixta sunt.

Caulem emittit singularem, cubitalem aut interdum maiorem iunceę gracilitatis: teretem, solidum, modicè rubentem & minimè profundè striatum geniculis, longo interuallo præcinctum. è geniculis singula prodeunt folia prædictis similia, sed iuxta exortum latiusculis duabus laciniis utrinq; caulem amplectentia. flores medio uere in summis profert caulibus corymbi figura aceruatos antequam aperiantur in ruffo candicantes. totus deinde corymbus in plures graciles & inæquli longitudine surculos diuiditur, floribus paruis, cādidis et septē plerumq; foliolis compositis plenos, multis in medio capillatis staminibus, dilabētibus florum foliolis semen remanet paruum, oblongū, gracile, copiosum et capitulum constituens ueluti * Medesusii semen, non tamē inuolutum. in omnibus surculorum maioribus sinibus et euidentioribus furcis singularis est flos, & postea seminibus constans capitulum sine pediculo fatu digno alarum cauis annexum. Radicem habet superius in superficie terræ minimi digiti crassitudine, oblongam, à qua undiq; exeunt graciles teretesque fibræ, in extremitate singulis plerumq; ueluti caudatis glandibus, substantia carnosis capitate omnibus in uniuersum radicibus. foris niger est color, intus uerò in candido modicè ruffus. tota herba diuersis constat qualitatibus, partim enim adstringit, partim tenuem quendam saporem & ueluti uinosum palato imprimit, caput & olfactum odore etiam cum gustatur tentantem. flores inter optimum mel & uinum & pęoniam medium habent odorem, estq; hic non iniucundus, omninoq; similis Medesusii floribus, cui tota etiam ęqualis est temperamento. Nascitur in pratis, campis & herbosis locis, nonnunquam etiam frutetosis.

Id est, argentillæ maioris quæ et krampffwurtzel dicitur.

Tormentilla. T. 1. 171. p. 502.



DE TORMENTILLA, *id est, Pentaphyllo recto.* CAP. XXVI.

TORMENTILLA, graciles dodrantalesq; à radice emittit coliculos, breui interuallo, quinis, senis aut septenis foliis uestitos pētapyllo similibus, multo tamen minoribus. in summis coliculis lutei flores sunt, & semina pentaphyllo similia, minores tantum. Radice nititur crassa, oblonga, tuberosa, intorta capillamentis, et fibris uillosa, foris nigricante, intus ruffa et carnosa, quæ efficacissimè cum quadam tenuium uirium participatione adstringit. Nascitur aliquo modo uliginosis, macris, & herbosis locis, tam editis quàm planis, nonnunquam etiā in altissimis sed humentibus montibus.

DE FRAXINELLA, [*cuius radice uulgò hactenus pharmacopolæ nostri pro Dictamno abusi sunt.*] CAP. XXVII.

FRAXINELLA caules erigit longiores cubito, teretes, uirides, inferius glabros, superius leniter asperos & rubentes, in nullos ramulos diuisos, à quibus folia exeunt positu & figura fraxino similia. (unde nomen inuenit) nam bina, ex interuallo contrario exortu, longo intusq; canaliculato pediculo enascuntur, uno inter utrumq;


ordi-

Fraxinella.T.1.7.p.27.

ordinem recta prominente, supra medium caulis (ubi folia desinunt) inæquali interuallo, egregiæ figuræ flores exeunt sole geminos occupante, quinque reflexis foliis compositi, uncia multo longiora, semuncia uero perquam raro latiora, & utrinque in mucronem fastigiata. sursum reflexis cacuminibus, unico inferiore deorsum se reflectente excepto. singula in candido modicè rubent, & sanguineis uenis distincta sunt, stamina ex mediis floribus nouena plerumq; exeruntur resupinata , in quorum medio capitulum est paruum, hirsutum & purpureum, in extremitate sua apicem habens. sole deinde à geminis ad cancrum transeunte primum florum folia, deinde etiam stamina decidunt, capitulo tantum medio remanente, quod in quinquepartitum, hirsutum & rubens excrescit folliculum, superius latiusculum, inferius autem tenuius, duplici cortice constans: exteriore carnoso, sed interiore cartilagineo, quod in maturitate sua apertis angulorum summitatibus nigra & splendentia semina una cum emicanti cartilagineo pericarpio eiaculatur figura lithospermi, sed multo maiora, candida, breuiq; linea (qua adhærebant parte) notata Radices ab uno principio sex, septem aut plures (secundum ætatem) in superficie terræ transuersas spargit pede longiores, digito plerumq; graciliores, candidas, carnosasq;, per longitudinem lignoso, lento & exemptu facili transeunte neruo, qui quoniam inutilis abiicitur. habent folia ruthæ saporem & odorem, superior uerò caulis pars cum floribus multum grauissimumq;, nec tamen iniucũdum odorem spirat. Radicibus acris, & amarus est sapor adiuncta euidenti partium tenuitate, qua diu palatum detinet. odorem uerò spirat, ueluti si quis dauci radicem, syluestris pastinacæ semen & piper commisceat. Nascitur editis montanis, & frutetosis locis, solum amat lutosum saxosumq;, minimeq; arenosum.

DE DRACVNCVLO *palustri*, [*Aliqui Arum palustre uocant, Fuchsius Dracunculum Plinij tertium.*] CAP. XXVIII.

DRACVNCVLVS Palustris coliculos spargit pedales minimi digiti crassitudine, uirides & glabros geniculatos. ex geniculis fibratas candidasq; radices fundentes intus raros, fungosos latioribusq; & contiguis foraminibus in longitudinem porosos: in articulis rotũda, lataq; folia proferentes, aceruatim in tenuem mucronem desinentia, iuxta pediculum sinuata glabra, & inferius nitida. horum pediculi longis foliolis ueluti tunicis inuoluti sunt, quæ primum ipsos pediculos uestiunt & amplectuntur, in uniuersum autem hæderaceorum figuram exprimunt, nisi multo maiora & speciosiora essent. à medio cespitis capite alius erigitur pediculus singularis, plerumq; longitudine dodrantalis, digito paulo gracilior, te-



res, glaber, nitidus, prioribus concolor & similiter æqualis, porosus. in cuius summo paruum oblongúmque est capitulum, breuibus candidisque staminibus circumdatum, quod paulatim in racemum excrescit iuglandis quantitate, per ęstatem uiridem, autumno demum ruffescentem, substantia fungosum, cuius aci ni seu potius folliculi semina in se claudunt parua, oblonga, & fusca muscerdis minora, cõgelato aut ueluti coagulato pellucidoque humore, cristalloidi oculorum humori simile circumfusa. Racemo adnatum est singulare folium prædictis multo minus & acuminatius, intus qua racemum respicit candidum. Radicẽ habet cubito plerumque multo longiorem, crassitudine ferè digitali, crebro geniculatam, æqualibus teretibus, glabris & porosis internodiis. iuxta caput radicis è superioribus geniculis graciles, longæ, candidæ, copiosæque descendunt fibræ. gustu tota herba aro similis est, primum enim fatuo occurrit sapore, mox adeo uellicat linguam ueluti spinarum aculeis assiduo perforetur. Nascitur uliginosis palustribúsque locis, & in ipsis paludibus ac pigris camporum riuulis, interim modicam adnascentium Alnorum umbram amat. solo macro & putrido maximè gignitur, pingui uerò & lutoso nondum mihi uisa est nasci. diuturna est herba.

DE PENTAPHYLLO *palustri.* CAP. XXIX.

PENTAphyllon palustre uiticulas per terram spargit longas, graciles & angulis striatas, in quibus ramuli & folia pentaphyllo similia et æqualia sunt, quinque aut septem numero, inferius in cinereo candicantia, superius uerò uiridia. flores in medio uere & postea profert foliatos, in quinque aut sex folia diuisos, colore ferè purpureos eiusdem coloris staminibus in medio paruum capitulum cingentibus, quod paulatim in fructum rubẽtem excrescit: quantitate, figura et colore nondum rubentis fragi, nullo intus succo. radicibus nititur longis, tenuibus, nigricantibus et in geniculis fibratis, adstringit tota herba, præsertim fructus. Nascitur uliginosis, putridis & macris pratis. herba est diuturna.

* *Heptaphyllon Plinij fragiferum.*

Pentaphyllon palustre.



DE TRIFOLIO *palustri.* CAP. XXX.

TRIFOlium palustre coliculos emittit breues, minimo digito graciliores, teretes, geniculatos, uirides, & intus porosos. è singulis geniculi pediculi exeunt digito longiores, terna folia iuglandi similia: ferentes, caules erigit cubitales, teretes glabros & æquales, in quibus sole ex tauro in geminos eunte, deinceps dispositi flores sunt foliati, candidiq;. floribus succedunt rotundi & parui folliculi papaueri simili semine pleni. Radicibus nititur plurimis, teretibus crebro geniculatis, intus porosis, undique in transuersum tendentibus & seipsas quotannis propagantibus: hinc fit ut tanta huius herbæ copia eodem loco gignatur, cohærentibus in terra propaginibus. è radicum articulis, aliæ erumpunt radiculæ, longitudine dodrantales, iunci lenis crassitudine, teretes & tam foris quàm intus candidæ. saporem tota herba amarum habet, sine alia euidenti qualitate. nascitur uliginosis, palustribus & macris pratis, plerumq; iuxta palustre pentaphyllon, iisdem enim proueniunt natalibus.

* *Limonium Odi.* Biberklee.


Trifolium paluſtre.



DE BRASSICA *ſylueſtri, uirgata.* CAP. XXXI.

BRASSIcæ ſylueſtris, quædam eſt ſpecies, quæ caulem erigit bicubitalem, & ferè teretem, glabrum, intus medullaceum. cui ſtatim à terra uſq; ad ſummitatem iunceæ gracilitatis deinceps adnaſcuntur rectę uirgæ, longitudine cubitali, ſub his iuxta exortum ſingula ſunt folia longitudine digitalia, inferius unciæ, aut interdum duûm digitorum latitudine, in mucronem deſinentia, pinguia & glabra, ſine pediculo caulem & uirgas, ueluti ſinu quodam circum amplectentia. totis uirgis ſiliquas erectas producit, digiti longitudine, uehemẽter graciles, intus ſinapi ſimilia ſemina continentes, quæ per longitudinem in duas partes tenuiſsima quadam mẽbrana diuiduntur, flores uere & æſtatis initio in ſummis tantum uirgis apparent candidi, minimis quatuor foliolis & paucis ſtaminibus conſtantes. floret particulatim: itaq; ſimul maturas & matureſcẽtes ſiliculas, ſimulq; flores habet. Radix ſubeſt dodrantalis digiti mediocris craſſitudine. Tota herba ſatiuam Braſsicam ſapore æmulatur.

DE VICTORIALI *fœmina, id est, syluestri Gladiolo.* [*Longa uictorialis uulgò dicta, non Gladioli, sed Allij genus est in Alpibus.*] CAP. XXXII.



VICTORIAlis fœmina post ueris initium rectum et mucronatum emittit folium: è quo alia duo aut tria erumpunt, Iridi similia, multò tamen angustiora, utrinque striata et Iridis modo sibi inserta: iunceum, teretem, cubito longiorem, & glabrum caulem amplectentia: in cuius summitate quinque, sex aut septem egregiæ figuræ & coloris flores, sole cancrum ingrediente, se proferunt, à se inuicem distantes, in unam partem caulis se inclinantes, & deorsum nutantes. constãt hi sex folijs, uncia parum longioribus, simul ab uno exortu prodeuntibus: ex quibus quatuor semuncia paulò latiora sunt, colore roseo, sed multò lętiore & pulchriore: interdiu, cum sole tanguntur, ignis & scintillarum modo exteriori superficie coruscantia, & ueluti flagrantia, reflexis labris profundioris calathi figuram referentia. reliqua duo foliola prædictis multò tenuiora sunt, ac intra florem cõstituta, inferius aliquantulum prominent, & candidam, longam, & in medio latiorem maculam habent: quam undiq; purpurea linea circumscribit, & terminat. superiori floris folio stamen subest trifidum, & inter hoc et folium singularis apex. floret paucis diebus, ab inferiori parte incipiendo. aperiente enim se qui in summitate est flore, inferior flaccescit & clauditur. floribus singuli folliculi succedunt, in rotundo modicè oblongi, tenuibus uenulis distincti, nucis auellanæ quantitate: qui cũ immaturuerunt in tres partes diuiduntur, & tenuia paleacea, flauaq; semina ostendunt: in quibus rubens, cartilagineus, & paruus est nucleus. radicem habet non profundam, paruam, rotundam, bulbosam, ab ima basi uersus germen turbinatam, aliquot crinitis & reticulatis tunicis, ueluti loricis uestitam: quibus detractis duo exigui candidi, carnosiq; apparent bulbi, uno alteri insidente, superiori quidem ueris initio minore, sed uegetiore: inferiore autem maiore & latiore, uerũ flaccido et fungoso. perit enim & flaccescere incipit, prioris anni bulbus ueris initio supernascente alio. itaq; simul decrescentem & increscentem radicem habet. nonnunquam etiam inferiori subest tertius bulbus, sed adeò flaccidus & inanis, ut inter effodiendum, (quia non est spectabilis) negligatur, dum floret superior & minor bulbus increscit, uincitq; soliditate & quantitate inferiorem: nam cum flaccescere flos incipit, digiti crassitudinem, & globuli figuram acquirit. fibras ab inferioris bulbi base emittit tenues, candidásq;. saporem radix habet præ cæteris herbæ partibus excellentem, nempe dulcem & modicè acrem, relinquit enim in palato aliquandiu linguam & fauces aliquantulum urentem & saliuam elicientem (flores & folia idem faciunt sine dulcedine) acrimoniam. Nascitur editis, frutetosis & herbosis locis, magis tamen pla-

nis, nec adeò altis ut hyacinthus. solum amat lutosum, prouenit copiosissimè in syluulis frutetosis circa pedem Lauterbergi, hoc est sereni montis, quem hodie montem diui Petri uocant, uno atque altero ab Hala Saxoniæ miliaribus.

Eiconem hanc à Io. Kentmanno accepimus.

* *Est Victorialis rotunda quam inueni prope* Gaterstedt. *Longa uocatur* Siegwurtz, *& in Austria, Alpibusq; nascitur. Figuram habet oblongæ barbæ bifidæ, sed rotundam, Germanicè.* Aller mañ harnisch, & runde Siegwurtz, *appellant aliqui etiam* Oberharnisch. *De longa uide Ioannem Ammonium Agricolam.*

DE THALICTRO *nigro.* [*Hanc Galli Saxifragam nominant: aliqui luteam cognominant.*] CAP. XXXIII.



THALICTRVM nigrum caulem emittit cubito plerumque multò proceriorem, minimo digito graciliorem, crebris geniculis interseptum, teretem, modicè striatum, in purpura nigricantem, tactu solidum & durum. à radice ultra medium usque caulem, glabra folia è geniculis exeunt, media inter Coriandri inferiorum foliorum & Rutæ figura & quantitate, suppinguia, superius uiridia, inferius autem cineracea, digito longioribus & dodrantalibus ferè pediculis ex interuallo utrinque adnata, ipsa etiam minoribus insident surculis eodem ordine, maximè circa inferiorē pediculorum partem. omnium uerò foliorum simul in pediculis coniuncta facies, umbelliferarum figuram habet. caulis supra medium sui in multos & longos ramulos diffunditur: qui geniculatim in plura adnata subdiuiduntur: quibus cancro solem excipiente, numerosi, exigui & flaui adnascuntur flosculi, exiguis, pendulisque tantum staminibus constantes: iis dilabentibus exigua, oblonga, & nigra remanent semina. Radice nititur perenni, minimi digiti crassitudine, breuique, intus crocea et substantia aliquantulum lignosa: à qua plures dodrantales, graciles, lignosæ, lentæ & flauæ, quoquo uersus exeunt fibræ, foris cæsio, tenuique cortice uestitæ. Tota herba gustu amarum, subacrem, & tenuem præ se fert saporem, saliuam elicientem. flores subacri, & erucæ, rapisque simili odore sentiuntur. Nascitur in campis & pratis quibusdam.

DE THALICTRO *tenuifolio.* CAP. XXXIIII.

THAlictrum tenuifolium, nigri altitudine, caulem emittit, & interdum prociorem: paulò graciliorem, profundius striatum, colore in uiridi pallidum, longioribus interuallis geniculatum. folia è geniculis profert utrinque pediculis adnata, inuicē circa exortum nigri Thalictri modo respondentia: in tenues, angustas, unciales,



ales, indiuiduas, & non serratas partes, dissecta, glabra, & undique uiridia. Toti autem cum foliis pediculi, syluestris pastinacæ foliorum figuram ferè exprimunt. in summo caule sex aut septem digito longiora adnata sunt: æstatis initio plures, exiguósque corymbos ferentia, capillatis, breuibus & flauis flosculis ueluti staminibus compositos: quibus succedunt nigro Thalictro, æqualia ferè & similia semina. Radicibus nititur nigri similibus et æqualibus, non tamen adeò lignosis, sed carnosioribus, nec adeò croceis. Gustu & qualitatibus tota herba nigro Thalictro, remissioribus constat. flores uerò odore Canopum, id est, sambuci flores æmulantur. Nascitur iisdem quibus nigrum natalibus: nonnunquam etiam humidioribus pratis, præsertim uliginosis & macris.

* *Ea cuius hic effigiem damus herba, si non Thalictrum leptophyllum Cordi est, genere tamen proximo continetur.*

DE AIZOO *minimo*, [*quod acre non est, sed acri persimile.*] CAP. XXXV.

AIZOON minimum coliculis & foliis minori simile existit, multò tamen exilioribus, minoribusque his partibus constat. flores habet foliolis quinis stellæ modo radiatis constantes, quinque exiguis acuminatis in medio apicibus semini ferendo natis, iisdemque decem staminibus circumuallatis, aizoo acri floribus, forma, quantitate & luteo colore similes, positu tamen differentes, non enim minoris aut acris aizoi modo umbellam siue capitulum constituunt, sed deinceps ab uncialibus aut longioribus coliculorum adnatis utrinque alterno situ exeunt. ex his qui ab uno latere enascuntur, oppositorum spaciis iunguntur. Radicibus nititur tenuibus et capillatis. Adstringunt uehementer coliculi, foliola & flores, quemadmodum minus aizoon, sed uehementius. siccius enim est. Nascitur iisdem, quibus acre & minus aizoon natalibus. Cauendum ne harum similitudine fallamur, acrem pro hac accipientes: uiret semper, unde nomen inuenit.

DE MILLEGRANA, [*Galli Herniariam uocant, Tragus Empetron, nescio quam rectè.*] CAP. XXXVI.

MILLE grana dodrantales, numerososque per terram undique spargit coliculos, admodum graciles, colore in uiridi flauos & teretes, breui interuallo rutæ similibus foliis, minoribus tamen uestitos: secus quę, ramuli exeunt duarum aut trium unciarum longitudine, omnibus ramulis copiosi & minimi in lateribus racemuli adnascuntur, colore flaui, principio circa ueris exitum tenuissimis & leteis flosculis, deinde minimis seminibus pleni. Radice nititur singulari, tenui, candida et inferius fibrata, et inutile. Herba odore nullo commēdatur, saporem uerò primum in-

sipidum, mox subamarum, & modicè acrem habet. Nascitur apricis, arenosis, sabulosisq; campis, littoribus & ripis.

* *Est herba cancri minor.*

Millegrana. T. 1.181. p. 527.



DE ASTRAGALO *herba.* [*Turnerus Apion Fuchsij Astragalum facit. Sed alium Astragalum pingit Matthiolus, qui cum Dioscoridis descriptione melius quadrat.*] CAP. XXXVII.

ASTRAgalus uiticulis similes caules spargit, tenues, angulosos et ciceri non dissimiles, longitudine pedales aut dodrantales, in quibus ex interuallo quaterna aut sena sunt folia, longitudine unciali: latitudine autem semunciæ, utrinq; acuminata: forma & magnitudine ciceris foliis similia, non tamen per ambitum serrata, neque hirta sed glabra. flores habet circa ueris exitum purpureos, ciceris floribus quantitate & figura similes: quibus succedunt sesquiunciales angustę siliquę, aliquantulum teretes, & in his quaterna aut quina plerumque semina ęstatis initio, uiciæ similia, paulò tamen minora, colore cæsia. Radicibus nititur ab uno eodemq; interdum tuberoso principio, in plures graciles, nigrásq; uiticulas, per transuersum in terræ superficie distractas, quæ in geniculis tuberosæ, crassæ, uillosæ, fibratæ & superficie tenus nigrę sunt: intus autem candidæ, sapore ut glycyrrhiza dulci, adstringēte & acerbo, quarum usus est. semē quoq; adstringit, sed crassa et terrestri constat substantia, ueluti uicia. Nascitur montanis, frutetosis, incultis & uento perflatis locis: plurimaq; Goslariæ in uicinis Rammo montibus.

* *Germanus* Christianwurtzel *&* Knollen wurtzel: *aliqui Cicer montanum uocant.*

DE NYMPHAEA *Alba.* CAP. XXXVIII.

NYMPHAEA quæ à candido florum colore alba dicitur, à radicis capite pediculos, secundum stagnorum profunditatem, bicubitales aut tricubitales emittit, crassitudine minimi digiti, teretes, uirides, indiuiduos, molles et flexiles, glabros, intúsq; satis amplis in longitudinem tendentibus foraminibus porosos, qui singula ferunt folia dodrantis aut pedis, quoquo uersus latitudine superius omnino læuia, glabra, æqualia & nitida, inferius autem ramosis uenis distincta, aquæ innatantia, & forma rotunda, nisi iuxta pediculi annexum in digito plerumq; profundiorem sinum recederent. Caules ab eodem radicis capite plures profert eiusdem longitudinis, crassitudinis, formæ & substantiæ, in ruffo aliquantulum nigricantes, & similiter latis & contiguis foraminibus peruios, in superficie aquæ desinentes, nullis penitus foliis ornatos, singulos flores in summitate ueris exitu ac æstate feren=

T.2.48.p.696.



ferentes, anteq͠ aperiantur, pollicari longitudine & crassitudine, & in mucronem desinentes, colore foris uiridi, cum uero aperiuntur, in quatuor folia exterior pars expanditur, inferius ut dictum est, uiridia, superius candida. quæ autem quadripartita ista tunica claudebantur folia similiter undique expanduntur. ex his exteriora pollicarem habent longitudinem & latitudinem, interiora uerò minora sunt, omnibus ab utraq͠ parte niueus est color. Stamina in medio sunt longitudine uncialia, acuminata, plana & lutea. Dilabentibus florum partibus, in medio capitulum remanet, paulatim in quātitatem doliaris papaueris utriculi adolescens, concauā et aculeatam in summitate coronam habens, intus in loculamenta in medio coeuntia, distinctum. in quibus semen est milio simile, paulò tamē maius, nigrum & splendidum. Radicem habet diuturnam cubito plerumq͠ longiorem, crassitudine brachiali, propter contigua amissorum pediculorum uestigia, factitiæ clauæ modo nodosam transuerse limo inhærentem, foris omnino nigram, intus autem candidam, fungosam et porosam. à cuiuis ima parte pede longiores in limum descendunt fibræ, minimo digito graciliores, teretes, foris in candido liuentes, intus uerò candidæ, & substantia porosæ. flores gustu aqueam habent dulcedinem & aperti aliquantulum grauiter olent. semen autem glutinosū habet saporem. Radices amaræ sunt & adstringunt. Nascitur in stagnis & lacubus, quorum fundus lutosus & limosus est.

DE NYMPHAEA *Citrina.* CAP. XXXIX.

NYMphæa altera quæ à luteo floris colore citrina aut lutea cognominatur, albæ similis est, suis tamen notis (ut ostendemus) dignoscitur. pediculos enim in quibus singula sunt folia, non teretes, sed angulosi sunt, duobus utrinq͠ euidentibus angulis, unoq͠ obtuso, tertium latus ueluti teretis pediculi pars est. folia habet non adeò rotunda ut alba sed oblongiora, caules item similes et æquales, paulò tamen crassiores, & colore in flauo uirides, multò angustioribus poris peruios. flores uero omnino dissimiles, non enim oblongum antequam aperiantur, capitulum constituunt. sed rotundū & modicè latum, in quinq͠ folia rotunda et uncialia se expandentes foris uiridia, maximè quà è caule exeunt, intus uerò lutea et splendentia. stamina intus in orbem disponuntur numerosa, lutea, forasq͠ reflexa, inter quæ et exteriora quinq͠ folia minora sunt, & multa foliola, eiusdem coloris in medio staminū, uigente adhuc flore, capitulum erumpit rotundum, uiride tam recens quàm maturum, & piri modo turbinatum in summitate lata & modicè concaua, ueluti stella, non tamen incisa, aliquam uentrosi canthari similitudinem referens. hoc pereunte

flore maximi, papaueris utriculi magnitudinem acquirit, quod antequam penitus maturescat, incisum uiscosa, in diuellendo emittit fila. semen in fungosis loculamentis multo maius quàm alba habet, colore flauum. Radicem habet diuturnam multò longiorem et crassiorem, rarioribus pediculorum uestigiis tuberosam, foris et intus candidam, transuersámq; à qua omnino nigræ in limum descendunt fibrę, albæ fibris crassiores. totius radicis substantia, porosa & fungosa est, gustu aqueo subamaro, & aliquantulum adstringente. flores autem & semina uehementer adstringunt. Odorem radix iniucundum spirat, flos uerò iucunde cum grauitate aliqua, olet et gusta habitum oris suauem reddit. Nascitur iisdem quibus alba Nymphæa, locis simulq; cum illa floret & frutificat.

Nymphæa Citrina. T.2.48.p.697.



Cicer nigrum. T.2.10.p.609.



DE CICERE *nigro seu arietino.* CAP. XL.

CICER nigrum quod arietinum quidam appellant statim à terra in plures pede longiores diuiditur ramos, solidos, teretes et modicè hirsutos, in plura adnata, inæquali ordine subdiuisos. è quorum geniculis folia prodeunt, uncia breuiora, oblonga & aliquantulum serrata, digitali ferè pediculo utrinque ex interuallo breui adnata, in extremo pediculo unum rectà inter utrumque ordinem extenditur flores secus folia ex alis exeunt, æstatis initio & aliquandiu pòst, singulares, parui, papilionum figura in purpura rubenes, quibus singuli succedunt folliculi unciæ longi-

Fœnogræcum. T. 2. 4. p. 597.



longitudine hirsuti & ueluti flatu distenti, in quibus bina, aut terna clauduntur semina, pisi mediocris quãtitate, angulosa, turbinata, arietini capitis propemodum figura, unde nomen inuenit, foris nigra, intus autem flaua. Radice nititur gracili, candida & inutili. Seritur in hortis aliorum leguminum modo. Totius herbæ superficiei minimæ & roscidæ insident guttæ etiã siccissimis diebus, præsertim folliculis & foliis gustu simul acetoso & salso, semina pisis suauiorem habent saporem, herba uerò ipsa gustu reliquis leguminibus respõdet.

DE FOENOGRAECO. CAP. XLI.

FOENO græcum singularem cubito plerumque prοceriorem rectumque emittit caulem, iunceę gracilitatis, teretem, uiridem & concauum: è quo ex interuallo longiore, dodrantalia exeunt adnata. folia habet in uno pediculo terna, unciali longitudine, semunciæ latitudine, iuxta annexum angusta, in summitate uerò latiora & in rotunditatem desinentia, superius uiridia, inferius cineracea. quorum natura est sereno cœlo & sole supra horizõtem existente, se demittere, turbido autem ac pluuioso, & sole occidẽte, sursum se erigere atque inuertere, ut inferior eorũ pars reddatur superior. flores circa exitum ueris in summis uirgis exiguos & oblongos profert, colore pallidos, figura uero papilionibus similes, eosque in singulis uirgis una uice singulares, quo decidente supra eum alius erumpit, quo fit ut paulatim & successiue etiam fructificet, siliquas post flores fert digito longiores, graciles, acuminatas, incuruas ac reflexas, caprinorum cornuum figura, (unde Gręcis ægoceros uocatur) in quibus semina oblõga, angulosa & flaua sunt, umbilico ueluti cauda quadam siliculis adhærentia, quibus exiccatis medicatus est sapor. Odor uerò cum grauitate aliqua iucundus, ueluti Loto satiuo. Radice nititur longa, tenui, candida & inutili: seritur in hortis ad medicinæ usum.

DE PASTINACA *nigra syluestri, cui radix foris nigricat, intus candicat, perennis.* CAP. XLII.

PASTInaca nigra folia à radicis capite emittit pastinacæ syluestri aut satiuæ similia & æqualia: neque tamen hirsuta, neque aspera, sed glabra & aspectu pulchra: è quorum medio caulis plerumque bicubitalis assurgit, minimo digito gracilior, uiridis, & glaber, non omnino teres, sed aliquantulum angulosus, & lineis striatus, geniculis dodrantali aut pedali interuallo ab inferiori parte præcinctus. è quibus folia exeunt prædictis similia, sed minora. Ramos à foliorum sinu singulos producit pedales, aliquando maiores, in summo caule ramorumque adnatis umbellæ sunt, æstatis initio, luteis in pallido flosculis plenæ; quibus succedit oblongum, angulosum &

duplex semen, magnitudine, figura & colore inter fœniculi & cari semen medium. Radice nititur cubitali, neruosa, digitali ferè crassitudine, foris nigra, intus autem candida, eaq; perenni: quę gustata simul Tordyli & Pastinacæ Gallicæ saporem æmulatur. semen subamarum, subacrem, & tenuem habet saporem: folia autem non admodum dissimilem sed amariorem. Nascitur in campis et pratis, quæ fluuiorum inundationibus irrigantur.

DE CARO. CAP. XLIII.

CARON ea æstate qua seritur folia tantum à radice emittit pastinacæ syluestri similia, paulo tamen minora, nec adeo in latitudinē explicita, neq; hirsuta: altero dehinc uere caulē singularem profert, longitudine bicubitalem, gracilem, teretem, uiridem, glabrum, concauum, & geniculis interseptū: in quibus ramuli sunt & folia, iis quæ iuxta terram erant minora. flores medio uere in umbellis exiguos, candidosq; fert, & post illos semina oblonga, parua, angulosa, in cinereo nigricantia, dupliaq;. Radice nititur ferè dodrantali, gracili & candida. ea antequam caulem proferat, mollis est & pastinacæ saporem imitatur, at postquam caulem emiserit lignosa fit & perit. Semen acrem, tenuemq; saporem habet, anetho non dissimilem. Nascitur in pinguibus campis ac pratis, quò fluminū inundationes peruenire queunt, nonnunquam etiam editis, sed tamen pinguibus campis ac pratis.

Caron. T.2.152.p.455.



Phasiolus. T.2.12.613.



DE PHASIOLO *minore, satiuo: [uel Eruo anguloso, à uiticularum angulis dicto, satiuo. Tragus Pisum Græcorum uocat.]* CAP. XLIIII.

PHASiolus minor, qui ab aliquibus angulosum eruum appellatur, statim à terra in plures bicubitales spargitur uiticulas, easq́ latas & angulosas, duobus angulis in mollitiem & foliaceam substantiam desinentibus. folia ex interuallo è geniculis profert bina, digitalia, semunciæ latitudine indiuiduis neruis à tergo uenosa, glabra & utrinq́ in mucronem desinentia, uni pediculo inhærentia, iis circa annexum singulares adnascuntur & intorti capreoli, quibus aut adminicula apprehendit, aut eorum inopia seipsam comprehēdit. foliorum prætereа pediculi qua uiticulis iunguntur binis, paruis, acuminatisq́ foliolis excipiuntur. flores æstatis initio habet candidos papilionum figura. quibus siliquæ succedunt, minimi digiti longitudine & latitudine compressæ, lato & anguloso dorso, uentre autem in aciem attenuato, in quibus semina sunt pisis mediocribus æqualia, angulosa, & in aciem obtusam desinentia, colore candida, & gustu pisis similia. Radice nititur parua, candida, fibrata, tuberculis plerumq́ exiguis plena: seritur aliorum leguminum modo.

* Weysse Bechern. *Alius est phaseolus sponte sua stans, quem Coloniæ uidi.*

DE PHALARIDE. CAP. XLV.

T. 2. 35. p. 669.



PHALAris culmos tres aut quatuor erigit cubitales, & nonnunquam proceriores, geniculatos, Zeæ aut olyræ culmis non dissimiles. folia è geniculis singula exeunt, dodrātalia, semunciæ latitudine in mucronem fastigiata, paruæ arundini aut tritico similia: ex iisdem geniculis singuli etiam culmi ramorum uice ascendunt, foliis amplexi, spicas desinente uere summis culmis & adnatis singulas rectasq́ è foliorum inuolucris protrudit, unciales aut sesquiunciales, digitali crassitudine, teretes, in summitate turbinatas, breuibus, latiusculis, candicantibus & uiridibus lineis distinctis aristis, ueluti squamis compactas: è quibus flores exigui, pallidi staminibus aut tritici floribus similes se proferunt, semen inter squamos fert, milio non dissimile candicans, splendidum, oblongum, & in mucronem acuminatum, gustu milio non dissimile. Radice nititur multifida & fibrata. Culmi & folia graminis aut arundinis, siue aliorum frumentaceorum modo aquеam dulcedinem gustu præ se ferunt. Seritur à quibusdam, ut aliæ fruges, estq́ æstiuū frumentum.

DE ASPARAGO. CAP. XLVI.

ASPARAgus caules emittit primo uere teneros, longos, teretes, uirides,

T

glabros & sine foliis ab uno cespite plures, qui paulatim in numerosos, tenues & lentos diuiduntur ramos & uirgas, & circa has foliola frequentia, unciæ longitudine, indiuidua & capillorum aut setarum modo tenuia: tota itaque herba cum fœniculo aliquam in foliis similitudinem habet, & duûm cubitorum altitudinem petit. Flores sole in geminos transeunte circa ramulos copiosos, paruos, et pallidos producit, & post eos baccas pisi quantitate, rotundas, rubentésque, intus carne sua duo aut tria nigra & corneæ soliditatis semina claudentes. Radicibus nititur perennibus, numerosis, ab uno transuerso, & propter caulium uestigia, aspero, uillosóque dorso, utrinque in obliquum descendentibus, longis, teretibus, lentis, foris cineraceis, intus autem candidis, quibus dulcis & glutinosus est sapor: coliculi item adhuc teneri admodum suauem saporem habent, sic ipsa etiam semina. Nascitur campestribus tam editis quàm planis locis, quamuis etiam seratur.

Asparagus. T.1.74.p.222. *Althæa. T.1.121.p.371.*



DE ALTHAEA, *seu Malua palustri.* CAP. XLVII.

ALTHAEA quæ palustris malua est, caules erigit plerumque bicubitales minimi digiti crassitudine, teretes, lanuginosos & solidos, foliis oblongo pediculo insidentibus ex interuallo usque ad summitatem uestitos, ex rotundo in angustum per ambitum serratis, quatuor unciarum aut digitorum latitudine, tactu mollibus, breui & densa, & ueluti detonsa lanugine, holoserico similibus. Ramulos

mulos è singulis foliorum alis profert similiter foliatos, flores in summis uirgis & ramulis emittit candidos, sole in cancro existente, syluestrium rosarum figura, paulò minores tamen, quinque uncialibus foliolis constantes. in quorum medio paruum est nucamentum, iulo simile, colore rubescens, semen habet latum, paruum, in orbē centro cuidam circumpositum, quod cortice detracto nigricat. Radicibus nititur diuturnis, ab uno trunco descendentibus, cubitalibus, pollicis aut digiti crassitudine, foris subpallidis, intus autem candidis: substantia & gustu neruosis, lentis, glutinosis, dulcibus & mucilaginosis, aquam coagulantibus. tota herba easdem habet qualitates. Nascitur pinguibus, uliginosis, humentibus & palustribus pratis, & in fossis.

DE PHV *maiore.* [*hortensi.*] CAP. XLVIII.

T.1.19.p.60.



PHV maius caules emittit bicubitales, minimi digiti crassitudine, teneros, glabros, concauos, geniculatos, & ueluti candicante polline conspersos. habent adnata etiam caules, eaque bina in singulis geniculis. flores æstate in caulium & ramulorum summitate exiguos, in purpura candicantes, corymbis latis & umbellis simili bus, insidentes habet: & post eos semina exigua, quibus lanuginosum, & pappis simile quiddam adhęret. folia à terra circa caulium pedes multa emittit mollia, glabraque, sex aut octo unciarum longitudine, latitudine autem trium digitorum, longis, teneris & canaliculatis pediculis insidentia: ea partim incisuris carent, partim uerò in pinnas profundius secta sunt. Radicibus nititur longis, perennibus, in latitudinem se propagātibus, crebrò propter foliorum uestigia geniculatis, digiti crassitudine, colore cæsiis, transuersis, & in superficie terræ inhærentibus: à quibus longæ, teretes & iunceæ fibræ in rectum & obliquum descendunt, gustu amaris & subacribus, odore uerò admodum medicato, & Nardi Indicæ aut Celticæ similibus, aliquantulum tamen uirosioribus: nobis colitur in hortis.

DE HELLEBORO *nigro nostrate.* CAP. XLIX.

T.1.135.p.405.



HELLEborus niger qui apud nos gignitur, ab uno radicis cespite, numerosos emittit pediculos, longitudine dodrantales, aut pedales, iunco crassiores, glabros, in tereti aliquantulum canaliculatos et ab imo rubentes, & nigricantibus maculis uariatos, in quorum summitate ex uno principio in latitudinem se pandunt folia, quinque aut sex unciarum longitudine, latitudine unciæ aut sesquialterius unciæ utroqꝫ capite mucronata, per ambitum asperis et aculeatis incisuris, serrata, tactu rigida, inferius in uiridi nigricantia, superius autem nigriora. ex his quædam minora sunt, & tria aut quatuor sibi coniunguntur, iuxta utrumqꝫ canalis latus quo pediculi sulcantur. Profert etiam coliculos foliorum pediculis æquales: in quorum summitate flores sunt hyeme usqꝫ ad ueris initiũ quatuor aut quinqꝫ, pallidis in uiridi foliis: & pollicis ungui æqualibus constantes, plerumqꝫ pronos: è quorum medio capitulum angulosum, cornutum, & ueluti siliculis congestum exeritur, aliquot oblongis & nigris seminibus onusta. Radicibus nititur perennibus, crassis & nigris, à quibus plurimæ quoquo uersus emittuntur longæ, teretes, iunceæ & nigræ fibræ, odore dum eruuntur admodum graui, ac sambuco non dissimili, sapore amaro, acri & nauseoso: seminibus eadem est qualitas. Nascitur in quibusdam Sueuiæ montibus, saxoso & tamen pingui solo: In Misnia uerò & Turingia, Hesſia, Saxonia, & pluribus aliis Germaniæ prouinciis, in hortis colitur.

DE ARO. CAP. L.

ARON primo uere inuolucri modo conuoluta in mucronem emittit folia: ea se paulatim expandunt, & hederaceorũ formam ascíscunt, hisce tamen multo maiora fiunt, nam in dodrantalem plerumqꝫ longitudinem excrescunt, & in acutum desinunt, retro uerò iuxta pediculum in latitudinem expanduntur, & in sinum recedunt, quibusdam etiam in locis purpureis maculis distinguuntur. Ab eo tempore aliud quoqꝫ emittit inuolucrum, breui coliculo insidens & erectum, quod sole

ad gemi-

ad geminos properanti aperitur, in leporinæ aut asininæ auriculæ formam, intúsque pistillo culinario simile quiddam ostendit, minimi digiti longitudine, idque erectum & colore in purpura liuidum aut cineraceum, purpureo cuidam & aspero tuberculo innitens, sub quo aliud quoddam tuberculum est prædicto æquale, sed colore pallidum. hoc flaccescente superiori tuberculo atque pistillo, in iuglandis magnitudinem increscit, & uuæ rubentis figuram acquirit, singulisque acinis unum atque alterum semen continet, eruo paulo minus: hoc instante æstiuo solstitio perficitur, inueniturque tum temporis sine foliis coliculo, nitens uua: quæ postque defluxerit, absconditur tota herba. Radice nititur bulbosa, diuturna, pollicis anteriori articulo æquali, candida, teneráque, quæ enascente herba flaccescit, post maturitatem uerò arescente increscit & tumida fit: multósque oculos seu tubercula emittit, quibus se propagat. Odorem omnes herbæ partes grauem spirant: sapore uero adeò acri, linguam & palatum pungunt, ut carduorum & spinarum aculeos esitare se gustantes credant. Nascitur umbrosis, antiquis syluis & uetustis, umbrosisque urbium & castrorum fossis, ac iuxta sepes: Seritur à quibusdam etiam in hortis.



DE PERFOLIATA. CAP. LI.

PERFOLIata hæc herba dicitur, quoniam caulis per ipsa folia crescit. Singularem emittit caulem cubito longiorem, gracilem, teretem, rubentem, concauũ,

& tamen solidum ex interuallo foliis singulis eleganter uestitum, per quæ traiectus esse caulis uidetur, non omnino per medium, sed eo loco ubi omnes eorum uenę ue luti in centro coeunt. habent folia duarum aut trium unciarum longitudinem, præsertim quæ caulem amplectuntur. nam quæ in ramulis sunt iis magnitudine cedũt, omnia tamen subrotunda, modicè turbinata & glabra existunt, inferius autem iuxta terram nulla cauli circumfunduntur, ex omnibus geniculis ramuli exeunt graciles, similiter foliati, eo positu semper seruato, ut ab ima parte foliorum unicus caulis aut ramulus sit, & quamprimum uero caulis aut ramulus folia transierit, in furcam diuidatur. hic ordo usq; ad summitatem continuatur, in qua plures corymbi sunt, foliis exiguis & in exortu simul coniunctis pediculis insidentibus congesti: in quorũ medio, semen paruum, oblongum, angulosum, cartilaginosum, liuidum, numerosum, nudumq; continetur: id flores non habet, præter aliquantulum luteę cuiusdam lanuginis, nascenti insidentis. Radice nititur candida, tenui, fibrata, lignosa & annua, ideóq; inutili. semen gustu subamarum, acreq; est, & tenuitate sua saliuam elicit, folia autem remissiorem habent saporem. Nascitur editis & pinguibus aruis, ut Eymbecci & in Hessiæ quibusdam aruis, ac alibi etiam, quinetiam à quibusdam in hortis seritur.

DE TITHYMALLO *pentaclono*, [*communi puto, radicè inutili.*] CAP. LII.

TITHYMALLVS pentaclonus ab uno radicis cęspite plures emittit caules, pede plerumq; prouceriores, iunci modo graciles, teretes & glabros. foliis glabris duarum & nonnunquam trium unciarum longitudine, digitiq; latitudine, ac incerto ordine dispositis, uestitos. hi ex summitatis capite ueluti ex centro quinos proferunt surculos, longitudine digitales, admodum graciles & teretes. sub quibus singula sunt folia inferioribus æqualia. Omnes surculi superius in binos, exiguos surculos, furcarum modo diuiduntur: singulisq; surculis bina subsunt folia, prioribus multo minora, longitudine unciali, digiti latitudine, & in mucronem desinẽtia. surculi autem extremi furcarum semel atq; iterum ex interuallo binis amplectuntur foliolis, sibi in exortu contrariis, proxime descriptis similibus, minoribus tantum. Flores qui propriè sic appellentur non habet, quemadmodum ferè omnes Tithymalli: sed singulos fructus in singulis surculorum eruptionibus, & iuxta foliorum surculos amplectentium principia, magnitudine seminis uiciæ, figura triquetros, obtusis tamen angulis: aliquantulum hirsutos, in tria loculamenta diuisos: quæ singula continent semina milii aut panico æqualia, foris nigro cortice, intus autem candida, pingui nucleo, gustu dulci: ea in maturitate apertis repente loculamentis prosiliunt: surculi alios caules etiam proferunt, è foliorum sinu, sub quinquepartito capite, simili fructu prægnantes, uerùm inæqualiter dispositos. Radicibus nititur perennibus, ab uno principio numerosis (maximè pingui, culto, nec herboso loco) transuersis, non in altum descendentibus, tortuosis, minimo digito aliquanto gracilioribus, carnosis, in candido flauis, multos rubentesq; asparagos emittentibus, ex quibus sequenti anno germina prodibunt. fibras demittunt radices numerosas, quibus herba nutritur. maiores enim radices caulium tantùm ferendorum causa natæ sunt. abundat tota herba lacteo liquore: & gustu ac reliquis qualitatibus, cæteris Tithymallis respondet. Nascitur frutetosis locis.

Radices.

DE DAVCO *angulosi caulis.* CAP. LIII.

DAVCVS angulosus dum è semine nascitur, primo anno caulem non fert, sed folia undiq; circa radicis caput per terram strata, ea ratione, ut multa folia singula constituant. pedalibus enim et canaliculatis pediculis utrinq; apposita sunt, duarum unciarum longitudine, folia ab utroq; latere profundius usq; ad suum quo

que

que pediculum in partes per ambitum serratas dissecta: ex his maxima sunt, quæ po steriori pediculorum parte exeunt: minima uerò, quæ anteriore. Caulem altero & nonnunquam tertio anno erigit tripedalem, minimo digito graciliorem, angulosum, & iuxta terram ferè triquetrum, nisi plures intercederent minores anguli, solidum & geniculis præcinctum. folia è geniculis se proferunt inferioribus similia, breuiori tamen pediculo: & ex horum alis pedales, ac plerumque indiuidui ramuli, angulis striati: in quorum cacumine æstate singulæ sunt umbellæ, forma conuexæ, densæ & candidis, minimisque floribus farctæ, melleo liquore ueluti conspersæ, quibus odor est lixiuii aut saponis, siue mellis calce mixti. semen * Radice nititur diuturna pedali, pollicis aut digiti crassitudine, candida, circa caput propter amissorum foliorum uestigia & neruos pilosa & uillosa: in crassiores fibras distracta, per quam lignosus descendit neruus. ea gustu acris est, saliuam prouocat, diuque feruorem in gustantis palato relinquit: folia acrimoniæ mixtam quoque amaritudinem habent. Semen uerò * Nascitur asperis & editis locis: copiosissimaque Ienæ, in uinearum incultis calculosisque partibus: & Vuitembergæ in tumulis quibusdam sabulosis, qua ex urbæ uersus septentrionem itur.

* *Quærendum numquid cum Oreoselino, hoc est, Apio montano, commune habeat hæc herba.*

DE IXOPO. [*Intybacea herba, cui nomen à liquore, quem Greci opon uocant, quem ixi, id est, uisci instar uiscosum habet, confinxit.*] CAP. LIIII.

IXOPVS intybacea herba est. ea numerosa emittit à radicis capite folia, longitudine dodrantali, latitudine unciali, acuminata, & undique per terram strata, partim etiam in obliquum erecta: è quorum medio unus atque alter, aut nonnunquam plures exeunt dodrantales, & interdum pedales coliculi, teretes, tenerique: in quorum cacumine, circa ueris medium singuli sunt orbiculati flores, multis luteis capillamentis uni calici insidentibus constantes: qui deinde in pappos resoluti auolant, unà cum oblongo & inferius annexo semine. Radice nititur perenni, pedali, duûm digitorum crassitudine, foris nigra, intus candida, carnosa & fungosa: quæ præcisa, copiosum emittit liquorem, colore in lacteo modicè cinereum, qui digitis tractatus, aut gustatus, substantia uisco similis fit, & in longum ductilis, siccatus uerò ruffescit, paulatimque nigrescit. Tota herba gustu dulcis est, chondrillæ prioris modo. liquor non ignauiter etiam adstringit, odore uerò nullo commendatur. Nascitur editis, apricis, montanis locis. terram amat pinguem, calcario lapide mixtam plurimo, ideò prouenit circa Ienam.

* *Vidimus nos similem herbam in solo argilloso ad pedem montis, folijs ferè plantaginis minoris: radice cũ arida suffitur, iuniperum ferè olente, etc.*

DE THAMECNEMO. CAP. LV.

THAME Cnemum caulem habet pedalem, teretem, glabrum, solidum, singularem, inferius tumidis geniculis binum digitorum interuallo interceptum, in summitate crebris surculis, iisque bifidis & trifidis, atque è geniculis prodeũtibus, ramosum. folia è singulis geniculis exeunt bina, pinguia & glabra, in uiridi cœrulea, longitudine digitali, latitudine uerò unciali. flores æstatis initio fert in summis surculis paruos, quinquefolios, colore puniceos, nunquam omnino se aperientes, sed semiclausis similes, tumido, molli & quinqueangulari calici insidentes, quo detracto, capitulum emicat nuce auellana minus. hoc cum maturuit, in quatuor plerumque partes dehiscit, & rotunda nigraque semina ostendit milio paulò maiora. Radice nititur parua, annua & inutili. folia gustu subamara sunt & brassicæ saporem referunt. Nascitur in aruis, solum amat pingue, album, & marga stercoratum, quare Hamelanum est in Angrinariis.

* *Videtur ad polemonij uel perfoliatæ species pertinere. Græcæ linguæ peritus fortè Thamocnemum potius dixerit, siue à θαμὰ, siue à θαμειὸς, quod est creber.*

Thamecnemum.



Lauandula maior. T.1.18.p.58.



DE LAVANDVLA *maiore,* [*quam spicam nardi uulgus nominat:* Dodonæus *Lauandulam marem*] CAP. LVI.

LAVANdula maior frutex est cubitalis plerumque, à breui & scabro caudice in
plurimos foliatos surculos diuisus. uirgas æstate profert numerosas, nonnun
quã cubitales, iunco graciliores, quadrangulares, aliquantulum hirtas & striatas; ge
niculis longo inreruallo interceptos: è singulis geniculis folia prodeunt duarum un
ciarum longitudine, tenuia, angusta & hirta. flores summis uirgis fert paruos, hian-
tes & purpureos, in gracili & digitali longitudine spica dispositos, angustis, striatis-
que caliculis insidentes, quibus exigua, nigra & splendentia semina succedunt, uir-
gæ maturo semine exarescunt. qui uerò circa terram è caudice prosunt surculi per-
ennes sunt, & tota hyeme folijs cinerei coloris uestiuntur. Radice nititur lignea &
fibrata, saporem habent folia et flores amarum, subacrem, aromaticũ, tenuem et to-
tum palatum penetrantem, odorem quoque uehementem, acrem, tenuem & iucun-
dum: eadem substantia constant, pingui, ideóque copiosum oleum, uulgo spicæ oleũ
appellatum, in sublimatione remittunt. Colitur apud nos in hortis, in Narbonensi
autem Gallia sponte prouenit tanta copia, ut non temerè alia materia accendendo
igni adhibeatur.

DE LAVENDVLA minore, [quam uulgò simpliciter Lauendulam nominant. Dodonæus Lauendulam fœminam.] CAP. LVII.

LAVENDula minor maiori in cunctis similis est, minoribus tamen surculis & foliis, breuioribúsque spicis constat, odore quoque & sapore remissiori, olfactum recreat, non enim adeò grauem odorem spirat, minusque pinguis existit. Colitur & hæc in hortis.

Lauendula minor. T. 1. 18. p. 57.



Stichas. T. 1. 70. p. 213.



DE STICHADE Arabica. CAP. LVIII.

STIchas quæ hodie Arabica stichas appellatur, mediam habet inter maiorem & minorē Lauendulam figuram, spica tantum crassiore & multò densiore constat. flores alioquin Lauendulæ forma & colore similes fert maiores tamen: odore & sapore maiorem Lauendulam æmulatur, sed multum superat, uehementissimū enim & aromaticum odorem spirat, substantia quoque non minus pingui constat ac illa, in Germania semine sata pullulat quidem, primáque ęstate fœliciter adolescit, hyemem tamen nequaquam tolerat, quapropter eo tempore intra tectum ferenda est, & tepida nec obnoxia gelu camera fouenda. Cellariis humidioribus seruata, contrahit situm & perit, ideo tutissime prædicto loco seruatur. In Narbonensis autem Galliæ

quibusdam locis sponte cum Lauendula nascitur, præsertim in Massiliensi prouincia.

* *Nostra Spica & Lauandula sunt syluestres species stœchadis. maiores lignosiores, odore & gustu ignauiores.*

T.2.106.p.847.



DE DIPSACO *syluestri.* CAP. LIX.

DIPSACUS aculeata est herba, ex carduaceo genere, primo anno cum è semine aut sponte enata fuerit caulem non fert, sed tantum folia, longitudine dodrantalia, latitudine trium digitorum, nonnunquam etiam maiora, aspera, rugosa & superius aculeis armata, undiq; in orbem à radicis capite strata, & in terra iacentia, totáq; hyeme uirentia: è quorum medio sequenti anno caulis assurgit rectus, bicubitalis, minimi digiti crassitudine, teres, glaber, interimq; angulis striatus, maximè in summitate tactu solidus, intus tamē aliquantum concauus, colore cādicans, geniculatus et spinis Raię piscis modo armatus, pręsertim in summis uirgis. folia è singulis geniculis bina exeunt, prædictis plerumq; longiora & magis acuminata, nullis in superficie spinis horrida, nam aculeos tantum in eminenti dorso ferūt Luciorum dentibus similes. ex his aliquot quæ à duobus aut tribus inferioribus geniculis prodeunt, non ab inuicem discreta sunt sed cōtinua iuxta exortum, & concauo sinu ueluti labro quodam caulem amplectuntur, quo rores & pluuiales aquæ etiam siccis diebus aliquando continentur. supra hæc foliorum labra ramuli exeunt, è singulis geniculis bini, alterno & cruciformi positu, caulis modo geniculati & aculeati, in quorum summitate singula sunt oblonga & ouata capita, longitudine digitali, et latitudine duarum unciarum aut trium digitorum, aculeis longis, angustis, mollibus & obliquo ordine dispositis constantia: sub his ubi ramulis insident, in orbem se proferunt, ueluti longi quidam radii, resupinati & inferius aculeati. flores inter aculeos capita proferunt æstate paruos, in ruffo purpureos, lanuginosis & paruis staminibus, quibus singula succedunt oblonga & angulosa semina, omnia capita intus oblongam habent concauitatem, lanuginosa quadam medulla plenam: in qua nonnunq; uermiculi gignuntur: maximum autem est quod medio cauli insidet caput. Radice nititur ferè dodrantali, digiti crassitudine, candida & fibrata, primo anno carnosa, altero uerò lignosa, & postquam exaruerit caulis, intereunte. folia gustu amara sunt, quemadmodum & radix. Nascitur campestribus, planis locis, circa fossas & riuulos.

De

DE DIPSACO *satiuo: [cuius capitum aculei deorsum inflexi sunt: aliud ferè nihil differt à superiore.]* CAP. LX.

DIPSAcus satiuus syluestri per omnia ferè similis est, maioribus tamen omnibus partibus constat, nec quicquam etiam differt partium positu aliisq; proprietatibus, præterquam quod capitum aculei duriores, & deorsum inflexi sunt: floresq; candidiores ferat. Capitibus in uellicando panno fullones utuntur, cuius rei causa, in hortis seritur, uiribus syluestri respondet, quamuis paulò debilioribus.

DE PEPLO, *[quem aliqui Esulam rotundam uocant, folijs non serratis, etc. autumno locis cultis diu apparet, sub hyemis etiam initium.]* CAP. LXI.



PEPLVS Tithymalli species est semestris, eadem enim æstate qua ex semine prodierit, interit, sparsoq; semine se quotannis propagat. Caulem unum atque alterum statim à terra emittit iunco crassiorem, teretem, glabrum, subrubentem, & solidum, aliquot ab ima parte adnatis inæquali et incerto ordine dispositis frondosum, in tres ramulos diuisum, quorum singuli deinde in binas, quinquies, sexies, aut sæpius circa exortum coeuntibus, subdiuiduntur. folia sub singulis furcis è geniculis prodeunt bina, contrario positu Rutæ latifoliæ & hyperici foliis similia & æqualia. Sub trifidis autem ramulis terna sunt folia. ex his rotundiora sunt ac iuxta annexum angustiora, quæ ab inferioribus anomalis adnatis incerto ordine exeunt, in extremarum furcularum angulis exiguum & hirsutum quiddam floris loco conspicitur, secus quod exigui sunt & triquetri folliculi in terram annuentes, in singulis furcularum angulis singuli, quibus terra clauduntur semina papaueri æquale, foris nigrum, intus autem candidum, inferiores furculæ primò semen ferunt, deinde superiores ideoq; successiue, fructificat tota æstate semenq; maturum eiaculatur, & propter diffusos ramulos humi frequenter sternitur. Radice nititur gracili, breui, candida, multis capillamētis fibrata, lignosa & inutili. Abundant ramuli & folia lacteo liquore, primum subdulci, interimq; modicè acri, deinde paulatim fauces exurente, semen dulcius est, sed similiter gustantis os accendit. Nascitur in hortis & uineis.

DE PARIETARIA, *[uulgò dicta, Helxine ueterum.]* CAP. LXII.

PARIETAria caules ab uno cespite plures emittit cubito proceriores, teretes, uirides & solidos, ab inferiori parte ultra medium usq; ramosos, ex quibus per

interualla exeunt singula folia, oblonga, duarum unciarum aut digitorum latitudine, in summis uirgis minora, in oblongum mucronem fastigiata, & iuxta pediculum similiter ferè acuminata, tactu aspera, hirsuta & strepentia, secus quæ paruæ et asperę quædam sunt, & numerosæ ueluti lappæ, uerticillorum Marrubii modo caulibus circumpositæ, uestibus tenaciter adhærentes, candicantibus flosculis plenæ, adeò paruis ut uisum ferè subterfugiant, iisdemq; antequam aperiantur rubētibus. semina lappis continentur, admodum parua, nigra & splendentia. Radicibus nititur perennibus, numerosis, dodrantalibus, candicantibus, & iunco crassioribus, foris carnoso, mollicq; cortice uestitis, intus autem lignosis & fibratis, facileq; dum manibus stringuntur, corticem remittentibus. Saporem habent folia & lappæ dulcem & aqueum. Caules uerò aliquantulum cum aqueo sapore amarescunt. Radices postremo prædictis, gustu respondent, præterquam quod simul non parum adstringant. Nascitur circa macerias, parietes & muros, in tectorum stillicidiis.

Parietaria. T.1.63.p.193.



Botrys. T.2.124.p.887.



DE BOTRY. CAP. LXIII.

BOTRYS, quæ etiam Ambrosia appellatur, æstiua herba est. Caulem erigit rubentem, hirsutum, minimo digito graciliorem, tortuosum et solidum, nec omnino teretē, multis alis & ramis fruticosum. folia habet inferius sub ramulis singula digito longiora, duorum digitorum aut unciarum latitudine, per ambitum Cichorii, quercus

rii, quercus & Erucæ modo laciniata & sinuosa, aliquantulum hirsuta, à tergo, id est, subtus crassa, eminente, fragiliq; spina, & uenis ad lacinias prodeuntibus distincta, ac colore in pallidum uergentia, superius uerò uiridiora, & concauis canaliculis infra eminentibus contrariis, sulcata, quæ autem ramulis breui interuallo adnascuntur folia prædictis multo minora sunt, æstate totis ramulis secus folia adnascuntur, in latitudinem diffusi racemi admodum parui, parietariæ lappulis non dissimiles, præterquam quod uirgas non amplectantur, sed ab iis ad latera extendantur. Flores qui propriè sic appellari possint non habet, paruam enim & quæ uix cognosci possit in racemis fert lanuginem colore candicantem, figura parietariæ flosculis respondentem, semen in racemulis fert papaueri minus. Radice nititur semestri, breui, fibrata, lignosa & inutili. Saporem racemi amarum habent, quibus maturescentibus, folia pallescunt & decidunt. Odorem tota herba admodum iucundum & uinosum spirat. Seritur apud nos in hortis.

DE ABROTONO *nigro masculo.* CAP. LXIIII.

T.1.112.p.41.



ABROtonum nigrum seu masculum frutex est odoratus, uirgas ab uno radicis trunco, profert numerosas et lignosas: à quibus plures erigit cubitales & graciles turculos, capillatis, angustis, incisis, & in latitudinem diffusis foliis plenos. flores & semina æstate circa surculos numerosos fert, colore ad aurum inclinantes, figura absynthii floribus & seminibus respondentes, quamuis in plurimis Germaniæ regionibus neque flores neq; semen producat, propter alsiosam naturā, & nostratis cœli frigiditatem. Radice nititur lignosa & ramosa. folia & summas surculorum partes hyeme amittit. Odorem habent comæ eius uehementer acrem, & aliquantulum grauem, saporem uerò amarum, tenui & palatum penetranti acrimoniæ mixtum. Colitur apud nos in hortis.

DE ABROTONO *candido seu fœmina.* [*Aliqui pro Abrotono fœmina Chamæcyparissum pingunt.*] CAP. LXV.

ABROtonum candidum surculos, nigro Abrotono similes producit, similibusq; foliis, floribus et seminibus uestitos, præterquam quod folia non ita tenuia sint, sed aliquam habeant cum Achilleæ foliis similitudinem eadem superius nigro Abrotano candidiora sunt, inferius autem multo candidiora & cinerea, surculos hyeme omnino amittit. Radicibus nititur perennibus, gracilibus & fibratis, plurimas quoquouersus sub terræ superficie uiticulas spargens, quibus se quotannis cum fœnore propagat, ideoq; non unus atq; alter surculus solus inuenitur, sed integra sylua simul: saporem & odorem nigro Abrotono ferè similem habet, remissiorem tamen. Nascitur editis campis.

Abrotonum candidum.



Hyssopus satiua.. T.1.14.p.47.



DE HYSSOPO *satiua.* CAP. LXVI.

HYSSOpus satiua caudicem habet in ramos diuisum, à quibus lignosæ, geniculatæ, quadrangulares & cubitales assurgunt uirgæ: è quorum geniculis bini & circa exortum coniuncti prodeunt surculi alterno & cruciformi positu: folia sub ijsdem surculis è geniculis exeunt quaterna, bina aut plura, longitudine uncialia, angusta & utrinque acuminata, glabra & ueluti acu puncta, non tamen perforata: in summis surculis parui & denticulati calices exiguos corymbos constituunt, in spica dispositos, flores æstate à caliculis singuli prodeunt hiantes, qui plerumque stamina exerentes, colore in purpura cœruleos & omnino saluiæ floribus similes, minores tamen, semina flores singuli ut plurimum quaterna relinquunt, nigra & admodum parua, hyeme summas uirgas amittit saluis inferioribus. Radice nititur lignosa & perenni. Odorem coma eius acrem, aromaticum & iucundum spirat, saporem habet amarum, feruidum & tenuitate sua totum palatum penetrantem. Colitur in hortis, prouenit etiam in murorum coronis.

De

DE CEPA ouata, [quam sic nominat à radicis figura.] CAP. LXVII.

CEPA ouata prima æstate qua feritur folia uulgari similia profert. Altero uerò anno cum rursum deponitur quatuor aut quinque emittit caules, uulgari similes: in quorum summitate globosa sunt capitula, & in his flores & semina nostrati æqualia. ipsa uerò Cepa à nostrati differt, quòd longa & utrinque acuminata est: minus etiam inflat quàm uulgaris Cepa.

* *Alia est quam Ascaloniam nonnulli cognominant, utpote sterilis.*

DE THLASPI Cardamoide. CAP. LXVIII.

T.1.27.p.87.



THLAspi cardamoides siue nasturtiarium, folia habet modicè pinguia, digitali longitudine & latitudine aliquantulum serrata, ex his aliquot profundius sunt incisa, omnia per terram undiq; sternuntur. Caulem è medio foliorum singularem erigit, pede proceriorem, teretem et leniter hirsutum, breuioribus foliis uestitum, in summitate in ramulos surculaceos diuisum: quibus enascentibus folia quæ circa terram sunt exarescunt: flores habet exiguos, candidos & numerosos, undiq; ramulis circũpositos, eósq; non simul, sed particulatim & tantùm in summitate producit. semen habet copiosum, tótis ramulis adnascens in singulis pericarpiis, iisq; inferioribus conuexis, superius aliquantulum concauis & compressis, geminum, figura & quantitate nasturtii, colore ruffum. totũ pericarpium conuexi alicuius clypeoli formam refert, & utrinq; eminenti semine aliquam cordis speciem ostendit. Radice nititur semestri, oblonga, gracili, candida, lignosa & inutili, folia gustu uehementer acria sunt, & nasturtium æmulantur, semina autem glutinosum lentorem acrimoniæ commixtum habent. Nascitur lutosis & pinguibus aruis, secus uias inter segetes, copiosissimumq; inter Goslariam & Hildesheymium in Saxonia.

DE ISOPHYLLO. CAP. LXIX.

ISOPHYLLON quamuis umbellifera sit herba suum habet proprium genus neq; enim incisis constat foliis, sed indiuiduis & æqualibus. Caules ab una radice emittit duos tres aut quatuor bicubitales ferè utplurimum crebro geniculatos, graciles, teretes, glabros & uirides. folia è geniculis singula profert quatuor aut quinq; unciarum longitudine, unius unciæ aut digiti latitudine, uiridia, glabra & uenosa, minimè incisa, ac sine pediculo geniculis adnascentia, quæ tamen iuxta ter-

Isophyllon. T.1.143.p.431.



ram sunt, folia antequam caules adolescant latiora sunt, quæ uerò in summitate prodeunt, multò minora prædictis existunt. Ramulos à geniculis producit longos, in quorum summitate exiguæ sunt umbellæ, paruis & luteis flosculis plenæ, quibus semina succedunt, perfoliatæ similia. Radice nititur perenni, candicante, gracili & in partes distracta, lignoso intus neruo. Saporem habet tota herba subacrem, aliquantulum amarum, & saliuam prouocantem, perfoliatę non dissimilem. Nascitur montanis locis, solum amat argillaceum, calcario lapidi mixtum.

* Heyl aller welt. Pontanus Elaphuboscum uocat ex Gallia.

DE GERANIO *supino maiore, [folijs ferè cicutæ, locis cultis nascitur, etc: Videtur autem cognatum Geranio primo Dioscoridis.]* CAP. LXX.

GERAnium supinum maius, uiticulas ab una radice emittit plures, plerumque cubitales aut maiores, (nisi solis siccitas impediat,) geniculatas, hirsutas & molles, undique per terram stratas. folia habet lōgiora quàm uncia, profundius incisa et serrata, cicutæ foliis non dissimilia, modicè hirsuta, dodrantalibus aut breuioribus pediculis utrinque adnascentia, non tamen in exortu coniuncta. Flores tota æstate fert in longis & gracilibus pediculis, ab uno principio prodeuntes, paruos, quinquefolios, colore puniceos, numero quinque sex aut septem, quibus totidem rostrata succedunt & resupina capitula, quorum rostra acubus æqualia sunt. ea in maturitate inferius in quinas partes dehiscunt, et contrahuntur, singulisque partibus singula adhærent semina, oblonga, flaua & lanuginosa. Radice nititur oblonga, gracili, in partes distracta, candida, & semestri: quæ aliquantulum fœtet. Saporem habet tota herba aqueum ferè. Nascitur cultis agris & hortis, & minimè in campis aut herbosis locis.

DE VRTICA *minore.* CAP. LXXI.

VRTICA minor caulem pedalem aut proceriorem erigit, aliquantulum striatum, & aculeatum, folia ex interuallo profert bina, breuibus quidem, sed ad pungendum & urendum infestis spinulis armata, unciarum ferè duarum longitudine, latitudine unius, utrinque acuminata, per ambitum profundius serræ modo incisa, in exortu contrariis pediculis coëuntia, secus quę quaterni sunt in singulis geniculis, ueluti exigui racemuli, minimos flosculos proferentes, parietarię floribus, figura, colore & quantitate æquales, quibus succedūt nigra semina lino similia, multò tamen minora. Profert etiam adnata è foliorū alis singula similibus foliis & racemulis uestita. Radice nititur breui, gracili, candida, semestri & inutili. Odorem habet dum tractatur grauem, gustuque dulcis est, præsertim semen, corpori admota uehemen-

mentissime urit, mirúmq; est tam paruis aculeis adeò feruidam inesse naturam, ut ignis modo dolorem & pustulas excitent. Nascitur in hortorum areis, fossis, ruderibus & areis circa pagos.

* Heyter Nessel.

Vrtica minor. T.1.1.p.3. maior ibi malè legitur, pro minor.



Chamæpitys prima. T.1.25.p.80.



DE CHAMAEPITY *prima.* [*Aliqui tertiam hanc faciunt.*] CAP. LXXII.

CHAMEpitys prima ab uno radicis capite plures emittit coliculos, longitudine dodrantales, nonnunq; etiam pedales, graciles, teretes, rubentes, hirsutos & solidos, foliis undiq; plenos, ea breui admodũ interuallo, cruciformi & alterno positu à colliculis exeunt, è singulis geniculis bina in exortu coniuncta, ab uno principio in ternas unciales, angustas, hirsutas et minimè serratas partes diuisa: flores in foliorum alis singulos habet, Polii, Scordii aut Chamædryos floribus similes & æquales, colore luteos, floret paulatim ab imis geniculis incipiens, quapropter per totam æstatem flores producit: iis singulis quaterna succedunt, parua, oblonga & teretia, semina florum caliculis insidentia. Radice nititur oblonga, candida, semestri & inutili. Herba odorem spirat aliquantulum grauem, resiniferis arboribus non dissimilem, quarum comas forma etiam æmulatur, unde nomen inuenit. Saporem habet amarum. Nascitur in uineis & aruis, plurimumq; circa Vuirciburgum, in Boioheymia, & Renano tractu, solum amat aliquantulum pingue & calida loca.

DE BVGLOSSA *urbana, id est, Borragine.* CAP. LXXIII.

T.1.78.p.237.



BVGLOSSA urbana quæ hodie Borrago ab omnibus medicis & pharmacopolis uocatur, caulem habet inferius pollice multo crassiorem, statim à terra in plura sesquicubitalia, ramosa et cōcaua brachia inæquali ordine diffusum, folia habet per terram strata, longitudine dodrãtalia, quinq; aut sex unciarum latitudine, utrinque ferè rotunda, digitali pediculo cauli adhærentia, rugosa, aspera & tactu strepentia: quæ uerò in ramis sub adnatis sunt folia prædictis minora existunt, sed similiter aspera. uestitur tota herba plurimis, paruis et fragilibus aculeis, tactu pruritum excitantibus, flores particulatim per totam profert æstatem, in summis adnatis cœruleos, latitudine unciales, in quinas acuminatas partes stellæ modo diuisos, teneros et in terram pronos, in quorũ medio quini nigricantes apices prominent, flores singuli ultra diem non durant, quibus excidentibus calix ipsorum radiatus clauditur, & incrementum capescit, fouetq; in se quaterna (ut plurimum) aut pauciora semina, oblonga, aspera, serpentinis capitibus aliquantulum similia, inferius ueluti angustum collum habentia, ea cum foris nigrum colorem in maturitate contraxerint, apertis denuo calicibus excidunt, & sequenti uere germinant. Radice nititur crassa, breui, candida, carnosa & semestri, nigris dodrantalibus fibris nutrimentum attrahente. Saporem habet tota herba dulcem & suauem. Nascitur in hortis, semel autem sata difficulter deletur.

DE ALTERA *Buglossa urbana.* CAP. LXXIIII.

EST & alia urbana Buglossa siue Borrago, quæ solo florum colore à priore differt, omnino enim candidos fert flores.

De

DE HERACLEA [*Sideritidem hanc primam faciunt, aliqui Tetrahit aut herbam Iudaicam nuncupant.*] CAP. LXXV.

HER Aclea, quæ etiam Sideritis Heraclea uocatur, caulem habet dodrantalem, gracilem, quadrangularem & hirsutum, in binos ex interuallo ramulos, alternis & contrarijs lateribus exeuntes, ex interuallo distractum. folia statim à terra usque ad summitatem fert breui interstitio, chamædryos quantitate, profundius & pulchrius ex obliquo incisa, minora & paucioribus incisuris diuisa quo summitati propiora: hæc è singulis geniculis bina alternis lateribus & cruciformi positu prodeunt. flores æstate paruos secus folia, ternos, quaternos aut nonnunquam plures fert, uiridibus, resupinatis & denticulatis caliculis insidentes, scordij aut chamædryos floribus, figura & rubente colore similes, quibus decidentibus demittuntur eorum caliculi, semenque in se gignunt, exiguum, nigrum, scordio aut Chamædryi æquale. Radice nititur breui, fibrata, candida, annua & inutili: semen cum æstate ceciderit autumni initio germinat, folia tantum proferens, ea proximo uere enato caule flaccescunt: saporem habet amarum, odorem uerò acrem, grauem, ueluti si quis uinum & lupulum commisceat. Nascitur in uineis, & earum muris, caluisque apricis & editis locis, nonnunquã etiam in aruis. solum amat pingue, calcario lapidi mixtum.

* Est zeyßgenkraut. *Non est Sideritis Fuchsij, quæ multò maior hac est, & arthriticis prodest. Germanicè* Beruffkraut.

T.1.39.p.122.



DE PANICO. CAP. LXXVI.

PANIcum æstiuum est frumentum, culmum ex uno semine singularem erigit duobus plerumque cubitis, fœcundo solo prCeriorem, solidum & geniculis tumẽtibus præcinctum, in cacumine attenuatum: folia à geniculis singula exeunt longitudine plerumque cubitalia, latitudine unciali, acuminata & arundinea. spicam in summo culmo fert dodrantalem, & nonnunquã pedalẽ duorum ferè digitorum crassitudine, pronam & uulpinæ caudæ similem, semine exiguo, flauo & milio simili, plenam et consertam, prodeunte è foliis, & increscente spica à duobus inferioribus culmi, geniculis, undique in orbem enascũtur, & in terram descendunt fulcra, quibus fulcitur ipse culmus, ne pondere nutantis spicæ sternatur, & humi procumbat: tanta est diuinæ prouidentiæ erga tam uilem herbam clementia, benignitas et solicitudo. Radicibus nititur fibratis, gustu et qualitate milio respondet. Seritur in agris.

DE PVLEGIO. CAP. LXXVII.

PVLEgium exigua est herba per terrã serpens, folia habet parua, subrotunda modicè acuminata, et obscuris incisuris

T.1.6.p.23.



per ambitum serrata. Coliculos æstate erigit dodrantales, graciles, geniculatos, solidos, in purpura rubentes, et modicè hirsutos. folia è geniculis profert usque ad medium coliculorum prædictis similia, nonnunquam etiam ramulos è singulis geniculis binos. reliqua autẽ & superior coliculorũ pars usq; ad summitatem circa genicula singulos habet uerticillos, minimis et in cœruleo purpureis floribus plenos, quibus tantillum succedit semen, florum uice exiguis & denticulatis caliculis insidens, quo sparso se propagat. Cum autem coliculos produxerit, folia quę circa terram sunt exarescũt. Radicibus nititur exiguis, fibratis, inutilibus & hyeme cum herba intereuntibus. odorẽ spirat acrem, aromaticum et gratum, quo animi deliquium patientes excitat, saporem habet cum iucunda acrimonia tenuissimum, totum palatum penetrantem. Nascitur campestribus, nec herbosis locis, fluminum inundationi obnoxiis.

DE HORDEO *glabro.* CAP. LXXVIII.

HORDEum glabrum æstiuum est frumentum, culmos ex uno grano emittit decem, uiginti, triginta, aut nonnunquam plures fœcundo solo, nostrati hordeo similes & æquales, quod etiam spicis & spicarum aristis æmulatur, semen habet hordeo æquale, tritici modo purum, glabrum & nitidum, facilè dum tractatur, à glumis recedens. Radicibus nititur multis, tenuibus & fibratis. Semen gustu hordeum & triticum imitatur. Solum amat fœcundum.

* *Dodonæus, à quo Eiconem hanc mutuati sumus, zeopyron uocat: & ex Galeno etiam Gymnocrithon id est, Hordeum nudum. Tritici (inquit) species est, zeæ & hordei similitudinem quandam referens.*

De

Hordeum glabrum.



DE CHAMAEPEVCE. [*Quærendum an hæc Erica altera Matthioli sit, quam pingit, non describit.*] CAP. LXXIX.

CHAMAEpeuce frutex est plurimis à terra assurgens uirgis, in summitate rubēte lanugine obsitis. folia habet sesquiunciali longitudine, angusta, gracilia, retroflexis utrinq; laterum extremitatibus, & à tergo modicè hirsuta, flaua, hyeme uirentia: flores ueris exitu in summis uirgis producit, paruos, candidos, * & foliaceos, corymborum modo coaceruatos, his singuli succedunt parui, aridiq; fructus, hordeo minores, in quibus tantillum clauditur semen. Radicibus nititur longis, obliquis & fibratis, foris in flauo rubentibus. Odorem folia, flores & fructus grauissimum habent: saporem uerò acrem & uehementer tenuem. Nascitur macris, putridis uliginosisq; locis, sub Tædis arboribus.

Dioscorides flores rosæ ei tribuit, quod fortè perperam legitur. Plinius florum non meminit.

* *Hæc non Cordi Chamæpeuce, mihi ignota: sed nostra est.*

Chamæpeuce. T.1.189.p.555. *Mercurialis mascula syluestris.*





DE MERCVRIALI *mascula syluestri.* CAP. LXXX.

MERCVrialis mascula syluestris, masculæ Mercuriali in cultis locis nascenti, caulibus, foliis & semine similis existit. folia tamen nigriora, duriora, sicciora'q; habet, semen etiam multò maius. Radicibus nititur obliquis aut transuersis, (à quibus plures exeunt fibræ) iisq; non annuis, ut urbana, sed diuturnis & perennibus. Qualitate urbanæ respondet, non tamen adeò efficax est in soluenda aluo. Nascitur in pinguibus syluis.

DE MERCVRIALI *fœmina syluestri:* [*Aliqui fœminam in hoc genere esse negant: nec ego reperisse memini.*] CAP. LXXXI.

MERCVrialis fœmina syluestris, Mercuriali fœminę in cultis prouenienti similis est, nigrioribus tamen foliis, & maioribus seminum racemulis constat, neque annuam habet radicem, sed perennem, obliquam, & fibratam: qualitatibus Masculæ respondet, iisdémq; locis gignitur.

De

DE TRITICO *Bactriano*. CAP. LXXXII.

BACTRIanum siue Indicum triticum æstiuum est frumentum. Culmum profert tricubitalem, geniculatum, digiti crassitudine, solidum, intus fungosa medulla plenum. folia habet cubito plerumq; longiora, trium aut quatuor unciarum latitudine, uenosa & arundinea. spicas in summo culmo fert dodrantales, plerumq; graciles & raras olyræ spicis similes, & similiter florentes, aliquando quindecim, uiginti aut triginta, quæ postquam defloruerunt exarescunt, & nullum semen producunt. quæ uerò fructum ferunt spicæ, inferius è culmi geniculis exeunt, nonnunquã tres aut quatuor, at à singulis nodis singulæ, longitudine dodrantales aut maiores, manum implente crassitudine, multis foliaceis tunicis tectæ, tam strictæ in summitate conuolutis, ut ne aquam quidem transmittant quæ spicas corrumpere possit spicæ cum ad iustam magnitudinem peruenerint florum uice numerosos, longos, & candicantes producunt, uelutí capillos è stricto cacumine prominentes, & singuli singulis adhærent seminibus, ea detractis (cum exaruerunt tunicis) conspiciuntur pisi maioris quantitate, & sine glumis aut aristis octo aut decem uersibus in longitudinem porrectis, fungosum mediastinum undiq; amplectuntur, tamq; arctè coniunguntur, ut propter compressionem angulosa fiant, & nonnunquam rumpantur; colorem habent flauum aut croceum. inuenitur etiam peculiare genus, omnino rubentibus & nigricantibus granis. Radicibus nititur multis, obliquis & fibratis, quibus etiam accedunt fulcra quædam ab imo geniculo undiq; exeuntia, & in terrã demissa, quibus uento agitata seges sustentatur: solum amat pingue & humidum. Saporem semina habent cæteris frumentaceis dulciorem & suauiorem.

* Türckisch oder Indianisch korn.



Triticum Bactrianum. T. 2. 26. p. 651.



Asarum. T. 1. 20. p. 64.

DE ASARO. CAP. LXXXIII.

ASARVM breues per terram ſpargit coliculos, à quibus folia exeunt hederacea, trium digitorum aut duarum unciarum latitudine, denſa, rotunda & iuxta pediculum in ſinum recedentia. flores iuxta terram, foliorum pediculis annexos, primo uere producit, Hyoſcyami uaſculis ſimiles, minores tamẽ trifido labro, & introrſum curuato, colore purpuraſcentes, in quibus ſemina ſunt uitis acinorum nucleis ſimilia, minora tamen, anguloſa & breuiſſimis ueluti aculeis exaſperata. Radices per terræ ſuperficiem ſpargit perennes, numeroſas, in geniculis fibratas, iunceę gracilitatis, in pallido fuſcas, ſapore aromatum modo acri & iucundo, odore ad modum grato, uehementi & Nardum æmulante, quæ manſæ uomitum cient. uiret tota hyeme, & radicibus ſe propagat, naſcitur etiam ex ſemine. Prouenit montanis & frutetoſis locis, ſolum amat pingue & denſum, plurmúmq; ſub corylis.

DE CORRVDA. [*uel ſyluestri Aſparago aculeato.*] CAP. LXXXIIII.

COrruda Aſparagi ſpecies eſt, ſyluestri Aſparago ſimilima, præterquã quod folia non mollia, ſed aculeorum modo dura & acuminata habeat. Naſcitur iiſdem quibus ſyluestris Aſparagus locis. rarò tamen ſimul proueniunt. maior enim Germaniæ pars ſyluestri Aſparago abundat. eæ uerò Germanię regiones quæ Viennam Auſtriæ circumiacent, Corruda ſcatent. qualitates habet eaſdem quas incultus Aſparagus.

* *Corrudæ ſiue Myacanthæ imaginem ex Dodonæi libris appoſuimus.*



De

DE PHYLLITIDE. CAP. LXXXV.

PHYLLItis, quæ etiam Hemionium appellatur, plura ab uno cespite folia emittit dodrantalia aut pedalia, duarum unciarum plerumq; latitudine, acuto Rumici similia, obtusiora tamen, speciosiora, glabra & densa: à tergo ab utraq; spinæ parte oblongos, hirsutos, flauos aut rubentes, ueluti uermiculos, deinceps per transuersum, & ferè obliquum dispositos ferentia. Radicibus nititur numerosis, masculæ filici similibus, implicitis foliorum uestigiis consistentibus, fibratis, foris nigricantibus, intus autem in pallido uiridibus: neque caulem, neq; florem, neque semen fert, è uermiculis tamen foliorum, in puluerem resolutis & sparsis nascitur. Viret tota hyeme, & ab iisdem radicibus noua folia singulis annis profert, prioribus numerosiora: saporem habet tota herba adstringentem, cum tenuitate aliqua. Prouenit umbrosis & saxosis montibus: solum amat pingue, non tamen ex ipsa terra immediatè nascitur, sed ex musco lapides & præsertim calcarios tegente.

* Vnser Hirschzung.

DE POLYGONATO *tenuifolio [aliqui erectum, uel angustifolium cognominant.]* CAP. LXXXVI.

T.1.132.p.400.



POLYgonatum tenuifolium, caulem (aut aliquando plures) erigit cubitalem, iunceæ gracilitatis, teretem, leniter striatum, aliquantulum asperum & purpureis punctis seu maculis conspersum, foliis uenosis, glabris, digito paulò longioribus, semunciali latitudine, & utrinq; acuminatis uestitum, secus quæ ueris exitu oblongi candidiq; flores sunt, quibus paruę rubẽtes & rotundæ succedunt baccæ, unum atq; alterum * cartilagineum semen continentes. Radice nititur perenni, longa, digitali crassitudine, geniculis ex interuallo præcincta, in quibus singulorum caulium uestigia eaque impressa apparent, foris subflaua, intus candida & fragili in transuersum sub terræ superficie sparsa, tenuibus fibris capillata, Polygonato simili, ea gustu dulcis, simulq; amara existit. Baccæ eius asparagi baccas glutinosa substantia & sapore imitantur. Nascitur editis & montanis syluis, plurimaq; in Hercyniæ syluis.

imò tria semper.

DE POLYGONATO, *[quod uulgò sigillum Salomonis uocant.]* CAP. LXXXVII.

POLYgonatum caulem erigit cubitalem (nonnunquam etiam plures) iunci modo gracilem, teretem & glabrum, ex interuallo singulis uestitum foliis, digitali longitudine, & duorum digitorum aut unciarum latitudine, uenosis, glabris & utrinq; in obtusum mucronem turbinatis, secus quæ flores medio uere erumpunt candidi & oblongi, foliis numerosiores præ-

Polygonatum. T.1.132.p.339.



sertim à radice incepta supputatione, quibus singulæ succedunt baccæ, pisi mediocris quantitate & rotunditate, primùm uirides, in maturitate uerò nigræ, cartilagineo semine farctæ. Radice nititur perenni, longa, digitali crassitudine, ex interuallo geniculis præcincta (in quibus foliorum impressa uestigia apparent) candida, fibrata, fragili & transuersa, quæ gustata glutinosum, subdulcem et nauseabundum cum saporem tum odorem remittit, baccis eadem est qualitas. Nascitur in syluis tam planis quàm montanis.

* Polygonatum curuum seu latifolium, Germanicè Weyßwurtz/ Gelengkwurtzel.

DE POLYGONATO angulosō, [quod superiori simile est, sed caule anguloso. etc.] CAP. LXXXVIII.

POLYgonatum angulosum uulgari Polygonato per omnia respondet, præter quam quod caulem non teretem, sed angulosum proferat, & flores multò maiores, & ab inferiori parte subuirides. radices quoque non adeò tumidis turgent geniculis, & fibras non solùm ab inferiori parte, uerumetiam à superiori proferunt, qualitatibus autem uulgare polygonatum æmulatur.

DE MALVA satiua laciniosa. CAP LXXXIX.

MALua satiua laciniosa, caulem singularem erigit, humana statura plerumque multò prodeiorem, numerosis & cubitalibus adnatis ramosum, iuxta terram unciam & nonnunquam duos digitos crassitudine uincentem, modicè angulosum, glabrum, intusque angusta concauitate peruium. folia fert glabra, sub ramulorum exortu singula, inferius dodrantali quoquo uersus latitudine, in quinas, senas aut septenas (non tamen profundius incisas) per ambitum crebro laciniosas & infractas partes diuisa. quæ uerò in summis uirgis folia sunt, his magnitudine cedunt, flores per totam æstatem secus folia fert plures, paruos, candidos & quinquefolios, quibus singulis plura succedunt semina in orbem mucroni cuidam ueluti centro circumposita, quinquepartito calice insidentia. Radice nititur semestri, pedem longiore, inferiorem caulis partem crassitudine æquante, singulari, candida & fibrata, tota herba gustu dulcem, lubricum & glutinosum refert saporem. Triti caules muco similem lentorem remittunt. seritur in hortis.

De

Malua hortensis crispa.



Malua syluestris recta.



DE MALVA *syluestri recta.* CAP. XC.

MALVA syluestris recta rectum erigit caulem sesquicubitalem, minimi digiti crassitudine teretem, raris pilis hirsutum, statim à terra in ramos diuisum. folia habet longis pediculis insidentia, quinque digitorum aut unciarum latitudine, & quinquepartita. flores æstate fert secus ramos & folia syluestribus rosis similes & æquales, quinquefolios, & in ruffo candicantes, quibus in orbē disposita succedūt semina. Radice nititur semestri, pedali aut longiore, digiti crassitudine, candida & in partes distracta. tota herba gustu dulci & glutinoso sentitur. Nascitur in aggeribus, hortorum areis, & circa rudera.

DE OCIMO nigro, [Basilici specie, cuius nigra sunt semina. Herba Ocimo maiori cognata uidetur, cuius eiconem è Trago addidimus. CAP. XCI.

Ocimum nigrum. T.1.8.p.31.



OCIMVM nigrum caulem emittit pede proceriorem, per interualla binos ramulos contrario exortu & alterno positu proferentem, colore purpureos & glabros. folia sub ramulis habet sesquiuncialia plerumque paulò angustiora, in mucronem desinentia, glabra & modicè per ambitum incisa, solani foliis similia, minora tamen, in summis uirgis breui interuallo se proferūt, ueluti uerticilli colore in purpura nigricantes: à quibus candidi & hiantes prominent flores, superiori & erecta parte rubescentes, quibus dilabentibus succedunt exigua & nigra semina denticulatis caliculis insidentia. Radice nititur longa, gracili, fibrata, semestri & inutili. Tota herba uehementer odorata est. saporem habet dulcem, modicè acrem & tenuem. seritur apud nos in hortis odoris causa.

DE INTYBO nauseoso. CAP. XCII.

INTYbum nauseosum folia habet digito longiora, unciali plerumque latitudine, utrinque in partes diuisa, & hirsuta, undique per terram strata. è quorum medio duo aut tres assurgunt caules, in plures dodrantales ramulos & surculos diuisi, in quorum summitate lutei et capillati sunt flores, in pappos canescentes, qui unà cum oblongo semine auolant. floret particulatim & diu. folia enatis ramulis pereunt. quæ uero in uirgis sunt folia prædictis multò minora existunt, radicem habent paruam & fibratam, quæ unà cum foliis inferioribus liquorem incisa remittit non omnino candidum, gustu uehementer acrem & nauseabundum, cuius qualitas nullis uerbis exprimi potest. Nascitur in editis uineis, solo pingui & glutinoso.

DE COLOCYNTHIDE grandi, oblonga. CAP. XCIII.

COLOcynthis grandis, oblonga, ab una radice uiticulam emittit digitali aut pollicari crassitudine, quæ in multas alias angulosas, undique per terram aliquot orgyarum longitudine sparsas diuiditur. hæ iuxta exortum graciliores sunt. at aliquantulum reptando progressæ digiti ferè crassitudinē consequuntur, eædem dodrantali interuallo geniculis precinguntur, secus quæ capreolos emittit, & singula erigit folia longitudine & latitudine pedali, in tres partes lupuli modo secta, tactu aspera & breuibus aculeis horrida, pedalibus aut cubitalibus, teretibus, asperis,

conca-

concauisq; pediculis insidentia, ab iisdem geniculis radices in terram demittit tenues, quibus nutriendo fructui succurrit, flores secus foliorum exortum profert duplicis generis, fœcundos & steriles. Steriles longo concauoq; insident pediculo, liliiq; figuram & quantitatem habent, præterquam quod intus hirsutus & colore luteus sit, atq; labrum ipsius in quinas tantùm partes dissecetur, reliqua floris pars concaua & continua est, in cuius medio cachryi simile capitulum eminet, retro ipsum florem nullum extuberat tuberculum, quod secuturi fructus spem faciat, fœcundus autem flos breuiori, solidiori & crassiori nititur pediculo, intusq; tria crassa, hirsuta, luteaq; tubercula, staminum uice continet, quibus in fundo floris melleus liquor circumfunditur: retro florem capitulum eminet, quod decidente flore in grandem & humi procumbentem excrescit fructum, longitudine plerumq; dodrātalem, ea crassitudine, quæ utraq; manu circumamplecti uix possit, duarum ciuilium librarum pondo habet, is primum uiridem colorem, postea candicantibus maculis conspergitur, in maturitate postremo totus in luteo pallet, & circa pediculum eminentibus angulis distinguitur. dissectus, corticem primum ostēdit durum, lignosumq;, mox flauam, cartilaginosamq; carnem, & in medio eius sex ordines seminum candidorum, oblongorum, acuminatorum, latorum & planorum. in quibus candidus est nucleus. Radice nititur semestri & admodum breui, à qua aliæ multæ candidę in diuersas partes exeunt, longitudine cubitales, & funiculorum modo tenues. quod si quis plantam hanc humi repere nolit, supra cameras perticis extructas ducas, ea enim ratione capreolis baculos apprehendet, & attegias siue scenas faciet. Saporem fructus habet amarissimum & grauem odorem, seminis autem nucleus dulcis est. Seritur spectaculi gratia in latis hortorum areis.

DE COLOCYNTHIDE *grandi, rotunda.* CAP. XCIIII.

COLOcynthis grandis, rotunda, oblongæ grandi et colocynthidi, uiticulis, capreolis, floribus, foliorum magnitudine, radicibus, asperitate atq; omnibus aliis accidentibus similis & æqualis est. duobus tantùm differt. folia namq; in quinas partes diuisa habet, fructúsq; minores superficie æquali, pondere ciuilem librā excedentes, & globi instar rotundos aut modicè planos utrinq; tam circa pediculū quàm floris uestigium modicè eminentibus angulis distinctos: quibus color est primùm uiridis, in maturitate uerò pallidus, qui dissecti substantia, seminum ordine & figura oblongis similes sunt, præterquam quod nonnunquam octonos seminū ordines habeat, ac totidem quoq; oblongæ colocynthidi contingere possunt. Sapore et odore oblongæ respondet.

DE ZVCHA *rotunda, mediocri.* CAP. XCV.

ZVCHA rotunda, mediocris uiticulis, capreolis, foliis, floribus, radicibus, asperitate, atq; omnibus aliis proprietatibus oblongæ & grandi colocynthidi similis existit: fructum uerò habet globi modo rotundum, aut modicè compressum: in superficie modicè, ita ut uix appareat tuberosum, quàm grandis, rotundæ colocynthidi paulò maiorem, pondere ciuilis libræ unius cum dimidia: principio uiridē, deinde maculosum, in maturitate uerò luteum: qui dissectus luteam carnem ostendit, & in medio eius sex latorum, oblongorum, acuminatorum, candidorumq; seminum ordines, quibus candidus inest nucleus. Saporem habet fructus dulcem, semen uerò dulciorem. seritur prædictorum modo.

DE ZVCHA *rotunda minore.* [*Zucha Italis Cucurbita est. Matthiolus zuchas Indicas depingit.*] CAP. XCVI.

ZVCHA rotunda, minor per omnia mediocri similis est, preterquam quod folia latiora habeat, fructus autem minores, sed eminētioribus angulis striatos,

& in superficie magis tuberosos, quorum etiam cortex multo lignosior & durior est quàm mediocris zuchæ, carnem habent ferè croceam, et senos seminum ordines, sapore mediocri zuchæ respondet, cui etiam similiter colitur.

DE COLOCYNTHIDE *turbinata.* CAP. XCVII.

T. 2. 98. p. 828.



COLOcynthis turbinata uiticulas, capreolos, folia & flores grandi & oblongæ colocynthidi similes profert, & similiter per terram repit, sed omnes partes tenuiores habet. fructum producit piri modo turbinatum (cuius pyramis circa pediculum est) ouo maiorem in maturitate flauum, & candicantibus lineis per longitudinẽ distinctũ, foris durũ et lignosum, intus autem fungosa carne plenum, in qua quatuor oblongorum, planorum, paruorum ac candidorum seminum ordines continentur. Radicibus nititur prædictis similibus, sed minoribus multò, quibus semestris est uita, è geniculis autem nullas in terram demittit radices. Saporem habet amarum, ut prædictæ colocynthidis species, quibus etiam similiter colitur.

DE COLOCYNTHIDE *oblonga, glabra.* CAP. XCVIII.

COLOcynthis oblonga, glabra, uiticulis, capreolis, foliis, flore & radicibus grandi & oblongæ colocynthidi similis & æqualis est, folia tamẽ quoquouersus dodrantẽ uix excedunt, & non longè à mucrone duabus incisuris, sed non profundis in tres partes diuiduntur: fructum habet oblongum, eidem colocynthidi similem, sed sine angulis & omnino glabrum, minoremq́, nam longitudinis circumferentia quindecim uncias: raro excedit, latitudinis uero duodecim uncias complectitur, colorem habet primũ uiridem, in maturitate uerò obscurè luteum ac in pallorẽ saturatum degenerantem, seminum ordine, colore & quantitate, atq; carnis substantia, colore ac sapore prædictas colocynthides æmulatur, quibus etiam similiter in hortis colitur.

DE CVCVRBITA *Cameraria*. CAP. XCIX.

T.2.97.p.824.



CVCVRbita cameraria quæ ante camerarum fenestras seritur, uiticulam ab una radice emittit, quæ in multas alias angulosas, teneras & modicè concauas uiticulas diuiditur, folia ex interuallo proferentes, singula ferè rotunda, nisi in iis anteriori maximè parte tres plerunq; acuminati anguli eminerent: eadem eminentiis quibusdam breuissimis rarisq; per ambitum circumuallantur, & tactu mollia sunt, foliorum Altheæ modo, magnitudo eorum seu latitudo secundum natalium diuersitatem uariat, fœcundo autem aprico et humido solo, apud nos in Germania pedem cum quadrante interdum latitudine excedunt: pediculus iis est longus, tener, leniter hirsutus, modicè concauus et propemodum teres, si non modicè canaliculatus esset eo latere. quo superiori foliorũ parti respondet. capreolos secus folia producit singulos, quibus affixos baculos & perticas apprehendit, in magnam altitudinem ascendens, flores iuxta folia & capreolos fert figura liliaceos, partim steriles, partim uerò fœcundos, utrinq; quinis candidis, intus hirsutis, sesquiuncia longioribus, uncia paulò angustioribus, foràsq; modicè reflexis & repandis constant foliis. differunt tamen inter se. Siquidem steriles breues habent in medio apices & hirsutiores sunt, nec quicquam habent tumidi post se (ubi pediculo iunguntur) quod sequuturi fructus spem faciat. Fœcundi uerò in medio tria crassiuscula, bifidaq; stamina continent, nec immediatè pediculo iunguntur, nam inter ipsos flores & pediculum paruum & leniter hirsutum extuberat, quod tenera cucurbita est, capitulum, iuxta annexum in angustum collum desinens, quod marcescente flore paulatim accrescit, deinde ab autumno in magnam molem, quam cucurbitam uocamus auctum maturescat, magnitudo & forma non est eadem omnibus cucurbitis: quædam enim longæ sunt, quædam uerò inferius uentrosæ existunt, & superius in angustum collum coarctantur. Cum apud nos in Germania feliciter enatæ maturuerint, longę quinos, senósq; pedes longitudine & dodrantem cum uncia assequuntur, maximè si pensili licentia concessa, liberè pependerint. Ventrosæ autem interdum in duorum pedum longitudinem & pedalem latitudinem adolescunt: utrumq; tamen genus frequentius minus capit incremen-

tum. eam enim magnitudinem quam posuimus non semper nec ubiq; consequuntur, color omnibus est in maturitate flauus, durúsq; & ligneus cortex, pulpa teneris est candida, gustu dulcis, maturis uerò fungosa, seminibusq; plena, præterquam in collo: nam eo loco uentrosæ nullum semen continent: longitudo semini uncialis est, latitudo autem semuncialis: idem planum et compressum est, atq; anteriori parte modicè acuminatum, posteriori uero latiusculum, duobusq; eminentiis cornutum. corticem habet lignosum, candidum, acuminatum, compressum, gustuq; dulcem nucleum claudentem. Radice tota herba nititur candida, in multas tenues partes distracta, eaq; semestri: in hortis sata cameras perticis extructas ascendit & obtegit, facitq; iucundas frigidásq; scenas, latis foliis solem arcens, seritur etiam in hortis pensilibus, ante cameras & fenestras, ut dictum est. unde hoc cucurbitę genus camerarium Romani appellabant, ut Plinius testatur.

DE CVCVRBITA *Plebeia.* CAP. C.

CVCVRbita Plebeia uiticulis, foliis, floribus & semine camerariæ similis est, fructum tantùm dissimilem producit, cui duorum dodrantum aut nonnunquam cubiti apud nos est longitudo, latitudo uerò quincunx aut sextans, forma sunt inæquali: nam inferius longum habent uentrem, à quo in longum nec angustum collum desinunt, interdum etiam incuruantur. Est & alia, quibus distinguuntur, differentia. cameraria altitudinis auida est, plebeia uerò humi prorrepit, quoquouersus uiticulas suas spargens. Saporem habet dulcem, carnemq; cum tenera adhuc est, quæ edendo sit.

DE BRYONIA *nigra,* [*quæ baccis tantùm nigris ab alba differt.*] CAP. CI.

BRYonia quæ nigras fert baccas, ab una radice uiticulas emittit plures, tenues, longas & angulosas, foliis asperis, scabris & forma uitigineis similibus uestitas. secus quæ singuli, longi, intortiq; exeunt capreoli, arbustorum uirgas & sepium sarmenta apprehendentes, quo facilius ipsæ uiticulæ, alioquin infirmæ, sepes scandant, quas ubi ascenderint, in omnes partes reptantes se expandunt: flores à ueris exitu usq; post medium æstatis fert paruos, foliaceos, colore pallidos, pauca intus stamina habentes, quibus singulę succedunt baccæ seu acini, mediocris pisi quãtitate, forma rotundæ, colore primum uirides, in maturitate uerò nigræ, & in exiguos racemos congestæ, tactu molles, intusq; lubrico & glutinoso succo plenæ, quo quina senáue semina continentur, cannabis colore & quantitate, sed modicè acuminata, in latitudiem compressa, & candidum nucleum intra se claudentia. Radice nititur perenni, secundum ætatem grandi carnosaq;, longitudine plerumq; cubitum excedente, crassitudine brachij aut tibiæ, longo rapo aut Raphano simili, capite multis ceu uerucis tuberoso, in profundo in duas uel tres partes distracta, colore, foris in candido cineracea, intus autem candida, aut buxi modo pallida, quæ gustu amara & subacris est, cum adstrictione non pauca, & aliqua nauseosa qualitate abundati, eadẽ lubrico & glutinoso succo, & grauem odorem spirat, baccę siue acini, radicem qualitatibus æmulantur, minus tamen siccant. Colligitur primo uere mox prodituris asparagis, ex radice aqua, pręsecto radicis capite, & excauata radice, quæ in cauum, (singulis diebus matutino tempore tollenda) confluit. ischiadicis utilis. Nascitur in sepibus.

DE BRYONIA *alba seu ruffa.* [*Radix enim alba est, acini rubent.*] CAP. CII.

HANC Bryoniæ speciem ob radicis candorem albam nominare cuiuis licet, eandem propter acinorum ruborem ruffam uocare minimè absurdum est, ui ticulis

Bryonia alba.T.2.95.p.820.



ticulis, foliis, capreolis, floribus, acinorum figura & substantia, & radicis mole nigræ similis est. differt tamen ab illa quòd acinos habeat rubentes, et radicem tam foris quàm intus candidiorem. succum radix habet nigra paulò uiscosiorem, easdem habet cum illa qualitates, sed efficaciores. Nascitur iisdem quibus illa locis, plurimaq; in Vuirtenbergensi Sueuia atq; Renana prouincia. in Hessia uerò, Saxonia, Vuestphalia, Pomerania, Marchia, Vuittebergensi Electoratu, & Misnia nondum uidi nasci. nam hæ regiones nigra tantùm abundant.

* Stickwurtz/Teüffels kirsche.

DE ZVCHA *maiore longa, [cuius fructus grandi & oblongæ Colocynthidi similis ac dulcis est.]* CAP. CIII.

ZVCHA maior longa, uiticulis, foliis, capreolis, floribus, seminibus, radicibus & asperitate, grandi oblongæq; colocynthidi similis existit. fructu uerò eiusq; sapore ab illa differt. siquidem figura est longus, in longitudinis circumferentia uiginti sex plerumq; uncias complectens, latitudinis uerò ambitu octodecim uncias rarò excedit. Pondere autem quinq; libras sex unciis superat, pediculo hæret crasso, anguloso, nigro, solido & tactu aspero: à cuius annexu contigui inter se & tereti superficie exeunt anguli, ipsum fructum circa pediculum ueluti crassioribus striis ornantes. colorem habet principio uiridem, & candicantibus maculis conspersum: in maturitate uerò citrinum, superficie constat aliquantulum tuberosa, cauernosaq;. gustu dulcedinem resipit. Colitur in hortis.

DE ZVCHA *maiore rotunda.* CAP. CIIII.

ZVCHA maior rotunda, uiticulis, foliis, capreolis, floribus, seminibus, radicibus atq; asperitate iam dictæ longæ zuchæ similis est, folia tamen figura aliquantulũ ad uitis ac ficus folia accedunt. Fructum fert globi modo rotũdum, aut modicè in latitudinem depressum, crasso, anguloso, aspero, solidoq; pediculo hęrentem, (à quo longæ iusta anguli circumquaque exeunt) longitudinis circumferentia uiginti duas aut nonnunquam plures, paucioresue uncias complectentem, ambitu uero latitudinis uiginti quatuor uncias nonnunquam excedentem, pondere autem quinque libras atq; octo uncias habentem, colore & cauernosa superficie lõgam maiorem zucham æmulantem. saporem habet dulcem, aqueo succo dilutum. Colitur ut longa.

Quærendũ an hæc sit zucha Indica Matthioli.

Z

DE ZVCHA *grandi, rotunda, glabra.* CAP. CV.

ZVCHA magna, glabra, rotunda, maioribus zuchis uiticulis, foliis, capreolis, floribus, seminibus, radicibus & asperitate similis est. fructum producit grandi & rotundæ zuchæ figura similem, tam longitudinis quàm latitudinis ambitu uiginti duas plerumq; uncias complectentem, pondere autem quinque libras duabus unciis excedentem, pediculo crasso, anguloso, aspero, nigro solidoq; hærentem, à quo eminentes prodeũt anguli, undique per fructus latera transeuntes, donec circa floris uestigium collecti, rursus coniungantur. colorem habet etiã circa maturitatem in nigro subuiridem. Si uerò serenus & tepidus fuerit autumnus citrinum colorem induit, quod si cœlum frigidum & triste fuerit, tepido loco fouendus est, ut citrinescat. Carne constat flaua & dulci. Colitur prædictorum modo.

DE MELONE. CAP. CVI.



MELON quem ueteres cucumerem appellant uiticulas per terrã spargit asperas, bicubitales aut nõnunquam longiores. à quibus breui interuallo folia exeunt, inrotundo modicè angulosa, plerũque trientalia aut quadrãtalia, iuxta pediculum quam alibi latiora, aliquantulũ incisa, modicè serrata & aspera, secus quæ singuli intortiq; se proferunt capreoli, & iuxta hos flores foliacei in pallido flaui, qui partim steriles, partim fœcundi sunt. steriles post se nihil habent tuberosum: fœcundi uerò à tergo habent tuberculum, quod paulatim in fructum excrescit grandem, globosum, per longitudinem undiq; impressis angulis striatum, subscabrum, colore in cæsio flauum, magnitudine secundum regionum temperiem uariantem, plerumq; tamen tam longitudine quàm latitudine sex uncias excedit, uariat etiam figura, partim enim exquisitæ sunt rotunditatis, partim etiam oblongi: dissectus per longitudinem fructus, primùm ostendit subuiridem corticem, mox carnem teneram,

mollem,

mollem, succosam, colore in flauo croceam, gustu dulcem, suauem atq; aliquantulum odoratam, in medio autem fructu pulpa est mollis, mucilaginosaq;, candidis, oblongis, acuminatis atq; compressis seminibus plena: quibus foris est lentus cortex, intus uerò candidus nucleus gustu dulcis, cum siccatus fuerit, pinguis & oleosus, semina integra longitudine semunciam habent, eam tamen plerumq; excedunt. Radice nititur oblonga, candida, carnosa & semestri. Colitur in hortis, copiosissimusq; Bambergi.

DE MELONE *moschatellino*. CAP. CVII.

MELON moschatellinus uiticulis, foliis, floribus, fructu, radice et asperitate, uulgari similis est, omnia tamen habet minora, teretioraq;, folia quoq; concinniora sunt, fructus gustus suauitate uulgarem excellit, atq; aliquem moschi odorem præ se fert, unde nomen inuenit. Culturam apud nos diligentiorem desiderat.

DE PEPONE. CAP. CVIII.



PEPO non habet suum proprium genus, à Melone diuersum. Nam ut Plinius inquit libro nono, capite quinto, Cucumeres cum magnitudine excessere pepones uocantur. Veteres namq; (ut antè etiam dictum est) cucumeres appellabant, quos modo Melones uocamus, neq; usquã inuenitur apud antiquos scriptores, Melonis uocabulum in hac significatione. Est itaq; Pepo grandis melon seu cucumis, ob magnitudinẽ & maturitatẽ, molliori, fluidioreq; carne & pulpa constans, huius plures species nouerunt hortulani, uulgares gustu Melones imitantur. qui uerò Germanicè Melpfeben appellantur, quasi Alphitopepones. farinæ modo in gustantium ore dilabuntur, succoq; qui propriè sic uocetur carentes. Bambergi felicissimè proueniunt.

DE COLOCYNTHIDE *grandi, candida.* CAP. CIX.

COLOcynthis oblonga, candida, grandis, uiticulis, foliis, capreolis, floribus, fructus quantitate, semine, radicibus, asperitate atq; amaro sapore, oblongæ, grandi & flauæ colocynthidi similis est, solo ferè colore huius fructus ab illius fructu differt, siquidem principio uiret, mox albicantibus, inæqualibus maculis ceu nubeculis aspergitur, postremo in maturitate totus albicat. Colitur in hortis prædictorum modo.

DE COLOCYNTHIDE *fungosa & leui,* [*uulgari.*] CAP. CX.

COLOcynthis leuis, quæ in frequenti usu est, uiticulas per terram spargit asperas, Meloni similes, in quibus folia sunt aspera & scabra, longitudine quadrantali aut maiore, latitudine paulò minore, in mucronem desinentia, atq; utrinque ex obliquo, & profundius in ternas plerumq; partes secta, ipsæ quoque partes suas incisuras habent. flores secus folia producit luteos, partim steriles, partim fœcundos, quos ex prædictorum descriptionibus discernere licebit. Fœcundos autem flores fructus sequuntur pilæ quantitate & rotunditate, à principio uirides, in maturitate uerò flaui, qui postq; exaruerunt ferè extremam leuitatem acquirunt, cortice uestiuntur propemodum coriaceo, quo detracto, candida apparet leuisq;, inanis, & fungosa pulpa, in qua per orbem longæ cauernulæ sunt, piro similibus seminibus plenæ, colore spadiceis, duro cortice candidum nucleum claudentibus. Radice nititur oblonga, fibrata, candida atq; semestri. Fructus saporem habet amarissimum, nulla alia saporis specie admixta. Colitur apud nos, sed paucissimis. trans maria uerò in calidioribus locis sponte in asperis gignitur.

DE CVCVMERE *Puniceo,* [*alij Momordicam uel Charatiam uocant.*] CAP. CXI.

CVCVmis puniceus, quem pleriq; Momordicam & Charatiam uocant, uiticulas emittit numerosas, graciles & angulosas, lõgitudine bicubitales aut tricubitales, undique foliorum plenas, quæ uitis aut Bryoniæ foliorum modo in partes secta sunt, tactu aspectuq;, glabra & mollia, latitudine quoquouersus trientalia, quadrantaliáue, capreolos secus folia singula producit, quibus intortis uicinos surculos Bryoniæ modo apprehendit, affixas uirgas ascendens. Flores æstate è foliorum sinu enascuntur, antequam aperiantur uiridi inclusa alabastriculo, postea se in quinque foliola ad florum foliorum spacia trãsitura, aperiente quinis paruis, modicè ex rotundo turbinatis, rugosis, luteisq; foliis constantes, latitudine interdum unciam excedentes, quorum aliqui steriles, aliqui uerò fœcũdi sunt. Steriles pauca, breuia, luteaq; stamina in medio habent, sed nullum post se tuberculum quod secuturi fructus principium sit. Fœcundi uerò terna reflexa, bifidaq; stamina in medio continent, & retro se oblongum capitulum secuturi cucumeris rudimentum, quod dilabentibus florum foliolis, paulatim in fructum excrescit oblongum, figura plerumque ouatum, superficie tuberosum, aculeis horridum, colore in ruffo puniceum, longitudine interdum Bessis, latitudine uerò sesquiunciam rarò excedentem, cartilaginea & rubente carne constantem, qui cum autumno iamiam imminente gelu maturitatem consequutus est, rumpitur ac dissilit, grauidamq; aluum seminibus ostendit, longitudine semuncialibus, latitudine angustioribus, anteriori parte modicè acuminatis, posteriori autem rotundis, planis ac ueluti compressis, fusco nigroue, aliquantulum rugoso, aspero, atq; ualde duro cortice, candidum nucleum,

propor-

T.2.130.p.899.



proportione, toti semini similem, claudentibus. Radice nititur semestri, breui, minimo digito graciliori, et in fibras desinente, foris candicante, intus pallida. quæ gustata primum aliquam dulcedinem resipit, mox parua amaritudine atque acrimonia manifesta, gustus organa afficit, saliuam ciens. nuclei dulcem habent saporem, cum qualitate nauseam minante. At ipsius fructus cartilago Colitur apud nos magno studio, solum amat pingue, suspensum, crebram rigationem atq; assiduos solis radios.

FINIS LIBRI I.

VALERII CORDI DE plantis, liber II, quo illas præcipue persequitur, quarum historia à ueteribus uel exactè tradita non est, uel omnino prætérita.

Quàm uarijs rerum ludat natura figuris,
Sola uel herbarum turba docere potest.

DE RANUNCULIS: *Et primùm de primo uel palustri: deinde de reliquis tribus à Dioscoride descriptis formis: tum de alijs quibusdam.*
CAP. I.

Ranunculus palustris. T.1.30.p.93.

* Vulgò Frosch pfeffer.





RANUNCULUS multas species habet: quarum prima in pinguibus, aquosis & uliginosis locis prouenit. caulem profert cubitalem, & aliquando proceriorem. habet is adnata ramulosque multos. folia coriandri modo incisa sunt, multò tamen maiora, pinguiora, pallida & glabra. flores fert copiosos, unde & polyanthemos appellatur, foliaceos, (ut omnes eius species) luteos, & aliquando purpureos (hos autem rarò apud nos) minores etiam quàm reliquæ eius species. semen paruum, densum & copiosum, in oblongo ceu capitulo. radices habet multas, candidas & capillatas, ex uno capite prodeuntes, sapore subamaro & acri: caules quoque, folia, flores & semina gustu acerrima sunt. Habet hæc præ cæteris apud nos prouenientibus, exulcerandi uim maximam.

SECUNDA *species.*

* Sardous Ranunculus.

ALTEra Ranunculi species copiosè in Sardinia nascitur, unde illi Sardoæ uel Sardiniæ herbæ nomen. differt à priore, quòd lanuginosa, & pluribus foliorum incisuris spectetur.

Tertia

TERTIA species.

TERtia minima est. nascitur in dumosis, subhumidis, & stirpibus confertis locis, coliculo assurgit ferè dodrantali, & unico: cui tria folia contrariis pediculis canalium modo cauis adnascuntur. folia singula in plures diuiduntur incisuras: è quorum medio unus flos luteus, foliaceus, intus eiusdem coloris, stamina rosarum modo habens, emicat. dilabentibus florum foliolis, remanet in medio capitulum, unde enascebantur stamina, quod fabæ magnitudinem capessit, leuiter aculeato semine constans. Radicẽ mitit transuersam, crassitudine iunci, foris subrubram, intus uerò candidam, sapore ualde ingrato, qui uix definiri possit. folia & pars coliculi flori uicinior maximam habent acrimoniam.

QVARTA species, cognata tertiæ.

QVARTA huic figura simillima est, sed magnitudine paulùm excedit: folia tantùm nigriora habens. florum uerò foliola candida sunt: in quorum medio lutea (ut in tertia) stamina uisuntur. nascitur iisdem quibus tertia locis: utriusque radix uenenosa esse dicitur. Hæ autem sunt ranunculi species, quarum Dioscorides meminit, præter has uerò sunt aliæ, quas nos enumerare iam incipiemus.

Ranunculi genus, quod uulgò à mense Mertzenblůmen uocant, id flores uel albos, uel roseos, uel luteos profert.

T.1,30.p.95. ad tertiam speciem.



Ranunculus aruensis. ad quintam speciem.



QVINTA species.

QVINTA plerumq; in cultis prouenit, primæ similis, minoribus tamen & tenerioribus foliis: graciliori, cõcauo et singulari caule, paucioribus floribus colore luteis, quibus singula subnascuntur capitula, in quinque, sex aut septem aculeatas partes (quæ semen sunt) diuisa. Radicibus nititur polyanthemi similibus, cui qualitate etiam respondet. Nascitur in aruis.

* Ranunculus segetalis, Acker Hanenfüß.

SEXTA species, flammula. [Nostra Flammula ceu rapulum in radice habet. Vide in octaua.]

SEXTA est quæ à quibusdam ob igneam mordacitatem flammula uocatur, iisdem nascitur locis. latioribus foliis iisdémq; hirsutis, pluribus ab una radice hirtis caulibus. flores hæc maiores profert egregii splendoris, dilabentibus florum foliolis, capitulum è medio enascitur rotundum, asperumq;, paruis planisq; seminibus constans.



SEPTIMA species.

* Gefülter Hanenfüß.

SEPTIma coronaria uocatur, quæ in hortis ad usum coronarum seritur: estq; factitia potius quàm natiua, folia habet circa cubitales caules apio similia, hirsutâque, profundius secta: flores luteos egregii splendoris, non quinq; sed pluribus foliolis farctos.

* Tragus Ranunculum syluestrem tum dulcem tum acrem, cultura multiplicare flores ait. Nos etiam album multiplicem habemus in Heluetijs.

OCTAVA species. [Hæc fortè est quam pingit Tragus libro 1. c 30. hac Icone, nisi sexta sit præposita.]

OCTAua lata, nigra & profundius secta habet folia: circa cubitales ferè caules, floribus, capitulis & qualitatibus sextæ similis.

NONA species. [quam nostri Flammulam uocant, non sextam.]

NONA subasperis & incultis locis prouenit, cognomento rotunda: folia, flores, capitula & caules sextę similes profert, ni breuiores essent caules. radicem habet paruam, globuli modo rotundam, à qua graciles & candidæ descendunt fibræ. Germanicè Grüßwurtz appellatur.

* Runder Hanenfüß.

Ranunculus minor, flammula. ad nonam speciem. T. 1. 137. p. 413. ad decimam speciem.



DECIMA species. [quam aliqui Anemonis adnumerant, Germani Kuchenschell uocant.]

DECIMA leptophyllon & comatum cognominare possumus, folia habet agresti pastinacæ similia, è quorum medio singularis exit caulis, cuius mediū aliud folium incisuris diuisum, ac si multa essent amplectitur: in summo unicum florem sustinet, grandem, purpureum, foliis oblongis & repandis constantem. in quo

ſtamina lutea . quæ uerò in medio ſunt ſtamina in hirſutam comam mutantur, ſub quibus ſemen eſt clematidi ſimile.

* *Anemone quibuſdam*, Kucheſchell/Hackerkraut. *Ad Rhenum*, Gadeloſen.

VNDECIMA *ſpecies.*

VNDEcima in montibus naſcitur, quartæ ſpeciei caulem foliaq; ſimilia habet aſperiora tantùm, florem item candidum ſed maiorem, è cuius medio, poſtquã folia floris defluxerint, capitulum auellanæ magnitudine enaſcitur, totum candida lanugine conſtans, in qua ſemen paruum, acerrimi ſaporis inuenitur. Radicibus nititur nigris, tenuibúſq;.

* Weyſſe biʒwurʒ *Heluetijs, uel* Grawmeñle, *uel* Groß Schneeblůmen, *eadem uel cognata eſt.*

DVODECIMA *ſpecies.*

DVODEcima platyphyllos non impropriè diceretur. Caules cubitales erigit, foliis oblongis, interius ueſtitos lauri ſimilibus, gracilioribus tamen. flores, capitula, & radices octauæ reſpondent.

Ranunculi ſpecies duodecima Cordo. Reperitur & læuibus & ſerratis folijs.

Chelidonium minus. T. 1. 35. p 113.




DE CHELIDONIA *minore*. CAP. II.

CHELIdonium minus cuius florem Virgilius in quarto Georgicorum amellum uocat, folia primo uere (circa hirundinum aduentum) ex una radice multa fundit longis pediculis, hederæ foliis similia minora tantùm, mollia & pinguia, & quà pediculis iunguntur in sinum utrinque excurrentia: inest mediis foliis purpurea macula, quæ tamen in locis plus æquo humidioribus illis deest, coliculos ex uno radicis cespite, multos eósque singulares sine ramulis mittit, teneros, rubentes & concauos binis plerunque contrariis foliis uestitos, in quorum summitate flos est luteus & aurei splendoris, stellæ modo per ambitum radiantibus, in eo foliolis pallidioribus, nec adeò splendentibus, ubi in medio staminibus (quæ & ipsa lutea sunt) iunguntur. radices subsunt candidæ, multæ, coaceruatæ tritici granis similes, maiores tamen, & ad oliuæ cornique nucleorum magnitudinem accedentes, quarum superior & germinibus propior pars gracilior existit, radices quoque triticeis granis similes, ex coliculorum geniculis iuxta foliorum eruptionem emittit ubi ipsi coliculi in terra sternuntur. Sapore tota herba est subacri & aspero. nascitur humentibus & planis, & incultis locis.

DE CHELIDONIA *palustri*, [*Ego Caltham palustrem uocarim: nostri* Moßblůmen.] CAP. III.

T. 1. 44. p. 141.



CHElidoniũ palustre, minori Chelidoniæ similis est, per omnia tamen maius, minus rubent huius coliculi, folia item profundiore circa pediculum sinu constant, & purpureis maculis carent. est etiam alia differentia, quòd minoris Chelidoniæ coliculi sine ramulis nascantur. hoc uerò circa singula in coliculo folia binos emittit ramulos cum in minore Chelidonia bina semper folia singulares coliculos uestiant. Flores in summitatibus singulorum coliculorum singulos producit luteos, paucioribus tamen rotundioribus, multoque maioribus foliolis quàm illius, constantes: in quorum medio stamina eiusdem coloris uisuntur. radices uerò subsunt minori Chelidoniæ dissimiles: hellebori radicum fibris similes, foris obnigræ, intus candidæ, longæ, graciles & insipidæ, folia florésque similem minori Chelidonio saporem habent. nascitur uliginosis pratis & palustribus locis: iisdem quibus minor Chelidonia temporibus * Capitulum seminum est echinatum.

* Wyesenblůmen/Dotterblůmen.

DE CHELIDONIA *phragmite*, [*falso hactenus usurpata pro Aristolochia rotunda apud Germanos.*] CAP. IIII.

CHELIdonia phragmitis, quam Aetius Capnium, Plinius uerò Capnum phragmitem & pedes Gallinaceos appel-

.T.2.78.p.767.



lat. Nomẽ ſuum inuenit, quôd primo uere circa hirundinũ aduentum germinet ac floreat. Capnium uerò & Capnius phragmitis dicitur, quoniam herbæ priuatim capnus dictę, floribus et foliis ſimilis ſit, quódque circa ſepes & dumos naſcatur. Duplicis eſt hęc, ut ſubiungemus iam, differentię. una eius ſpecies coliculos, plerumq; duos diuaricatos, rubentes, longitudine dodrantales ex una radice profert: in quibus folia ſunt tria ſemper, ex uno pediculo exeuntia, & in plura inciſa, media inter capnum, rutamq; figura & quantitate tenera, ab inferiore parte tenuiſſimas uenulas ceu lineas habentia. ſubeſt coliculis ubi terræ iunguntur, folliculus pallidus, concauus, ſuperius apertus, gallinaceorum calcaribus ſimilis (unde & nomen) in quo antequam prorumperet tenella adhuc germina continebantur. flores primo uere profert in ſummis coliculis purpureos, paruos, oblõgos, concauos, ex una parte in acutam caudam, ex altera uerò ceu in bubonis caput deſinẽtes, habetq; totus flos antequam aperiatur minimę cuiuſdam auiculę figuram, qui deinde circa caput inhiantem rictum panditur. Semen in ſiliculis breuibus & latiuſculis fert nigrum, rotundum & lentis modo planum, ſplendidiſſimum, duplici ordine. nam utriſque ſilicularum commiſſuris adnaſcitur, ipſi quoq; ſemini candidum quiddam adnaſcitur. ſtatim primo uere ex uiridibus adhuc ſiliculis fiſſis ſemen excidit. Radicem habet globuli modo rotundam, minimi meſpili magnitudine, tenui & ſufflauo cortice ueſtitam, intus uerò candidã, cuius exterior pars cum floret rara & flaccida, interior uerò ſpiſſior nuclei modo exiſtit, quæ & ipſa in ſe adhuc minimum nucleum ceu centrum continet. Altera illius ſpecies huic ſimilis eſt in omnibus partibus, quæ ſupra terram ſunt, flore tantum copioſiore, cuius color in iiſdem natalibus in alio coliculo purpureus, in alio cãdidus, & in alio in candido uiridis interdum apparet, habentq; flores minima quędam circa ſe foliola, ubi ex coliculo naſcuntur. Radicem uerò priori ſimiliter bulboſam, quæ quamprimum herba floruerit, rumpitur & concaua fit. quæ concauitas deinde terra repletur, radices hæ foris denſiores ſunt, & confractæ, in uiridi pallidũ colorem oſtendunt, naſcitur ſimiliter ut prior illa circa ueteres uiuas ſepes atq; uepres, pinguius tamen quàm illa ſolum diligit.

DE SISYRINCHIO, [*cui radices plerumq; duæ, piſi quantitate, ſibiipſis inſidentes, etc. flores lutei.*] CAP. V.

SISYrinchion primo uere folia croco ſimilia emittit: ſecus quæ coliculum tenerum, longitudine ferè dodrantali producit, in quo unum & alterum folium eſt, antedictis multò breuius, & hirſutum: è quorum alis pro numero foliolorum eorundem

dem flores lutei Chelidonii minoris foliis * similes, nascuntur: quorum foliola foris in luteo uiridia existunt. stamina in flore numero & positura foliolis respondent: in quorum medio exerit se triquetrum capitulum, ut in uiolis purpureis post florem, pallidum, eiusdem coloris apicem habens. Radices subsunt plerumque duræ pisi quantitate, sibiipsis insidentes, foris interdum luteæ, intus uerò candidæ, dulces & hordeum * pisumque aqua maceratum sapore imitantes, numerosam à radice remittit sobolem milii quantitate & figura: quæ postquam proximo anno excreuerit, (non eodem sed altero anno,) caules florésque producit. Nascitur arenosis, iisque aliquantulum humentibus aruis. Qui uerò in pingui planóque solo sub arboribus nascitur, quò fluuiorum inundationes perueniunt, maior quidem est, sed sapore & uiribus ignauior.


* forte floribus.

* Inde quidam Erdmaltz appellant.

* *Sparganium minus olim Odus appellabat. Vide an Hyancintho paruo cœruleo Fuchsij cognatum sit, uel potius Gladiolo.*

DE PETASITE. CAP. VI.

T. 1. 138. p. 415.



PETASItes, quæ propter foliorum cum petaso similitudinem sic dicitur, Bechio cognata est, & statim primo uere cum bechio & Chelidonia omni erumpit ceu uua purpurei coloris, quam paulatim coliculus rubens digitali ferè crassitudine protrudit, ceu foliolis oblongis, rubentibus, & in cauitatem inflexis ab inuicem distantibus plenus, quæ operimentum in terra adhuc contentæ uuæ fuerant. uua autem ipsa postquam eruperit, in multa et ab inuicem distantia capitula diuiditur: in quibus numerosi minimi & stellæ modo radiantes, intus purpurei, in extremitatibus uerò candidi nascuntur flosculi, singuli in medio singulare stamen candido colore exerentes. coliculus processu temporis resolutis in pappos floribus flaccessit & perit, à quo tempore folia, quæ à radice post florem erumpunt, incrementum accipiunt usque ad autumnum, ea sunt prius bechii foliis similia, nigriora tantũ, cum uerò ad iustam magnitudinem peruenerint, cucurbitinis foliis figura similia fiunt, quibus neque magnitudine etiam in autumno cedunt. Radicem habet magnam geniculis præcinctam, cui à lateribus aliæ graciliores ceu propagines adnascuntur

geniculatæ & ipsæ. habet tota herba cum radice, præsertim si digitis conteratur grauem odorem. Nascitur pinguibus & uliginosis locis, & iuxta pigros profluentes.

* Pestilentz wurtz/Groß Letschen

DE POLYGALO: [*Quidam non rectè Hedysarum, neq; melius alij Fœnograecum syluestre nominant.*] CAP. VII.

POLYgalon caules dodrante longiores profert cui utrinq; folia usque ad summũ cacumen adnascuntur, ea alterno ordine ex oppositorum spacijs prodeunt, & lenti similia sunt, latiora tantùm, & multa contrarijs utrinq; pediculis uni ramulo innituntur, extremitate uerò unum folium plerumque imparem numerum efficit. exeunt è singulis alis secus folia longi pediculi, quibus in summo est coma purpureis floribus plena, qui cum casuri sunt paulatim flauescunt. floribus succedunt uiciæ similes siliculæ: in quibus semina lentibus æqualia sunt. radicem unam atq; alteram habet dodrantali longitudine, digitali uerò crassitudine, colore flauam, & sapore dulci & leniter acerbo.

* *Glycyrrhiza syluestris. conuenit enim glycyrrhizæ sapore radicis.*

Polygalon. T. 2. 5. p. 599.



Erucula maior. T. 1. 32. p. 102.



De.

DE ERVCVLA *maiore.* CAP. VIII.

ERVCVla olus est mediam quandam brassicæ & Erucæ similitudinem referens, folia habet erucæ modo diuisa, modicè pinguia & brassicæ modo lęuia, sapore acri & amaro, ramulos ex uno caule statim à radice fert multos, cubitales & interdum maiores, in quorum summitatibus flores sunt Leucoiis similes, in pallido candidi, nigricantibus uenis distincti, qui quatuor tantùm foliolis constant. diu floret & ob id semen totis ramulis adnascitur, quod paruum, nigrum & oblongum est, & in erucæ similibus non tamen hirsutis siliculis clauditur, in summo ubi nullũ inest semẽ, compresśis & acuminatis. radicem habet paruam, lignosam, & ob id inutilem.

DE GLADIOLO *palustri: [quem quidam Theophrasto sic dictum suspicantur: sed Theoph. Cypirum, κύπειρον, Gaza Plinium secutus Gladiolum uertit, Xiphion uerò ensem.* CAP. IX.

GLAdiolus palustris, folia ab una radice erigit multa, iridi similia, angustiora tamen, triquetra, & superius in mucronem desinẽtia, è quorũ medio caulis duûm triûmue cubitorum altitudine erumpit, insigni lęuore & æqualitate præditus, in cuius summo flores multi, longis pediculis, ex uno principio nascuntur, in purpura candidi, tribus foliolis constantes: sub quorum interuallis alia tria (sed illis minora) sunt. stamina in se flores habent numero plerunq; nouem, croceo in summitate puluisculo manus attrectantium inficientia. Habent singuli flores in medio capitulum, semini ferendo natum, & sex partibus diuisum, quibus sunt singuli in summo repandi apices. omnibus huius capituli, angulis singulæ adhærent guttæ, admodũ paruæ, crystalli modo translucidæ, sapore & substantia mellis. Radices habet duas, quarum gracilior & nigrior descendit: crassior uerò superius ferè in superficie terræ transuersa fertur. utriq; propagines aliquot & multæ fibræ adnascuntur. habent radices saporem dulcem & glutinosum. nascitur autem pinguibus, limosis & humentibus locis, quò fluuiorum inundationes peruenire possunt.

* *Gladiolus Theophrasti hic uidetur: alius uerò Dioscoridis Gladiolus in segetibus nascens, nempe Victorialis nostra rotunda uel fœmina.*

DE STRVTHIO *uocato hodie, [uulgò Astrantia uel Imperatoria.]* CAP. X.

STRVthion folia habet lata, in singulis pediculis tria: quorum posteriora duo in eo latere, quo pediculo propiora sunt, singulas habent profundiores usque ad spinam diuisiones. tertium uerò quod in anteriore parte constitutum duas, nam in utroque latere usq; ad spinæ principium diuisum est, omnia præterea similiter per ambitum serræ modo incisuras habent. Caules ex uno radicis cespite erigit plures concauos & geniculatos: è quibus ramuli & adnata umbellas latas, candidis flosculis plenas ferentia nascuntur. floribus succedunt candida, plana, latiuscula & anetho similia, sed paulò maiora semina. Radices ex uno trunco nascuntur multę, pollicari crassitudine, geniculatæ, quæ partim in terram descendunt, partim obliquæ & transuersæ undiq; feruntur, quibus se mira fœcunditate propagat. radicibus multæ ac tenues fibræ adhærent. dissecta radix caules & folia candicantem, pinguem & copiosum fundunt liquorem, qui gustu acerrimus & tenuissimarum uirium percipitur, non tamen talem acrimoniam habet qualem coccos gnidius uel Tithymalli, qua fauces similiter urere possit, sed illa acrimonia sola partium tenuitate constat.

* Meyster wurtzel.

Struthion. T.1.144.p.433. *Lepidium maius. T.1.28.p.88.*



DE LEPIDIO *maiore.* CAP. XI.

LEPIdium ſiue Hiberis maior, caules habet bicubitales * teretes, in quo candidum quiddam ad cœruleum uergens colorem appareat, quod digitis facile ceu minimus puluis abſtergatur. Cauli ramuli & adnata plura adnaſcuntur, plena candidis, minimis, copioſis & muſcoſis floſculis, quibus odor ineſt liguſtri florum odorem referens, ſed non adeo fragrans. folia à radice cauli & ramulis adnaſcuntur, quæ denſa & ſatis craſſa ſunt, & lauri foliorum formam habent, multò tamen maiora, quæ quò ſummitati & cacumini propinquiora fuerint, eo minora, anguſtiora & acutiora ſpectantur. Radicem habet digitali craſſitudine candidam, & ualdè longam, quæ in ipſa terra ſe propagat, & procul etiam à ceſpite è terra diuerſis locis erũpit & germinat. ſaporem radix & folia habent ualdè acrem naſturtio ſimilem.

DE POLIO *maiore, [ſupino] quod in Germanina non infrequens eſt, ut ſequens quoq; ſed aliud peregrinum nobis & nobilius polium eſt, folijs ſerratis, etc.* CAP. XII.

POLIVM maius frutex eſt paruus, graciles, copioſos & dodranrali longitudine ramulos undiq; per terram ſpargens, plenos foliis, thymo ſimilibus, maioribus

Polium maius.



bus tantùm, recta & sine uenulis spina per media folia transit, quæ inferius candida et tenui lanugine obducta sunt, superius uerò uiridia spectatur. ramuli in summitate singulos habent corymbos, candidis floribus, ex aculeatis & candicantibus caliculis enascētibus, plenos. post flores in caliculis, quaterna plerumque semina sinapi simi- lia inueniuntur. folia & corymbi grauiter, non sine suauitate odorata sunt. Radicem habet superius ferè digitum crassam, quæ in multas fibras diuidatur. habent folia & flores ualdè amarum saporem. quæ hyeme non amittit, sed semper uirentia conseruat. Nascitur marmorosis, calcariis, caluis & apricis montibus inter calculos.

* *Nascitur Ienæ, ubi* Wilden Rosenmarin *&* Tollen Rosenmarin *uocant.*

DE POLIO *minore, [recto, aliâs cognato superiori.]* CAP. XIII.

MINVS uerò Polium, non per terram sternitur, sed rectà assurgit. est autem paruus, ramosus & dodrantali altitudine frutex, qui totus candida & tenui dictamni Cretici modo lanugine uestitur. folia habet plurima, maiori similia, minora tantū, & undiq; cana lanugine cādicantia. in cacumine ramulorū singula capitula, quibus flores & semina corymbacea priori similia fert, sed minora omnia, magisq; candicantia. Odoris suauitate & aromatico sapore hoc polium maiori præfertur. Nascitur iisdem quibus illud locis, sed non in omnibus terris inuenitur: hyeme similiter etiam ut maius folia reseruat & uiret.

* *Quidam de Polio Germanis peregrino eum loqui putant, et omittere foliorum serraturam in ambitum instar Chamædryos. mihi non de peregrino, sed Germanico altero loqui uidetur.*

DE PEVCEDANO. [*Tragus, Fuchſius, Dodonæus, & ut uidetur, etiam Matthiolus, eandem pro peucedano herbam pingunt, quam hic è Tragi libro exhibemus: quæ an cum Cordi deſcriptione conueniat, quærendum.*] CAP. XIIII.

T.2.121.p.881.



PEVcedanum denſum foliorum, fœniculo ſimilium, ceſpitem ex una radice producit. foliorum autem talis eſt forma & conſtitutio. pediculi è radice exeunt multi, denſi, lenti & rectis uillis neruoſi: qui ſinguli, in tres diuiduntur ramulos, qui & ipſi in tres, & hi rurſum in totidem, qui & poſtea aliquoties in tot, ſed minimas diuiſuras, quę folia ſunt, erumpunt. Caulem (etſi hunc aliquando & in quibuſdam locis non ferat) erigit bicubitalem, & aliquando maiorem, denſum, fœniculo ſimilem, ſed paulò tenuiorem, geniculis uerò magis quàm in fœniculo protuberantibus diſtinctum. ex quibus longi & ſinguli naſcuntur ramuli, qui in nullos deinde diuidantur, ſed ſingulas ferãt umbellas, quæ propterea quod longis & tenuibus conſtent pediculis, principio cum ex folliculis eruperint, pendent, robuſtiores uerò facti ſurſum rigẽt. flores habet minimos, ad luteum inclinante colore. ſemen uerò latum, duplex, anetho ſimile, ſed maius in candido parum nigricans: umbellę huius pediculi, medii & inferiores, breuiores. exteriores uero longiores, quo fit ut concaua reddatur umbella. Radicem habet foris nigrã, intus candicantem: grandem, interdum bicubitali longitudine in terram deſcendentem: craſſitudine qua manum implere poſſit, ſuperius uerò, ubi in multa capita diuiditur, craſſiorem fibris, in latere obliquis plerumq; ordinibus deſcendentibus, planam. hæc copioſum, flauum & graueolentem liquorẽ diſſecta è cortice ſuo remittit, qui ſtatim exiccatur & ſulphuri flauo ſimilis fit. ſaporem radix & liquor feruidum habent. folia uerò his ſimilem, ſed multò ignauiorem. Naſcitur montanis locis, inter parua arbuſta, nonnunq; etiam in apricis & pinguibus pratis.

DE CHAMAEDRY. CAP. XV.

CHAmædrys coliculos, tenues, duros, hirſutos & dodrantales erigit, qui interdum in binos ramulos geniculatim diuidantur, eos ueſtiunt ſerrata, hirſuta & parua folia, quernis iamiam primo uere erũpentibus, foliolis ſimilia, quę in ſummis uirgulis ſub floribus multò quàm in inferiore parte minora ſunt, & aliquantulũ concaua, flores habet purpuraſcẽtes, exiguos & deorſum pendentes, unico foliolo, ceu coclear, concauo conſtantes, quibus in ſummo duo, triaúe tenuia ſtamina adnaſcũtur, habentq; toti cũ caliculis flores formã et magnitudinẽ, cum polii maioris floribus eandẽ. cui ſemina quoq; ſimilia in paruis, denticulatis & aculeatis caliculis producit. Radices graciles, numeroſas et geniculatas per terrã ſpargit, ſed inutiles, totaq; herba odorata eſt et guſtu amara. Naſcitur apricis, caluis et calculoſis mõtibus.

De

Chamædrys. T.1.67.p.204.



Lotus satiua. T.2.2.p.588.



DE LOTO *satiua,* [*quam aliqui non rectè Trifolium simpliciter nominant,* *Germani* Sibengezeyt.] CAP. XVI.

SATIua lotus concauum, angulosum & duorum pedum altitudine caulem pro fert, ex quo per interualla in singulis pediculis tria nascuntur folia, anteriori pol- licis articulo ad indicem compresso & dilatato similia, minora & oblongiora quo cacumini propinquiora. quæ per ambitum leniter acutis nec profundis incisuris diuisa sunt, ex quorum alis singuli prodeunt pediculi, habentia in summo parua ca- pitula, exiguis & ferè cœruleis flosculis plena, quibus fœnograeco similia semina, sed multo minora, in molliter aculeatis utriculis contenta succedunt. Radice nititur gracili, lignosa & inutili. tota herba odorata est, præsertim siccata, tum enim magis quàm uiridis redolet.

DE CORIANDRO. CAP. XVII.

CORIandrum circa inferiorem caulis partem folia in singulis pediculis quina plerumque inferius nitentia producit, eo ordine ut bina per interualla in pedicu lo contrariis nitantur pediculis, in pediculorum summitate quinto intercedente, &

parem numerum turbante, habent hæc folia apii similitudinem, multo tamen minora & crebrius incisa sunt, quæ uerò in summo caule sunt foliola, inferioribus multò tenuiora & fœniculi modo secta uidentur. Caulis illi est teres, tenuis, glaber & cubito altior, in cuius summo multa graciliaq; enascuntur adnata, paruas umbellas (candidis & nonnunq; purpurascentibus flosculis plenas) ferentia. semen floribus succedit, globuli modo rotundum, magnitudine * quod siccatum ualdè leue redditur. Radice nititur tenui, oblonga & lignosa, odorem tota herba habet inter cicutam & cimices medium, unde & nomen accepit.

Coriandrum. T.1.36.p.115.



Anisum. T.1.151.p.453.



DE ANISO. CAP. XVIII.

ANISVM postquam ex semine suo exierit, duo triáue pollicis latitudine, rotunda ferè & per ambitum serrata folia profert. à quo tempore caulem Coriandro similem & æqualem, hirsutiorem tantùm. in geniculis folia incisuris diuisa, satiui petroselini foliis similia habentem, eaq; superius minora quàm inferius, è caule adnata coriandri modo exeunt, umbellas latas minutis candidisq; floribus plenas habentia, quæ post florem semina cinericei coloris ferunt.

Radi-

Radicem habet breuem, lignosam, tenuem & fibratam. folia, caules, flores & semina gustu dulcia & leniter acria percipiuntur, estque hic sapor gratus ualdè.

DE AMMI. CAP. XIX.

T.2.118.p.874.



AMMI circa terram & recenter è semine enatum, sambuci nuper erumpentibus foliis similia habet folia, pluribus tamen incisuris diuisa, quina plerumque ex uno pediculo coriandri ordine nascentia. pediculi autem in quibus ea hærent, superius canalium modo concaui sunt. caulem fert bicubitalem, minimi digiti ferè crassitudine, teretem, modicè striatum, & statim à terra in multos diuisum ramulos, quę uerò circa eum folia sunt inferioribus, multò sunt minora & pluribus incisuris diuisa. ramuli & adnata latas, planas & aniso similes umbellas ferunt, in quibus candidi, exigui flores, ac post hos minuta, oblonga & cumino similia nascuntur semina, sed minora multò. sub umbellis item foliola sunt, coronopi foliorum anterioribus partibus similia, tenuiora tamen: hæc hirsuta. Radicem habet digitali ferè crassitudine & lignosam.

DE SATIVA *siue læui smilace, [quam & Dolichum uocant.]* CAP. XX.

DOLIchus ab una radice plures mittit clauiculas, longis baculis affixis se circumuoluentes, ita tamen, ut semper contra solem circumagantur: ex quibus per interualla longi & angulosi enascuntur pediculi, tria folia hederæ similia, sed maiora ferentes. ex his quod in anteriori parte cōstitutum est, longiori annectitur pediculo, & spinam per medium transeuntem habet. alia duo utrinque breui admodum annexui hærent: atque exteriore latere longius à spina recedunt, gibbumque faciunt, habēt clauiculę & folia lenem asperitatem quandam. flores ex omnibus alis à radice usque ad summitates clauicularum erumpunt numerosi, foliacei (ut omnium leguminū) qui aut candidi aut pallidi, aut lutei, aut rubentes cernuntur. floribus subnascuntur longæ, ac deorsum pendentes siliquæ, in latitudinem extensæ, in extremitate incuruo & auium unguibus simili apice armatæ, Lupini siliquis similes, longiores tamen & tenuiores, quæ postquam maturuerint semina in se continent, sex, septem, octo aut nouem numero, fabis magnitudine ęqualia, & forma ouium renibus similia, nisi leniter in latitudine compressa essent, quorum multa sunt genera, colore tantùm distincta. nam inueniuntur candido, pallido, luteo, nigro, rubente & uario colore, quos colores flores etiam sequuntur. fiunt ex smilace hac scenæ, & tabernacula æstate, ascendit enim triginta pedum longitudine uirgas, si radicibus quotidie humor suppeditetur, si uerò nulli affigantur baculi, quibus circumuoluatur, humi procumbit, tardè germinans, & difficulter fructificans.

DE PHASEOLO, [qui superiori cognatus, hoc ab eo differt, quòd nullam asperitatem habeat: nec tam altè excrescat, etc. Semina profert candida, minora rotundioráq;, quàm superior.] CAP. XXI.

PHASEOLO, siue phaselo, siue phasiolo proprium & diuersum à prædicta smilace seu dolicho genus est: quamuis magnam cum illa affinitatem habeat. claiculas & folia à radice profert dolicho similia, ac eodem modo contra solem baculis aduoluitur. differunt tamen, quòd nullam asperitatem habeat, nec in tantam altitudinem adolescat. folia etiam in superiore parte candicantem lineam per medium transeuntem ostendunt, ac iuxta fastigium rotundiora sunt. ex caule iuxta terram dodrantem longi nascuntur pediculi, mediocriter crassi, leniter striati, ac sursum erecti, è quibus candidi flores papilionibus similes erumpunt, dolichi floribus multò maiores, eadem die qua aperiuntur rursum se claudentes, foris in uiridi colore pallescentes, quorum magna pars apud nos caduca existit. erumpunt etiam ex clauicularum geniculis flores, quibus omnibus longæ, nigræ, teretes & sursum rigentes subnascuntur siliquæ, dolichi siliquis graciliores & teretes magis, nullo in extremitate apice, qualem dolichi fructibus esse diximus. quæ 7. 8. 12. 13 aut 14 colore candido in se claudunt semina circa annexum nigricantia, & dolichi seminibus similia, sed rotundiora minoráq;.

Phaseolus. T. 2. 13. p. 615.



Nigella cornuta.



DE NIGELLA *cornuta, siue syluestri, [quam Dioscoridis Cyminum syluestre alterum facit, sicut & Fuchsius à quo depingitur. Matthiolus reprehendit Monachos, qui in Mesuen commentarios edidere, quod nigellam Citrinam (id est, subflaui seminis) Cuminum Syluij primum fecerint.]* CAP. XXII.

NIGELLA cornuta, quam Dioscorides alterum syluestre cyminum uocat, fruticosa est herba, ab una radice caulem fundens, statim à terra in multos, cubitali ferè longitudine, ramos diuisum: qui adhuc in plura adnata ac alas diuiduntur, ex illis inferiores undiq; per terram supini sternuntur. folia sub ramulis ac alis exeunt breuia & tenuia, peucedani extremis foliis similia: (non tamen eo ordine incisa) quorum eruptiones siue partes in latitudinem reflectuntur. singula adnata in summitate singulos ferunt flores, in cœruleo candicantibus foliolis in orbem dispositis cōstantes, multis intus staminibus, sed duplicis generis. nam exteriora breuia, latiuscula, ac singula in binos apices diuisa sunt, & rotæ figura orbem constituunt, colore uarium: interiora uerò longiora & graciliora sunt, partimq; per interualla prædictorum ad latus feruntur, partim etiam erecta, modicè resupinantur: è quorū medio plures sursum eriguntur corniculorum figura siliculæ, in quibus semen figura, odore & sapore nigellæ simile, sed minus clauditur. radice nititur flaua, gracili, lignosaq;, ideoq; inutili. Nascitur in segete & agrorum aggeribus. æstiua herba est.

DE NIGELLA. CAP. XXIII.

Nigella. T.1.37.p.117.



NIGELLA caulem habet tenuem, circa quem folia sunt syluestris pastinacæ foliis similia, minora tamen & tenuiora. caulis in plures diuiditur ramulos, in quibus rotę figura flores sunt, colore in candido cœrulei, cornutæ Nigellæ floribus similes, è mediis floribus paulatim enascuntur oblonga, angulosa & superius quinque plerumque aut sex apices ferentia uascula, ceu papaueris, multo tamen minora, interius quinq; aut sex membranis rectà descēdentibus in totidem camerulas seu loculamenta discreta: quibus milii quantitate nigra, angulosa continentur semina, intus candidam medullam habentia. Radice nititur tenui et superuacua. Habēt eius semina pastinacæ odorem & saporem, multò tamen acriorem utrumq;. æstiua herba est. Est & alterum huius genus semine tantum differens, quod candidum seu flauescens habet.

DE NIGELLA *Damascena.* CAP. XXIIII.

QVAE uerò Damascena appellatur, nigella & ante paucos annos ad nos allata est, prædictæ tota similis existit, statim tamen à terra multis alis surgentibus fruticosior. Vascula uerò maiora producit, quorum eminentiores partes purpurascentem habent colorem, profundiores uerò in uiridi candicantem, sub ipsis uasculis

ubi pediculis iunguntur, admodum tenuia foliola in orbem disposita enascuntur. semen item prædictæ simile fert, sapore tamen & odore minus efficax, ideoq; uiribus etiam ignauius. Radicem habet tenuem paucis fibratam cirris & superuacuam. & hæc æstiua est herba.

DE ASCLEPIADE, [*quam uulgò Hirundinariam appellant.*] CAP. XXV.

ASCLEpias ab uno radicis cespite, plures erigit surculosos fractu contumaces, solidos & teretes caules, longitudine cubitali, & interdum proceriores: in quibus folia sunt è latitudine in acumen fastigiata, hederaceorum figura, circa inferiorem caulium partem breuiora & latiora, superius uerò paulatim angustiora & oblonga. Flores in summis uirgis initio æstatis candidos, foliaceos & paruos profert, grauiter cum suauitate aliqua, quemadmodũ rapi flores odoratos. floribus singulis singulæ succedunt triquetræ, & in mucronem desinentes siliquę, minimi digiti longitudine, nigris, angulosis & candidæ lanugini annexis seminibus plenæ. quæ in maturitate in alas apertę figuram uolantium hirundinum præ se ferunt, unde etiam Germanicum illi nomen factum est. Radices subsunt numerosæ, candidæ, graciles, longæ, hellebori nigri radicibus similes, ab uno capite seu principio partim rectâ, partim obliquè descendentes, grauiter odoratas, sapore modicè acri, amaro & tenui. Nascitur montanis, calculosis, saxosis & stirpibus confertis, apricisq; locis, quamuis in campis & pratis quibusdam etiã humidioribus copiosissimè gignatur, ut Spiræ, semine eò de montibus per torrentes & fluuiorum inundationes delato. Radix hyemem illæsa perfert, singulisq; annis regerminat.

* *Vincetoxicũ. Germanicè* Schwalmenwurtz, *id est, Hirundinaria: et* Fasant, *à multis capillamentis radicũ.*

Asclepias. T.1.58.p.128.



Orchis maior. T.2.82.p.778.



De

DE ORCHI, *siue Testiculo maiore.* [*Idem, aut cognatus uidetur* Orchis, *hic primus Tragi.*] CAP. XXVI.

ORCHIS siue testiculus herba, folia à radice & inferiore caulis parte lilio similia profert, paulò tamen minora: caulem singularem in nullos ramulos diuisum, tenerum, longitudine pedali, maiorem interdum, nonnunquam uerò etiam minorem: in summitate purpureis floribus undiquaque circumdatum, Capnii, Chelidonii floribus similibus. singulis floribus parua admodum, oblonga et acuminata subnascuntur foliola. Radices habet duas oblongas, magnitudine palmi, superius qua caulis erumpit iunctas, paucisque ab annexu descendentibus fibris & testiculis similes: quarum una plena, carnosaque est, altera uerò flaccida & rara. saporem utraque habet glutinosum & aliquantulum dulcem. nascitur montanis, calculosis locis, & interdum asperioribus, editis, & stirpibus confertis campis. Alterum genus huic simillimum est floribus tantùm in candido luteis differens. omnium testiculorum radices alternis annis flaccescunt, & carnosæ fiunt.

DE TESTICVLO *minore, uiolaceis floribus. etc.* [*Hic aut similis fuerit* Orchis *sextus Tragi, quem hic exhibemus: nostri uocant* Teüffels anrlit.] CAP. XXVII.

Orchis minor. T. 2. 82. p. 783.



ORCHIS hic folia & caulem prædicto similia habet, tenuiorem tamen caulem & minora folia. Flores in summo caule quinque, sex, septem aut octo, à se inuicem distantes, & deinceps dispositos profert, grato aspectu, purpureis uiolis figura & colore similes, inferius latiore & hiante prominentes parte: in qua parua & pauca sunt stamina, superius uerò in tres partes ceu tenuia foliola diuisi. horum profundior & gratior aspectu purpura est, quàm uiolę. Radices fibrasque habet prædicto similes, minores tamen multò & rotundiores, & sapore magis dulci. Nascitur editis, siccisque campis.

DE TESTICVLO *alio,* [*cui flores rubent, &c. Conferri cum hoc possunt positæ à Trago Icones hæ duæ.*] CAP. XXVIII.

EST & alius testiculus dodrantali aut maiore, gracili, tereti & glabro caule: foliis singulis liliaceis, multò tamen minoribus, minimi digiti longitudine, deinceps amplexus in summitate comam sustinens, rubentium florum plenam. Radicibus nititur binis, paruis, globosis, altera flaccida, altera autem uegeta. saporem tota herba cæteris testiculis eundem habet. Nascitur in humentibus & macris pratis.

T.2.82.p.779. T.2.82.p.780.





DE TESTICVLO *candido, odorato maiore.* [*Odoratus est præcipuè hic etiam Tragi Orchis.*] CAP. XXIX.

ORCHIS siue testiculus, candidis, maioribus et odoratis floribus, folia tria à radice profert: quorum duo lilii foliis paulò minora, tertium uerò multò minus existit, è quorum medio caulis exit pedalis, in tereti striatus, uno atque altero minimo foliolo uestitus, flores in summitate ex interuallo profert candidos, striatis & intortis pediculis annexos, quadripartitos, tribus deorsum prominentibus partibus, quarta breuiore & duplici, ueluti galea prioribus superius insidente, à quibus singulę retrorsum exeunt uncia breuiores, graciles, incuruæ & concauæ caudæ, intus melleo liquore usque ad medium plenæ. Radicibus nititur binis, oblongis, ueluti mediocribus oliuis, candidis, carnosis & caudatis: quarum altera uegeta, altera uerò flaccida existit, quibus dulcis inest sapor. flores admixtam dulcedini amaritudinem habent, suauiterque olent. Nascitur humentibus, nec adeo pinguibus pratis & campis.

De

Testiculus candidus. T. 2. 82. p. 782.



Testiculus pumilio. T. 2. 82. p. 784.



DE TESTICVLO *pumilione*. CAP. XXX.

Deest descriptio. Nos Testiculi minimi è libro secundo Tragi Iconem hîc exhibere uoluimus.

DE TESTICVLO *candido, odorato minore*. CAP. XXXI.

TESTICVlus odoratus minor, folia prope terram habet tria quatuórue admodum parua, oblonga, acuminata atq; aliorum testiculorum modo pinguia & glabra, longitudine unciam raró excedentia, latitudine autem quartam unciæ partem æquantia, ut plurimum erecta. è quorum medio exiguus, tener, gracilisq; exit coliculus, longitudine quadrantalis, à media sui parte usq; ad cacumen continua, minimorum candidorumq; florum, intus melleum liquorem continentium, serie circumuolutus. Radicibus nititur duabus oblongis, paruis, nonnunquam etiam ternis, semunciam longitudine excedentibus. Tota herba glutinosum saporem habet, flores insuper amaritudinem resipiunt. Radices dulcedinem aliorum modo. Flores odorem habent suauissimum & fragrantissimum. Nascitur editis campis, iisq; subcaluis.

DE PALMA *Christi*, [*folijs maculosis. Tragus palmas Christi Orches fœminas appellat.*] CAP. XXXII.

PALMA Christi folia habet pauca iuxta terram, lilio similia, minora tamen, purpureis maculis plena: è quorum medio caulis assurgit pedalis ex interuallo, foliatus, purpureis in summitate & caudatis floribus orchis similibus. radicibus nititur binis, crassis, latis & pinguibus, in partes ueluti digitos diuisis, unde etiam nomen accepit, sapore testiculum imitatur. nascitur in pratis. Altera eius species iuxta terram nulla habet folia, caulem tamen altiorem, & in purpura candicantes flores. nascitur iisdem locis. Tertia multò longiora habet folia, & angustiora, hiacyntho similia circa cubitalem caulem, rarò purpureis punctis distincta. flores in longa spica priori similes, interdum uiolaceos, nonnunquam etiam candidos. gignitur in herbosis montibus.

Palma Christi. T. 2, 82. p. 781.



Palma Christi alia. T. 2, 82. p. 780.



DE PALMA *Christi alia*, [*folijs non maculosis.*] CAP. XXXIII.

EST & alia palma Christi, caulem habens pede longiorem, plerunque glabrum, minimo digito graciliorem, ex interuallo singulis liliaceis foliis acuminatioribus

bus paulò minoribus sine purpureis maculis amplexum. flores summitate ueluti in longa spica dispositos, inæquali colore purpurascentes: sub quibus singula sunt angusta & parua foliola, in purpuram uergentia. Radices habet binas, latas, crassas, carnosas & candidas, in binas, tres aut quatuor partes ueluti digitos distractas, quarũ una strigosa, fungosa & nigrior est: altera uerò uegeta & solida. saporem prædictis eundem habet. nascitur humentibus & macris pratis.

DE SYMPHYTO *syluestri.* [*species est pulmonariæ Plinij.*] CAP. XXXIIII.

Pulmonaria Plinij.



SYMphytum syluestre caulem primo, uere cum nigra uiola emittit, hirsutum & in eo folia oblonga, in mucronem desinentia, tactu aspera et strepentia, flores circa caulem in hirsutis, herbaceisq; caliculis ruffos, floribus symphyti maioris similes, minores tantũ: in quorum caliculis quatuor plerumque colore nigra semina Echii seminum similitudine inueniuntur, quæ cum caule statim amittit. ab eo deinde tempore folia, quæ circa radicẽ sunt, incrementum capessunt, & in palmæ unius latitudinem, duarum uerò longitudinem adolescunt. iuxta pediculum lata & figura hederacea, anteriore parte in acumen turbinata. Radici nititur tenui ueluti prẹmorsæ, ex qua aliæ graciliores in diuersas partes distractæ oriuntur. Tota herba saporem lubricum & glutinosum habet, quemadmodum proximè descripta Solidago magna.

DE PAPAVERE *cornuto.* CAP. XXXV.

CORNVtum papáuer, in multos annos durans herba est, ideoq; prima qua seritur æstate, neq; caulem, neq; florem, neq; fructum producit, sed tantum folia crassa, pinguia & hirsuta, longitudine spithamæ, latitudine uerò quatuor digitorum, uesbasci foliis quadamtenus similia, nisi per ambitum serrata, et profundius

Papauer cornutum. T.1.39.p123.



incisa essent. humi ea procũbunt, & hyemis iniuriam contumaciter perferunt. sequenti deinde æstate caulem promit geniculatum, & in multos ramos diuisum. folia uerò quę è caulis geniculis prodeunt prædictis minora sunt, & parcius incisuris diuisa, quo summitati propiora fuerint, aliqua hederaceorum foliorum similitudine, è cuiusq; autem sinu bina plerumq; erumpũt germina, unum indiuiduũ, florem fructumq; ferens. alterum iuxta alterius folii sinum rursus in bina prædicto modo diuiditur. eaq; diuisio usq; ad summitatem ramulorum ab hac herba seruatur. minora igitur & indiuidua germina seu pediculi singulos ferunt flores, colore luteos, papaueris satiui floribus ęquales, quatuor latis tenuissimisq; foliis constantes: in quorum medio eiusdem coloris numerosa stamina capitulum constituunt, ex quo deinde incurua & gracilis siliqua tãgenti aspera, longitudine digitali erumpit, fœnogręci siliquæ ęqualis, non tamen adeo in acumen desinens, sed in summitate nigricans, capitulum alatæ sagittæ quandam similitudinem præ se ferens habet, sed obtusa acumine siliqua utrinq; lineam profundã ceu incisam per longitudinem transeuntẽ habet, quæ commissuræ eius sunt, quibus matura aperitur, semina intus continentur papaueri similia, colore admodum nigro. Radice nititur crassa, longa, foris nigricante, quæ quotannis regerminat. seritur apud nos in hortis. in calidioribus uerò regionibus sponte in asperis maritimis exit. grauem habet tota herba odorem, & amarum saporem, qualem reliqua papaueris genera.

DE CYCLAMINO. CAP. XXXVI.

CYclaminus asari folia habet inferius purpurea, superius uiridia, utrinq; tamen candicantibus maculis distincta, coliculos à radice rubentes, graciles breuesq; emittit, & in singulis singulos flores rosæ syluestri similes, minores tamen, & colore purpurascentes, quibus parua succedunt uascula, & in his semina asari seminibus quadãtenus similia, coliculi adueniente seminum maturitate in spiram inuoluũtur, humiq; procumbunt. Radix subest rotundo rapo aut malo æqualis, in latitudinem se pandens, foris in ruffo colore nigra, intus candida, sapore ualdè acri & amarescente.

rescente. nascitur editis, montanis & stirpibus confertis locis, solum amat lutosum, quemadmodum Asarum.

* Erdtscheibe/Schweinßbror.

Cyclaminus. T.2.134.p.906. Gentiana. T.1.56.p.174.



DE GENTIANA. CAP. XXXVII.

GENTIana à radicis capite quinque, sex, aut aliquando plura profert folia, maiori plantagini similia, cùm ad consistentiam peruenerint, aliquantulum rubescentia, è quorum singularis, grandis, concauus & in flauo colore nitens exit caulis duorum & aliquando trium cubitorũ longitudine, circa terram pollicis, aut medii digiti crassitudine, superius uerò iuxta cacumen minimo digito gracilior, in nullos omnino ramos uel adnata diuisus, à media sui parte, usque ad summitatem geniculis maioribus interuallis præcinctus, ex quibus singulis bina exeunt folia, inferioribus multò minora, leniter per ambitum incisa, basi sua caulem amplectentia: è quorum sinu plures & oblongi oriuntur caliculi, & ex his singuli stellati & luteo colore flores, Amelli floribus similes, nisi oblongiores & graciliores haberent radios, semen florum caliculis, in duas partes se aperientibus inuenitur numerosum, leniter rubens, forma & quantitate Leucoii simile semini, leuius tantùm, nec ita carnosum. radicem habet duûm plerumque digitorum crassitudine, longitudine uerò pedali, in

plures partes distractam, colore cum recens est sufflauo, cum uerò exaruit ruffescente: sapore ualdè amaro. Nascitur altissimis, umbrosis, humidisq; mōtibus, quamuis aliquando etiam humilioribus quibusdam conuallibus gignatur. radix singulis annis regerminat, cum uerò semine se propagat, rarò altero & uix tertio anno caulem producit.

DE SINONE *siue Sisone.* [*Tragi Sison, cuius Iconem damus, cum hoc conferatur.*] CAP. XXXVIII.

T.1.154.p.461.



BIcubitali ferè altitudine herba est, caules habet circa radicem minimo digito graciliores, crebris geniculis, breuibus interuallis pręcinctos, et in multos ramulos diuisos. Folia circa radicem multa profert, humi prostrata, eáq; non indiuidua simpliciáq;, sed in gracili & pede longiori pediculo utrinq; sena, quina, quaternaúe, contrario inuicem exortu, et ab inuicem distantia, posteriore sui parte, (qua utrinq; profundiorem habent incisuram) unciam latitudine excedentia, & digitum ferè longitudine æquātia, in angustum cacumen fastigiata, & undiq; aculeatis incisuris diuisa, in anteriore uerò pediculi parte, tria ab uno exortu exeunt folia, quorum duo exteriora ad latera uergunt, medium rectà extenditur, quæ uerò sub ramulis & adnatis è geniculis prodeunt folia, prædictis multo minora sunt, paulatimq; decrescunt, quo ad cacumina propius accesserint. Singula adnata exiguas ferunt umbellas, in quibus minimi & candidi sunt flosculi, quos deinde parua sub sequuntur colore nigro semina, petroselini satiui seminibus æqualia. Radice nititur digiti crassitudine, longitudine dodrantali, candida, in fibras distracta, & postq; fructificauerit pereunte, semina gratam ceu aromata resipiunt acrimoniam. radix seminibus imbecillior est, folia uerò radice. Seritur apud nos in hortis, sed difficulter nostro cœlo prius sata comprehendit.

DE IRIDE *nostrate satiua.* CAP. XXXIX.

IRIS quæ apud nos in hortis, uineis ac murorum coronis seritur, ab uno cespite plura & erecta erigit cubito longiora folia, duûm digitorum latitudine, rectiuenia, inferius in radicum capitibus coniuncta, ceu ex omnibus unum fiat, & sibi inuicem inserta, singulorum aperto & inciso uentre seu carina alterius dorsum excipiente, superius uerò alæ modo in latitudinem explicita, & in mucronem gladii figura desinentia: è quorum medio caulis assurgit sesquicubitalis, rectus, teres & glaber, ueluti cinereo polline conspersus, facilè abstergentibus cedente, quinq; aut sex genicu-

lis inter-



Pingitur hæc herba etiam à Dodonæo: qui aliquos pro Meo ea uti scribit.

T.2.51.p.703.

lis interseptus, ex quibus singula exeũt sine pediculo caulem amplectentia folia, in-
ferioribus eo minora, quo summitati propinquiora. flores in summitate post medi=
um ueris per interualla erumpunt , primùm conuolutis in turbinem membranis,
paulatim se in nouem folia explicantibus: ex his tria inferiora digitali sunt longitu=
dine, circa exortum angusta , reliqua sui parte uncia multò latiora, deorsum infle=
xæ, lingue figura, foris liuidi coloris in cinereo, & iuxta principium uiridia , intus
uerò purpurea, latis & lacteis uenis se uiolaceo splendori miscentibus, maximè ubi
uersus exortum gracilescunt. adhæret iis in interiori sinu inferius lutei coloris & in
longitudinem exporrecta lanugo, oblongis pilis, hirsutæ campæ aliquam similitu-
dinem referens, in summa totum folium Iridis omnes colores repręsentat, unde no-
men inuenit, lanuginem cuiusq; folii aliud paruum obtegit folium in summitate in
duas partes dissectum , ab utroque latere herbacei coloris, in medio liuido ex-
tante dorso. reliqua tria folia , & ipsa linguæ aut coclearis formam habent,
primis tamen latiora , & paulò breuiora existunt . & quemadmodum illa
deorsum incuruata ascendunt , sic hæc sursum uersus reflexa iunguntur.
color his est utrinque in cinereo liuidus , quà uerò prioribus alterno positu
adnectuntur purpureæ maculæ luteo colori insperguntur : durat ferè octidu=
um flos , deinde contrahitur , exiccatur & decidit , inferius oblongum , ac sexangu=

larem folliculum relinquens, intus in tria loculamenta interseptum, in quibus rotun da sunt et oblonga semina. Radicibus nititur multis, inuicem in latitudinem sibi adnatis, duûm digitorũ crassitudine, geniculatis in transuersum striatis, per superficie terræ sparsis, foris modicè in flauo rubentibus, intus autem candidis, ex inferiori parte longas, tenuésq; fibras in terram agentibus, ex his aliquot, quæ adhuc nascun tur lutei coloris in fine aut capite existũt. grauiter tota herba, ut sambucus ferè dum teritur, spirat, præsertim radix, quæ etiam gustata, coccognidii modo fauces exurit.

DE IRIDE *syluestri.* CAP. XL.

SYLVEstris Iris satiuæ similis est, paucisq; notis à satiua distinguitur, foliis minoribus & hyeme prorsus non apparentibus, cum satiuæ folia hyemis sæuitiæ contumaciter resistant. caulem etiam quàm satiua breuiorẽ fert, è quo flores ferè uiginti diebus ante satiuæ flores erumpunt, colore magis purpureo, quibus defluentibus pollicari quantitate succedunt folliculi, sex lineis concauis in longitudinem striati, in maturitate tribus commissuris se aperientes, rotundo & cartilagineo semine pleni. Radicem habet digitali crassitudine, dodrante breuiorem, geniculatam, transuersam à posteriore parte singulis annis putredine tantum ferè amittentem, quantum ab anteriori parte æstatibus capiti restituitur, nec satiuæ in modum densum cespitem constituentem. Sapore & odore atq; aliis qualitatibus satiuæ respondet. Nascitur editis & cliuosis locis inter arbusta.

* *Lilium Scheyber hense bey Gelster, quod omnium primò floret.*

T.2.133.p.904.



DE XIRIDE, [*quæ uulgò spatula fœtida dicitur.*] CAP. XLI.

XIRIS syluestris Iridis species est, folia, caules, flores & radices satiuæ æqualia & similia producit, nisi aliquid impediret. nam flores magis saturata arrident purpura, quibus succedunt syluestris Iridis folliculis similes utriculi, sed paulò maiores & triquetri rotundo, rubroq; semine pisi quantitate, pleni. Radicibus nititur magnũ cespitem constituentibus, positu, figura & colore syluestri Iridi similibus, sed paulò crassioribus. habent semina & radices grauem & sambuci ferè odorem, & gustata satiuæ modo, fauces scarificant, folia uerò supra modum fœtent, unde etiam alio nomine spatula fœtida recentioribus appellatur.

DE IRIDE *tenuifolia,* [*quæ apud nos etiam non procul Tiguro nascitur.*] CAP. XLII.

TENVIfolia Iris prædictis omnibus tenuior est, foliis dodrantalibus aut pedalibus, semunciam latitudine nunquam superantibus, plurimis à denso radicum cespite assurgentibus. Caules satiuæ Iridi similes profert, multò tamen graciliores, in apricis pratis cubitales, in frutetosis uerò proceriores, flores foliorum numero positu & forma satiuæ similes habet, nisi quod minores magisq; purpurei sint & flaua erucæ simi-

mili lanugine careant, cuius uices occupant: iuxta singula tria inferiora & inflexa folia, totidem liuentis in purpura coloris stamina. Radices subsunt multæ, transuersę, graciles, in superficie nigricantes, & propter uetustas foliorum reliquias uillosæ, intus candidæ, sibiipsis implicitæ, à quibus prædictarum Iridum modo exeunt fibræ & cirri, trita, recentis adhuc, folia medium inter syluestrem Iridem & gramen odorē spirant. Radices uerò præscriptarum more fauces exurunt. Nascitur in apricis planisq; pratis, & frutetosis ac humentibus campis.

DE IRIDE *lutea siue Pseudoacoro.* CAP. XLIII.

PSEVDOacorus folia, caulem & radices satiuæ Iridi æquales & similes habet, prętequam quòd folia, utrinq; extāte dorso iuxta mucronem euanescente, ab aliarum Iridum foliis differant. flores item quantitate eiusdem, forma uerò tempore florendi & partibus, tenuifoliæ Iridis floribus respondentes, quibus singuli succedunt folliculi, longitudine & crassitudine pollicari, figura triquetri, intus trifido septo in tria loculamenta secundum longitudinem diuisi, latis, tenuibus, forisq; rubentibus, intus autem candicantibus & substantia cartilagineis seminibus pleni, sibiipsis pulchro ordine superpositis, & multò quā lentes maioribus. Radices propter foliorum uestigia & uenosas reliquias foris uillosæ nigræq; sunt, intus uerò rubentes, substantia porosæ, & ceu filis quibusdam uenosæ, quę gustatæ uehementer sine quauis alia qualitate adstringunt. Odorem tanta herba nullum spirat. nascitur ubiq; in palustribus.

* Gälbe schwerteln.

Iris pseudoacorus. T.2.49.p.699.



Filix latifolia. T.1.186.p.543.



DE FILICE *latifolia,* [*eadem aut proxima uidetur, quam ex Hieronymi Tragi libris hic addidimus.*] CAP. XLIIII.


LATIFOLia filix ab uno radicis cespite plures emittit pediculos bicubitales, iunco multò crassiores, inferius ab interiori parte canaliculatos & utrinq; binis angulis striatos, glabra & omnino leui superficie. ij iuxta terram præcisi lunæ nondum in globum tumentis figuram ostendunt: à quibus utrinq; ex interuallo usque ad summitatem alii erumpunt minores pediculi, non omnino in annexu sibi respondentes, longitudine dodrantales. qui uerò inferius & in summitate constituti sunt, mediis breuiores existunt, exeunt ab iis tenera & glabra folia, duarum ferè unciarum longitudine, iuxta exortum semuncia paulò graciliora, paulatim in mucronem non adeo acutum fastigiata, tenuissimis & obliquis uenulis distincta, quina, octona, dena, undena aut duodena, ex utroq; pediculorum latere, breui admodum interuallo ut se contingant ferè, exeuntia. in fine pediculorum inter utrumq; ordinem unum rectà prominet, parem numerum unitate in imparem permutans. tota herba filicis modo pennata, & in latitudinem explicita est, à medio eius cespite alii etiam eriguntur cubito maiores coliculi, ultra medium foliis prædictis similibus pinnati. ab ea uerò parte usq; ad cacumen, foliorum uice hirsutas, asperas, crassasq; habet diuisiones, colore in ruffo flauas. Radicibus nititur tenuibus innumeris, uillosis, ueluti cirris in magnum & inextricabilem nodum implicitis, in superficie nigris, intus uerò in uiridi pallidis, quę in medio, ubi omnes coniunguntur, amissorum coliculorum reliquias & uestigia retinent. Saporem diuersum diuersis habet tota herba partibus: superioribus enim & asperis incisionibus, præter exiccantem qualitatem, nulla alia inest: folia uerò uehementer amara sunt, pediculi autem quà radicibus iunguntur glutinoso lentore & cucumeraceo sapore linguam edulcorant: reliqua sui parte aqueam præ se ferentes dulcedinem. radices postremo cum modica dulcedine adstringunt. Nascitur putridis, uliginosis, macris & humentibus locis, circa alnorum truncos.

DE BUGLOSSA *longifolia.* [*Tragus Buglossam Italicam uocat.*] CAP. XLV.

BUGLOSSA longifolia à radicis capite plura emittit dodrante longiora folia, trium aut quatuor digitorum latitudine, utrinq; fastigiata, hirsuta et aspera, è quorum medio caules erumpunt plures bicubitales, plerumq; foliis asperiores & teretes, in plures ramulos diuisi, flores in summis ramulis profert (sole in Geminos eunte) singulos, paruos, purpureos, exiguis quinq; foliolis, breui, concauæ, teretiq; ueluti fistulæ annexis constantes. in medio tenuissima stamina ceu breues pappos habentes, facile dum trahuntur, à calice suo quinis constante, hirsutis & acuminatis foliolis recedentes, singulis floribus quaterna, terna, bina aut singula succedunt nigra semina, Buglossi quam Borraginem uocant similia, paulò tamen maiora & rugosiora, intus candidum nucleum habentia. Floret particulatim, ideoq; semen totis ramulis adnascitur, inferius maturius, superius uerò recentius. Radicibus nititur longis, teretibus, digitali crassitudine, foris nigris, intus candidis, glutinosis & mucilaginosis, tam gustu quàm tactu Symphyti radicibus similimis & perennibus. herba ipsa cum floribus medium habet saporem, inter latifoliam Buglossam & Echion. Sparso eius semine prima quidem æstate caules fert, uerùm breues, sequentibus autem annis, ex eadem radice maiores emittit. Seritur apud nos in hortis, interim etiam sponte prouenit.

De

Buglossa longifolia. T.1.77.p.232.



DE ARGEMONE, [*Tragus papáuer erraticum Argemonen facit, non rectè. Cordus hic similem herbam, nobis ignotam: luteo liquore acri & amaro manantem.*] CAP. XLVI.

ARGEMOne caulem habet ferè cubitalem, teretem, & hirsutum: circa quẽ folia sunt inferius maiora, superius uerò minora, crebro profundis & obliquis incisuris diuisa, hirsutáq;, minori Rhæadi similia. florem item, sole Geminos ingrediente, in summis surculis fert similem & æqualem, quo defluente oblongum capitulum remanet, papaueri Rhæadi simile, paulatim incrementum sumens, donec unciam longitudine superet, in summitate latum, inferius uerò angustum, in quo semen clauditur papauere minus, colore ruffum. Radicem habet annuam, digito longiorem, gracilem, teretem & fibratam, colore flauam. Tota herba luteum liquorem incisa remittit, Chelidonio maioris modo, gustu acrem & amarum. Nascitur in editis uineis, glutinoso & pingui solo.

DE PAEONIA *fœmina.* CAP. XLVII.

PAEonia fœmina primo uere rubentibus erumpit in purpura coliculis, unà cum foliis in summitate sibi inuicem inuolutis, clausarum in pugnum manuum & unguium figura, iuxta terram eiusdem coloris aperta quædam inuolucra,

T.1.200.p.581.



imbricibus similia, relinquentes, quibus nondum enata claudebantur germina. Coliculi apertis foliis paulatim cubiti altitudine assurgunt, angulosiq; fiunt, purpura se in uiriditatem dilutam immutante: habet adnata aliquot caules longitudine dodrantalia, quæ in ternos diuiduntur, & uni geniculo annexos pediculos in terna folia desinentes: ea profundius incisa, & smyrnii modo in partes dissecta sunt, longitudine duarum aut trium unciarum, latitudine uerò unius, supernè uiridia, infernè cineracea, & ramosis uenis distincta, in summis caulibus, sole Taurum occupante, flores fert puniceos, papaueri similes, crassioribus tamen foliis constantes. in quorũ medio bina eminent cornicula, luteis circumuallata staminibus, quæ sola, reliquis decidentibus florum partibus, remanent ac paulatim usq; ad sesquiuncialẽ longitudinem & uncialem ferè crassitudinem adolescentia, extrorsum reflexa & hirsuta lanuginosaq; superficie, ea in maturitate superius unica commissura aperta semina ostendunt, pisi maioris quantitate quinq; aut sex, foris nigro cortice, intus candido nucleo constantes: Radices habet numerosas, longitudine dodrantales, interdũ digitales, nonnunquam etiam breuiores, crassitudine pollicari sibiipsis angustiis quibusdam ueluti isthmis cohærentes, foris nigricantes, intus ex candido modicè ad rubedinem tendentes, & diuturnas in summa farciminum, sepius per interualla funiculo præstrictorum formam imitantur. Saporem habet radix dulcem, acrem, subamarum & nauseabundum, semen gustu radicibus respondet, non tamen adeò nauseam facit. Odorem uerò grauem, nec multũ absimilem Sambuco tota herba spirat.

DE THYMO *nostrate.* CAP. XLVIII.

THYMVS nostras qui in hortis colitur, frutex est paruus, ramosus, pede rarò procerior, foliolis uestitur totus minimis, modicè oblongis, acuminatis & hirtis, breui interuallo geniculatim surculis circum adnata. in summis surculis capitula sunt, post medium ueris minimorum in candido modicè rubescentium florum & caliculis in labro serratis insidentium plena: quibus defluentibus semen in caliculis gignitur

Thymus nostras.T.1.12.p 43.



gignitur, minimum in ruffo nigricans, quamuis Theophrastus & Plinius nullum esse Thymo semen asserant, contra rei ueritatem. Radice nititur lignea, in fibras distracta & inutili. habent folia teneriq; cum flore coliculi gratam in gustu acrimoniam & iucundum admodum odorem.

DE THYMO *capitato.*
CAP. XLIX.

QVI uerò ex Creta & oriente ad nos affertur Thymus nostrati quidē similis est, sed hirsutioribus & asperioribus foliolis, capitulis in summo nostrati tenuioribus, sed densioribus, confertioribus, & ueluti in spicam turbinatis, acriore gustu et odore, magisq; aromatico.

DE ACHILLEA, [*quam Tragus uidetur Millefolium uulgare nuncupare, hac eius Icone proposita.*] CAP. L.

ACHILLEA dodrantales aut pedales quotannis à perenni radice caules emittit, numerosos, rectos, graciles, surculaceos, modicè angulosos & lanuginosos, à terra breui spacio usq; ad summitatem sesquiunciali longitudine, & unciali ferè latitudine, foliis uestitos, in obliquas & crebro utrinq; minutim incisas partes, ex interuallo in utroq; latere diuisis: ea quamuis coriandrinis non dissimilia sint, teste idem Dioscoride, tamen maiorem habent cum Tanaceti foliis similitudinem nisi multò minora essent, sed eadem illis est forma & proportio, in cacumine cuiusq; caulis inæqualiter dispositi, surculi umbellam constituunt, minimis floribus in medio subluteis, per ambitum candidis, & nonnunq; purpurascentibus plenam. ea florere incipit sole in Geminis existente, usq; in æstatem durante flore. Radicibus nititur tenuibus, in fibras distractis, lignosis, ideoq; superuacuis. Tota herba terrestri stratioti similima est, nisi latiora folia haberet. saporem & odorem folia cum floribus medicamentosum nec ingratum habent Matricariæ similem, non tamen adeò grauem, neq; eo usq; amarum. Nascitur in quiescentibus, planisq;, sed editis aruis, solum amat pingue & lutosum.

* *Matthiolus Millefolium minus nominat. Achilleam aliam facit.*

Achillea. T.1.160.p.476.



Ruta satiua. T.1.22.p.68.



DE RVTA satiua maiore siue latifolia. CAP. LI.

RVTA satiua maior, frutex est caudice cubitali, aut altiore, crassitudine digitali, colore cinereo, in multos ramos diuisus. ex his ueris initio plures emittit longos, teretes, egregiè uirides & flexiles surculos, in quorum summitate ueris exitu, & æstate inæquali ordine flores sunt Leucoio similes, minores tamen, quatuor aut interdum quinque luteis & coclearis modo concauis foliolis constantes, sursum spectante eorum concauitate, in medio flore quadripartitum aut nonnunquam quinquepartitum est capitulum, colore uiride, exiguum quendam apicem habens, stamina ab ima eius parte exeunt lutea, octona aut dena in latitudinem resupinata: ex his medius numerus supra foliolorum concauitatem extenditur, reliqua autem quatuor foliolorum spaciis interposita sunt, semen in mediis florum capitulis fert paruum, in rotundo modicè oblongum, colore nigrum, folia omnibus ramulis adnascuntur, in longis pediculis incerto ordine disposita, parua, in plures & inæquales partes secta, uirentia, mollia & pinguia. ex his maxima pars semunciam longitudine nõ excedit, latitudine multò minore. Radice nititur ex uno principio multifida, numerosa, capillamentis fibrata, colore flaua. uiret tota hyeme, non flaccescentibus foliis, antequam nouo uere alia enascantur, quo tempore etiam surculi qui se-

men

men protulerunt, in summitate exarescunt; coma eius acrem, aromaticum, interimq́ grauem spirat odorem, eadem sapore amaro, feruido & tenui palatum excalefacit; maximè uiridia adhuc florum capitula. Colitur in hortis.

DE RVTA *satiua tenuifolia.* CAP. LII.

RVTA tenuifolia Latifoliæ per omnia respondet, præterquam quòd multò minoribus constet omnibus partibus. folia siquidem fumoterræ modo in exiles partes diuisa habet, non tamen in tantam latitudinem diffunduntur. floribus & capitulis latifoliæ similiter respondet. semen habet oblongum, nigrumq́, gustu uehementer acre: reliquarum partium qualitas & sapor latifoliam æmulatur. Seriturq́ similiter ut illa in hortis, parcè apud nos, sed frequentius in Italiæ quibusdam locis ubi hanc tantùm Rutam nouerunt.

DE LVPINO *satiuo.* CAP. LIII.

T. 2. 15. p. 622.




LVPInus satiuus legumen est recto, sesquicubitali, tereti, lanuginoso, concauo, et singula assurgens caule. folia habet quina, sena, & ut plurimum septena, duûm digitorum longitudine, latitudine ferè unius, utrinq́ fastigiata, superius glabra, inferius lanuginosa, è summitate pediculorũ, ueluti ex uno centro radiorum modo exeuntia, interdiu splendente sole erecta, noctu uerò omnino se demittentia. pediculi quibus hæc insident longi sunt et inæquali ordine ex interuallo cauli adnascuntur. in summo caule, & nonnunquam etiam in adnatis deinceps dispositi flores, sole Geminos occupante, erumpunt figura, papilionum, colore candidi, quibus defluentibus succedunt digitali longitudine & latitudine siliquæ, figura planæ, lanuginosæ, & principio crassæ carnosæq́, cùm maturuerint, tenues & flauæ. in quibus semina sunt rotunda & plana, foris in flauo candida, intus uerò detracto cortice flaua, latitudine semuncia paulò minora, ea qua annectebantur parte concauitatem exiguam ueluti umbilicum habentia, crepitaculi modo in siliquis resonantia, cùm arefacta herba agris euellitur. radice nititur singulari, tenui, lignosa, candida & superuacua, paucis capillamentis fibrata, quibus nonnunquam parua tubercula adnascũtur, sicca tellure, subitaneis imbribus irrigata, efficacissimum semen est, ideoq́ solum in usu medicinæ habetur propter amaritudinem, medium enim saporem habet inter cicera & absynthium.

DE CORONOPODE *satiua*. CAP. LIIII.

CORONOpus ab uno radicis capite folia emittit numerosa, longitudine ferè dodrantalia, graminis modo angusta, canaliculata, crassa, pinguia & in extremitatibus hirsuta, supra medium utrinq; in partes ueluti ungues distracta, multoq; magis diuisionibus suis ceruinis cornibus similia, propter copiam humi undiq; in orbem prostrata, inter quę indiuidui coliculi ueris exitu erumpunt, longitudine dodrantales, teretes, subhirsuti & uehemēter graciles, in summitate singulas uelutispicas plantaginis modo ferentes: ex quibus stamina tenuissima exeunt, quæ flores eius sunt. semen in paleacea est spica, copiosum concipit minimum ac rubens, aliquantulum oblongum & compressum. Cum liberè nascitur hoc olus resupinatos erigit coliculos, densius autem satum rectos emittere cogitur. Radice nititur singulari, candida, tereti, dodrante breuiori & minimo digito graciliore: quæ gustu cum aquea dulcedine & modica acrimonia parum adstringit. folia saporem dulcem, & aliquantulum salsum habent. Seritur apud nos in hortis, estq; annuum & acetarium olus.

Coronopus. T.1.31.p.99.



Rhodia radix. T.2.137.p.913.



DE RHODIA *radice*. CAP. LV.

* *imò crassiores.* Rhodia radix ab una radice numerosos emittit coliculos lōgitudine dodrātis, * istæ cę gracilitatis, teretes et glabros, statim à terra usq; ad summitatē, unciali lōgitudine

& se-

et semũciali latitudine foliis undiq;, inæquali ordine uestitos, in extremitate modicè nec profundè incisis, substantia crassi, carnosis & in uiridi cœruleis. in summa mediam habent figuram folia, inter crassulæ maioris & portulacæ folia, in summis coliculis æstate paruæ erumpit umbellæ simile capitulum, paruis & in candido pallidis floribus plenum, semen fert exiguum. Radice nititur dodrante breuiore, crassitudine pollicari, ramosa, inæquali & tuberosa, cœsio, squamoso & facile recedente cortice uestita, intus uerò in candido rubente, fungosa & pondere leui. quæ trita, & gustata ac naribus admota medio inter rosas & salicis flores sapore & odore percipitur. herba etiam cum amaritudine aliqua adstringit. Nascitur in alpibus Germaniæ non longè à Salisburgo.

* *Adfertur ex Austria.*

DE TORDYLO, [*Nostri uocant Bärwurtz. aliqui pro Meo accipiunt. Tragus Daucis adnumerat.*] CAP. LVI.

T.1.148.p.445.



TORDYlon, quod ab aliquibus Seseli Creticum appellatur, numerosos ab uno radicis cespite pediculos emittit, lõgitudine dodrantales, graciles, ab interiore parte ex tereti figura in angulum desinentes, uenosos & iuxta terram in purpura nigricantes, à quorum medio usq; ad summitatem ex interuallo prodeunt minutissimè incisa folia breuissimorum capillamentorum figura, gracilibus surculis utrinq; in exortu sibi coniunctis circumposita. horum surculorum primi longissimi sunt, quibus reliqui paulatim longitudine cedunt, donec in summitate in turbinatam figuram desinat omnium foliorũ coma, quæ per omnia fœniculi foliis similia sunt, præterquam quod multò breuiores huius Tordyli incisuræ sint. Caulem paulò post medium ueris unũ atq; alterum producit, longitudine pedalem aut dodrantalem, gracilem et concauũ, uno atq; altero in cacumine adnato, & in singulis paruam umbellam candidorum flosculorum plenam: quibus succedit oblongum, angulosum, duplexq; semen in fusco sufflauum, media inter cuminum satiuũ & Seseli figura & quantitate. Radicibus nititur multis, ab uno capite in diuersas partes distractis, longitudine dodrãtalibus, minimo digito multò gracilioribus, foris nigricantibus, intus uerò candidis, quę supra modũ acri, suaui, aromatico & tamen graui odore nares opplent, sapore uehementer tenui, aromatũ simili, & iucundo, minima quantitate: gustatę longo tempore gustum atq; olfactum obsidentes. folia mediam qualitatẽ inter radices & fœniculi folia tã gustu quàm olfactu habent semen postremo predictis partibus qualitate respõderet, nisi aliqua admixta amaritudine diluetur. Nascitur excelsis, planis & apricis latorũ in cacumine montiũ cãpis, iisdémq; aliquantulum humentibus, ut iuxta claustrum Knibusium in nigra sylua, inter Dornstadiũ & Lustenauium oppida, quà ex Tubinga uersus Argentoratum itur.

DE LIGVSTICO *satiuo.* CAP. LVII.

T.1.141.p.425.



LIGVſticum ſatiuum pediculos ab uno radicis ceſpite plures emittit cubito plerumque longiores, & minimi digiti craſſitudine teretes, ſtriatos, glabros & concauos: à cuius medio per interualla uſque ad cacumen bini minores exeunt pediculi, quorũ inferiores longitudine pedali conſpiciuntur, reliqui uerò breuiore, & ex his interſtitiis diſcreta bina folia in geniculis coeuntia, glabra & nitentia, trium aut duûm digitorum latitudine, longitudine paulò maiore, turbinata profundius in anterioribus lateribus apij modo inciſa. è ſummis pediculis, unum rectà egreditur parem pręedictorum numerum in imparem uertens. Caules erigit humana ſtatura plerumq; multò proceriores, pollicis aut digiti craſſitudine, geniculis pręcinctos: in quibus pediculi & folia ſunt præſcriptis ſimilia, mi
nora tamen pedali pediculo, geniculatim utrinq; enaſcentia, in terna aut quater-
na plerumq; paria diuiſa, adnata omnibus caulium geniculis ſingula egrediuntur,
in quorum ſummitate umbellæ ſunt fœniculo ſimiles & æquales, luteis & paruis
floribus. æſtatis initio plenæ, quibus ſuccedunt oblonga, angulosa, duplicia & fœ-
niculo ſimilia ſemina tam figura quàm colore, maiora tamen. Radices habet ſuperi
us craſſas, in multas partes digitali craſſitudine diſtractas, nonnunq; cubiti profun-
ditate aut maiore deſcendentes, colore candicantes. quæ inciſæ flauum colorem ex
ſe remittunt. Saporem habet tota herba modicè acrem, tenuem & aromaticum: odo
rem uerò apio multo acriorem & grauiorem, non tamen iniucundum. Radici recen
ti efficaciores ſunt, quàm reliquis partibus qualitates præſertim liquore, ſed pro-
pter excrementoſam humiditatem facilè teredinibus corroduntur aut alioquin cor-
rumpuntur. Semen uerò quia ſiccius eſt, in multos annos prorogatur. Colitur in
hortis: amat terram pinguem & locum umbroſum deſiderat: ideoq; felicius iuxta
macerias prouenit.

De

DE MILLEFOLIO *terrestri maiore: [Tragus Millefolium nobile nuncupare uidetur.]* CAP. LVIII.

T.1,160.p.476.



STRATIotes terrestris maior, quem aliqui Millefolium terrestre uocant, multa ab una radice folia emittit digito longioribus pediculis utrinq; breui interuallo adnascentia, semunciæ longitudine se ipsa inuicem contingentia, plurimis, capillatis, breuibusq; incisuris diuisa. Tota cum pediculis folia magnam habent cum auicularum pennis similitudinem, caules emittit rectos, longitudine plerumq; digitali, teretes, surculosos & indiuiduos, ab ima parte usq; ad cacumen inæqualiter dispositis foliis plenos prædictis similibus, breuioribus tamen. In summis caulibus latum est capitulum, corymbi aut umbellæ figura (si omnes eius surculi ab uno principio exirent) paruis, candicantibus & in medio luteis flosculis plenum, candida florum foliola quæ luteo tuberculo circumponuntur, quibusdam locis purpurascente colore conspiciuntur. floret diu, incipit enim sole in Geminos trãseunte usq;, post solstitium durante flore, cui semen paleaceum & acerosum succedit. Radice nititur perenni, gracili, fibrata, lignosa & inutili. Saporem habent folia & flores subamarum et subacrem, odorem uerò acrem, abrotono albo nõ dissimilem, éstque hic non iniucundus, præsertim florum si terantur. nascitur secus uias, fossas, et in ageribus solo plerumq; aspero & aprico.

DE STRATIOTE *siue Millefolio terrestri minore.* CAP. LIX.

STRATIotes terrestris minor, maiori in cunctis similis, multò tamen minor, rarò enim dodrante altioribus caulibus assurgit, tenuissimísq; foliorum incisuris constat, odore magis acri, in attritu uehementi & aromatum modo iucundo, saporem habet maiori multò acriorem, amariorem, magisq; tenuibus partibus constantem, alioquin tam similes inuicem sunt, ut non facile à quouis dignoscantur: nec credendum est, has duas herbas unam eãdemq; esse, & natalibus tantùm differre. nam minor hæc in apricis tumulis ex pingui terra congestis, & in pinguium editorũmq; aruorum marginibus, iisdémq; diu non cultis prouenit: maior autem illa in asperis & macris tantùm. Cùm itaq; omnia in asperis & macris nascentia, eiusdem speciei in fœcundo solo, genitis acriora, efficacioráq; sint, necesse esset, maiorem stratiotem in macris nascentem, in pingui, lætoq; solo exeunti, acriorem & efficaciorem fieri, sed in læto solo nata, in macro natali genita multò efficacior existit, tam gustu quàm odore. ergo rationi minimè repugnat, minorem stratiotem

diuersum à maiore, & proprium genus habere. Prouenit autem copiosissima inter Halam Saxoniæ & Merseburgum, inter Halam & Eyslebium, & in tumulis olim congestis circa montem Petri & uicinis locis.

DE HEMEROCALLE *rubente*, [*quod Italorum Martagon uidetur, quo pro Asphodelo imperiti quidam hactenus abusi sunt.*] CAP. LX.

T.2.83.p.787.



HEMErocalles rubens siue lilium syluestre, caulem erigit plerumque bicubitalem, teretem, gracilem, uiridem, solidúmque, inferius purpurascentibus maculis conspersum, foliis quincuncialibus, longitudine & duarum unciarum latitudine, glabris ex rotundo turbinatis & pinguibus uestitum, iisque iuxta annexum angustioribus, supernè nigricantibus, infernè autem uiridibus, eminentibus, ramamosisque à tergo & in mucrone coeuntibus uenis. flores æstatis initio proni summo cauli adnascuntur lilio figura similes, multò tamen minores. nam senis uncialibus constant foliis medii digiti latitudine, sursum reflexis, colore in pallido rubentibus, intúsque purpureis maculis conspersis, substantia pinguibus, carnosis & glutinosis. stamina ferunt singuli flores sena foliis numero respondentia, in quorũ extremitate oblongũ et transuersum quiddam est, colore in ruffo purpureum, rubiginoso puluisculo, statímque pereunte conspersum, è medio staminum prodit incuruus apex in triquetrum rubensque capitulum desinens, uiridi & triquetro folliculo insidens qui defluentibus florum partibus solus remanet, & resupinus sursum incuruatur, paulatímque increscit, donec uncia longior & semuncia latior fiat, qui inferius angustior existit, idem sex eminentibus angulis totidémque lateribus constat, intus autem tribus membranis ceu parietibus in tres camerulas per longitudinem diuiditur, in quibus bini cõtigui, paruorum, latorum, planorum, leuium sibi inuicem superiacentium & flauorum seminum ordines continentur. Radicem habet bulbosam, diuturnam, iuglandis quantitate, pinguibus, crassis, acuminatis & flauis aut luteis squamis, ueluti nucamentis sursum spectantibus compositam: à qua alii exigui prodeunt bulbi, quibus se propagat. Saporem habẽt lentum, glutinosum & nauseosum, tam flores quam radices, lilii sapori respondentem. Nascitur in syluis & frutetosis locis, tam editis quàm planis.

DE SONCHO *syluestri lata radice.* [*Nos talem ferè quandam Lactucam syluaticam habemus, sed multò proceriorem plerumque, duorum generum: unum luteis, alterum purpureis floribus.*] CAP. LXI.

SYLVEstris Sonchus, caulem habet cubito proceriorem, foliis per ambitum diuisis, sinuosis et ueluti circumrosis amplexum, Sonchi foliis similibus, minori-

bus

bus tamen. Flores fert in summis uirgis paruos, capillatos & luteos: in pappos canescentes, & unà cum oblongo nigroq́ semine auolantes. Radice nititur semestri, breui, sesquiunciali, lata, in partes duas aut tres diuisa, foris flaua, intus candida. Tota herba copiosum & lacteum incisa liquorem remittit, gustu amarum & subacrem. Nascitur frutetosis locis, plurimumq́ circa montem Petri.

Lactuca syluatica.



Aster Atticus. T.1.48.p.152.



DE ASTERE *Attico,* [*radiculis odoratis. Videtur eadem, prima species herbæ: quam Florem tinctorium Tragus uocat,* Germanicè Scharttenkraut. *Fuchsius quidem suo Asteri duos à radice caules producit, Matthiolus quatuor.*]

CAP. LXII.

ASTER Atticus caulem unum atq; alterum cubitalem erigit, solidum, lignosum, nigricantem, & in ramulos diuisum: circa quem oblonga & utrinq; acuminata folia sunt, duabus unciis longiora, dimidia uncia latiora, nigricantia, hirsuta & aspera, at quę propè terram, folia è caule exeunt maiora sunt, quæ uerò in summitate minora, flores æstatis exitu in summis uirgis fert Chamæmeli floribus similes. in medio enim luteum habent capitulum, quod instar stellæ undiq; oblongis & angustis foliolis ueluti radiis circumdatur: quibus flaccescentibus luteum capitulum in pappos resoluitur, & unà cum oblongo semine auolat. Radice nititur in partes & fibras distracta, eaq; perenni. saporē folia habent modicè amarescentem. radices uerò caryophyllatæ aliquem odorem adiunctum habent. Nascitur montanis, lapidosis & herbosis locis: plurimaq; circa Ienam & Tubingam.

DE OXYCOCCO, [*ut Cordo uocari placuit. Latinè Acinum uel Acinariam palustrem dixeris.*] CAP. LXIII.

OXYcoccum coliculos per terram ſpargit dodrantales plerumq́ꝫ, ſetarũ modo tenues, et in flauo rubentes: paruis & thymo ſimilibus, ſupernè uiridibus, infernè autẽ candicantibus aut rubeſcẽtibus, ſingulisq́ꝫ foliolis breui interuallo ueſtitos. flores in extremis et capilli inſtar gracilibus ſurculis fert admodũ paruos, colore propemodũ puniceo: quibus æſtate ſingulæ ſuccedunt baccæ piſi quantitate, figura rotundæ & cordis modo inferius iuxta annexum turbinatæ, ſuperius uerò exiguo & quadripartito umbilico ueluti coronatæ, colore foris primum candicantes: mox puniceæ & purpureis contiguiſq́ꝫ maculis et punctis conſperſæ: intus uerò in candido modicè rubentes, & quatuor exiguis cauitatibus parua & ueluti abortiua ſemina claudentes. eæ unà cum coliculis humi procumbunt, nonnunq́ꝫ etiam in muſco tanquam abſconditæ latent. Radicibus nititur breuibus, capilli modo tenuiſſimis & flauis. ſaporem coliculi & folia habent adſtringentem: baccæ uerò egregiè & ſimpliciter acetoſum. Naſcitur incultis, macris, humidis, putridis, uliginoſis, muſcoſisq́ꝫ locis, ac frequenter iuxta Salſiroram, plurimúmq́ꝫ propè Vuittembergam.

* *Heluetijs Moßbeer, id eſt, acini paluſtres. naſcuntur enim muſcoſis & humentibus locis.*

Oxycoccum. Aliter uel alia ſpecies pingitur à Dodonæo.



Ricinus. T.1, 98. p. 288.



De

DE RICINO. CAP. LXIIII.

RICInus caulem ex uno semine erigit singularem, trium plerumq; cubitorum altitudine, aut proceriorem, pollice crassiorem, arundinis modo geniculatum & concauum, glabrum & ueluti in purpura cinereo puluere conspersum, duobus, tribus aut quatuor adnatis ramosum. folia habet dodrantis aut pedis latitudine, in septem, octo aut nouem, nonnunquam etiam plures partes incisa, & per ambitum serrata, glabra, mollia & aceri arbori similia, longis, crassis & teretibus pediculis insidentia: ea ubi pediculo iunguntur, neruos ueluti è centro per medias foliorum partes à tergo emittunt. flores æstate fert pedalibus pediculis instar longi racemi circumpositos, eosq; duplicis generis, inferiores enim antequam aperiantur ferè pisi rotunditatem & quantitatem habent, apertis autem caliculis muscosi & pallidi corymbi speciem acquirunt, gracilíq; pediculo adhærent: qui in medio iuncturam quandam habet. à qua ipse flos, postquam flaccescere incipit, recedit & decidit, nulla spe secuturi seminis aut fructus post se relicta, steriles enim omnino inferiores hi flores sunt, & tantùm rudimenta ac prælucia quædam. Alterum uerò floris genus à molliter aculeatis capitulis procedit, singulaq; capitula terna, hirsuta, furcata & rubentia stamina proferunt, quæ floris uicem explent: hisce arescentibus capitula accrescunt, donec paruæ castaneæ quantitatem consecuta fuerint, ea in tres (ut plurimum) partes ceu utriculos diuiduntur, nonnũquam etiam in quatuor, semina in utriculis singula habet Ricino animali forma & quantitate æqualia, foris liuido aut maculoso cortice, intus autem candida medulla constantia, lignoso utriculi cortici inclusa. quo propter siccitatem in maturitate repentè fisso & contracto, ipsa semina cum impetu & crepitu ueluti tormento aliquo emissa, longius prosiliunt. Radice nititur pedali, multifida, candida & semestri, seminis tantùm usus est, quod gustu fauces exasperat nauseam & uomitum ciens, intra corpus uerò grana aliquot sumpta cum anxietate maxima utrinq; purgant. herba ipsa, cum teritur, grauem habet odorem. Seritur in hortis.

DE CVCVMERE *anguino.* CAP. LXV.

CVCVmis anguinus, qui etiam asininus appellatur, uiticulos per terram spargit bicubitales, minimi digiti crassitudine, teretes, breuibus aculeis exasperatos, solidos, & anguium modo inflexos. folia fert longis, crassis & aculeatis pediculis insidentia, sex unciarum longitudine, posteriori parte quatuor aut quinque unciarum latitudine, in obtusum mucronem desinentia, superius uiridia, inferius autem pallidiora & crebris, intricatisq; uenis rugosa, utrinque tamen aspera. flores ex foliorum alis tota æstate profert, quinque latis acuminatis & flauis foliolis, uncia paulò breuioribus constantes, in quorum medio ternæ hirsutæ & flauæ furculæ staminum uicem explent: retro flores hirsutum & oblongum extuberat capitulum, quod flaccescente flore, paulatim unà cum suo pediculo accrescit, donec maximę glandis quantitatem superauerit, hoc undiq; breuibus aculeis armatur, & in maturitate cùm splendere, gliscere & candicare inceperit, sponte sua aut leuiter tactum à pediculo recedit, & cum impetu ueluti tormentum aliquod oblonga foris nigra, intúsq; candida semina unà cum aqueo succo eiaculatur, producit etiam alios adulterinos & steriles flores, quos nulli fructus sequuntur, eos à genuinis & fœcundis dignosces, quòd intus terna, trifida ueluti complicata, & per ambitum crocea, nec hirsuta stamina contineant, nullumq; à posteriori parte capitulum producant, quod secuturi fructus rudimentum existat. Radice nititur dodrantali, crassitudine sua manum ferè complente, candida, carnosa & semestri,

oblongo rapo simili. Tota planta uehementer amara est, sine aliqua alia qualitate, solius seminis medulla dulcedinem habet, quę etiam mures alliceat. quapropter miror Galenum huic semini amarum saporem adscribere libro de facultatibus simplicium, fortè superficiem tantùm gustauit, quæ amara est, non ipsum nucleum, qui propriè seminis appellatione uenit: purgat egregiè aluum succus totius herbæ. Nascitur asperis locis, circa pagos & rudera. cum uerò seritur, multò maiora folia producit.

Cucumis anguinus. T.2.99.p.832.



Cichorium. T.1.91.p.272.



DE CICHORIO. CAP. LXVI.

CICHOrium siue agreste Intybum, caules erigit cubito proceriores, inferius teretes & hirsutos, superius autem angulis striatos, pluribúsque adnatis ramosos, angusta cauitate peruios, donec uiret lentos & infragiles: folia habet circa imam caulium partem dodrantalia ferè per ambitum inæqualiter diuisa, sinuosa, hirsuta, trium plerumque digitorum latitudine, & in mucronem desinentia, maximè summis uirgis exeuntia, quæ minora etiam sunt, & paucioribus incisuris diuisa, folia uerò quæ ante caulium productionem à radicis capite exeunt, & per terram sternuntur, multò maiora existunt & obtusiora. flores à ueris exitu in foliosis caliculis proferre incipit usque ad autumnum, rotæ modo in orbem circumpositis foliolis constantes, colore cœruleis, uncia breuioribus, & in extremitate serratis, stamina in me=

in medio flore sunt eiusdem coloris, singuli autem flores unum tantùm durant diem: manè enim prodeunt, uespere uerò flaccescunt, semina post flores in iisdem caliculis fert oblonga et angulosa, sine pappis hyeme excidentia. Radice nititur perenni, cubitali, bifida plerumq;, superius minimi digiti crassitudine, carnosa & candida, per quam lignosus transit neruus. folia incisa pauco lacte manant, tota herba amarum habet saporem, non tamen usq; adeò uehementem. Nascitur campestribus & asperis locis, circa regias uias & arua.

DE CICHORIO *satiuo.* CAP. LXVII.

CICHORIum satiuum, quod ab Italis etim Endiuia hortensis seu simpliciter Endiuia uocatur, agresti figura & florum colore simillimum existit, folia tantùm maiora minusq; incisa habet, paulóq; minores flores maioribus foliosioribus hirsutioribusq; caliculis insidentes. Radice nititur dodrantali, lignosa, multis capillamentis fibrata, hyeme unà cum herba pereunte. Sapore agreste Cichorium æmulatur, quamuis minus amarescat. Seritur acetariorum causa in hortis Italiæ frequentius quàm Germaniæ.



Cichorium satiuum. T.1.91.p.273.

Helenium maius. T.1.55.p.170.

DE HELENIO *maiore, id est, Inula.* CAP. LXVIII.

HElenium maius, quod ab alio nomine Inula siue Inula cãpana uocatur, grãdia à radice emittit folia, pedali & cubitali plerumq; longitudine, latitudine interdum dodrantali in mucronem desinentia, per ambitum modicè & inæqualiter serrata, superius in uiridi pallentia, inferius autem candicantia, hirsuta & uenis obliquis distincta, uerbasci foliis similia, caulem alternis (ut plurimum) annis fert tricubitalem, digiti crassitudine, nigricãtem, in tereti striatum, solidum et singulis foliis (quã inferiora sunt) paulò minoribus ex interuallo uestitum, & in cacumine in adnata aliquot diuisum: à quibus magni & orbiculati flores æstate prodeunt, foliaceis caliculis insidentes trium unciarum latitudine, inęqualibus partibus constantes. in medio enim numerosa, breuia & lutea stamina densum capitulum cõstituunt, quod undiq; longi, angustiq; & eiusdem coloris foliolis radiorum modo circumdatur: hisce flaccescentibus interiora stamina in tenues pappos soluuntur, & unà cum oblongo, gracili, nigro semine auolant. Caulem quibusdam locis non fert, aut raró. Radice nititur perenni, grandi, crassitudine sua manum implente, in pedales partes distracta, foris subruffa, intus autem candida & carnosa, à qua ueluti oculi alia germina exeũt, quibus auulsis & positis propagatur, intus in ipsa radice liquor flauus guttatim dispersus continetur. Saporem radix habet feruidum, tenuem & amarum. flores & folia cum parua acrimonia amarescunt, semen foliis acrius est, & nihil ferè amaritudinis obtinet. Nascitur pinguibus & fœcundis campis, à quibusdam etiam in hortis colitur.

DE CHONDRILLA *tenera,* [*Cichorio simili, floribus è cœruleo modicè in purpureum uergentibus, etc.*] CAP. LXIX.

CHONdrilla tenera, Cichorio, id est, agresti Intybo similia habet circa terram folia, non tamen hirsuta, sed admodum glabra & tenera: è quorum medio cubitalis, tenerq; exit caulis, superius in adnata diuisus, in quibus flores sunt Cichorio similes, modicè in purpuram ex cœruleo uergentes. semen habet oblongum, * Radice nititur perenni, pedali, cubitali aut longiore, digitali crassitudine: foris tenui, squamoso & nigro cortice uestita, intus candida, carnosa, tenera & admodum fragili. Tota herba lacteo turget liquore, & gustu dulcis est. Nascitur editis apricisq; uineis & montibus. solum amat albicans, pingue & calcario lapidi mixtum: lenæ itaq; copisissima nascitur.

DE MILIO *(uel Panico) Indico, quod semestre est frumentum.* [*uulgò Sorgi appellant.*] CAP. LXX.

MILIVM Indicum tres aut quatuor prægrandes, ex uno grano emittit culmos, septem, decem aut nonnunq; tredecim pedum longitudine, crassitudine digiti, nouenis ut plurimum geniculis interceptos, solidos & maturescente semine rubentes. folia è geniculis singula profert cubito longiora, trium aut quatuor digitorum longitudine, tritico Bactriano similia, per ambitum minutissimis sed acutis dentibus armata: qui si deorsum mulceantur, teneros digitos etiam uulnerant. è summis uirgis singulæ erectæ spicæ erumpunt foliis inuolutæ, dodrante plerumque longiores, quatuor aut quinque unciarum latitudine, plurimis paniculis constantes, & commodo in mucronem desinentes. hæ postquam omnino ex inuolucris æstate prodierunt, flores proferunt exiguos, oblongos, flauos & pendulos, quibus defluentibus spicæ rubescere incipiunt. au-

tumno

tumno uerò cum ad maturitatem peruenerunt, nigricant & granis in ruffo nigrican
tibus, uulgarióque Milio multò maioribus turget. Radicibus nititur multis, obliquis
& satis firmis, iis tamen contentum non est. nam increscente culmo, & in foliis tur=
gente spica, ex inferioribus geniculis undique demittit fulcra quædam, quæ, ubi in
terram descenderint, radices & fibras agunt. hisce fulcris diuina prouidentia procé-
ris culmis consulit, quo facilius uento resistant. ipsum semen cum lacte coctum ruf=
fescit: & simul milii ac orizæ saporem æmulatur, solum amat pingue & humidum.

Milium Indicum. T.2.30.p.660. *Allium campestre. T.2.69.p.748.*



DE ALLIO *campestri.* [*Tragus Allia syluestria tria simul depicta exhibet, uti hîc ponimus. è quibus medi= um syluaticum est, & Germanis nominatur* Waldknoblauch/Ramseren/Gerinsel. *hoc Dioscori dis Ophioscorodon esse putat: aliqui ursinum cognominant. Extremorum alterum quod binis folijs pin= gitur, Caninum uulgò cognominari ait à foetore,* Hundsknoblauch, *in uineis & locis cultis nasci, un de Ampeloprason esse conijcit. Fuchsius syluestre allium uocat.* Wilder knoblauch. *Alterum quoque Allij canini speciem facit, sed non describit. hoc an allium campestre Cordi sit, inquirendum. (Id autem esse uidetur, quoniã Fuchsius Germanicum eius nomen prodit.* Feldknoblauch. *hoc est, Allium cam pestre.) Meminit præterea Allij canini minoris, quod alibi depingens Hyacinthum secundum facit.*]

CAP. LXXI.

ALLIum campestre, ab uno cespite plures erigit indiuiduósque caules, longitu= dine plerumque cubitales, iunceos, solidos & angulosos. Folia circa terram tan= tùm habet dodrãtalia, ualdè angusta, & modicè canaliculata. in summis caulibus sin

guli erecti sunt corymbi, purpurascentibus flosculis æstate pleni: singulis floribus triquetri, nigricantes & exigui folliculi, qui aperti sena, oblonga, nigráque ostendunt semina, succedunt, semina uni pediculo annexa. Radicibus nititur multis, exiguis, bulbosis, fibratis & inferius crasso uinculo connexis, ita tamen, ut singuli bulbi singulos ferant caules. saporem & odorem Allii habet. Nascitur in campis et pratis, maximè fluuiorum inundationi obnoxiis lutoso solo.

DE MENTHA *corymbifera minore, [quam Itali herbam Iuliam uocant, aliqui Eupatorium Mesuæ: cuius qualemcumque ex Tragi libris Iconem adiunximus. acuratiorem dedit Matthiolus, Maiorem describit infrà, cap. 117.]* CAP. LXXII.

MENTHA corymbifera minor, plures ab una radice emittit uirgas, longitudine (ut plurimum) cubitales, admodum graciles & solidas, sesquiuncialibus longitudine, & semuncialibus latitudine foliis per ambitum serræ instar incisis, uestitas. In summis uirgarum surculis, corymbi æstate se proferunt, sole Leonem occupante, exiguis luteisque floribus diu durantibus pleni: quibus exigua, oblonga & palacea succedunt semina. Radice nititur exigua, fibrata, candida & semestri: quæ gustata pyrethri feruorem habet, quo saliuam proliciat. Coliculi uerò folia, flores & semina iucundum spirant & uehementem odorem, Menthæ corymbiferæ maiori et Tanaceto similem. saporem eædem partes amarum, & cum acrimonia tenuem habent. Nascitur in montibus Vuirciburgi. seritur à quibusdam etiam in hortis odoris causa.

Mentha corymbifera minor. T.1.175.p.515.



Sanguisorba maior. T.1.157.p.470.



De

DE SANGVISORBA *maiore.* CAP. LXXIII.

SANGVISorba maior, caules erigit cubitales, graciles, angulosos, solidos & ramosos: folia iuxta terram se proferunt, longitudine sesquiunciali, unius latitudine, per ambitum serræ modo incisa, ut plurimum canalis instar complicata, superius uiridia, inferius cineracea, à dodrantali angulosoq; pediculo exeuntia, ex utroq; latere quina, sena aut plura, in extremitate pediculi unum inter utrumq; ordinem intercedens rectà prominet. in summis caulium surculis circa ueris medium capitula profert oblonga, anteriori medii digiti articulo æqualia rubentibus & palaceis flori bus plena, quibus defluentibus semina succedunt angulosa, exiguaq;. Radice nititur perenni, minimi digiti crassitudine, obliqua, foris nigricante, intus rubescente, in plures partes distracta, quæ gustata adstringit. folia & reliquæ herbæ partes glutinosum & dulcem saporem habent, odorem uerò cucumeris. Nascitur in lutosis pratis, fluuiorum inundationi obnoxiis, plurimáq; Lipsiæ, Halæ, Merseburgi, etc.

DE SANGVISORBA *minore.* CAP. LXXIIII.

SANGVISORba minor maiori similis, folia tamen & capitula minora fert, flores quoque non paleaceos, sed lanugineos producit, alibi in ruffo candicantes, alibi rubentes, tantùm semen maiori æquale habet, & triquetrum aspera superficie. Radice nititur perenni, minimi digiti crassitudine, dodrantali aut pedali, non obliqua sed rectà descendente (nisi quid impediat) saporem & odorem maiori similes habet. Nascitur lutosis, calculosis apricisq; collibus, & secus uias.

DE DAVCO *tenuifolio, folijs pastinacæ syluestris, multò minoribus, glabris, etc.* [*Quærendum an hæc sit Caucalis Matthioli.*] CAP. LXXV.

DAVCVS tenuifolius primo anno, quo è semine prodiit, folia tantùm profert, syluestri pastinacæ similia, multò tamen minora, glabra & per terram strata. Sequenti postea anno caulem erigit pede proceriorem, teretem & foliis circa genicula præcinctum singulis, iis quæ circa terram sunt minoribus, umbellam in summo caule æstate unam atq; alteram fert, minimis candidisq; flosculis plenã: quibus singula succedunt duplicia semina ante maturitatem superius rubentia, satiuo petroselino æqualia. Radice nititur annua, admodum gracili & sufflaua, quæ gustu aliquantulum acris est. folia syluestri pastinacæ similem saporem habent. semen uerò feruore cæteras partes uincit. Nascitur asperis, apricis & editis locis, plurimumq; quà ex Hildesheymia Hanoueram itur, unius miliaris germanici spacio ab Hildesheymia.

DE ALLIO *satiuo multifido.* CAP. LXXVI.

ALLII satiui duo sunt apud nos discrimina. unum enim capite grandi constat, pluribus nucleis coactũ, huius superficies candidis tenuissimisq; uestitur membranis, quę in uniuersum detrahantur, nucleis adhuc separatim uestitis, folia hoc habet cubitalia, uenosa & canaliculata, sibi ipsis inserta ita, ut caulis figuram ubi omnia coniunguntur exprimant, primo cum deponitur anno neq; caulem, neq; semen fert, an uerò altero ferat uidendum.

Allium satiuum multifidum. T. 2. 68. p. 745. Ex duabus his Alliorum formis à Trago exhibitis, altera uulgaris Allij est, capite multifido. alterum Scorodoprasum nominat, ac describit postea cap. 70. libri eiusdem, id est, secundi. Medio matrices muliercula (inquit) in hortis Allij genus, etc.



DE ALLIO *satiuo amphicarpo,* [*quod ita cognominat, quòd & radicum nucleis seratur, & seminibus quæ nucleos similitudine referunt.*] CAP. LXXVII.

ALTErum satiui Allii genus, quod amphicarpon appello siue semine, siue nucleis ponatur, caput non adeò grande acquirit, membrana tenuissima & purpurascente circumdatum, quę sponte etiam rumpitur. Nucleos habet non separatim, ut primum genus uestitos, sed nudos ferè, numeroq; pauciores, indiuiduos & caulis basi circumpositos. Caulem emittit prima æstate, utroq; modo satũ, cubito prociorem, teretem & glabrum, ab ima parte canaliculatis foliis uestitum, priori Allio similibus, paulò tamen minoribus. In summis caulibus utriculus candicans enascitur, in longũ & acuminatum cacumen desinens: quo increscente caulis sub ipso utriculo bis intorquetur ueluti in spiram, nec rursus in rectũ diducitur, antequam utriculus quantitate caput in terra retentum magnitudine ferè æquauerit, & rupta æstate membrana iam maturescentia semina ostenderit, quæ globuli figuram habent, & magnitudine anteriorem partem minimi aut annularis digiti æquant, (colore foris purpureo, intus autem candido,) racemi modo confercta, & substantia acrimoniaq; nihil à capitum nucleis differentia: inter quæ intortæ ueluti caudę se proferunt rudimentum quoddam futuri floris, sed frustra ostendentes. Vtrũque Allium sapore acerrimum est, & fumoso odore caput tentat.

DE ALLIO *simplici utroq;.* [*Lege quæ scripsimus suprà cum effigie Allij satiui multifidi.*] CAP. LXXVIII.

ALLIum simplex, indiuiduũmq;, quale in Aegypto nasci scribit Dioscorides, utrum suum peculiare & diuersum à prædictis genus habeat, non ausim affirmare: siquidem apud nos huiusmodi Allium frequenter nascitur, ex utroq; allii genere, cùm nucleus aut semen ponitur, quod in nullos nucleos diuidi aptum sit. Præstat ita utriusq; huius Allii simplicis differentiam ostendere: simplex itaq; Allium quod ex indiuiduo maioris Allii nucleo natum fuerit, oblongum est & utrinq; acuminatum, pluribusq; ac candidis membranis uestitur. Quod uerò ex amphicarpo Allio nascitur, è nucleis non gignitur sed semine, non tamen quouis, uerùm eo tantùm, quod simplicissimum natura sit, & in nullas partes distrahi natum. cùm adoleuit, porri caput magnitudine æquat & globuli rotunditatem habet, unáq; aut altera

tera purpurea uelatur membrana, hoc autem omnino Aegyptiaci Allij descriptionem repræsentat, utrumq; autem caule & semine caret, ueluti imperfectum sit, & quamuis simplex Allium quod oblongum est, altero anno ponatur, non tamen caulem fert, quantumuis adolescat, & in nucleos diuidatur in terra caput. an itaq; simplex Allium quod rotundum est, & purpureum similiter in nucleos diuidatur, & caule careat animaduertendum.

DE LYCOCTONO *satiuo tricarpo, sic enim à triplici siliquarum ordine nominamus. [Hic fortè Napellus est, qui apud nos in hortis colitur. floribus cœruleis, alicubi purpureis: cuius Iconem Tragus hanc dedit.]* CAP. LXXIX.

Lycoctonum satiuum tricarpum. T. 1. 82. p. 248.



LYCOCTOnum satiuum, quod à trigeminis folliculis tricarpon uocatur, caules, folia, flores, folliculos & semina syluestri similia fert: suas tamen habet, quibus ab hoc dignoscitur, differentias. folio est profundius usq; ad pediculũ inciso, nigriore, glabro & inferius supra modum splendente. floribus capacioribus, colore purpureis, folliculisq; in summitate sibi annuentibus, ut plurimum, ternis: in quibus nigra sunt semina. Radicem habet crassam, multis nigricantibus cirris fibratam, secus quã aliæ enascuntur, ueluti oculi aut bulbi, sequenti anno caulem producturæ, rarò autem una tantùm inuenitur radix, cum enim nõ transfertur, in terra se propagat, quo fit, ut unius cespes multis constet radicibus, sibi inuicem cohærentibus. Saporem *

DE LYCOCTONO *satiuo pentacarpo, [quod à quintuplici siliquarum ordine sic nominat Cordus. Flores quàm superius maiores habet, colore in purpura cœruleos, & candicantes: eiusdẽ alioqui generis proximi, ut apparet.]* CAP. LXXX.

LYCOCTOnum satiuum pentacarpon, prædicto simile est, non tamen adeò profundè sectę foliorum partes sunt, nec adeò splendidæ: flores quoq; maiores fert, colore in purpura cœruleos, & candicantes, quibus siliquæ succedunt quinæ, prædicti siliculis longiores, semine nigro plenæ. Radicibus nititur tricarpo æqualibus & similibus.

DE ABSYNTHIO. CAP. LXXXI.

ABSYNthium uirgas cubito proceriores emittit, minimo digito paulò graciliores, striatos, admodum breui lanugine canos & solidos, quibus totis usq; ad summitatem ramuli adnascuntur semine exiguo, furfuraceo, in nutantibus ueluti

Absynthium. T.1.110.p.335.



racemulis contento flauoq; onusti: quod tantilli æstate præcedunt flosculi, colore lutei, qui concussis uirgis instar pulueris decidunt. folia antequam caules proferat circa radicem habet in latitudinem explicita, et in minimas partes rutę modo diuisa, ab utraq; parte breui, & cinericea lanugine candicantia. quæ uerò in summis uirgis sunt folia, paucioribus partibus constant. Radice nititur digitali crassitudine, fibrata, lignosa & perenni: saporem habet uehementer amarum, tenuem & aliquantulum adstringentem: odorem uerò admodum grauem & acrem: semen cæteris partibus tenuius amariúsq; existit, caput tam gustu quàm olfactu in saporem trahit & aggrauat. Nascitur asperis locis, circa uias, pagos & arces.

DE ABSYNTHIO *dulci*. CAP. LXXXII.

ABSYNthium dulce Artemisiam sapore æmulatur, figura uerò absynthium. Radice nititur similiter ut Absynthium perenni.

DE ARTEMISIA *maiore*. CAP. LXXXIII.

ARTEmisia maior Absynthio simillima est herba, per omnia tamen maior. differentia in colore & sapore consistit. caules enim purpurei et spadicei sunt coloris, folia superius uiridia sunt, inferius uerò incana. seminum quoq; capitula magnitudine absynthio cedunt, magísq; rubent. Radice nititur perenni, saporem habet tenuem & iucundum odorem. Nascitur iuxta sepes & profluentes.

DE SATVREIA. CAP. LXXXIIII.

SATVreia siue Thymbra satiua, pedalis & interdū cubitalis est herba, caulem ab ima parte satis crassum, solidum, hirtum & nigricantem habet. Tota herba numerosis geniculis præcingitur, & in plures uirgas diuiditur, ita ut à singulis geniculis bini ramuli alterno positu exeant. folia sub ramulis uncialia plerumq; habet, eáq; angusta & acuminata, superius modicè hirta, inferius ueluti punctis quibusdam distincta. flores æstate in summis surculis fert exiguos, & in candido rubentes, in capitibus ceu breuibus spicis contentos, foliis permixtos: quibus nigra succedunt semina caliculis insidentia. Radicibus nititur lignosis, fibratis, semestribus & inutilibus. folia & flores gustu acria sunt non sine gratia aliqua, odorem habet acrem, & iucundunm. Seritur in hortis.

De

Artemisia maior. T.1.113.p.344.



Satureia. T.1.13.p.45.



DE THYMBRA, [*id est, satureia syluestri, quæ è Creta affertur.*] CAP. LXXXV.

THYMbra, quæ syluestris satureia est, satiuæ satureię in cunctis similis existit, durioribus tamen & magis hirtis foliis constat. saporem & odorem acriores habet, si uerò nimium gustetur uomitum minatur. Nascitur asperis & saxosis locis, in Creta & uicinis regionibus: unde ad nos affertur. Quæ uerò circa eam nascitur Cuscuta Paulo Aeginetę & reliquis Græcis, epithymbrum uocatur.

DE STACHY. CAP. LXXXVI.

STACHYS plures erigit uirgas, longitudine cubitales, & quadrangulas, è quibus per interualla bini, alterno positu exeunt ramuli. folia habet Marrubio æqualia, oblongiora tamen. flores æstate circa summas uirgas profert paruos, candidos, hiantes & in quinas partes sectos, denticulatis caliculis (exigui & rari uerticilli modo) coniunctis insidentes: quibus exigua nigraq; succedunt semina. uestitur tota herba tenui, candidaq; lanugine. Radice nititur fibrata, lignosa & perenni, sapore & odore Marrubium ęmulatur, saporem tamẽ Marrubio habet paulò acriorem, odorem uerò imbecilliorem. Nascitur asperis, & aliquantulum editis locis circa pagos, ut inter Seburgum & Eyslebium.

*. Steiandorn. *Rara Germaniæ herba.*

Stachys.T.1.2.p.9.



Scolymus.T.2.115.p.866.



DE SCOLYMO, [*quem uulgò Artischock uocant.*] CAP. LXXXVII.

SCOLYmus Carduus est satiuus, & in cibos receptus, prima qua seritur æsta-
te, grandia profert folia, crassa, angulosa & canaliculata spina, utrinq; in dodran-
tales, rugosas, & in cinericeo colore cauas partes usq; ad ipsam spinam secta: quæ &
ipsæ suas peculiares diuisuras habent, singulis aculeis armatas. ea hyeme sub niue
latent, sequenti uerò æstate caulem emittit sesquicubitalem, striatum & incuruũ: in
cuius cacumine grande est caput, coni & pineæ nucis figura, aculeatis carnosisq;
squamis circumuallatum, quod in summitate aperitur circa solstitium, latam comã
ostendens, purpureis & capillatis floribus plenam & conferctam: quibus semina
succedunt Cnico similia, non adeo tamen angulosa, paulóq; minora, colore cæsia &
interdum maculis conspersa. Radice nititur cubitali aut pedali, crassitudine sua ma-
num implente, foris nigra, intus candida, & anteq; fructificet carnosa, postea uerò
lignosa & pereunte: quæ gustu amarescit: folia quoq; amarum saporem habent. Se-
ritur in hortis capitis causa luxuriosis Italis, nobis tantùm spectaculi uice colitur.

De

DE HIPPOSELINO, [*quod uulgò Petroselinum Macedonicum uocant.*] CAP. LXXXVIII.

T.1.145.p.436.



HIPPOSElinum prima æstate cùm è semine prodierit, folia tantùm profert Apio similia, multò tamen maiora, sequenti uerò anno caulem emittit bicubitalem, angulis striatum, modicè concauum, & in adnata seu ramulos diuisum, in quorum summitate umbellæ sunt latæ Libanotidis figura, antequam diuidantur confertorum corymborum formam referentes, luteis flosculis plenæ: quibus duplicia, grandia, angulosa, nigra cartilagineaque succedunt semina. Radice nititur perenni, dodrantali aut pedali, pollice crassiore, pastinacæ satiuæ modo indiuidua, foris nigricante, intus candida & carnosa. quæ gustu acris, subamara, odorata & aliquantulum feruida existit. Semen acrius amariúsque est, & aromatum præsertim myrrhæ odorem habet. folia similes habent qualitates, sed aqueo humore dilutas. Nascitur umbrosis & humentibus locis. In Germania tamen parcius, interim etiam colitur apud nos in hortis.

DE BRASSICA *agresti quadratis siliquis, floribus candidis, &c.* CAP. LXXXIX.

BRASsicę agrestis una species cubitalem habet caulem, teretem, glabrum, aliquantulum concauum, & in ramulos diuisum, folia ex interuallo singula profert secus ramulorum eruptiones, trium aut quatuor unciarum longitudine, paulò angustiora, subrotunda, glabra & Brassicæ modo carnosa: flores ueris exitu candidos & oblongos fert, quibus singulæ succedunt siliculæ, digito longiores, angustæ, & quadrangulares, oblongo, nigróque semine plenæ. Radice nititur exigua, lignosa, semestri & inutili. Folia Brassicam gustu imitantur: semen uerò amarius est, & aliquantulum acre. Nascitur pinguibus agris, lento & glutinoso solo.

DE OCIMO *Nabathæo.* CAP. XC.

OCIMUM Nabathæum, uulgari ocimo æquale & simile est, candidioribus tamen uirgis & foliis constat: nec adeò grauem, sed iucundiorem odorem spirat. Seritur in hortis.

DE OCIMO *caryophyllato.* [*Videtur de eo sentire, quod inter Ocimi genera minimum est.*] CAP. XCI.

OCIMVM caryophyllatum, prædictis quidem simile est, sed multò minoribus uirgis assurgit, minoribúsque foliis constat, iisdémque candicantibus. odorem habet inter utrunque Ocimum & Caryophyllas medium, unde nomen inuenit. Seritur in hortis.



Ocimum caryophyllatum.T.1.8.p.30.



Drosium.T.1.174.p.511.

DE DROSIO, *id est, Alchimilla.* [*Nomen è Germanico finxit.*] CAP. XCII.

Δροσερὰ seu Δρόσιον, siue ψιάδειον, quam uulgò Alchimillam uocant, dodrantales plerumque emittit pediculos, eosque iunceos, propemodum teretes & leniter hirtos, in summitate singula folia ferentes, superius uiridia, inferius pallida, & antequàm explicentur tunicæ modo complicata, cùm uerò se explicuerint, quinque unciarum quoquouersus latitudinem acquirunt, rotundáque fiunt, præterquam quod per ambitum plerumque octonis profundis incisuris diuisa sint, & quæ inter eas partes seu spacia sunt, semicirculum exprimunt, & serræ modo incisa sunt. præter eas sectiones sinum adhuc habent usque ad pediculum recedentem, à pediculo singuli nerui ad arti-

partium extremitates transeunt, ipsis foliis ros in guttas coactus continetur, nonnunquam etiam singulis incisuris ros Margaritarum modo insidet, unde etiam Græcũ & Germanicũ nomen accepit. Coliculos ueris medio dodrantales, iunceos, teretes hirtosque emittit, exiguis foliis interceptos & in plura breuia adnata & surculos diuisos, in quorũ summitate minimi luteique flores sunt, substantia muscosi, & post hos tãtilla semina, quæ uix uisu percipi & dignosci queant. Radice nititur minimi digiti crassitudine, foris nigricante, intus autem flaua, ferè lignosa & perenni, à qua undique numerosæ exeunt fibræ. tota herba adstringit, maximè autem radix. Nascitur pinguibus, herbosis, frutetosis & editis locis.

DE SAMSVCHO. CAP. XCIII.

T.1.9.p.33.



SAMSVchus quæ Latinis Maiorana uocatur, odoratus frutex est caudice breui, minimi digiti plerumque crassitudine, multis dodrantalibus ramulis, iisdemque in latitudinem expansis fruticosus, foliis uestitur totus, in rotundo oblongis, tenuifoliæ Nepetæ similibus & æqualibus, mollibus, leniter hirtis, & hyeme uirentibus. flores æstate fert in summis surculis admodũ exiguos, muscosos & candidos, ab exiguis squamosis hirtisque capitulis prodeuntes: semen iisdem capitulis continetur admodũ paruum, colore spadiceum. Radice nititur multifida, lignosa & perenni. semine satum eadem æstate fructificat, & binos è singulis geniculis ramulos profert, postquam uerò adoleuerit incertus fit ramulorum ordo: odorem habet fragrantem, admodum iucundum & suauem, saporem uerò tenuem, & subacrem. Caput tam gustu quàm olfactu ueluti futuro somno mulcet & mitigat. Colitur apud nos in hortis.

DE ROSMARINO *syluestri seu maiore.* CAP. XCIIII.

ROSmarinus syluestris seu maior, odoratus est frutex, caudice assurgit digitali aut pollicari crassitudine, pluribus cubitalibus bicubitalibusque uirgis ramosus. folia circa uirgas breui interuallo fert sesquiũcialia, angusta, superius uiridia, inferius autem canescentia, modicũ ab utroque latere inflexa & Chamæpeucæ similia, quæ hyeme non amittit. flores uere in uirgis secus folia profert paruos, hiantes, colore in cœruleo candicantes, denticulatis caliculis insidentes, pauca stamina exerentes, quibus exigua nigraque succedunt semina, (quamuis Plinius illi falso semen neget.) Radice nititur lignosa, in plurimas fibras distracta & perenni. Odorem habet suauem, iucũdum, simulque grauem, saporem uerò tenuem, modicè feruidum, subamarum & saliuam elicientem. Nascitur in Narbonensi Gallia.

DE ROSMARINO *tenuifolio, seu minore.* CAP. XCV.

Rosmarinus minor. T.1.17.p.55.



ROSMArinus minor seu tenuifolius, uirgis, foliis, floribus, semine & reliquis facultatibus maiori similis est: præterquam quod minoribus cõstet hisce partibus, odorem etiam suauiorem nec adeò grauẽ spirat. Colitur apud nos in hortis.

DE PITYOSPERMO. [*Finxit hoc nomen Cordus à resinaceo seminis odore saporeq; . Memini hanc herbam locis Heluetiorum montanis inuenisse, & in horto plantasse, folijs cicutæ, semine oblongo, etc.*] CAP. XCVI.

PITYOspermon caules emittit cubito multo proceriores, geniculatos & striatos. folia à radice profert longis pediculis in latitudinem diuisa, cicutæ similia, pręterquam quod hirsuta sint, et paulo maiora. umbellas in summis caulium uirgis fert ammio æquales, ueris exitu exiguo cãdidoq; flore plenas: quibus duplicia succedunt semina, cumino multò longiora, angulis striata, nigricantia, & substantia cartilaginea. Radices habet perennes, ab uno cespite in plures dodrantales aut pedales partes distractas, minimi digiti crassitudine, colore candidas, fibratas & interdum foris nigricãtes. à quarum capite aliæ exeunt radices geniculis præcinctæ, sub terræ superficie sparsæ, quibus se propagat. Radix gustu ferè Gallicam pastinacam imitatur. Semen resinaceum habet tum saporem tum odorem, & radice efficacius est. Nascitur umbrosis, lapidosis, humentibusq; locis, solo subpingui iuxta gelidos riuulos, opacis montibus & syluis delabentes.

DE MALVA *syluestri supina,* [*alij minorem uel pumilam cognominant. est autem uulgarior, & ubiq; obuia.*] CAP. XCVII.

MALVA syluestris supina caules per terram spargit cubitales, teretes, uirides & solidos, in quibus folia sunt longis pediculis trium unciarum latitudine (nonnunquam etiam latiora) per ambitum serrata rotundaq;, pręterquam quòd ab una parte in profundum sinum recedant usq; ad pediculi annexum. Flores secus folia fert paruos quinquefolios, alteri syluestri Maluę similes, minores tamẽ, in candido rubentes, quibus exigua succedunt semina in orbem disposita. Radice nititur (uide an perenni) longa, neruosa et cãdida, folia, caules, et semina gustu glutinosum lentorem remittunt. Nascitur circa hortos, sepes, pagos & rudera.

De

Malua syluestris supina. T.1.120.p.369.



DE OLSENICHIO. CAP. XCVIII.

HERBA quam Germani Olsenich appellant, folia à radice profert in latitudinem explicita, media int er cicutæ & pastinacæ foliorum figura et magnitudine: è quorum medio caulis assurgit sesquicubitalis, non adeò crassus, angulis striatus et geniculatus. folia in geniculis singula ferens, inferioribus minora. umbellas æstate in summis ramulis fert anetho similes, candido exiguóque flore plenas, quos Anetho similia & duplicia semina sequuntur, minora tamen. Radice nititur perenni, foris subnigra, intus candida, ab uno capite minimi digiti crassitudine, in obliquas, tenues & dodrante paulò breuiores partes distracta: quæ gustu feruida, tenuis & subamara existit. semen similes habet qualitates. Nascitur uliginosis, putridis palustribúsque locis, iuxta Alnorum truncos, nonnunquam etiam in eorum musco.

DE SANTONICO *maiore, [quod ferè magnitudine tantùm à sequenti differt.]* CAP XCIX.

SANTONICum maius Absynthio cognatus & odoratus frutex est, caudicem habet pollicari crassitudine numerosas, cubitalesque uirgas emittentem, tenera canaque lanugine obductas, uncia longioribus, canis & Ericæ modo in breuissimas carnosasque partes diuisis, & hyeme durantibus foliis undique uestitas. In summis uir-

gis flores lutei sunt, breuibus staminibus in paruum orbem dispositis farcti: semẽ habet tenue & furfuraceum. Radice nititur lignosa, in plurimas fibras distracta. Saporem folia, flores & semina leniter amarum tenuemq; possident, odorem uerò iucundum & aromaticum. Colitur apud nos in hortis, in Narbonensi uerò Gallia sponte nasci fertur, si Dioscoridi & iis, qui nostra ætate ibidem genitam uiderunt, credimus.

DE SANTONICO *minore*, [*id est, Chamæcyparisso uulgari.*]
CAP. C.

SANTONIcum minus, quod à Plinio Chamæcyparissus uocatur, maiori in cunctis simile est: paulò tamen minoribus uirgis & foliis constat, remissioremq; habet cum saporem tum odorem. Colitur similiter apud nos in hortis cypressi nomine, quamuis Cyparissus siue Cupressus procera sit arbor: à qua hoc nomen ad hunc odoratum fruticem translatum est, ob aliquam foliorum (quam cum arbore habet) similitudinem. Nascitur & hoc copiosissimè in Narbonensi Gallia.

Santonicum minus. T.1.24.p.77.



Hyacinthus syluestris. T.2.79.p.772.



DE HYACINTHO *syluestri.* [*Idem est, ni fallor, aut planè cognatus, Hyacinthus maior Tragi et Fuchsij, cuius Iconem addimus: quanquam cœruleis floribus, cùm Cordus suo purpureos tribuat.*]
CAP. CI.

HYacinthus syluestris, folia statim à radice profert dodrantalia, nonnunquã etiam longiora, latitudine ferè semunciali, rectiuenia, canaliculata, & in teram

incli-

inclinata: è quorum medio caulis assurgit, dodrante (ut plurimum) procerior, sine
foliis teres, uiridis, crassitudine culmi, & inferius rubentibus maculis conspersus: in
cuius summo coma est purpureorum * & deorsum procumbentium florum * in cœ- ruleo.
plena, singuli autem flores oblongi, teretes atq; ab ima parte latiores, concaui,
præclusiq; sunt: sub ipsa coma alii flores sunt prædictis similes, sed latiores, pallidio
res, & positu rariores: quibus singuli triquetri & exigui succedunt folliculi, neq; de
orsum nutantes, neq; sursum erecti, sed cauli, pediculo breui ueluti inserti, & rectà
eminentes: qui in maturitate tribus commissuris aperti, terna semina figura omni-
no rotunda, nigra, & substantia cartilaginea, ostendunt. Radicē habet perennem,
bulbosam, mediocris iuglandis quantitate, tenui nigricanteq; membrana uestitam,
intus candidam carnosisq; tunicis compositam: inferius tenuibus candidisq; capil-
lamentis terræ inhærentem. Tota herba lentum, glutinosum & aqueum saporem
habet: semen uerò gustu subamarum & modicè acre est. Abrupti folliculi, caules te-
neri & folia lentum in trahendo sequacem & clarum humorem remittunt. Nasci-
tur apricis tumulis mediocri solo.

* *Verus est Hyacinthus medicorum. Nascitur autem* Schenberge bey Hetsteth: *ubi propter floris colo-rem* Breünlingk *appellant.*

DE LIMNOPEVCE: [*fictum est nomen ab eo, quòd in stagnis nascatur, fo-liis Tædæ seu Piceæ.*] CAP. CII.

LIMNOpeuce singulares erigit caules, iunco multò crassiores, in tenuitatem
desinentes: è quibus breui admodum interuallo folia exeunt Tædæ similia,
breuiora tamen, molliora'q;: quibus singula adnascuntur ceu grana milio minora.
Radicibus nititur perennibus, transuersis, nigricantibus: plurimis capillamentis fi-
bratis, & in limo hærentibus, quibus se propagat. Herba ipsa insipida est, & modi-
cùm styptica. Nascitur in lacubus & stagnis, inter Eislebium & Seburgum.

DE PHYLLITIDE *lacustri.* [*Potamogetoni cognata est herba, foliis* Phylli-*tidis. nascitur & in nostro* Felium *lacu, si bene memini*] CAP. CIII.

PHYLLItis lacustris, ex limo sub aqua uiticulam profert, longam, teretem, o-
lorinæ pennæ crassitudine, foris Tiphæ modo asperam, hirsutam & fuscam:
intus autem uiridem, & concauam, è qua raro interuallo aliæ oriuntur uiticulæ, iun-
ceæ gracilitatis, foris uirides & glabræ, intus autem concauæ, quæ ubi supra aquam
emerserint, folia ferunt Betæ aut Phyllitidi similia: minora tamen, colore in uiridi
pallida. Tota herba gustu adstringit. Nascitur in lacubus, copiosissimaq; in lacu qui
est inter Seburgum & Eislebium.

DE TESTICVLO *bifolio.* CAP. CIIII.

TEsticulus bifolius, duo à terra profert folia, Lilio similia, latiora tamen: è quorũ
medio caulis assurgit cubitalis, tenuis et angulosus, minimis singulisq; foliis ex
interuallo uestitus in summo caule ex foliorum alis candidi flores auiculæ uolantis
figura, prodeunt: è quibus à tergo unciali longitudine exeunt caudæ tenues conca-
uæq;, in fundo melleum succum continentes, per caudas ueluti per uitrum transpa-
rentem. Radicibus nititur geminis maturæ oliuæ aut cærei oblongiq; pruni ferè
magnitudine, iisdemq; oblongis & caudatis: supra quas aliæ tenuiores exeunt, Da
masonii radicibus æquales. Sapore pratensem Palmam imitatur. Nascitur pingui,
herbosoq; solo raris arbustis obsesso.

DE PALMA *montana*, [*Satyrij Basilici, uel Testiculi fœminæ specie.*] CAP. CV.

PALMA montana Hyacintho similia è terra profert folia, paulò tamen maiora. è quorum medio caulis exit Bifolio testiculo similis, similterq; foliolis uestitus, non tamen angulosus, sed teres. Flores etiam fert similes, numerosiores tamen & minores, colore purpureos. Radices habet geminas, pratensi Palmæ similes, maiores tamen: quæ gustu reliquas Testiculorum species æmulantur. Nascitur in montibus pingui solo.


DE LILIAGINE. [*Phalangium aut Phalangîtin hanc aliqui putant: quòd hac ferè apud nos effigie nascitur.*] CAP. CVI.

LILIago statim à radice folia profert Hyacintho similia, angustiora tamen. è quorum medio caulis assurgit cubitalis, aut aliquando maior, tenuis, teresq;, superius uno atq; altero interuallo singula habens folia, prędictis multò minora. in summo caule et adnatis flores producit sex, oblõgis uncialibusq; foliolis constãtes. è mediis floribus, luteis apicibus, stamina prominent, in summa Lilio † similes flores sunt, multò tamẽ minores, nec ita resupinatis partibus repãdi. Radicibus nititur multis, culmi crassitudine, lentis, pinguibus, glutinosis, perennibus, ab uno capite † in diuersas partes distractis, lõgitudine dodrãtis. Saporẽ habet glutinosum & nauseosum aliquantulũ. Nascitur editis apricisq; locis, iuxta rara & parua arbusta.

† uel potius Asphodelo uero

† ut etiam in Asphodelo.

* *Nos Asphodelum Germanicam uocamus, propter radicum & florum similitudinem, seminúmq; formam & colorem conuenientem.*





De

DE DAMASONIO *tenuifolio.* [*Id uidetur hæc quam exhibemus, aut proxima genere herba, syluis & montibus nostris non infrequens. Duæ aut tres eius species, magnitudine coloréq; florum præcipuè differunt. Sed flores in nostro non uidētur foliacei: quamobrem accuratius perpendendum fuerit.*] CAP. CVII.

DAMASonium tenuifolium caulem habet dodrantalem aut pedalem, teretem ac leniter striatum, per interualla acuminata, & liliacea folia proferentem: tenuiora tamen & uenis durioribus striata, ipsum caulem quà ab eo exeunt amplectentia: super folia usq; ad caulis summitatem, ueris exitu flores se proferunt candidi, foliacei, nullos apices habentes, quorum media pars ceu luteum labrum exerit. Semen * Radicibus nititur tenuibus, perennibus, forma & substantia syluestri Damasonio similibus. Saporem habet amarum, glutinosumq;. Nascitur editis & opacis locis, solo pingui.

* *Helleborine Dodonæi.*

DE DAMASONIO *Calliphyllo,* [*altera specie superioris.*] CAP. CVIII.

DAMASOnium calliphyllon, tenuifolio Damasonio floribus, semine, caule & radice simile est: caulis tamen paulò crassior est: folia uerò multò speciosiora habet, media inter syluestre Damasonium & Polygonatum figura, paulò tamen minora pulchrioráq;. Nascitur pingui nigróq; solo, Alabastrite aut Gypsarium saxum obtegente, plurimumq; iuxta Northusium, ad Hercyniam syluam.

T. 1. 40 p. 128.



DE ANEMONE *tenuifolia.* CAP. CIX.

ANEmone tenuifolia caulem erigit cubitalē, teretem, striatū, solidumq;, statim à terra ex interuallo folia proferentem, Nigellę aut Chamæmelo ęqualia, & in adnata se diuidentem: in quorum summitate singuli sunt flores minoris Helleborinæ aut Chamæmeli floris figura, quorum medium in purpura nigricat, reliqua pars uerò puniceo colore fulget: in medio flore incisum est capitulum pineo cono simile, paruis nigrisq; staminibus cinctum. decidentibus ueris exitu florum foliolis capitulum increscit, donec sesquiuncialem consequatur longitudinem, totumq; horreat aculeatis seminibus, obliquo ordine circumuolutis. Radice nititur minimo digito graciliore. fibrata, lignosa & semestri. fœtent aliquo modo triti flores & gustu ferè insipidi sunt, nisi tantillam possiderent amaritudinem. Nascitur pinguibus aruis in segete.

* *Non est hæc Anemone, ut neq; sequens: sed Chamæmalum Eranthemum Dioscoridis: cuius semina ad frangendum calculum efficacissima sunt: Turingi uocant* Teüffels auge/ *propter colorem florum, prunæ non absimilem, quasiq; ardentem. Acrimoniam nullam habet, quæ propria est Anemone.*

DE ANEMONE *tenuifolia altera,* [*colore tantùm floris alio. Vide scripta cum præcedenti.*] CAP. CX.

ANEmone tenuifolia altera, iam descriptæ in cunctis similis est, pręterq; quòd flores pallidos habeat, in medio tamen similiter nigricantes. Nascitur iisdē, quibus prior locis, cui gustu etiam respondet.

DE CORALLOIDE, [*cui nomen finxit à radice albo Corallio simili. Aliqui, ni fallor, Saniculam albam uocant. alij temerè aconitis adnumerant, nos Iconem à Ioanne Kentmano acceptam apposuimus.*] CAP. CXI.

Coralloides.



Coralloidis alia species.



CORALLOides caulem emittit cubitalem, iunceæ gracilitatis, inferius nigricantem. folia propè terram habet sex aut septem, ab uno pediculo prodeuntia, aliquatenus Cannabi similia: in summo caule uerò multò minora pauciorá'ꝗ, in quorum alis paruæ ueluti baccæ hærent, colore in purpura nigricantes, & in partes modicè incisæ: an aliud quoq; semen habeat uidendum. Radice nititur perenni, trãsuersa, adnatis inæquali, candida & dum eruitur splendenti, albo Corallio simili, unde nomen inuenit: quæ gustu acrem & subamarum habet saporem, ceu Raphani aut Rapi cortices. Nascitur umbrosis mõtibus, solo pingui saxa tegenti: plurimáq; inter Stolbergum et Northusium ad Hercyniam syluam.

* *Aliqui consolidam Sarracenicam nominant. Est autem Aconiti species, baccata sub folijs & non flore, quẽ fert puniceum. Sapor radicis est nasturtij.*

DE ACONITO *monococco.* [*Solani non Aconiti generibus adnumerari hæc herba debet: quoniam & refrigerat, & acinos habet cæteris Solanis similiter.*] CAP. CXII.

ACONitum seu Pardalianches monococcon, caulem erigit teretem, singularem & iudiuiduum, longitudine dodrantalem aut maiorem, in cuius summitate

tate folia sunt plerunque quatuor, rarissimè autem plura, Parietariæ & Cyclaminis aut Hederæ figura, paulò tamen maiora, utrinque in acumen fastigiata, sed anteriori parte obtusiora, æqualiter ab inuicē distantia, & sibiipsis in uno centro iuncta. è medio foliorum breuis & gracilis oritur pediculus, similiter quatuor oblongis, paruis acuminatisque foliolis circumdatus, è quorum interuallis alia quatuor multò minora tenuioraque erumpunt, & ex illorum medio rursum octo prodeunt stamina, luteo polline conspersa, quæ paruum, purpureum, concauum, cuboque obtusis angulis similem florem, eundemque singularem circumdant, quatuor apices plerunque eiusdem coloris habentem, ex quo paulatim rotunda nigraque bacca gignitur. Radice nititur lōga, gracili, geniculata, foris subfusca, splendente, è geniculis laterales sub terra uiticulas spargente, transuersa & perenni: quæ gustu cum amaritudine adstringit, simulque insipida ingrataque dulcedine & tenuitate nauseosa palatum afficit. Nascitur umbrosis locis, solo, ut plurimum, pingui.

* *Germanice*, Eynbeer.

Aconitum monococcum. T. 1. 102. *p*. 308.



Dracunculus primus. T. 2. 81. *p*. 777.



DE DRACVNCVLO *primo siue Polyphyllo*. CAP. CXIII.

DRACVNculus primus siue polyphyllus, quem recentiores Luph crispum ab incisis foliis appellant, caulem erigit rectum, tripedalem, crassitudine digitali, teretem, glabrum leuémque, uersicoloribus maculis, maximè purpureis conspersum & uarium, serpenti adeò similem, ut etiam cauto ex improuiso oblatus serpens

esse credatur. folia habet dodrãtalia, acuto rumici similia, quina, sena aut septena, in uno pediculo simul coniuncta. in summo caule ueris medio inuolucrũ foliaceũ fert lõgitudine dodrãtali, quo aperto pistillus prodit aro similis, multò tamẽ maior et post hũc oblõgus racemus, primũ uiridibus, in maturitate autẽ puniceis baccis farctus: in quibus crocati sunt duriq; nuclei. Radice nititur perẽni, crassa, rotunda, bulbosa, candida, tenui cortice uestita, magnitudine mediocris mali, multis candidisq; capillamentis fibrata, cui oculi ceu exigui bulbi adnascuntur, quibus in terra se propagat. Tota herba Aro nostrati gustu & reliquis facultatibus respondet, paulò tamen efficacior existit. Colitur apud nos in hortis, in calidioribus uerò locis sponte umbrosis locis, & iuxta sepes prouenit. In comparatione saporis cum Aro hoc sciendũ est, quòd Aron in calidioribus regionibus minimè acre sit, apud nos uerò acerrimum, & facultate Dracunculo proximum.

DE DRACVNCVLO *altero seu henicophyllo, [folijs Ari, maioribus, & maculis candidis conspersis. Matthiolus hunc Dracunculum maiorem uocat & pingit.]* CAP. CXIIII.

DRAcunculus alter seu henicophyllos, quem recentiores Luph planũm appellant, priori per omnia similimus est, preterquam quod folia habeat minimè in partes secta, sed Aro similia, maiora tamen, & candidis maculis conspersa: quæ ante hyemale solstitium illi apud nos rarò decidant. easdem habet quas prior facultates. nascitur iisdem natalibus, apud nos uerò in hortis colitur.

* *Aron maculosum.*

Dracunculus maior.



Hepatica alba.



De

DE HEPATICA *alba,* [*quam Germani* Läberblümle *uocant.*] CAP. CXV.

HEPATICA alba coliculum emittit dodrantalem, indiuiduum, gracilem & angulosum, infra cuius medium unicum duntaxat est folium, longitudine ferè unciali, subrotundum, modicè turbinatum, & figura hederaceum, sine pediculo coliculum amplectens, & in sinum recedens: in summitate singularem fert florem, quinq; candidis & subrotundis foliis constantem, in cuius medio turbinatum & cădicans eminet capitulum, quinq; oblongis candidisq; radiis circumuallatum: è quorum interuallis tenuissimi prodeunt apices, luteum quiddam in apice ferentes. sub ipso flore quinq; exigua sunt foliola, quibus flos antequam aperiretur, claudebatur. defluentibus autem floris foliis capitulum increscit, donec paruæ auellanæ magnitudinem assequatur. hoc in maturitate apertum, parua, oblonga & flaua, aut rubentia semina ostendit. Radice nititur admodum parua & nigricante, tenuissimis capillamentis fibrata. tota herba subamarum, leniter acrem & modicè adstringentem saporem habet. Nascitur macris & putridis pratis, quę nunquam omnino exiccantur.

* *Gramen Parnasi quibusdam.*

DE VERBASCO *leptophyllo,* [*Ea uidetur quam Germani* Goldknöpfle *uocant, Rheni accolæ* Schabenkraut, Mottenkraut. *Tragus Blattariam facit.*] CAP. CXVI.

Verbascum leptophyllum. T.2.146.p.925.



VERBAscum leptophyllum singularem erigit caulem, longitudine bicubitalem, teretem, intusq; fungosum, statim à terra usque ad mediũ foliis uestitum, longitudine quadrantali, latitudine sesquiunciali, iuxta annexum angustis & leniter per ambitum serratis: hæc quo summitati propiora fuerint, eò breuiora euadunt. supra folia flores æstate lutei, foliacei, in medio croceum quiddam habentes, cauli usque ad summitatem adnascuntur: quibus singuli succedunt ueluti globuli pisi quantitate, colore fusci, exiguo, fusco, anguloso, & papauere minori semine pleni. Radice nititur dodrante breuiori, in multas fibras distracta, candida, lignosa & semestri. Folia gustu subamara sunt, quemadmodum & flores: semen ferè insipidum est. Nascitur circa oppida & in lutosis aggeribus.

* *Verbascum tenuifolium, forte Blattaria,* Goldknöpfle.

DE MENTHA *corymbifera maiore, id est, Mẽtha Sarracenica.* [*Aliqui Costum hortensem, alij Mentham Græcam appellant. Minorem descripsit supra, cap. 72.*] CAP. CXVII.

MENtha corymbifera maior, quam uulgo Mentham Sarracenicam appellant, multos ab uno radicum cespite cau

les emittit longitudine bicubitales, angulosos & solidos. folia longis pediculis (antequam caules erumpant) numerosa ab radice erigit quinque unciarum longitudine, latitudine uerò duarum cum dimidia in obtusum mucronem desinentia, utrinque ueluti impressis punctis quibusdam distincta, subtus modica tenuique lanugine pubescentia, & per ambitum serrata. quæ uerò in caulibus & ramulis sunt folia, inferioribus multò minora existunt, ac sine pediculis uirgas amplectuntur, & iuxta annexũ utrinque profundius secta sunt. caules in plures ramos distrahuntur, qui & ipsi in summitate in numerosos tenuesque pediculos diuiduntur: in quorum cacumine æstate aurei coloris flores sunt, densis ueluti paleis farcti, qui autumno in fuscũ acerosũmque semen transeunt. Radicibus nititur minimo digito paulò gracilioribus, nigricantibus, lignosis atque perennibus, per terræ superficiem sparsis, multa lateralia germina propagationis causa emittentibus: à quibus aliæ tenuiores radiculæ substantia carnosæ, foris fuscæ & hellebori fibris æquales in terram descendunt. flores & folia amarum, feruentem tenuemque saporem habent, ueluti si quis simul Mentham & Abrotonum gustet, odore etiam tam Abrotonum quàm Mentham æmulatur, estque hic non sine gratia acerrimus. Colitur in hortis.

* Marien Müntze.

Mentha corymbifera. T.1.53.p.163.



Lingula uulneraria. T.1.106.p.323.



DE LINGULA *uulneraria.* [*Huic Fuchsius Ophioglossi nomen finxit, aliqui Lanceam Christi uocant.*] CAP. CXVIII.

LINgula uulneraria, singularem emittit coliculum, longitudine dodrantalem aut proceriorẽ, gracilem, glabrum & mollem: à quo triũ aut quatuor unciarum

à terra

à terra altitudine folium exit singulare, sine pediculo coliculum amplectens, trium ferè unciarum longitudine, latitudine uerò unam excedens, ac in mucronem non adeo acutum desinens, nulla spina nullisq; uenis distinctum. n summo coliculo insecto, aut uermiculo cuidam aliquid simile est, uncialem habens longitudinem, crebrò utrinq; à lateribus incisum. Radicem habet exiguam admodũ, tenuibus fibris capillatam. Neq; florem neq; semen fert. Saporem habet herba subdulcem, modicè tenuem & aliquantulum glutinosum. Radix paululùm amarescit & subacris est. Nascitur montanis locis, plurimaq; Ambergi atq; Oeniponti.

DE PSYLLIO. CAP. CXIX.

T. i. 54. p. 167.



PSYLLium surculosa est herba, coliculo assurgit dodrantali aut pedali, solido, anguloso, hirsuto & geniculato. folia à geniculis utrinq; prodeunt oblonga, angusta & modicè hirta, longitudine bessis, latitudine uerò quintam unciæ partem non excedentia. Ramuli è foliorum sinu enascuntur tenues, in quorum summitate & coliculi cacumine oblonga & paleacea sustinentur capitula, quantitate nucis auellanæ, minimis, pendulis, pallidis & tritici similibus flosculis circumdata, à paleaceis caliculis propendentes: quibus singulis bina succedunt duraq; semina, quà sibi inuicem coniunguntur, modicè canaliculata, quantitate & colore pulicum, (unde nomen inuenit) aqua maceratum lentam mucilaginem superficie tenus remittens. intus uerò candida est, seminis substantia, capitula quoq; foliolis circumuallantur, prædictis minoribus. plerumq; rectà assurgit psyllium: spargitur tamen nonnunq; etiam humi, à radicis capite emissis ramulis, acciditq; hoc frequenter cũ rectus ille coliculus decerptus fuerit. Radice nititur oblonga, gracili, candida, lignosa & semestri: semen æstatis ferè exitu excidit, quo sparso recens enascitur herba usq; in autumnum uirens, principio cum prodit numerosa profert à radicis capite folia, humi procumbentia: quæ enato caule exarescunt. saporem folia habent amarum, seminis uerò mucilago dulcis est: odorem, donec uiret, tota herba grauem spirat. Nascitur asperis, sabulosis densioreq; arena constantibus locis, secus agros, plurimùmq; Vuitembergæ, Sidæ, & Guterboci.

DE TANACETO. CAP. CXX.

TANACEtum primo uere numerosa folia ab uno radicis cespite emittit, non indiuidua, sed multis partibus composita, & filicis modo alata, siquidem à dodrantalibus purpureisq; (æstate) pediculis utrinq; exeunt foliola, longitudine ses-

quinunciali, latitudine uerò semunciali, ab utraque parte ex obliquo profundius incisa: quibus enatis caules assurgunt ab eodem cespite plures, longitudine sesquicubitum frequenter excedentes, teretes, trientis aut bessis interuallo geniculati, minutissimè striati, colore in purpura nigricantes, & solidi, quos geniculatim singula uestiunt folia, prædictis similia, sed breuioribus pediculis insidentia. folia quæ circa terram sunt adultis caulibus exarescunt, ipsique caules in summitate in numerosos ramulos diuiduntur, quorum cacuminibus exigua orbiculataque insident æstate capitula, latitudine tertiam unciæ partem æquantia, breuibus, paleaceis atque aurei coloris flosculis dense compactis constantia, corymborum modo coaceruata erectaque, quæ tota æstatis exitu in cæsia & paleacea semina Santonico aut Absynthio similia conuertuntur. Radice nititur breui, crassitudine digitali, lignosa & perenni, plurimis cirris, & capillamentis fibrata, à qua etiam aliæ exeunt radiculæ, uiticulis similes et geniculatim sub terræ superficie, donec in Germen erumpant repentes. Saporem folia & semina habent amarum, tenuem, subacrem & Seriphii semini omnino similem, odorem uerò acrem, grauem & cum eodem Seriphio certantem. semen tamen foliis multò acrius est tam gustu quàm odore. Nascitur in aggeribus, & iuxta agrorum fossas, solo mediocri, subaspero aut arenoso, omnino autem pingui terra nunquam uidi prouenire.

Tanacetum. T.1.51.p.158.



Daucus Selinoides. T.1.156.p.466.



De

DE DAVCO Selinoide, [*Apio simili folijs, acerrimo, ulcerante.* (*infra cap.141. meminit latifolij Selinoidis Dauci.*) *Est autem hæc fortè Saxifraga minor, Pimpinellæ similis, cuius Iconem Tragus dedit huiusmodi.*] CAP. CXXI.

DAVcus Selinoides, folia à radicis capite emittit utrinque à pediculis exeuntia, Apio similia, paulò tamen oblongiora, nec ita splendida & glabra, sed aliquãtulũ rugosa, ambitu inciso, & per terrã sparsa: è quorum medio caulis assurgit cubitalis, gracilis, striatus & geniculatus, singulis foliis geniculatim uestitus, prioribus multò tenuius incisis. habet adnata & ramulos aliquot caulis, in quorum summitate paruæ sunt umbellæ, æstate candidis flosculis plenæ: quibus succedunt exigua, oblonga, & in fusco rubentia semina, singulisque flosculis bina & sibi inuicem coniuncta. Radice nititur duorum plerumque dodrantum longitudine, minimo digito paulò graciliore, terete, colore candida & perenni. Nascitur campestribus lutosisque locis ac pratis. Radix gustu acris & feruida est, quæ si diutius (cum recens adhuc est) attrectetur, manúsque ad os & nares ferantur, eas partes quibus admotæ sunt manus leniter exulcerat, idem efficit decoctæ uapor & halitus, insuper etiam capitis grauedinem, attractoria ui, quam efficacem habet, facit. odorem spirat similiter acrem. semen utraque facultate radici respondet.

DE DAVCO Cyanopo. [*Sic autem cognominat à cœruleo radicis liquore prædicto similem, sed minorem facit. Quærendum an hæc sit Pimpinellæ (melius Saxifragæ) Tragi tertia & minima species.*] CAP. CXXII.

DAVcus Cyanopus foliis, caulibus, umbellis, earumque colore seminibusque Selinoidi similis est, præterquam quod caulis breuior & magis teres sit, & uix euidentibus striis, sulcetur: lanugine etiam tam caulis quàm folia tenui breuique uestiuntur. Radice nititur perenni, paulò minore quã Selinoides daucus, foris nigra & aliquantulum tuberosa, intus autem candida, quæ præcisa, aut abrupta omnino cœruleum liquorem remittit. Sapore & odore daucum Selinoidem æmulatur, sed paulò imbecillior existit. Nascitur asperis, arenosis, sabulosis & aliquantulum editis locis, congestisque arena tumulis, & aggeribus, plurimusque Vuittembergæ.

DE DAVCO coriophyllo, [*cui folia ferè coriandri, radix oblonga, acerrima, &c.*] CAP. CXXIII.

DAVcus coriophyllus, folia circa radicis caput profert, partim coriandro, partimque pastinacæ similia, per terram strata, à quorum medio caulis exit pedalis, aut nonnunque cubitalis, gracilis, teres, solidus, geniculatus, subtilibus striis sulcatus, & in purpura (cum in consistentia est) rubens, umbellis, flosculis, eorumque colore & semine, Dauco cyanopo similis existit. Radicem habet pedis, aut nonnunquam duorum dodrantum longitudine, Selinoide graciliorem, teretem, candidam & perennem. Sapore * odore exulcerante. acrimonia tota herba Selinoidi dauco respondet. nascitur ubique in cultis campis & secus uias, solo qualicunque.

DE DAVCO coniophyllo, [*id est, Cicutam folijs referente, &c.*] CAP. CXXIIII.

DAVcus coniophyllus caulem habet Dauco Selinoidi similem: folia uerò in brachiatis utrinque pediculis producit in latitudinem explicita, & cicutæ modo in tenues partes incisa. adnata caulis à geniculis emittit longa, in cacumine latiusculas umbellas candidis flosculis ferentia: quibus semina succedunt Selinoidi similia. Radice nititur candida, coriophyllo dauco æquali, aut nonnunquam maiori, & perenni, facultatibus Selinoidi respondet. Nascitur umbrosis, herbosis atque editis locis, solo pingui.

DE POLYCHRESTO, [*umbellifera herba, liquore radicis lacteo. Nomen unde indiderit Cordus, ex descriptione non uideo. Nam si nomen fingendum sit, à foliorum crebris incisuris, aut surculorum, qui umbellam constituunt diuisionibus, Polytmetum fuerit dicendum, non polychrestum.*] CAP. CXXV.

POLYchrestum foliosam à radicis capite emittit comam, undique per terram sparsam. ipsa autem folia non simplicia atq; indiuidua, sed multifida, omnium ferè umbelliferarum modo: siquidem pediculi tenues à radice exeunt, crebrò articulis intercepti, qui in singulis articulis in ternos surculos sæpius & multis uicibus subdiuiduntur. ultimis, extremis minimisq; pediculis folia insidēt exigua, in multas tenues partes secta, & crebris incisuris partim coriandro, partim satiuo petroselino similia, cum fructificare inceperit arescentia. Caulem è media foliorum coma erigit unum atq; alterum, (aut nonnunq; plures secundum radicis ætatem) cubito plerumq; proceriorem, teretem, modicè striatum, longo interuallo geniculatū, intus fungosum, atq; per omnia Anetho similem, paulò tamen tenuiorem, folia è geniculis proferentem, inferioribus similia, sed multò pauciora minoraq;: in cuius summitate umbella expanditur lata, quinq; aut sex unciarum latitudine, quadrantalibus plerumq; surculis constans, candicantibus flosculis plena. siquidem singuli umbellæ surculi, in plures tenuiores surculos subdiuiduntur, minoris umbellæ speciem referentes. semina singulis floribus succedunt bina, coniunctaq;, tanquam unū sint, anetho latiora crassioraq;, colore subfusca, sub ipsa umbella tenuia oblongaq; exeruntur ceu folia. Radice nititur † tricubitali, aut nonnunquam pro ætate longiore breuioreue, superius crassitudine digitali, candida, carnosa et perenni, quę pręcisa, lacteum remittit liquorem. saporem radix habet Pastinacæ satiuæ similem, simulq; amarum & subacrem. semen gustu radici respondet. Lacteus uerò liquor cęteris partibus efficacior est: folia imbecilliora sunt: flores postremo medium tenent inter folia & radicem temperiem. Nascitur asperis, sabulosis, arenosis campis, tumulis & aruis, plurimumq; in Vuittembergensi electoratu.

† *Mirum hoc cùm caulem dixerit uno cubito duntaxat, plerumq; proceriorem esse.*


* *Fortè Vielgutha, id est, ualdè bona: etsi alia uidetur ualdè bona Italorum: & Toutte bone, id est, Tota bona Gallorum.*

DE HIRCIBARBA. CAP. CXXVI.

HIRCIbarba, folia à radicis capite profert, dodrante plerumq; longiora, angusta, croco similia, paulò tamen latiora. nam semunciam ima sui parte aliquando attingunt, ad terram inclinata: è quorum medio caulis assurgit, in statu durus ex interuallo foliis, sine pediculo amplexus prædictis breuioribus, cui successiuè per totum uer et æstatem ramuli adnascuntur breuioribus foliis amplexi. flores toto uere usq; post medium æstatis in summis ramulis profert, sibi inuicem succedentes, orbiculatos, luteos, staminibus densè stipatis constantes, oblongo calici insidentes, sub calice uerò caulis & ramuli in oblongam cauitatem & in summo latam desinūt, quod euidentius in primis floribus circa ueris medium apparet. flores in oblongos pappos resoluuntur, unà cum longo striato & fusco semine, inferius annexi in aurā abituri, semen intus candidum dulcemq; nucleum complectitur, atque dum adhuc cum pappis in calicibus continetur, quam hircinæ barbæ speciem præ se fert, unde nomen apud Græcos, Latinos & Germanos inuenit. Radice nititur oblonga, minimi digiti crassitudine, candida, antequam fructificet carnosa & gustu suaui, postea uerò arescente. Saporem teneri coliculi antequam semen ferant admodum dulcem & suauem habent. abundat tota herba copioso & lacteo liquore. Nascitur in montibus, campis & pratis.

De

Hircibarba. T. 1. 94. p. 280.



DE PORTVLACA *agresti, [à qua satiua cultu tantùm differt. Pingitur à Fuchsio.]* CAP. CXXVII.

PORTVLAca sponte nascens, statim à radice in plures crassos, pingues, carnosos, teneros, rubentes & undiq; per terram sparsos diuiditur coliculos: qui & ipsi in numerosiores subdiuiduntur ramulos, totius autem herbæ in terra iacentis quantitas dodrantis aut pedis spacium occupat. folia habet numerosa, crassa, pinguia nitidaq;, longitudine ferè uncialia, anteriore parte rotunda, paulóq; quàm posteriore latiora, semunciam latitudine rarò excedentia, secus qua flores sunt exigui colore lutei, quibus succedũt oblongi, acuminati atq; hordeo ęquales & similes utriculi, per transuersum commissuram habentes, à qua superior folliculi pars recedit. nam pileoli modo auferri potest, saluo adhuc seminis receptaculo, quod & ipsum in transuersa commissura aperitur, minima nigerrimaq; semina ostendens. Radice nititur oblonga, fibrata, carnosa, subrubente & semestri. Saporem coliculi & folia habent glutinosum & modicè acetosum. semen paruam resipit dulcedinem. Radix postremo iniucundo sapore ferè nauseam mouet. Nascitur in uineis tam pinguibus quàm arenosis, nascitur etiam in arenosis sabulosisq; fossarum aggeribus, circa pagos & arua.

DE PORTVLACA satiua. CAP. CXXVIII.

Portulaca satiua. T.1.125.p.382.



PORTVLAca satiua, solo cultu ab agresti differt, hinc est quod in hortis sata, ob alimenti copiam maioribus & speciosioribus foliis exeat, atque propter saporis gratiam & succi bonitatem magis quàm agrestis edendo sit.

DE GAROSMO, *id est, uuluaria,* [*obscœno gari odore herba, unde nomen confinxit Cordus. est autem Atriplicis agrestis minima species.*] CAP. CXXIX.

GAROsmum agrestis Atriplicis minima species est, coliculos per terram spargit iunceos, longitudine dodrantales, aut nonnunquam pedales, in quibus oblõga sunt folia, uncia breuiora, flosculos, racemulos producit paruos, & in his uix euidentes flosculos: quibus rotunda & papaueri æqualia semina iisdem racemulis contenta. Radice nititur tenui atque semestri. Tota herba uehementer fœtet instar putridi halecum gari. eadem manibus tractata, fœtore eas adeò inficit ut integrum diem oleant. sapore quoq; garo non est dissimilis. Nascitur asperis locis circa macerias, sepes et itinera.

DE MENTASTRO. CAP. CXXX.

MENtastrum caules erigit cubitales, quadrãgulares & hirsutos. folia ex interuallo in contrariis lateribus, alterno ordine & cruciformi positu proferentẽ, lõgitudine bessis, latitudine autem unciam quarta aut tertia parte excedẽtia, rugosa atq; lanuginosa pube obducta. Ramulos supra medium plerunq; caulis è foliorum sinu producit, uere & æstate numerosis undique floribus in candido rubentibus & hiantibus, denticulatis calicibus insidentibus, & positu quandam spicæ imaginem referentibus circumdati: quibus exiguum nigrumq; semen succedit. Radice nititur multis capillamentis fibrata, laterales uiticulas propagationis causa in terra spargẽte & perenni. Saporem habet amarum, acrem & adstringentem, odorem uerò grauem & acrem, satiua Mentha multò iniucũdiorem. Nascitur secus gelidos riuulos, solo pingui, interimq; saxoso, arenoso autem nunquam enatum uidi.

Mentastrum.T.1.5.p.20.



DE SONCHO *læui.* [*Sonchum utrumq; aliter Matthiolus, aliter Fuchsius pingunt,*
cognatas tamẽ herbas. ad quas etiam Lactuca syluestris Tragi pertinet. Fuchsius a-
sperum Germanicè Gensƺdistel, *læuem* Hasenkôl *interpretatur. Tragus asperi*
Sonchi genera duo describit 1.90. Iconibus omissis.] CAP. CXXXI.

LENIS aut leuis Sonchus caulem erigit singularem, cubito plerumq; procerio
rem, minimo digito paulò graciliorem, angulosum, glabrum, rubentem, tene-
rum & concauum, folia ex interuallo proferentem, longitudine dodrantali (aut ma-
iora) latitudine uerò quadrantalia aut quincuncialia, mollia, tenera & utrinq; pro-
fundius usq; ad spinam in quaternas plerumq; partes secta, inter utrumq; latus an-
teriori parte singularis folii portio intercedit, rectáq; exporrigitur. Ramulos in
summo caule è foliorum sinu emittit paucos, in quorum summitate lutei orbicula-
tiq; flores toto uere & æstate usq; in autumnum se proferunt, latitudine unciali, ca-
pillamentis dense stipatis cõstantes, quæ in pappos resoluta, unà cũ paruo oblongo
& in fusco rubente semine auolant. Radice nititur oblonga, candida, fibrata & se-
mestri. abundat lacteo liquore tota herba. Saporem caules et folia habent amarum,
aliqua aquea dulcedine mixtum. Semen dulce est, odore herba papauer æmulatur.
Nascitur sponte in hortis & fossis.

DE SONCHO *aspero maiore.* [*Lege quæ ad præcedentis capitis Lemma annotauimus.*] CAP. CXXXII.

SONchus asper maior, caule, ramulis, flore, semine & radice, lacteo liquore leni Soncho similis est, foliis tantùm differt, quę longitudine quincuncem interdum excedunt, latitudine uerò posteriori parte trientem æquant, anterius uerò in mucronem fastigiantur. eadem sine pediculis caulem amplectuntur, nec in partes secta sunt, sed per ambitum inæqualia, & breuibus, nec adeò duris aculeis horrida. Saporis amaritudine lenem sonchum aliquantulum superat, nasciturqꝫ ijsdem locis.

DE SONCHO *aspero minore.* [*Vide annotata cum capite 131.*] CAP. CXXXIII.

SONchus asper minor, maiori per omnia ferè similis est, sed multò minor existit. Caulem enim producit pedalem, duos dodrantes rarò longitudine excedentem, aliquantulum teretem, nec adeò tenerum, sed solidiorem foliis uestitum, triente breuioribus, per ambitum maioris modo spinulis horridũ. Saporem habet amarum. Nascitur circa sepes, aspero & arenoso solo.

DE LACTVCA *agresti, quam hodie falso apud nos Endiuiam uocant.* CAP. CXXXIIII.

T.1.89.p.268.



LActuca agrestis Galeni tempore Gręcis thridacine appellata, & quam hodie ubiqꝫ in Germania à ueritate aberrantes, Intybũ & Endiuiam tam Medici quã pharmacopolę uocant, primo uere ab erumpente semine folia emittit oblonga, tenera, modicè per ambitum sinuosa; è quorum medio caulis exit singularis, sesquicubitalis aut interdum bicubitalis, teres, uiridis, glaber & solidus, statim à terra ferè usqꝫ ad cacumen folia proferens, longitudine propemodum dodrantalia, latitudine bessem (ut plurimum) excedentia, utrinqꝫ in profundos breuibusqꝫ spinulis inæquales & serratos sinus excauata, colore in uiridi cinerea, à tergo, id est, inferius, oblongis fragilibusqꝫ aculeis horridum & spinosum dorsum habẽtia. anterior folii pars in mucronẽ desinit. At Bremę in Saxonia ea folii portio nõ turbinẽ fastigiatur, sed in rotunditatem

ditatem exit. ramulos caulis supra sui medium producit numerosos, in quorum sum mitate copiosi, parui luteiq; flores capillamentis stipati, ueris exitu se proferunt, ob longis caliculis contenti, qui in pappos resoluti unà cum olongo, & in fusco cæsio se mine auolant. Radice nititur semestri, oblonga, foris in consistentia fusca, intus autem candida, antequam caulem edat tenera, postea uerò lignosa. abundat tota herba copioso, lacteo & crasso liquore. saporem habet uehementer amarum & euidenter acrem, odore papauer imitatur. Nascitur incultis asperisq; locis, aggeribus, ruderibus, muris, & iuxta sepes.

DE SMYRNIO, *seu Angelica uulgò dicta.* CAP. CXXXV.

T. 1. 140. p. 421.



SMYRnium, quod hodie ab omnibus ferè Europæ Medicis & Pharmacopolis Angelica nominatur, primo anno cùm è semine prodierit, pediculos emittit cubitales, crassitudine digitales, teretes. teneri, glabri & in terrã repandi, utrinq; in binos, ternos, aut nonnunq; quaternos, minores pediculos ceu brachia diuisi & expansi, in quorum extremitate folia sunt figura Apii foliis similia, sed multò maiora, in ternas plerumq; turbinatas partes antrorsum spectantes secta, propius ad aceris Cinereæ folia accedentia, interdum ad dodrantem tam longitudine quàm latitudine accedentia, & tota hyeme uirentia: sequenti aut tertio anno caulis è medio foliorum assurgit, duûm aut nonnunq; trium cubitorum altitudine, crassitudine pollicem plerumq; superans, teres, geniculatus, glaber, in candido liuente & abstersu facili polline ueluti conspersus, & concauus, geniculatim foliis ornatus, prædictis multò minoribus. habet ramulos & adnata aliquot caulis, in quorum summitate magnæ sunt umbellæ, quinq; aut sex unciarum latitudine, forma conuexæ, candicantibus flosculis plenæ, quibus bina succedunt semina, inuicem coniuncta, oblonga, angulosa, paleacea et in candido cinerea: oblongum, planum, foris nigrum, intus candicantem & cartilagineum nucleum paleaceo & auguloso cortice claudentia. umbellæ antequam enascantur, in posteriori foliorum parte instar utriculi tumida continentur, quæ intra ipsum utriculum auctè, rupto utriculo, erumpunt, quandam confercti racemi speciem referentes, donec in eam quam descripsimus formam ado-

lescant. Radice nititur antequam caulis enascatur crassitudine plerumq; manum complente, nonnunquam etiam crassiore, oblonga, in multas dodrantales aut pedales partes distracta, foris nigricante, intus candida, carnosa, molli, succosaq; : quæ præcisa flauum liquorem seu lachrymam, ab interiori corticis parte remittit, cui similis liquor etiam in foliorum uenis continetur, sed aquosior. Cùm uerò caulis maturo semine perit, ipsa quoq; radix putrescit. eadem etiam quamuis tempestiuè effodiatur, ob excrementicii humoris copiam facilè ab innascentibus uermiculis perfunditur. Saporē radix semen & folia habent acrem, fauces scarificantem, subamarum, tenuē & aromaticum : odorem uerò similiter acrem, uehementem, medicatum atque aromatum similem. Efficacissimus omnium partium liquor est, mox semen, deinde radix: flores & folia postremum locum tenent. Nascitur umbrosis, humentibus, uliginosis, palustribus, petrosisq;, tam editis, quàm planis locis, plurimumq; in Pomeraniæ palustribus atq; Noruegiæ montibus. Interim etiam seritur Friburgi in Brisgoia, quæ Pomeranicam bonitate uincit, siccioribus locis enascens, ideoq; non tam facilè teredinem sentit, ut illa.

DE SOLANO *nigro, uulgari.* CAP. CXXXVI.

SOLAnum nigrum cubitalis herba est, multis angulosis, inæqualibus et subscabris adnatis ramosa. folia habet plerumq; trientalia, latitudine paulò angustiora, in mucronem turbinata, per ambitum incisuris diuisa, & tactu mollia. Flores tota æstate, contra quam aliæ plantæ ex mediis foliorum internodiis profert paruos, in singulis pediculis ternos, quaternos, quinos aut senos, quinis exiguis oblongis, acuminatis & candidis foliolis, instar stellæ radiorum, dispositis constantes: in quorū medio lutei minimiq; apices, in unum coniuncti eminent, floribus singuli succedunt acini quantitate pisi, figura rotundi, substantia molles, primum uirides, in maturitate uerò nigri, intus subuiridi, glutinosoq; succo atq; paruis flauentibus compressisq; seminibus pleni, ab uno pediculo, instar corymbi aut parui racemi dependentes, & in terram annuentes. Radice nititur oblonga, fibrata, candida, semestri atq; inutili. saporem folia habent aqueum, simulq; adstringentem. acini uerò glutinosum & aliquantulum uinosum, odorem spirat grauem & fœtidum. Nascitur ubiq; in urbium hortis, iuxta macerias, muros, rudera & sepes, tam cultis quā incultis locis, umbrosis natalibus, mirè frondium magnitudine & temeritate luxuriat, iisdemq; frequentius & felicius prouenit.

* *Vulgò Nachtschad.*

DE SOLANO *puniceo,* [*altera specie præcedentis, ita ut colore ferè solùm differat.*] CAP. CXXXVII.

SOLAnum puniceum, ramulis, foliis, floribus acinorum, figura & quantitate, radice, sapore, odore & natalibus nigro Solano simile est: differt tamen, quòd paulò asperioribus constet ramulis, acinosq; in croceo colore puniceos producat, qui æquè ut nigri baccæ ante maturitatem urent.

DE XANTHIO. CAP. CXXXVIII.

XANTHIon caulem habet cubitalem, circa terram digiti crassitudine inæqualem, & aliquantulum angulosum, subuiridem, solidum & nigris in purpura maculis conspersum, longis, crassis et cauli similibus adnatis, statim à terra usq; ad summitatem incondito ordine exeuntibus ramosum: in quibus folia sunt longis pediculis insidentia, longitudine trientem plerumq; excedentia, posteriore sui parte triente raro angustiora, in mucronem fastigiata, per ambitum inæqualiter incisa, in summa Atriplici similia. à quorum sinu ueris medio atq; exitu oblonga exeunt capitula, corni aut oliuæ nucleo similia & æqualia, in candido purpurascentibus, breuibus

bus stipatisq́ ceu apicibus obsita, quæ flores eius sunt: eadem paulatim castanearũ modo aculeis armatam duramq́ superficiem acquirunt, binosq́ intra se autumno, cum maturuerint et induruerint, nucleos claudũt, colore candidos, nigricãte tenuique membrana uelata. Radice nititur oblonga, multis capillamentis fibrata, candida & semestri. Saporem exterior fructuum pars acrem habet; nuclei uerò dulcem & gratum. odore partim Solanum, partim Nasturtium herba æmulatur. Nascitur iuxta urbes et pagos, planis humẽtibusq́ locis, ubi hybernas aquas æstas exiccauit.

Xanthion T.2.102.p.839.



Hippia minor. T.1.126.p.385.



DE HIPPIA *minore,* [*quam uulgò Morsum Gallinæ, eruditi pleriq; Alsinen uocant.*] CAP. CXXXIX.

HIPPIA minor, egregię teneritudinis herba est, coliculos per terram spargit numerosos, pedales aut dodrantales, admodum graciles, teretes, teneros, glabros, uirides & geniculatos. folia in singulis geniculis bina profert, uncia plerumq́ multò breuiora, posteriori parte rotunda, anteriori uerò modicè acuminata atque Anagallidi similia, molliora tamen. flosculi è foliorum sinu exeunt minimi, colore candidi, stellæ modo radiati: quos perexiguus subsequitur utriculus, pauca semina intra se continens, papaueri similia. Radiculis nititur semestribus, capilli modo tenuibus, euulsu tamen in runcando difficilibus, quantumuis gracilibus. Sapo-

rem tota herba aqueum & ferè insipidum habet, aliquantulum tamen Betæ similē, nitrosa succi qualitate. Gallinæ huius herbæ pastu delectantur. Nascitur cultis hortorum areis.

DE CALCATRIPPA *candida.* CAP. CXL.

Calcatrippa candida. T.1.195.p.659.



CALCAtrippa candida, caule, ramulis, foliis, florum figura & semine, in aruis nascenti similis existit. flores colore differunt, qui illis in candido est rubens. Colitur coronarum causa in hortis.

* *Vulgò Rittersporen, id est, Consolida regalis. Vide suprà lib.1.cap.16.*

DE DAVCOIDE *maiore, [folijs hirsutis, &c.]* CAP. CXLI.

DAVCOIdes maius folia habet per terrã strata, apio aut Latifolio, id est, Selinoidi Dauco similia, hirsuta & per terram strata: è quorum medio caulis exit sesquicubitalis, aut aliquando maior, aliquãtulum asper & geniculatim foliis uestitus, iis quæ inferius sunt minoribus, in summo caule umbellæ sustinentur æstate in candido rubentibus flosculis plenæ: quibus singulis bina, subrotunda, crassiuscula & lapparum modo aspera, & prætereuntium uestibus adhærentia, semina succedunt. Radice nititur oblonga, candida, tenuiq;, antequam caulem proferat, carnosa, gustuque cum acrimonia subamara, quæ maturo semine perit. Semen tritum odore cimices et Buprestides imitatur, gustuq; admodum ingrato est. Nascitur decliuibus, campestribus locis, inter fruteta.

DE DAVCOIDE *minore.* CAP. CXLII.

DAVCOIdes minus, caulem maiore tenuiorem producit, in summo adnata & ramulos proferentem. folia geniculatim exeunt, in latitudinem explicita, & in tenues partes secta, partim pastinacæ syluestri, partim cicutæ similia, minora tantùm & aliquantulum hirta. flosculos æstate in paruis umbellis fert, in candido rubentes, quibus semina succedunt in maturitate candicantia, Aniso similia, sed paulò minora, aspera & lapparum instar prætereuntium uestibus adhærentia. Radice nititur tenui, lignosa & semestri, gustu maiorem imitatur, non tamen adeò ingratum & asperum saporem habet. Nascitur frutetosis locis, secus uias.

De

DE CONYZA *syluestri hirsuta,* [*Conyza Tragi, quam hic exhibemus, ut cum Cordi Conyzis cõferatur, uidetur conyza minor Matthioli. Videtur & illa species conyzæ, quæ quinq; aut plures ab una radice transuersa caules producit, communi herbæ uulnerariæ nomine ab eo uocata.*] CAP. CXLIII.

T.1.54.p.166.



T.1.164.p.488.



CONYza syluestris hirsuta caules emittit pedis aut duûm dodrantum altitudine, rectos, graciles, solidos & subhirsutos, oblongis, hirsutis, mucronatisq; foliis, besse interdum longioribus, uncia uerò paulò angustioribus. in summis caulibus capitula sunt singula & subtus aspera. in quibus æstate & ueris exitu flores lutei sunt, figura orbiculati, campestri conyzę similes, longioribus tamen, per ambitũ capillamentis stipati & radiati, quæ in pappos resoluta, unà cum oblongo fuscoq; semine auolant. Radice nititur lignosa, fibrata, nigricante & perenni. Saporem flores habent amarum & acrem. folia gustu mitiora sunt, odorem spirat grauem, subacrem, præsertim flores. Nascitur incultis, montanis & frutetosis locis.

* *Est Conyza montana, odorata.*

DE CONYZA *syluestri, glabra.* CAP. CXLIIII.

CONYza syluestris glabra, caulibus, capitulis, floribus, semine & radice, hirsutæ syluestri similis est, caules tamen glabros, nec adeò aspera & hirsuta ca-

pitula producit. folia habet longiora, paulò latioraq́ superficie leui & glabra, per ambitum tamen tenuibus incisuris, aspera, sapore & odore hirsuta imbecillioribus constat. Nascitur montanis, herbosis & frutetosis locis.

DE CONYZA Helenitide. CAP. CXLV.

CONYza Helenitis, foliis, caulibus, flore & sapore Helenio, id est, Inulę similis est: multò tamen minor. Primo anno, cùm è semine prodierit, folia tantùm profert longitudine trientalia, quadrantaliáue, latitudine uncialia, in mucronem acuminata, subtus tenui lanugine hirsuta, & in terram refracta. altero deinde anno caulem profert plerumq́ cubitalem, nonnunq́ ab eadem radice plures, graciles, teretes, solidos, foliis iam dictis minoribus uestitos, interdum in adnata diuisos: in quorum summitate singula sunt capitula, à quibus lutea exeunt stamina, florem constituentia, longitudine plerumq́ unciali, undiq́ in orbem radiorum instar explicita: in quorum medio breuiora eiusdémq́ coloris stamina sunt, densius stipata. quæ in pappos resoluta, unà cum oblongo fuscoq́ semine auolant. In summa Inulæ speciem capitula, flores & semina referunt, nisi minora essent. Radice nititur ferè lignosa, fibrata, & † Saporem folia & flores amarum habent, atq́ fauces scarificantē. Nascitur campestribus, lutosis locis, quos fluuiorum inundationes hyeme & uere operiunt.

† Vide an perenni.



Conyza Helenitis. Eadem aut similima uidetur Matthioli. conyza maior.



Chamæclema. T. 2. 8. p. 797.

De

DE CHAMAECLEMATE, [*quod nomen author confinxit, uulgus Hederam terrestrem uocat.*] CAP. CXLVI.

CHAMAECLEma, quam ubiq; in Germania falsò Hederam terrestrem, Germani uerò Gundelreben proprio nomine appellant, uiticulas per terram spargit numerosas, iunco graciliores, modicè angulosos, teneros, glabros & geniculatos, longitudinis incertæ, siquidem interdum & frequenter orgiam excedunt. folia à singulis geniculis bina prodeunt, longis pediculis insidentia, rotunda, per ambitum incisa, non tamen serrata. nam incisurarum interualla rotunda sunt, uenis corrugata, superius uiridia, inferius autem pallidiora, & iuxta pediculum in sinum excauata, latitudo iis est plerumq; unciarum duarum. flores secus folia fert oblongos, hiantes, chamædryos aut Galiopsios floribus similes, colore in purpura cœruleos, quibus exigua nigráq; succedunt semina, ueluti Chamædryi. Radice nititur tenui, fibrata, quinetiam à singulis geniculis in terra radices demittit. saporem folia & flores subamarum & modicè acrem habent, odorem grauem, non tamen iniucundum spirat. uiret tota hyeme, coquitur cum carnibus. Nascitur iuxta macerias, sepes & incultis locis.

* Gundelreben.

DE PARTHENIO, [*Matricaria uulgò dicta.*] CAP. CXLVII.

T.1.50.p.156.



PARTHEnium, quod hodie ubiq; per totam Europam Matricaria nominatur, folia circa terram numerosa fert, utrinque in partes longitudine unciales, latitudine uncia angustiores, crebrò ex obliquo incisas diuisa, partim Coriandri, partim etiam Tanaceti foliis similia. è quorum medio caules plerumq; plures assurgunt, pede frequenter proceriores, graciles, angulosi, adnatis ramosi, & sub horum exortu singulis uestiti foliis, quibus eadem est inferioribus figura. flores in ramulorum summitatibus fert orbiculatos, latitudine semunciales, in medio luteis breuibúsq; staminibus dense stipatis, uitello simile capitulum constituentibus, quod undiq; breuibus, exiguis, numerosis, cãdidisq; foliolis circũuallatur. media est lutea pars florum mutato colore in semina tanaceto similia permutatur. Radice nititur plurimis candidisq; capillamentis fibrata, atq; † perenni. Saporem tota herba amarũ, & cum tenuitate acrem habet, odorem uerò acrem & ualdè grauem, ueluti Tanacetum, sed acriorem, cui gustu etiam respondet. Nascitur in antiquis urbium muris, iisque aliquantulum humentibus, & petris quibusdam urbibus uicinis, plurimúmq; Marpurgi in Hessia, Freiburgi & Rochlicii in Misnia, pluribúsque aliis regionibus: iis uero locis quibus spõte nõ prouenit, in hortis colitur, arenosis minimè sponte exit.

† Vide in Trago.

DE TRIBVLO *lacustri*. CAP. CXLVIII.

T.2,103.p.841.



TRIBVLI lacustris fructus æstatis
præteritæ exitu, sparsus in limo latẽs,
eiq; tanquam anchora inhærens, caulem
saluo & integro tam operimento quam nu
cleo ex angusto foramine emittit, secundũ
aquæ in qua nascitur diuersam profundita-
tem, duûm, trium aut quatuor cubitorum,
lõgitudine bessis seu trientis, interuallo ge
niculatum, teretem, inferius ubi è fructu
exit iunco multò graciliorem, paulatim uer
sus summitatem crassescentem, atq; superi-
us ueluti in clauam intus fungosam, longi-
tudine plerumq; quadrantalem, crassitudi-
ne uerò pollicarem desinentem. à singulis
geniculis binas ceu capillatas & uillosas spi
cas, inferiori caulis parte breuiores, superi-
ori autem longiores proferentem, colore
subfuscum, intusq; ualdè angustis fistulis,
Nympheę modo, peruia internodia haben
tem. Folia è superioris clauæ capite profert
numerosa, trientalibus aut nonnunquam
quadrantalibus, & interdum bessem non
excedentibus, uiridibus, in medio crassiori
bus, intusq; fungosis pediculis insidentia,
undiq; in orbem per aquæ superficiem stra
ta & expansa, quatuor lateribus, longitudi
ne sesquiunciæ aut bessis, Romboidem fi-
guram referentia. ex his duo posteriora la-
tera, pediculo iuncta minime incisa sunt, re-
liqua autem duo anteriora incisuris serram
imitantur. superior foliorum pars omnino
glabra & nitida est, inferior uerò & aquis contigua, subhirsuta, eminentibus uenis
distincta, & adhærentibus diuersi generis animalculis mucosa & sordida existit.
Flores æstate sub foliis circa clauam fert paruos, candidos & aqua submersos: qui-
bus singuli succedunt fructus, lõgitudine et latitudine unciam excedentes, angulo-
si, quatuor oblongis, duris, ad pungẽdum paratis, et modicè reflexis aculeis armati,
atq; iisdẽ aculeis, ceu cornibus taurini capitis formã exprimentes, & lignoso infra-
giliq; cortice candidum nucleum complectentes: cum recens est, mollem & lacteo
succo, si exprimatur, manantem, gustu dulcem, & ad insipidum saporem simul uer-
gentem. qui cum aruerit, omni carens succo tam aqueo quàm oleoso, durus euadit,
atq; substantia ad frumentaceorum seminum naturam accedit, adeò ut etiam panis
ex eo pinsi queat. Cum fructus deciderint, ipsa claua eorum nigricantibus uestigiis
inęqualis redditur. Radices, supra fructum etiam matura & iam flaccescente her
ba adhuc in limo hærentem, habet numerosas, fibratas & nigricantes: quarum ma-
xima plerumq; pars, non è limo, sed è circumfusa aqua nutrimentum trahit. paucæ
siquidem ex his limo insident, nisi casu aliquo eo operiantur, ipsa quoq; capillamen
ta spicis similia radicum uicem supplent, superioribus partibus alimentum sugge-
rendo. Caules & folia manifestam adstringendi uim habent, uerum caules multo
foliis efficaciorem. Nascitur stagnantibus fluuiorum partibus, lutosis lacubus et ur

bium fossis, quibus omnibus limosus sit fundus. Plurimus Vuittembergæ & Torgæ, ex Albi fluuio emissis lacubus, atq; Lipsiæ in stagnantibus Elistri partibus, lutosisq; lacubus.

* *Vulgò* Wassernuß, *uel* Stachelnuß.

DE CICVTA *maiore.* CAP. CXLIX.

T.1.159.p.474.



CICVTA maior folia circa terram primo anno habet, in anguloso, brachiato et in binos minores pediculos aliquoties diuisis pediculis crebrò in tenues partes incisa, & in latitudinem explicita: è quorum medio sequenti uere caulis assurgit procerus, duûm, trium aut nonnunq; quatuor cubitorum altitudine, & digiti uel pollicis crassitudine, glabrum, teretē, geniculatum, liuidis, fuscis atque subrubentibus maculis conspersum, intus fistulæ modo concauum, folia geniculatim inferioribus similia proferētem, superius adnatis pluribus ramosum: in quorum summitate umbellæ sunt modicè conuexæ, candicantibus æstate flosculis plenæ: quibus semina succedunt Aniso similia & æqualia, in maturitate tamen candidiora, atque in binas partes dilabentia. Radice nititur dodrantali aut pedali, crassitudine digitali, tereti, candida, antequam caulem proferat carnosa, cùm uerò fructificauerit lignosa fit, peritq;. Saporem radix Gallicæ Pastinacæ non dissimilem habet sed crasso uenenosóque halitu uitalia tentantem. semina gustu iniucunda sunt quemadmodū & folia, quæ etiam grauem admodum, fœdum atq; horribilem odorem spirant. Nascitur umbrosis pinguibusq; locis, circa fossas, sepes, & templorum umbra septentrionem uersus.

DE CICVTA *minore,* [*Tragus scribit hoc uitium Petroselini esse, & aliquo modo ad cicutam pertinere. Germani uocant* Gleyß/Glyssen.] CAP. CL.

CICVTA minor caulem erigit pedalem aut cubitalem, gracilem, geniculatū, teretem & nitidum, foliis geniculatim uestitum, maiori Cicutæ similibus, sed uehementer nitidis & splendidis umbellas, flores & semina maiori similia profert. Radice nititur tenui, candida ac semestri: odore, sapore, & facultatibus maiorem æmulatur. Nascitur cultis hortorum areis, plerumque inter satiuum petroselinum decerpentes fallens. nam pro Petroselino, aut unà cum illo resectum cibisq; inspersum uescentium mentes graui periculo turbat, ideoq; cautos esse hortulanos oportet, atque noxiam hanc herbam splendore à Petroselino distinguere, alioquin foliorum incisuris & forma illi non dissimilem.

DE PNEVMONANTE, id est, Lungenblůme. [*Gentianæ minoris speciem esse apparet, qualem hîc exhibeo, aut similimam.*] CAP. CLI.




PNEVmonanthes caulem quibusdam in locis producit singularem & indiuiduũ, quibusdam uerò in binos sibi contrarios et alterno positu exeuntes ramulos diuisum, gracilem, solidum, in uiridi purpuráqꝫ nigricantẽ, folia sub ramulis proferentem sesquiuncialia, semuncia latiora, coloreqꝫ nigricantia: quæ uerò in summis surculis sunt prædictis magnitudine cedũt: flores æstate in surculorum cacumine fert, Modelgeræ similes, sed maiores. si singularis sit caulis, unum atqꝫ alterum, in ramoso uerò multos, erectos, concauos, oblongos, inferius angustos, superius latiusculos, profundius in quinas plerumqꝫ partes sectos, intus hirsutos, colore in purpura cœruleos, quinis, ut plurimum, intus oblongum uiridemqꝫ apicem stipantibus. flaccescente flore apex paulatim in uncialem utriculum excrescit papaueraceo semine plenũ. Radice nititur tenui, lignosa, semestri atqꝫ inutili. Flores amarum tenuemqꝫ saporẽ habent, folia uerò his multò imbecilliorem. Nascitur campestribus uliginosisqꝫ locis. nascitur etiam excelsorum montium, syluis carentium, opacis atqꝫ meridiano sole non illustratis partibus, plurimumqꝫ Ienæ in Hausbergo.

* *Dodonæus Violam calathianam uocat, propter floris figuram. Videtur ad Gentianæ species pertinere. est enim radix lutea & amara gustu.*

DE COLCHICO nigro, [*cuius radix siccata, foris nigricat.*] CAP. CLII.

COLCHICI (quod hodie Hermodactylum uocant) tres sunt species. primũ enim cum siccatum fuerit, foris nigrum, intusqꝫ fuscum in candido colorem habet. Alterum in flauo subrubentem, tertium uerò candidum. Ex his nigrum, paulò ante autumnale æquinoctium florere incipit, usquequo superueniens gelu, sub ipsis pruinis superbientes flores opprimat. Coliculum itaqꝫ autumno edit quincuncialem, nonnunqꝫ etiam dodrantalem, gracilem, glabrum, candicantem atqꝫ egregiè teneri-

T.2.76.p 759.



teneritudinis, in cuius summitate flos est Lilio non dissimilis, sed minimè repandis & reflexis deorsum foliis, sex ut plurimum foliis longitudine sesquiunciam aut bessem æquãtibus, latitudine uerò uncia paulò angustioribus, utrinq; acuminatis, glabris, nitidis, pinguibus, in attritu glutinosis, primũ clausis & conuolutis postea se explicantibus constans, colore in subrubente purpura albicans, in medio luteo colore stamina, numero ipsa floris folia non excedentia continens, qui postquam unum atque alterum diem durauerint flaccescũt. deinde paulopost sequentis ueris initium folia profert longitudine dodrantali, latitudine uerò unciæ aut sesquiunciæ, acuminata, crassa, Liliaceis forma & substantiæ lentore similia, sed longiora, sub terra coeuntia, & teretem, tenerum candicantemq; pediculum constituentia: in quorũ medio prope terram utriculus extuberat acuminatus, triquetrus, longitudine sesquiunciam plerumq; accedens, latitudine uerò unciam ut plurimum æquans, rotundo, milioq; maiori, primum candido, æstate deinde post solstitium maturescente & ad ruffum in nigro colorem transeunte semine plenus, quo sparso folia flaccescunt. Inueniuntur nonnunquam duo aut tres utriculi simul coniuncti & ab una radice prodeuntes, cum eadem radix totidem flores produxerit, sed unus tantùm ex his magnitudine prestat, alii ueluti abortiui sunt. Radice nititur longitudine sesquiunciali, modicè in planũ compressa, latitudine unciam plerũq; quarta eius parte excedente, superius turbinata, inferius autem latiuscula parte ueluti in paruum unguem desinente, & candidas fibras in terram demittente, & paruis bulbis circa latera enatis se propagante: foris multis in ruffo nigris tunicis uestita: ex quorum numero eius ætatem cognoscere potes. singulis enim annis singulas superinduit tunicas, quibus detractis reliqua radicis pars carnosa, totaq; candida & lacteo succo plena est, eadem ab una parte rimã ueluti sulcum habet, per quã floris coliculus transiuit, hunc enim nõ è superiori & acuminata parte maioris radicis autumno promit, sed ab inferiori flaccescentis ungui & latiore, contra reliquorum bulbosorum morem. ea uerò radix à cuius mucrone flos & folia emittuntur, sulco caret, usq; in autumnum, donec subnascens paruula alia emisso flore priorem sulcet. Hinc est quod radices, quibus uere & æstatis principio folia insident, canaliculatum istum sulcum non habeant. Folia cùm exaruerint, uestigium quoddam turbini impressum relinquunt Eadem radix quæ priore anno germinauit, sequenti anno flaccescit, autumno succedit alia admodum parua, inferius adnascens, à cuius superiori parte autumno flos prodit. nam hîc minime à maiore exit, minor hæc radix unà cum flore adolescit, in uere autem & æstate sequenti simul cum semine ad iustam magnitudinem peruenit, quo tempore prior omnino perit. Siccata radix tam foris quàm intus fusca fit. Saporem radix habet dulcem simulq; amarum, tenuem, saliuam prouocantem, & aliquantulum nau-

seorsum. Odorem uerò omnes herbæ huius partes, grauem & nauseabundum spirant. Nascitur in pratis tam planis quàm montanis solo pingui, plurimumq; in Vuirtembergensi Sueuia, ubi autumno omnium ferè montium decliuia, campi & prata his floribus albicant.

DE COLCHICO *subrubente*, [*quod à colore radicis siccatæ ita cognominat.*] CAP. CLIII.


COLCHICum subrubens, nigro in omnibus notis & proprietatibus assimulatur, preterquam quòd siccata eius radix, quamuis excorticata, rubescat. sapore quoq; & odorem nigro similem habet, nasciturq; eiusdem naturæ natalibus: rarissimè tamen iuxta se simul nascuntur.

DE COLCHICO *albo*, [*cuius radix etiam siccata albicat, tum foris, tum magis intus.*] CAP. CLIIII.

COLCHICum album flore, foliis, semine & radice prædictis simile est, qualitate tantùm ab illis differt. siquidem radix etiam cum siccata fuerit foris albicat, quanquam interdum flauescat cùm inueterascit, intus uerò candidissima, tenera, in tundendo mitis, mollis & tractabilis existit: quæ tusa farinam triticeam aspectu refert. Saporem habet dulcem & ualdè suauem, nulla amaritudine mixtum. sponte in Germania nascentem nondum uidi, sed cultam tantùm & è longinquis allatam locis.

DE CROCO. CAP. CLV.


T.2.77 p.763.



CROCVS autumni initio, cùm Sol in libram ingressus est germinat. primum folia multa protrudit oblonga, ualdè angusta, acuminata et uenosa, prope terram atq; in ipsa terra coniūcta fasciculorum aut scoparū instar, ac membrana tenui inuoluta. è quorū medio coliculus erumpit quincūcialis, gracilis, tener, glaber & nitidus, in cuius summo flos est sex foliis, besisis longitudine, uncia paulò angustioribus utrinq; acuminatis, & inferius ubi coniunguntur omnino purpureis constās, intus sex staminibus ornati. ex his tria, breuia, angusta, colore lutea, positu erecta & superficie pulueracea sunt, reliqua tria lōgitudine ipsa floris folia paulò excedunt, cum etiam ex clauso con uolutoq; flore iamiam ex terra prodeunte, exertis capitibus proficiant: eadem inferius angusta, superius uerò latiuscula existunt et subtilissimis crenis, nonnullorū oculos subterfugientibus. incisa color iis est in ruffo puniceus. ea collecta, aroma celebre constituunt, ab omnibus crocum aut crocus appellatum, gustu amariusculum, subacre & aromatum simile, odore iucundo, acri, latè spirante, oculos aliquantulum mordicante, lachrymas profundere cogente, & modicè cum suauitate non ingrata caput aggrauante, somnumq; conciliante. eius tam triti quā integri parua portio magnam aquæ aut uini quantitatem, luteo aut citrino colore, & ad puni-

ad puniceum inclinante, tingit. Flores unum atq; alterum tantum diem, postquam aperti fuerint, durant. in summa Colchico simillimum florem habet, præterquam quòd croci floris color magis ad purpuram uergit, & quòd Colchicum tria illa longa, puniceaq; stamina, quę crocum sunt, minimè habeat. Floret etiam cum Colchico aut paulò post, cum ultimis Colchici floribus. Folia quę cum flore Crocus protulit, hyeme non flaccescunt, sed sub ipsa niue uirent, proximoq; uere incrementum capiunt, donec æstate ad iustum statum perueniant: in quo longitudinem habent pedalem, latitudine autem quartam unciæ partem non excedunt, eadem substantia uenosa, id est, rectiuenia sunt, & ab una parte angustis admodum canaliculis striata, ab altera uerò sulcum habent minimè profundum, modicè candicantem, & per eorum medium usq; ad mucronem transeuntem. Radice nititur rotunda, bulbosa, cùm floret autem in latitudinem uncialem aut maiorem compressa, multis tenuibus, capillatis ferèq; reticulatis tunicis uictorialis modo inuoluta. detractis tunicis tam foris quàm intus candida carnosa succosaq;, in superficie multis circulis cincta: à quibus ipsæ tunicæ initium sumunt: autumno cum floret singulari, sequenti autem uere & æstate duplici atq; altera, alteri superius insidente. Cùm enim ueris initio folia increscunt, superior radicis pars à qua folia exeunt increscit, donec æstate parentem sub se retentam quantitate æquet: hac itaq; uigentem, solidam succosamq; constitutionem nacta, ipsa parens languida et flaccida redditur, atq; autumno tota euanescit. Propagat se bulbosis oculis, ipsi radici adnatis: fibras ab inferiori parte in terra agit tenues candidasq;, nutrimentum attrahentes. Saporem radix habet dulcem, aliquantulum nauseosum & tenuem, ideoq; saliuam modicè elicientem. Colitur apud nos in agris.

T.2.150.p.935.



DE GLYCYRRHIZA. CAP. CLVI.

GLYCYRRHIza, ab uno radicis capite caules altheæ uirgis similes emittit, secundum radicis ętatem plures, duûm aut trium cubitorum altitudine, iuxta terram minimi ferè digiti crassitudine, teretes, solidos, lignosos, in uiridi suffla uos, intus fungosa medulla plenos, atq; inferius tactu asperos, ex interuallo inæquali ordine folia proferentes: è quorum sinu ramuli enascũtur singuli. folia inferius maiora q̃ superius habet, alatam figuram referentia, nã dodrantalibus pediculis utrinq; quina, sena, et nõnunquã septena pari fere interstitio distãtia adnascuntur, ea ratione, ut bina semper in uno exortu coniungantur, atq; breuibus admodum pediculis ex aduerso opponantur, in summitate surculi, à

quo omnia folia exeunt: unum rectà prominet inter utrumq; ordinem, parem foliorum numerum unitate imparem commutans. singula sesquiuncialem aut besſis longitudinem habent, latitudinē uncia minorem aut uncialem, quamuis sæpius etiam multò maiora fiant. eadem subcrassa & aliquantulum pinguia sunt glutinosamq́; & splendentem habent pinguedinem, utrinq; superficiei insidente: ideoq́; tacta digitis contumaciter adhęrent. est præterea iis peculiaris quædam natura quam cum paucissimis communem habent. Oriente sole singula folia in latitudinem primùm æqualiter explicantur, mox unà cum ascendente sole eriguntur & ipsa, atq; interdiu omninò sursum rigent atque unà cum pediculo cymbam, aut nauium carinam forma referunt: occidente uerò eodem sidere, rursum se dimittunt, noctuq; intus demissa dependent, donec rursum ascendente sole eleuentur. quinetiam aëris constitutionibus reguntur. nam si dies sereni fuerint interdiu eo modo quo dictum est erecta sunt, pluuiosis uerò, nubilis, tristibus & frigidioribus diebus etiam æstate atq; ipso meridie se deorsum submittunt. atque hæc de foliis tantùm intelligenda sunt et non simul de eorum pediculis: horum enim positus, neque solis cursu, neque cœli constitutione mutatur. è summis caulium alis oblonga quædam, dissecta & ueluti aculeata prodeunt capitula, (quæ Dioscorides pilulis Platani comparat, fructus impropriè appellando,) ea se paulatim in quadrantalem & nonnunquam quicuncialem pediculum extendunt, undiq; usq; ad summitatem paruis, oblongis, papilionaceis & colore in candido cœruleoq́; purpurascentibus floribus circumdatum, atq; eorum positu comam hyacinthi florum referentem. flores omnes ferè caduci sunt, paucissimis exceptis: è quibus uncialis, gracilis, subrubens atq; in latitudinem compressa prodit silicula, tribus aut quatuor oblongis seminibus grauida. diu hæc herba uiret antequam folia amittat, quæ postea, ubi foliorum defluuii tempus aduenerit, non sigillatim sed uniuersa simul unà cum pediculo decidunt, cui etiam postquam deciderit adhuc adhærent. Radice nititur superius trunco simili, quò uetustior fuerit eò crassiore, plerumque crassitudine pollicari, inferius in multas longissimas radices undique in obliquum exeuntes distracta, quæ arenosum solum aut arenam tantùm nactæ, duarum orgiarum longitudinem excedunt. substantia eis est neruosa, flexilis, distractu difficilis: ideo cùm inter effodiendum extrahuntur raro abrumpuntur, maximè solo arenoso. colorem habent foris in spadiceo aut subruffo pallentem, intus uerò buxeum. Superior radicis pars à qua iam dictæ exeunt, & quæ ueluti truncus seu caput earum est, peculiares & à prioribus diuersas emittit radices, minimi digiti crassitudine, omninò transuersas, asparagis similes, sub terrę superficie quoquouersus serpentes, quæ cùm cubitale, bicubitale & interdum longius spacium progressę fuerint, acuminato germine è terra emicant, caulésq; producunt, qui sequenti anno deorsum obliquas demittunt radices, quales antea descripsimus, flaccescentibus postea, & pereuntibus, à quibus ortę sunt, transuersis radicibus, quibus in uere in candido pallidus est color, substantia autem tenera, succosa fragilisq; ab ęstate, deinde usque in autumnum superficies earum in fungosum corticem mutatur, interior uerò pars, obliquarum radicum modo in neruosam, minus tamen firmam aut lentam, & colore buxeam substantiam transit. Saporem radices habent ualdè dulcem, modicè adstringentem & subacrē, cui etiam iuncta est minima quędam amaritudo, qualis leguminibus inest. nam hæc quoque planta æquè ad siliquiferum genus referenda est, quàm ipsa legumina, quapropter minimè absurdum uidebitur, quòd unam ei ex leguminum qualitatem tribuimus, quam fortasse non quiuis gustu percipere & diiudicare queat. Colitur in Germania lucri causa, præsertim Bambergi in Franconia, ubi maximus eius est prouentus.

* Lackeritze/ Süßholtz.

DE VETONICA CAP. CLVII.

VETONICA à radicis capite folia emittit plura, longitudine quadrantalia, posteriore sui parte bessem latitudine attingentia, nōnunquam etiā maiora: in obtu-

obtusum mucronem atque subrotundum desinentia, per ambitum incisa: (partes autem incisurarum eminentes, non acutæ, sed obtusæ sunt.) crebris & tortuosis uenis in rugas contracta, trientalibus aut longioribus hirtisq; pediculis, sinui eorum immissis annexa, partim humi prostrata, partim erecta, partim obliquo positu erigentium se speciem referentia: è quorũ medio caulis assurgit erectus, cubitalis, quadrangularis, indiuiduus & hirsutus, uno atq; altero interuallo bina folia è cõtrariis duobus lateribus proferens, in exortu breuibus sibi inuicem pediculis aduersa, & iis quæ prope terram sunt multò minora. in summo caule oblonga & spicata coma est æstatis initio, Galiopsi non dissimilibus, atq; in russo modicè purpurascentibus floribus plena: quibus quaterna plerumq; succedunt paruaq; & colore nigra semina. Radice nititur perenni, minimo digito graciliori, breui, fusca, in multas tenues nigricantesq; fibras distracta. Saporem folia & flores amariusculum & subacrem habent, à quibus radices quoque gustu non multum differunt. Nascitur in pratis, frutetosis & herbosis locis, solo ferè qualicunq;.

Vetonica. T. 1. 65. *p*. 198.



Elleborus albus. T. 1. 136. *p*. 409.



DE ELLEBORO *albo*. CAP. CLVIII.

ELLEBOrus albus cùm primùm prodit, conuolutis foliis, enascentis Polygonati formam imitatur, caulem paulatim producit, quem è conuolutis foliis ex-

plicat, longitudine plerumq; pedalem, minimo digito multò graciliorem, foliis ex interuallo singulis uestitum, longitudine quadrantem plerumq; excedentibus, latitudinè uerò bessem cum semuncia æquantibus, utrinq; in obtusum mucronem desinētibus, incuruis liris ab uno mucrone ad alterũ transeuntibus, tam superius quàm inferius sulcatis, tactu rigidis, atque sine pediculo, caulem, ceu tibiali usq; ad proximum folium demisso amplexantibus, hinc est quòd arescens caulis, cortices, ceu tunicas (ut Dioscorides scribit) demittat. Flores

*

Radice nititur longitudine bessem excedente, superius unciam latitudine frequenter superante, inferius autem in turbinem seu mucronem, coni instar desinente, foris fusca, intus uerò candida, è qua circumquaq; aliæ exeunt radiculæ quinq;, sex aut septem unciarum longitudine, quinta aut quarta unciæ parte rarò latiores, teretes, paucis capillamentis fibratæ, & tam foris quàm intus candidę, intus gracilem neruũ, per totam earum longitudinem transeuntē habentes: quibus sapor est primum modicè glutinosus, mox acris, & pyretri modo saliuam ciens. semen præter acrimoniam etiam amariusculum est. Tritæ radices grauem atque aliquantulum fœtidum odorem habent. Nascitur in montibus frutetosis, solo plerumq; pingui, plurimumq; in Vuirtembergensis Sueuiæ finibus circa Aurachum, atq; uicinis montibus.

DE VETONICA *alba*, [*solo colore diuersa à præcedente.*] CAP. CLIX.

VETONICA alba genere à rubea non differt, habet tamen suam propriam & ab illa solo colore diuersam speciem. folia siquidē, caules, spicatam florum comam, semen ac radices rubeæ Vetonicæ similimę sunt. flores habet candidos, quorum colore ab illo dignoscitur. Qualitates rubenti easdem possidet, nascituq; iisdem natalibus, inuentu tamen rarior est.

DE VESICARIO SOLANO. CAP. CLX.

HALICAcabus, siue Vesicaria caules emittit uiticulis non dissimiles, longitudine cubitales & plerumque maiores, aliquantulum angulosos, geniculatos, subhirsutos, plerumque indiuiduos, & ad terram inclinatos. Folia è singulis geniculis bina profert, Solano similia, maiora tamen & oblongiora, nonnunquam sex unciarum longitudine, latitudine uerò quinque unciarum, longis pediculis insidentia, maximè umbrosis locis. Flores secus folia singulos habet tota æstate quinq; semuncialibus, & in candido pallidis foliolis constantes, quinquepartito caliculo insidentes, ac in medio exiguum capitulum continentes, dilabentibus florum foliolis, caliculus rotundam cauitatem adipiscitur, intra prædictum illud exiguum capitulum claudens. cum quo paulatim increscit, donec æstatis exitu atque autumni initio, ipse inflati folliculi aut Vesicæ speciem referat, & sesquiuncialem latitudinem consequatur, quo tempore etiam capitulum folliculo inclusum Cerasi acinum rotunditate, & magnitudine æquat, qui unà cum folliculo principio uirent, in maturitate uerò medium habent inter croceum & puniceum colorem. acini intus candidis, planis, exiguisq; seminibus, & uinoso succo pleni sunt: folliculi uerò ubi turbinem desinunt foramen habent, quod ambiunt quinque acuminati ueluti apices. radicibus nititur longis, tenuibus ueluti uiticulis, partim rectà descendentibus, partim in transuersum propagationis causa reptantibus, candidis, ex interuallo paucis tenuibusq; fibris capillatis, gustuq; amaris. acini in uesicis contenti, uinosum, amarum & tenuem, id est, penetrantem saporem habent, quorum tantùm usus inualuit.

Nascitur

Nascitur editis uineis, quãuis etiam planis & humentibus locis iuxta sepes enatum lenæ uiderim: ubi maxima eius est in uinetis copia. solum amat pingue & densum, iis uerò locis quibus sponte non prouenit, in hortis colitur.

Vesicarium Solanum. T.1.101.p.302. *Cnicus Supinus.* T.2.114.p.862.



DE CNICO *Supino.* CAP. CLXI.

CNICVS supinus, qui hodie per totam Germaniam Carduibendicti nomine cognoscitur, caules aliquot ab una radice profert pedales, & aliquando cubitales, rubentes, hirsutos, intus fungosos & modicè concauos, cùm locum & spacium nacti fuerint per terram se spargentes. folia prope terram ac circa caulem habet quinq;, sex, aut septem, unciarũ longitudine, latitudine uerò bessis, hirsuta, modicè pinguia, mollia, per ambitum sinuosa, inæqualiter dissecta, & teneris aculeis non adeò pungentibus armata. Ramuli à caulibus exeunt plures, foliis inferioribus multò minoribus uestiti. in quorum summitate, acanacea sunt capitula, foliis paruis & maximè hirsutis circumdata, longitudine unciam excedentia, crassitudine digitalia, superius turbinata, squamis acuminatis composita: è quarum mucronibus graciles uncialesq; oriuntur aculei, utrinq; minoribus transuersisq; aculeis aucti, ob teneritudinem inter pungendum fragiles, atque capitulorum mucronem circumuallantes. Flores è capitulorum mucrone per medium aculeorum emittit Cni-

ci & reliquorum carduorũ modo capillatos, colore in croceo flauos. Semina habet oblonga, striata, teretia, colore cœsia: quibus superius pappi barbę similes sunt. Radice nititur semestri, lõga, gracili, primum carnosa, autumni uerò initio lignosa trãsuersis fibris brachiata & inutili. tota herba, tenera, pingui & tactu aliquantulum glutinosa lanugine uestitur, maximè ea pars quæ inter capitula & his circumdata folia est. Folia, flores & semina amarum saporem habent, nullius alterius qualitatis, quę quidem gustu percipi & distingui possit participem. Seritur apud nos in hortis.

* Cardobenedicten.

DE FABA uulgari. CAP. CLXII.

T.2.14.p.618.



FABA uulgaris sata, terram non egreditur ut Lupinus, caulem erigit singularem, indiuiduũ, longitudine sesquicubitali, & nonnunquam crassitudine minimi digiti proceriori, quadrangularem, glabrũ, intus concauum, erectum, & capreolis carentẽ. Folia ex interuallo habet bina, terna, aut quaterna in uno pediculo, oblonga, plerunq; subrotunda, subpinguia & glabra, longitudine trientalia aut interdum quadrãtalia, latitudine uerò bessem ęquantia, aut nõnunquam excedentia, secus quæ numerosi exeunt flores, non tamen omnes simul, sed successiue florentes, forma papilionacei & oblongi, colore cãdidi, quadam tamen sui parte nigri & longitudine unciã plerumq; superantes: ex his primùm florẽt inferiores deinde superiores, siliquæ è floribus singulæ prodeunt cum ad iustam magnitudinem peruenerint, lõgitudine quadrantales crassæ & carnosæ, intus quina, sena, septena aut octona semina claudentes, quæ unà cum siliquis siccata longitudine sunt semuncialia, latitudine uerò paulò minora, aliquantulum cõpressa, & ab una parte uelut sima aspectu, foris in candido pallente cortice, intus autem flaua, solida atq; arida carne constantia. Radice nititur oblonga, subfusca, fibrata & semestri. Saporẽ recentes fabæ habent dulcem, siccatæ uerò modice etiam amarum dulcedini mixtum. Colitur in aruis.

DE FABA nigra minore, [quæ à uulgari Faba solo colore differt.] CAP. CLXIII.

FABA nigra minor, caule, foliis, floribus, siliquis, semine, atq; omnium partium magnitudine uulgari similis est, solo seminum colore differt, qui illis in nigro purpureus est. Saporem fabæ uulgari similẽ habet, sed paulò dulciorem. seritur in hortis.

DE FABA nigra maiore, [quæ magnitudine solùm à præcedenti differt.] CAP. CLXIIII.

FABA nigra maior, minori in cunctis similis est, omnes tamen partes maiores produ-

producit. semina eius, quæ fabæ appellantur interdum uncialem non tantùm consequuntur, uerumetiam excedunt longitudinem, latitudine uerò tertia parte minora existunt. eędem quàm prædictæ fabæ magis planę & compressæ sunt, colorē (ut paruæ) in nigro purpureum habent: quibus etiam sapore respondent. coluntur in hortis.

DE SYMPHYTO *maiore, candidis floribus:* [*cuius descriptio duobus etiam sequentibus Symphytis, excepto florum colore, conuenit.*] CAP. CLXV.

T.1.79.p.240.



SYMPHYTON maius, caules emittit plerumqȝ sesquicubitales, et bicubitales, nonnunquam etiam longiores, in ramulos adnata & alas diuisos, crassos, angulosos, hirsutos, intus sonchi modò concauos, circa quos ex interuallo singula sunt folia, longitudine dodrantalia, latitudine bessem æquantia, utrinqȝ in mucronem desinentia, hirsuta, longis pediculis adhærentia, atque per omnia maiori & longifolio Buglosso similia, quæ autem in ramulis superius sunt, multò minora existunt. ea uerò quæ à radice unà cum caulibus prodeūt prædictis multò maiora sunt, siquidem non raro sedecim uncias, frequenter etiam uiginti, atqȝ interdū bipedem longitudine consequuntur, (pręter pediculum, qui & ipse dodrantem excedit.) latitudine uerò sępe sex aut septē uncias excedunt. Flores in ramulorum cacumine fert numerosos, succesiue per totam æstatem, à medio uere florentes. longitudine unciales, angustos, concauos, apices intus habentes, ab hirsutis & quinquepartitis calicibus prominentes, et in terram plerumqȝ annuentes, colore in cādido modicè pallescentes. quibus singula bina, terna, aut quaterna semina succedunt grano tritici minora, acuminata, foris nigro nitidoqȝ cortice, intus candido nucleo constantia, magnitudine & figura, Borraginis semini similia. æque enim collo tenus resecti serpentini capitis formam præseferunt ac Echios, Borraginis, atque reliquarum Buglossarum semina. Radicibus nititur perennibus longitudine pedem excedentibus, crassitudine digitalibus, ab uno trunco in diuersas partes distractis, foris nigris intus candidis, carnosis, teneris, inter effodiendum fragilibus minimeqȝ neruosis. gustu & tactu glutinoso lentore mollibus & dulcibus, quæ siccatæ taurini ferè glutinis duri-

ciem acquirunt. Horrēt caules, ramuli & folia aspera & teneris aculeis simili lanugine tactu pruritum excitante, eædem partes dulcem habent saporem & aliquantulū lentum succum ueluti Borrago, atque reliquę Buglossæ species. Nascitur humentibus, pinguibus lutosisq; locis, pinguibus & humentibus fossis, atq; putri arenosoq; solo, ut Vuittembergę, ubi omnium natalium eius qualitatem cernere licet.

DE SYMPHYTO *maiore rubente, [quòd à præcedente florum colore tantùm differt.]* CAP. CLXVI.

SYMPHYTON maius rubens, prædicto candido, caulibus, foliis, florum figura, semine, radicibus, partium magnitudine & qualitatibus omnibus simile est, solo florum colore differt, quem rubeum habet, nasciturq; iisdem natalibus.

DE SYMPHYTO *maiore [purpureis floribus, nec aliter à prædictis differente.]* CAP. CLXVII.

SYMphyton maius purpureum, per omnia simile est prædictis duobus, præterquam quòd flores purpureos habeat. Nos autem libenter has tres Symphyti species ab inuicem distinximus, et separatim descripsimus, unicuiq; suum propriū caput tribuentes: quoniam ista coloris in floribus uarietas non ex diuersorum natalium natura oritur, cùm omnes illæ tres species non raro iisdem natalibus exeant, & quamuis aliò in diuersæ qualitatis solum transferantur, suum tamen colorem quælibet earum retinet, quemadmodum pleræq; eiusmodi herbæ.

DE CNICO *satiuo.* CAP. CLXVIII.

T.2.105.p.845.



CNICVS satiuus, qui ab omnibus hodie Carthamus appellatur, ab uno semine singularem emittit caulem, longitudine sesquicubitalem, aut nonnunquam maiorem, teretem, rectum, colore cæsium, solidum, durum, lignosum, ac superius in multos rectos, indiuiduos dodrantales, longioresue ramulos diuisum, circa quem singula sunt folia, non magnis interuallis distantia, longitudine fere trientalia, latitudine unciā excedētia, posteriore sui parte in obtusum, mucronem desinentia, anteriore uero, in oblongum acumen, præfixo breui & infirmo aculeo fastigiata, colore uiridia, glabra, per ambitum plerumq; minimis, innocētibusq; aculeis horridula, & sine pediculis è caule exeuntia. quę autem ramulos uestiunt folia, his similia sunt, sed minora. Capitula, ramulorū summitatibus singula insident, figura rotunda, & acanacea, in latum turbinē fastigiata, latitudine uncialia, oblōgis, acuminatis & aculeatis squamis composita, undique paruis acuminatisq; foliis, partim in obliquū erectis, partim, rectà in trāsuersum acuminatam cuspidem prætendētibus, partim etiam demissis circumuallata, ex his maiora sunt sub capitulis orta ac demissa, minora uerò subrecta, quæ superiorem locum tenent, & Rusci foliorū quantitatem & figuram habent. Flores æstate è capitulorū mucrone erumpūt graciles, capillacei, numerosi &

si & densè stipati colore lutei aut citrini, puniceis croci staminibus, id est, croco aromati similes: quibus collectis fullones luteo colore lanas tingunt, ipsum crocum æmulantes. inferior florum pars, capitulis inclusa, in paruos resoluitur pappos, sub quibus sunt semina angulosa, modicè acuminata, candida, nitida atq; hordeo ferè similia, paulò tamen maiora, foris duro lignosoq; cortice, intus candido pinguiq; nucleo, gustu dulci, subtenui & aliquantulum nauseoso constantia. flores saporem amariusculum & modicè tenuem habent. Radice nititur, semestri oblonga, gracili, fibrata & inutili. seritur in aruis ac hortis, plurimusq; Brunsuici & Magdeburgi in Saxonia, multisq; Turingiæ locis.

DE AMARANTO *purpureo.* [*Nostri uocant* Rote Kölble/*alij* Tausentschon.] CAP. CLXIX.

T.1.199.p.579.



AMARANTVS, siue Amarantus purpureus, (ut ab Amaranto citrino, id est, Heliochryso distinguatur) caulem erigit cubitalem aut sesquicubitalem, tenerum, pinguẽ, modicè angulosum, striatum, propè terram rubentem, glabrũ, intus fungosum & superius multis adnatis ramosum. Folia totam herbam uestiunt, utrinq; acuminata, longis pediculis hærentia, Halicacabo, id est, uesicariæ similia, plerumq; tamen minora, glabra, in uiridi modicè plerumq; rubentia, molliaq;. Flores in ramulis æstate paleaceos fert, spicarum aut erectorum racemulorum modo coaceruatos, rutilanti purpura fulgentes, in attritu purpureum succũ remittentes. qui decerpti, & exiccati ad hybernas coronas reponuntur, quoniam diu eundem purpuræ fulgorem, etiam aliquot annis non marcescentes, retineant. unde quoque nomen inuenit. semen maturis floribus insidet paruum, rotundum, modicè in latitudinem compressum, nigrum & supra modum splendidum. Radice nititur breui, tenera, succosa, modicè fibrata ac semestri, gustu & odore nullas habet fatu dignas qualitates (præterquam in semine, quod subdulce & modicè tenue quiddam resipit) ideoq; ad hoc usque tempus nullus eius usus inualuit. tribuuntur tamen illi uires quædam in uulgaribus & impresis herbariis, quibus fides sine ratione nequaquã est adhibenda. Seritur coronarum causa in hortis.

DE APIO *satiuo.* [*Sic nominat Apium uulgò dictum, non Petroselinum uulgare ut pleriq; eruditi hodie.*] CAP. CLXX.

APIVM satiuum dodrantales, pedales, & nonnunquam longiores pediculos ab uno radicum cespite emittit, eósque angulosos, teneros, concauos & undi-

T.1.155.p.464.



que per terram sparsos: quibus utrinque terna aut quaterna adnascuntur folia, spaciis disiuncta, eo ordine disposita, ut bina se contrariis pediculis in exortu cōtingāt. in extremo pediculo unum rectā prominet, parem numerum in imparem commutans. color iis est superius uiridis in nigro splendidusque, inferius autem pallidus. quodlibet eorum duabus profundis incisuris in tres ambitu serratas partes uni pediculo insidentes, diuisum est, (præsertim posteriora et extremū) quarum media, utrinque adnatas magnitudine uincit, cùm besis plerumque longitudinē æquet ac interdum excedat, latitudine uerò bessem attingat. Caules è pediculorum, (quibus folia adhærent) medio erigit, secundum radicum magnitudinem et ætatem, singulares, duos, tres, aut plures, sesquicubitales, angulis striatos, concauos & adnatis ramosos, circa quem folia sunt prædictis similia, sed multò minora. umbellas ex interuallo paruas & numerosas fert, ramulis adnatas, æstate primum candidis minimisque flosculis, mox ualdè paruis, angulosis, duplicibus cartilagineisque seminibus plenas. porrò quāuis umbellæ ramulis adnatæ sint, tamen ex ipsis umbellis etiam ramuli non raro exeūt suas proprias umbellas habentes. Radice nititur superius digiti interdum crassitudine, inferius in plurimas, candidas, fibratas & capillatas partes distracta. Semen gustu feruidum, tenue, amariusculum, & aromatum modo odoratum est. Folia subamara quidem existunt, sed feruore & tenuitate seminibus cedunt, radices easdem ferè qualitates habent, quas semen et folia, odore tamen & aromatico feruore, à semine superantur. Colitur in hortis.

DE APIO *agresti*, [*à quo superius cultu duntaxat differt.*] CAP. CLXXI.

AGRESTE Apium neque forma neque specie neque qualitatibus à satiuo differt, præterquam quòd non colatur. nascitur humentibus fossis & circa pigros riuulos solo pingui, Halæ, Seburgi, Merseburgi & uicinis locis.

DE EVPATORIO, [*id est, Agrimonia uulgò dicta.*] CAP. CLXXII.

EVPATORIVM quod hodie Agrimonia ab omnibus ferē, tam Medicis quàm Pharmacopolis appellatur, ab una radice singularem plerumque erigit caulem, longitudine cubitalem aut aliquando proceriorem, teretem, hirsutum subrubentem, solidum lignosum, fractu contumacem, & nonnunquam in unum atque alterum ramulos diuisum. Folia iuxta terram habet septuncialibus pilosisque pediculis

Eupatorium. T. 1. 175. p. 514.



culis breui admodum interuallo adnascentia, utrinque bina, sena, septenáue, longitudine ut plurimum sextantali, latitudine autē unciali, hirsuta, per ambitum serrata, singulis penthaphylli foliis similia, unà cum pediculis per terram strata & circumfusa, in extremis pediculis unum folium rectà prominet, inter utrumque foliorum ordinem intercedens. Flores æstate, cauli à media eius parte usque ad summitatem, deinceps adnascuntur parui, foliacei, colore lutei: quibus singulæ succedunt lappulæ, cum ad iustam magnitudinem & statum peruenerint, pronæ & in terram annuentes, adeò asperæ hirsutæque ut siccatæ prætereuntiu uestibus adhæreant. Radice nititur lignosa, in partes distracta, fibrata, in fusco rubente atque perenni. odorem tota herba bonum & Vetonicæ non dissimilem habet. Saporem uerò modicè acrem, tenuem & aliquantulum adstringentem. Nascitur siccioribus campis, montibusque prope fruteta.

DE EVPATORIO *altero*, [*cognato superiori, sed rarò inuentum.*] CAP. CLXXIII.

EVPATOrium alterum, ab uno radicis capite, duos aut tres emittit caules, longitudine cubitales, teretes, concauos et tamen satis duros, prædicto Eupatorio pilosiores, in ruffo nigricātes, rectos, minimè ramosos, sed indiuiduos, circa quos ex interuallo folia sunt quina septenáue, longo, gracili hirsutoque pediculo in summitate insidentia, non deinceps disposita, & ab inuicem distantia, sed uno eodemque loco ueluti centro simul coniuncta. prædicti Eupatorii foliis omnino similia, longioribus tamen pilis obsita, positu ac forma ad Cannabis folia, aut potius ad Quinquefolii accedentia. Flores in summis caulibus, ueris medio numerosos fert, priori Eupatorio forma & colore similes, corymborum modo coaceruatos: sub quibus parua sunt foliola, prædictis multò minora. Semen floribus succedit *

Radice nititur lignosa, in tenues partes distracta, nigra, perenni & gustu uehementer adstringente. herba uerò glutinosum & subdulcem habet odorem. Nascitur circa fruteta solo mediocri, ut prope Lipsiam, qua itur uersus Halam, & in Ceiciano agro. inuentu rara est hæc herba, non enim temerè nec ubique nascitur.

DE FILICE *mascula,* [*quæ plures ab una radice pediculos emittit. quæ mihi quidem non mas, sed fœmina filix uidetur, ex Theophrasti & Dioscoridis uerbis. etsi plerique hodie (Tragum excipio) marem eundem faciunt, quem hic Cordus: errore ueluti per manus tradito.*] CAP. CLXXIIII.

FILIX mascula, ab uno cespite secundum radicis ætatem numerosos gracilesque

T.1.187.p.445.



emittit pediculos, longitudine cubitales aut proceriores, utrinque oblonga, acuminata, incisa folia proferentes, breui interuallo disiuncta, sibiipsis ferè contigua, & in latitudinem explicita, ita ut tota foliorum pennata & diffusa facies, unà cum pediculis auium alas pennasque figura æmuletur. omnibus foliis non est eadem magnitudo, inferiora enim minora sunt, quemadmodum etiam superiora: nam alata illa foliorum series, paulatim in fastigium desinit, quæ uerò à mediis pediculis aut paulo inferius exeunt, quadrantalem habent aut maiorem longitudinem, latitudinem autem posteriore sui parte, qua immediati sine ullo peciolo pediculis annectūtur, uncialem aut digitalem, à qua paulatim in fastigium acuminantur. uariant tamē magnitudinem, secundum radicum ætatem, uetustiori cespite & in statu existente. enata folia à tergo flauam,
subrubentem, breuem, densam, in puncta latiuscula diuisam, & ueluti aspersam lanuginem habent. Radice nititur longa, tenuibus capillamentis denseque farctis cirris uillosa, secundum ætatem magna, & in plures partes seu capita diuisa, perenni, multis oblongis, hirsutis, nigricantibus & sursum erectis ceu squamis, quæ priorum foliorum præteritis annis exaruerunt reliquiæ sunt, composita colore, intus in candido uiridi, gustu adstringente. Folia paulò minus quàm radices adstringunt, & grauem odorem spirant. Nascitur montanis, saxosis & umbrosis locis, copiosaque etiam in planis uliginosisque locis, iuxta aquas ac profluentes Alnorum, reliquarumque arborum truncis & radicibus adnascens: raro unus tantùm aut pauci eius cespites iisdem natalibus proueniunt, sed plures: quamuis neque caulem, neque flores, neque semen ferat, propagat se tamen disperso uentis, hirsuto flauoque puluere, foliis à tergo adhærente, ceu reliquæ omnes eius mox secuturæ species.

DE PTERIDIO *masculo,* [*id est, Filice exiguo mascula, uel potius fœmina, ut suprà. Cognata huic uel eadem potius est Filicula palustribus pratis circa lacum felium nostrum frequens.*] CAP. CLXXV.

PTERIDIon masculum, Filici masculæ iam descriptæ, per omnia similis est, cōcinniores tamen incisuras habet, multoque minor existit, raro enim bessem & dodran-

drantem excedit, folia eius decerpta & confricata manibus obstrepunt, neque caulem, neque florem, neque semen fert. Saporem habet masculæ filici similem, sed tenuiorem, odorem uerò grauiusculum. Nascitur montanis, muscosis roscidisq; collibus, arbustorum umbra à solis æstu protectis, solo plerumq; pingui, copiosumq; circa Northusium, in Hercyniæ iugis.

DE PTERIADIO, [*quod apud nos etiam prouenire puto in muris, sed rarius: frequens autem Badæ in colle iuxta Limagum, mox infra thermas: ubi & Dryopteris nascitur: quæ cum ne quis confundat cauendum. Pteriadion quidem hac forma dici non probo: neq; enim talis forma diminuendi recepta est. Sed à Pteris rectè fit Pteridium, ab hoc Pteridarium, quod Pteridio minus est.*] CAP. CLXXVI.

PTERIAdion, masculo Pteridio undiquaq; simile est, sed plerumq; paulò minus: coliculos habet nigricantes & aliquantulum splendentes, foliorum incisuræ mediam habent inter Pteridii & Adianti candidi folia, formam & figuram, gustu quoque utrumq; imitatur. Nascitur umbrosis, muscosis, roscidisq; petris, nec caulem, nec flores, nec semina ferens.

DE TRICHOMANE. CAP. CLXXVII.

TRICHOmanes, ab uno cespite plures emittit coliculos, quinque, sex, septem aut octo unciarum longitudine, setarum modo graciles, aridos, in purpura nigro & pulchro splendore nitentes, quibus ab utraq; parte tenuia, parua, orbiculata, minutissime per ambitum incisa, & lentibus latitudine æqualia, adnascuntur foliola, breui admodum interuallo, deinceps usque ad coliculorum summitatem disposita, sibi inuicem in exortu aduersa, sine pediculis adhærentia, interiore sui parte uiridia & glabra, exteriori uerò flauo, subruffo hirsutoq; puluisculo punctatim disperso, filicis instar, ceu consperſa. quæ tota hyeme uirent, nec decidunt antequam in uere noua flaccescentibus succedant. Radicibus nititur tenuissimis, numerosis, capillatis, cirrosis, nigris, implicitis, intricatis & perennibus, cuius superiores partes, ex qua germen exit, gustatæ subacerbæ sunt. folia quoq; non parum adstringunt, & sensibilem habent gustu partium tenuitatem. Nascitur copiose umbrosis roscidisq; petris, quamuis neque caulem, neque florem, neque semen producat. propagat se tamen foliis à tergo inhærente puluisculo, quemadmodum omnes filicis species, quod semel atq; iterum dixisse satis sit. Magnus eius est in Hercynia prouentus.

Trichomanes. T.1.182.p.530.



* *Duas eiconas, lector, hîc, cùm separare non possemus, necessariò adiunximus: quarum prior ad hoc caput propriè pertinet, altera uerò ad CLXXXII spectat: ubi idem facere cogemur.*

*

DE PTERIDIO *fœmina*: [*quæ fortè Dryopteris quorundam fuerit, cuius Tragus picturam dedit hanc.*] CAP. CLXXVIII.

† sic uocat monoclonon, id est, uno petiolo surgẽtem: quæ potius mas est.

PTERIdion fœmina, Thelypteridi, id est, fæminę filici † coliculi foliorumq́ figura secundum proportionem omnino similis est: sed multò minor, ac tenerior. siquidem dodrantalem altitudinem rarissimè excedit. insidet foliis à tergo hirsutus, subruffus & in puncta dispersus puluisculus, quo se propagat. nam hæc quoque aliarum filicum modo flore & semine caret, pro caule coliculos proferens. decerpta folia & manibus confricata, maiorem edunt strepitum quàm masculum Pteridium. Radicibus nititur perennibus, tenuibus, capillatis, cirrosis, nigris, implicitis & à crassiusculo principio, foris nigro, intus herbaceo enascentibus. Saporem habet tota herba acerbum & adstringentem, cum sensibili partium tenuitate. Odorem aliquantulum grauem spirat, ceu mascula Filix. Nascitur umbrosis montanisq́ syluis, pingui plerumq́ & muscoso in superficie solo: plurimúmq́ in Hesia, & ad Hercyniam non longè à Northusio.

* *In annotationibus suis in Dioscoridem Cordus: Dryopteris (inquit) Thelypteridi similis, multò minor nascitur in uetustarum quercuum muscosis partibus. Germani* Eychfaren/ Baumfaren/ Erdtfaren/ *&* Windfaren *appellant.*

Pteridion fœmina. T. 1. 184. p. 538.



Struthiopteris. T. 1. 188. p. 550.



De

DE STRVTHIOPTERI, [*quam sic nominat author, quòd aspectu & crispo foliorum habitu Struthiocameli pennas imitetur. Ea fortè est Lonchitis altera, quam ut Tragus exhibuit, Aspleni syluestris nomine, etsi nõ accuratè pictam, adiunxi.*] CAP. CLXXIX.

INVENta est præterito anno, cùm in Saxonia essem, in Hercynia sylua prope Goslariam filicis quædam insignis species, figura admodum spectabilis, hactenus à nullo authore descripta, neq; uulgo, neq; Medicis cognita, cui Struthiopteridis nomen indidi, quoniam aspectu ac crispo foliorũ habitu struthionis siue struthiocameli pennas imitatur. Est itaq; Struthiopteris filicis species, pediculis assurgens, pede longioribus, satis crassis, interiore sui parte canaliculatis, colore in flauo ruffis, paulatim usq; ad cacumen attenuatis: quibus ferè totis ab utraq; canalis parte usque ad summitatem, deinceps breuissimo interuallo adnascuntur foliola: quorũ maxima sunt, quæ à mediis pediculis exeunt, longitudine sesquiunciam æquantia, latitudine uerò uix raro quintam unciæ partem excedentia, colore in flauo rubentia & subfusca, ab interiori parte canali proxima glabra: à tergo uerò, in ruffo, subfusco puluere hirsuta, tenui, flauo & utrinq; conspicuo neruo, per medium in longitudinem transeunte ueluti discreta, transuersis incisuris & ceu rursum clausis, secta & imbricata, quæ, postquam ad statum peruenerint, utrinq; retrorsum usq; ad neruum contrahuntur, & seipsis adhærentem puluerem inuoluunt, adeò ut ne appareat quidem. Inferiora eorum spacia superioribus maiora sunt, quamuis & ipsa semunciam raro excedant, eadem paulatim decrescunt, quò magis cacumini appropinquant, nã in summitate ac aliquanto inferius constituta, tam exiguis dirimuntur interstitiis, ut se inuicem non tantùm contingant, uerumetiam trudant. quæ an hyeme etiam Phyllitidis modo uireant, nondum expiscari potui: hactenus enim decerptam tantùm & non nascentem uidere concessum est, ideò neq; radicem describere possum. Folia gustu, cum tenuitate aliqua adstringunt. Nascitur in Hercynia sylua Saxonię, quà Goslariam urbem attingit.

* *Struthio apud Latinos recentiores tantùm usurpatur: Græci Στρουθοκάμηλον dicunt, uel Στρουθὸν μεγάλην ἢ Λυβικήν: neq; laudatur compositio Latini & Græci uocabuli.*

DE POLYPODIO. CAP. CLXXX.

POLYPOdium, folia emittit dodrantalia aut longiora, gracili & aliquantulũ angulosо pediculo, utrinque in secta & partes diuisa, longitudine unciam, latitudine uerò tertiam aut quartam unciæ partem æquantes, aut interdum maiores, nullis incisuris subdiuisas, interiore sui parte glabras, exteriori autem flauo, sub ruffo, hirsuto, atq; in puncta diuiso puluere conspersas, utrinq; pediculo enatas, in exortu sibi minimè aduersas, sed spaciis inuicem appositas. Radices habet in ipsa terræ superficie transuersas, minimo digito plerumq; graciliores, tortuosas à lateribus alias quoquouersus emittentes, superius paruis, modicè concauis & eminentibus ceu cotyledonibus, polyporum pedum extremitates, acetabula figura imitantes, foris in spadiceo colore nigras, intus pallidas & subuirides, carnosas & perennes, plurimis, tenuibus, nigricantibus & densè implicitis cirris capillatas, gustu cum quadam nauseabunda qualitate dulces, aliquantulum adstringentes, saliuam elicientes, & modicè amarescentes. foliis idem est sapor, remissior tamen. Viret tota hyeme, nec folia amittit antequam in uere flaccescentibus noua succedunt: quibus enatis flaccida exarescunt, & in radicibus singula uestigia, cotyledones constituentia, relinquunt. Nascitur muscosis petris, riuulorum muscosis & saxosis ripis, in uetustis quibusdam muris atq; muscosis arborum, præsertim quercuum, truncis.



Polypodium.T.1.185.p.540. *Scolopendrion.T.1.188.p.551.*

DE SCOLOPENDRIO, *siue Aspleno.* CAP. CLXXXI.

SCOLOpendrion siue Asplenon, quod Arabes Ceterach appellant, Polypodio similis herba, multò tamen minor. siquidem ab uno radicis glomere longitudine tantùm quadrantalia, aut ad summum trientalia emittit numerosaq; folia, utrinq; in partes Polypodii modo, spaciis aduersa, secta interiori sui parte uiridia, exteriori uerò & à tergo flauo, hirsuto squamosoq; puluere, eoq; non punctatim diuiso, sed continuo obducta, quę siccata contrahuntur tam longitudine quàm latitudine. Radicibus nititur tenuibus, nigris, cirrosis, dense inuicem intricatis & perennibus. Viret tota hyeme ut Polypodium. Saporem folia adstringentem, & aliquantulum tenuē habent. Nascitur in opacis petris, sed in Germania minimè frequens, prętérquā in nigra sylua inter Brisgoiam & Vuirtembergensem Sueuiam sita. *

* *imò ad Rhenum etiam passim.*

DE ADIANTO *candido,* [*quod uulgò Rutam murorum uocant, Matthiolus Paronychiam.*] CAP. CLXXXII.

ADIANtum candidum, quod Germani Murariam Rutham, alii murarium petroselinum appellant, pediculos ab uno radicum capite seu cespite plures emittit

emittit, longitudine ut plurimum quadrantales, seta & Adianto nigro crassiores, colore uirides, inferius autem ubi à radice exeunt in fusco rubentes. superius utrinque in peciolos unciales diuisos, quibus ab utraque parte foliola adnascuntur, parua, incisa, nigri Adianti foliis similia, minora tamen, crassioraque, interiori sui parte glabra & uiridia, à tergo uerò in fusco rubescente hirsutóque puluere obsita, tota hyeme cum pediculis suis uirentia. Radicibus nititur tenuibus, breuibus, nigris, in densum glomerem intricatis, & ab uno ceu capitulo exeuntibus, folia & pediculi gustu adstringunt cum tenuitate aliqua. Nascitur è lapidum commissuris, in antiquis umbrosisque muris, tam lapidibus quàm lateribus constructis.

Adiantum nigrum. T.1, 182. p. 531.





Adiantum candidum. T.1, 182. p. 530.

DE ADIANTO *nigro,* [*quod in Gallia Narbonensi nascitur.*] CAP. CLXXXIII.

ADIantum nigrum, ab uno cespite numerosos emittit coliculos, longitudine dodrantales, septunciales, quincunciales, et nonnunquam etiam trientales, capilli instar tenuissimos, in spadiceo colore nigros & nitidos, in exiguos tenuissimósque pediculos ex interuallo diuisos, à quibus folia exeunt parua, incisuris diuisa, & inferioribus coriandri foliis similia, minora tamen & admodum tenuia, aduersus hyemis iniuriam contumacia, nec flaccescentia, antequam nouo uere alia pereuntibus succedant. Radicibus nititur uillosis, capillatis, nigris, in densum glomerem & cespitem intricatis atque perennibus, Folia gustu leniter Trichomanes modo adstrin

gunt, cum mediocri tenuitate. Nascitur umbrosis humentibusq; locis, roscidis muris, & in puteis, in Germania parcius, in Gallia autem Narbonensi copiosissimè, præsertim circa montem Pessulanum.

DE MOSCHATELLA: [*Nulla apud nos, alibi etiam rara, prope Basileam in sylua reperisse memini: & Lausannæ iuxta sæpem. Alius quod sciã nullus meminit.*] CAP. CLXXXIIII.

MOSCHAtella, plerumq; quadrantali, aut ad summũ trientali altitudine assurgit, idq; primo uere, unà cum Chelidonia Capno, iuxta quam etiam prouenit. pediculos profert duos, tres aut quatuor, graciles, teneros et in uiridi pallidos: in quorum summitate folia sunt parua, per ambitum incisa, & in partes Capni Chelidoniæ, aut Ranunculi Chelidonii modo secta, minora tamen, tenuiora pallidioráque. Coliculus è medio pediculorum singularis plerumq; exit, nihil ferè ab ipsis foliorum pediculis differens, in cuius summitate paruum, angulosum ac uiride est capitulum, florum uicem explens, & sub hoc unum atq; alterum folium, prædictis similia, sed paulò minora. Radice nititur breui, parua, candida, longitudine plerumq; semunciali aut aliquantulum maiori, pinguibus, crassiusculis & sursum uersis ceu squamis inæquali, paucis minimisq; fibris capillata, à qua exiguæ partes Ari modo recedunt, quibus se propagat, saporẽ folia habent tenuem. Radix uerò subdulcem & modicè adstringentem, odorẽ folia spirant Moscho similem, unde nomẽ inuenit. statim flaccescit herbula hæc, quemadmodum Capnos chelidonia, nõnunquam etiam antea. Nascitur umbrosis locis sub arbustis, iuxta Capnon Chelidoniam et Ranunculum Chelidonium, solo plerumq; subputrido.

Moschatella.



Oxys. T.1.178.p.520.



DE OXY. CAP. CLXXXV.

OXYS, quam hodie Alleluiam, atque Trifolium acetosum uocant, exigua herbula est, non uno tantum loco è terra erumpens, ueluti aliæ plantæ, quæ ab uno radicis capite germina fundunt, sed diuersis locis à transuersa & in multas partes sparsa radice enascens: latum cespitem constituens, & pro sui magnitudine satis amplum occupans spacium. Pediculos emittit quadrantales, graciles que, in summitate terna sunt folia, in mucronem ubi coniunguntur desinentia, colore admodum uiridia, longitudine semunciam excedentia, latitudine uerò unciam æquantia, superius unica tantùm incisura, paulatim se insinuante, diuisa, & latiusculi cordis figuram referentia. primo uere Sole arietem tenente, cum primùm enascuntur complicata, postea autem se instar canalis aut sulci aperientia, donec iustam formam nacta, æqualiter in latitudinem expandantur. Flores Aprili mense profert in summis coliculis, foliorum pediculis æqualibus, singulos foliaceos, Cymbali modò concauos, colore candidos & sanguineis uenulis distinctos, parua intus luteaq; stamina continentes, inter quæ etiam secuturi seminis rudimenta apparent, ea dilabentibus florum foliolis semuncia plerumq; maiorem capessunt longitudinem, simulq; folliculorum naturam & acuminatam figuram induunt. semen enim continent nasturtio non dissimile, colore croceum, solo tactu dissilientibus siliculis, prosiliens. Radice nititur tenui, geniculata, ex interuallo nodosa, subruffa, minimis capillamentis fibrata, in terræ superficie per transuersum serpente, pluribusq; adnatis, quoquouersus sparsis propagante & perenni. Saporem folia & flores habent simpliciter acetosum, nullo alio sapore mixtum aut dilutum. Nascitur in Lucis & syluis supra arborum, præsertim fagorum præcisarum truncos, solo putrido, aut muscoso.

DE FRAGVLA. CAP. CLXXXVI.

FRAGVLA est herba quæ fraga gignit humi nascentia. Pediculos emittit trientales aut quincunciales, graciles, modicè angulosos hirsutósque, in singulorum cacumine terna sunt folia simul eodem loco coniuncta, longitudine plerumque sextantalia, latitudine uerò sesquiuncialia, per ambitum serrata, superius uiridia, inferius autem candicantia, utrinq; tamen modicè hirsuta. Flores uere, in hirsutis, & foliorum pediculis similibus & æqualibus, aut paulò longioribus coliculis producit foliaceos, in quina foliola sectos, & colore candidos, in quorum medio paruum luteumq; capitulum, ipsius fragi rudimentum extuberat, quod defluentibus florum foliolis semuncialem, ut plurimum, longitudinem, pauloq; minorem latitudinem, acuminatam in summo figuram, exasperatam superficiem, teneram carnosamq; substantiam, & rubentem colorem æstatis initio acquirit, in fructum euadens, fragum ab omnibus dictū, minimisq; seminibus per carnem dispersis, plenum gustu uinosum, admodum suauem & uinosum. Radice nititur tenui, oblonga, subruffa, perenni, gustuq; adstringente, folia quoq; adstringunt, sed remissius. Nascitur in montibus, neq; opacis, neque apricis nimium.

Fragula. T.1.180.p.500.



FINIS LIBRI II.

VALERII CORDI DE plantis, liber III, arborum, fructuum, et arbustorum descriptiones continens.

Securis animis tantum hæc cognoscere Cordi est:
Quos non ambitio, nec opes, nec gloria mundi,
Nec uarij affectus uana sub imagine torquent:
Sed dulcis natura iuuat, pascitq; beatos.

DE VLMO. CAP. I.

T.3.64.p.1087.



VLMVS speciosa, procera, ramosaq; arbor est, duplici cortice uestita, quorum exterior asper scaberq; est, interior uerò carnosus, mollis, lentus & in tenuissimas philuras tiliæ modò fissilis, lignum candidũ, tenerũ, & in opere tractabile. flores primo uerè sole in arietẽ transeũte ex capitulis numerosos, exilesq; profert, ceu exigua & rubentia stamina, seu capillamenta, quos copiosum, latũ et folia ceu semen subsequitur, circa annexũ angustum, anteriore parte latius & in paruum sinum inflexũ, in Maio maturescens, in medio semine tenuis, planus & candidus nucleus est, sapore dulcis magnitudine & figura lenticulæ similis. folia post flores se proferunt quinq; aut sex, uel interdum septem digitorum longitudine, latitudine triũ aut quatuor utrinque ex rotundo fastigiata, undiq; per ambitum incisuris diuisa, per mediam longitudinem rectus & à tergo magis conspicuus transit neruus, à quo alii minores ceu costæ, rectiq; & ueluti pa-

ralleli ad eminentes incisurarum partes exeunt, in uno tamen latere plures quàm in alio, quo fit ut altera foliorum pars alteram longitudine uincat. Folia, cortex, semenq; in gustu dulcem lubricumq; emittunt succum, ideoq; * Nascitur pinguibus & lutosis campis.

DE ACERE *tenuifolia,* [*quæ & Opulus & Rumpotinus dicitur, Germani* Maßholder *appellant.*] CAP. II.

T.3.79.p.1123.



ACER tenuifolia, caudice & cortice ulmo similis existit: gracilior tamē, breuiorq;, fragilioremq; interiorem corticem, quamuis substantia philuræ similem habet. Materia est alba, recta, tenera & fissilis. Ramos expandit numerosos, multis latis foliis, longo, uiridiq; aut rubente pediculo ab his dependentibus uitigineis similibus, leuioribus, mollioribus & tamē minoribus. in quinq; plerumq; potiores partes diuisis. flores in Aprili fert ab uno pediculo plures, paruosq;, colore uirides in candido, paucis intus staminibus et è singulis binę plęrumq; se proferunt siliquæ, circa connexum duræ, tumentesq;, ob singulos inclusos nucleolos, qui parui candidiq; sunt, reliqua siliquarū pars membranæ modo tenuis & scarabęorum interioribus alis est similis, colore in uiridi rubente. Tenues uirgæ, folia & nondum aridi fructus, modicum lactei liquoris remittunt, si incidantur. habent folia semen & cortex ulmo similes qualitates : nasciturq; iisdem quibus ulmus natalibus.


DE LYCOSTAPHYLO *fœmina.* [*Nostri sambucum aquaticam uocant: Saxones Lupinam uuam, quod nomen græcè exprimere uoluit Cordus. De fœmina leges infrà, cap. penultimo huius libri.*] CAP. III.

ARBVSCVLA est quinq; aut sex cubitorum longitudine, caudice inferius crassitudine sua manum complente, cui cinericii coloris, glaberq; & fragilis circumdatur cortex: uirgę ex caudice se proferunt longæ rectæq;, crassitudine digiti, aut pollicis, sambuci modo per interualla geniculis præcinctæ: in singulis uerò articulis bini erumpunt nodi seu ramuli, lignum tenerum candidumq; existit &

stit &

ſtit & propter amplam laxamq́ intus medullam fragile. Folia habet latitudine & lõgitudine quatuor, quinq́ aut ſex digitorũ et in tres partes diuiſa: quo fit, ut paulo minus quã uitiginea ſint. in ſummis uirgis Maii initio umbellas fert rotũdas, ſambuco ſimiles, in quibus flores ſunt candidi, magnitudine & forma leucoia ferè ſimiles, in quinq́ foliola obrotũda diuiſi, nullis in medio ſtaminibus pręter unũ aut alterum exiguum inflexumq́ coloris candidi foliolum: uniuerſa tamen umbella ſimul non floret. incipit enim exterior circumferentia ſingulis floribus, ſingulæ ſuccreſcunt rubentes baccæ, minimis uuæ acinis æquales: tota hyeme in matre pendentes, in quibus ſinguli ſunt duri planiq́ nuclei. cortex amari & adſtringẽtis eſt ſaporis. Baccarũ uerò ſuccus autumno amarus modiceq́ dulcis & acetoſus eſt; in uere autem cum hyeme paſſus factus fuerit magis adſtringit.

Lycoſtaphylon. T.3.25.p.1002.



Ceruiſpina. T.3.15.p.979.



DE CERVISPINA. CAP. IIII.

ARBVSCVLA eſt quinq́ aut ſex cubitorum altitudine, nonnunquam etiam procerior, cortice foris, ut ceraſus tranſuerſo nigrioreq́ ueſtita, quo detracto ſubeſt alius tenuior colore uiridis, prædicti modò per tranſuerſum ramos ueſtiens, ſub quo eſt tertius craſsior, ſetis candidis per longitudinem plenus, neruoſus, colore diluto croco ſimilis, quo in aqua decocto antylicium fit. guſtu adſtringẽs cũ amaritudine aliqua, paucisq́ aculeis piraſtri modo ſepta materia dura et

robusta, folia fert media inter cornum & malum similitudine modicè per ambitum serrata: flores Maii mensis principiò producit admodum exiles iuxta foliorum pediculos colore uirides, in quatuor radios instar crucis diuisos quatuor intus minimis reflexis & flosculo concoloribus staminibus. baccæ ex singulis floribus singulæ nascuntur foris principiò uirides, in maturitate uerò nigræ, intus uerò semper uiridi permanente succo, qui lubricus est in maturitate. baccis unus & alter inest nucleus. habent acini eius adstringendi & abstergendi uim ob amarum & acerbum saporem, cũ nauseabunda qualitate aliqua. **Saffgrün** fit ex baccis alternis uicibus allumine mixtis.

DE ACERE *maiore, [quam Germani* Ahorn *uocant. aliqui non rectè Platanum esse putant.]* CAP. V.

T.3.80.p.1125.



ACER maior speciosa, procera, ramosaq; est arbor, folia ferens uitiginea, & quinque partita, superius uiridia, inferius autem candicantia, ac modica lanugine circa uenas obducta flores, fructus fert tenuifoliæ aceri similes, binis aut interdum ternis alis, furcę modo propius coëuntibus uni pediculo iunctis, rarò autem soli sunt fructuum gemelli, sed plura paria ab uno maiori pediculo dependent. cortice uestitur leui aut nõ adeò scabro. Materia constat tenera, ac in opere tractabili. Nascitur editis locis, plerunq; solo pingui & spisso.

DE SORBO *torminali [Tragus interpretatur,* Wilder Sperberbaum/ Eschrösel.] CAP. VI.

SORBVS torminalis, speciosa & piro æqualis arbor est, cortice uestita flauo: caudex uerò scabriori libro tegitur. folia habet lata, duriuscula, aceri maiori similia, flores fert fauaceos, cãdidos numerosos, instar corimbi. uni pediculo annexos. quos singuli sequuntur fructus, magnitudine auellanę, colore spadicei, sapore acido & adstringente, pira atq; Mespila æmulantes, in quibus exigui nuclei ue-

luti

luti in piro sunt. Nascitur montanis locis, solo pingui & interdum saxoso. Plurimaq; ad Herciniam syluam & circa Ienam.

Sorbus torminalis. T.2.30.p.1010. *Sorbus aculeata.* T.3.18.p.934.



DE SORBO *aculeata, id est, Piracantha* [*Oxyacantha Dioscoridis uidetur, & Spina appendix, Plinij.*] CAP. VII.

SORBVS aculeata, aspectu Torminali sorbo similis est, multo tamen minoribus caudice, foliis & fructu, quinetiam fruticosior est, & duriore materia constat, multisq; spinis pirastri modo armatus, cui aspectu, cortice & materia quoque non dissimilis est. Folia singulis apii foliis æqualia habet, gustu glutinosa: fructus rubent, ac intus unum atq; alterum lignosum nucleum continent, reliqua baccarum pars fragilis est, gustuq; aliquantulum glutinoso, statim satietatem uescentibus affert, & omnino succo caret: nascitur ubiq; tam planis quàm editis locis, & in syluis.

DE ANONYMO. CAP. VIII.

ANONYMVS, quæ alio nomine etiam Euonymos appellatur, ramosa est arbuscula, quatuor aut quinq; cubitorum altitudine, cuius stolones & nuperna ti ramuli, propter corticem in quatuor angulos excurrentem, quadrangulares sunt,

T.3.17.p.983.



surculos & ramos profert numerosos, breui interuallo, in singulo exortu binos & sibi contrarios: in quibus folia sunt Chamæcera so similia & æqualia, paulò tamen minora, nec serrata. ab iisdem surculis paulò post ueris initium flores profert pallidos, quatuor foliolis constantes, Leucoio similes, sed minores: quibus singuli succedũt fructus seu folliculi, forma quadrãgulares, Lathyridis utriculorũ magnitudine, colore puniceí aut rosei: qui in autumno, postquam maturuerint, aperti, quaterna crocei coloris semina ostendũt. ea croceo uelamine detracto cãdicantes nuclei sunt, figura gallinaceis testiculis similes. Saporẽ uerò habẽt in amaro dulcescentem, & nauseabundum. Tota etiam arbuscula grauem & iniucundum habet odorem. Materies eius solida, fissilis, tenera, & æqualis est. ea cum adhuc succo turget cęsa, diluto croceo pallore etiam Buxum prouocat. Nascitur in syluis tam planis quàm editis.

DE PIRO *arbore & Piris urbanis.* CAP. IX.

PIRVS urbana, syluestri, caudice, cortice, materia, foliis & floribus similis est, speciosioribus tamen magisq; rectis ramis, foliisq; paulò maioribus constat, ipsorum autem fructuum, quæ pira nuncupamus infinita sunt genera, ex quibus aliquot in Germania prouenientia describemus: adiectis etiam Germanicis eorum nominibus, quæ tamen secundum diuersas prouincias uariant.

Propstbirn/id est, Præpositana ex lata basi, iuxta pediculum in obtusum mucronem desinunt, longitudinem habent quadrantalem, latitudinem uerò paulo minorem. color, iis est in uiridi pallescens, uiridibus maculis ceu punctis conspersus: gustu adstringunt, & succi abundantia sitim extinguunt. maturescunt autumni initio, & cito putrescunt propter frigidioris & aquei succi abundantiam, habentur copiose Islebii propè Herciniam Saxoniæ.

Speckbirn/id est, Lardina, in medio crasso uentre intumescunt, à quo subito in mucronem desinunt, longitudinem habent tribus unciis maiorem, latitudinem uerò quadrante paulo minorem, colore sunt pallido, & Præpositanorum modo uiridibus punctis conspersa, gustu sunt admodum miti & suaui, & porcini adipis modo in ore liquescunt, unde etiam nomen inuenerunt, atq; succi abundantia sitim restinguunt, cum excorticantur suauem spirant odorem: maturescunt autumni initio & Præpositanorum modò facile putrescunt.

Kaulbirn/id est, Globosa, globi ferè rotunditatem habent, nisi iuxta pediculũ in obtusum & uix euidentẽ turbinem fastigiarentur, longitudine duas uncias uix, & raro excedunt, latitudine uerò longitudinem modicè superant. colore sunt in uiridi pallescente, sapore & odore Laridina æmulantur, cum quibus etiam maturescunt: facile & hæc putrescunt. Habentur Islebii.

Hanffbirn/id est, Cannabina, Globosis similia sunt, sed paulo maiora, colorẽ habent

T.3.45.p.1045.



habent uiridem maculis ceu punctis distinctum, sapore globosis respondent, non tamen adeò in ore liquescunt; simul cum illis maturescunt, & facilè putredine corripiuntur. Habentur & hæc Islebii.

Glockenbirn / id est, Campani, à sessili basi in angustum ueluti collũ coarctantur, à quo deinde in obtusum ceu caput desinunt, habentq; omninò cãpanæ figuram, unde etiam nomen inuenerũt. Colore sunt omnino flauo punctisq; maculoso, longitudine quadrante paulò minora sunt, latitudine uerò duas uncias nõ assequuntur, odorem spirant non insuauem, maximè excorticata, gustu Cannabinis respondent, pariterq; cum eis maturitatem cõsequuntur. & facilè putrescunt. Islebii proueniunt copiosè.

Künigsbirn uel **Regelbirn**/id est, Regalia, grandia sunt & uentrosa, longitudinem habent interdum quatuor unciarum, latitudinem uerò paulò minorem, colore sunt cæsio, eã autem parte, qua solem acceperũt, leniter rubescunt. Gustu adstringunt, & copioso succo eoq; suaui, & aliquantulũ uinoso sitim sedant. Maturescunt sole in libram ingresso, nec adeò facilè putrescunt.

Klunßbirn/id est, turgida, duplicis sunt differentiæ, utrũmq; tamen genus Regalibus proportionaliter forma respondet, sed quantitate illis cedunt, differentia in colore est unum siquidem genus, cæsium habet colorem, alterum in cæsio rubentem, succum habent regalibus gustu similem, fortius tamen adstringunt. maturescunt cum Regalibus. in Saxonia magnus eorum est prouentus, maximè Hildesheymii.

Bonnebirn/id est, Bonnana, à Bonna oppido Rheno imposito sic appellata, unde in alias regiones translata sunt. figuram habent ferè globosam, nisi modicè in obtusum mucronem iuxta pediculum desinerent. longitudine sunt quadrantali, latitudine uerò paulò minore. Color iis est ab una parte uiridis aut pallescens, ab altera autem, qua sole tacta fuerunt, rubens: gustu modicè adstringunt, succo abundant copioso, eoq; ferè aqueo, actu uehementer os refrigerante. maturescũt sole ad Scorpionem properante. Abundant Marpurgi in Hessia.

Schmaltzbirn/id est, στεατάπια, sic dicta sunt quod adipis, aut liquaminis cuiusdam instar, in ore liquescant. fructus sunt ferè in ima parte tumidi, ac paulatim ius

p

xta pediculum, in anguſtum collum deſinunt. Vt cucurbitæ longitudine ſunt quadrantali aut plerumq; maiori, latitudine uerò ſextantem, excedunt, ſemuncia. Colorem habent in pallido flauum, odorem ſpirant iucundum, guſtu autem ſtrenue adſtringunt non ſine admixtione præcipui & uinoſi ſaporis, non ſatis matura nec bene confecta dentibus, & nimis auide deuorata, in faucibus aliquandiu manēt & anhelitum remorantur, alioquin matura ac bene manſa in ore adipis modo liqueſcūt. Matureſcunt antequam ſol in libram tranſeat. Habentur in Heſſia præſertim Francobergæ, ubi magnus eſt eorum prouentus.

Junckfrawenbirn groß/id eſt, Virginea maiora, turgidis ſimilia ſunt colore et forma, quantitate uerò paulò minora. Guſtu efficaciſſimè adſtringunt, adeo ut fauces exaſperent, atq; labra in anguſtum, inſtar uirginei oſculi contrahant, ſuccum habent aqueum ueluti uino auſtero mixtum. Matureſcunt æſtatis exitu. Brunſuici in Saxonia copioſè proueniunt.

Junckfrawenbirn klein/id eſt, Virginea minora, à tumido uentre in anguſtum collum deſinunt, longitudinem habent quadrante paulò breuiorem, latitudine uerò ſeſquiunciam aliquantulum excedunt, colore ſunt pulchro, ueluti ſi quis cæreum rubenti ac puniceo miſceat, inſuper etiam punctis conſperſa ſunt, guſtu adſtringūt, ſimulq; facilè in ore reſoluuntur. Matureſcunt autumni initio. Islebii maximè coluntur.

Hamelßwenſte/id eſt, κριογάστραι, nomen ab eo inuenerunt, quod ueruecum uentriculos tumore æmulantur, ea craſſo ueluti uentre turgent, longitudine quadrantem ęquant, & ſępe etiam excedūt, latitudine uero quadrante minora ſunt. Colore ſunt cęſio, eo autem latere quo ſolem aſpexerunt, ſubrubente. Saporem habent ualdè cum gratia quadam & uinoſo ſucco adſtringentem. Matureſcunt æſtatis exitu. Habentur Simeſuſis in Heſſia, & uicinis pagis, ibiq; reliquis piris præferuntur.

Löwenbirn/id eſt, Leonina, à pręſtantia ſic appellata, ea in Turingia et uicinis locis Heſſiatica nominantur, inſignes ſunt fructus, inter omnes autumni dotes principatum, propter durationem & ſaporis ſucciq; bonitatem, obtinentes. Sūt autem inferius tumida & plerumq; inæqualia, longitudinem habēt quadrantalem & frequenter maiorem, latitudine uero ſextantem non rarò excedunt. Colore ſunt cæſio ſub uiridi & modice ruffo. Saporem habent adſtringentem cum præcipua ſuauitate. Succo abundāt copioſo, uinoſo, odorato & actu refrigerante: unde ſitim confeſtim ſedant, quin & ipſa pira uehementi & aromatico odore mirum in modū ægros recreant. Matureſcunt ſole in libram ingreſſo: poſtremò repoſita in longum tempus durant, abundant in Heſſia, maximè Marpurgi, eadem Francobergæ, Marpurgo uicina urbe, **Schärerßbirn**/id eſt, Tonſoriana uocantur, à tonſore quodam qui ea primus eò tranſtulit.

Hangelbirn/id eſt, pendula, Steatapiis figura, colore, & quātitate ęqualia ſunt, pediculo dependent longo, unde etiam nomen ſortita ſunt, guſtu à ſteatapiis differunt, non enim ita uinoſo conſtant ſucco, nec adeo adſtringunt, nam ſimpliciorem ſaporem habent, nec ex tot qualitatibus compoſitum, cum iiſdem tamen ſimul matureſcunt. Coluntur & hæc in Heſſia.

Margarethen birn/id eſt, Margarethana, ſic dicta ſunt quod circa feſtum diuę Margarethę matureſcant, ſole in Leonē ingrediente, in oblongū collum faſtigiantur, longitudine quadrantem, latitudine uero uix ſextantem aſſequuntur. Colorem habent in cæreo rubentem. Carne conſtant tenera, ſuccoſaq;, guſtu uehemēter ſuaui, & in ore facile reſolubili, odore ſunt admodum grato. Abundant Brunſuici in Saxonia.

Winterbirn/id eſt, Hyemalia, ex rotūdo modice turbinātur, lōgitudine quadrāte minora ſunt, latitudine uero ſextantē parū ſuperant. Colorē habent uiridem, ſubſtantiam uero duriſſimā, ut uix dentibus cedant. Guſtu ſtrenuè adſtringunt & refrigerant,

gerant, ſucco aqueo ſimulq; auſtero ſitim ſedant. Matureſcũt ſerò in autumno poſt omnes alios fructus, poſtquam pruinis & gelu tacta fuerunt. Habentur Francobergæ in Heſsia.

Knochenbirn/id eſt, oſſea, à duricie nomen inuenerunt, ex tumido uentre paulatim in breue & anguſtum collum deſinunt, longitudine ſextantem, latitudine uerò ſeſquiunciam rarò excedunt. Colorem habent ſubrubentem, ſubſtantia ſunt adeò dura, ut cruda mandi non quæant, ſed cocta tantum. Guſtu ualdè adſtringunt, maturescunt autumni initio. Coluntur Francobergæ in Heſsia.

Augſtbirn/id eſt, Auguſtana, ferè rotunda eſſent, niſi in breuem mucronem deſinerent. Longitudine ſextantē parum excedũt, latitudine uerò paulo minora ſunt. Colorem habent flauum interdum in pallido rubentem, guſtu adſtringunt cum peculiari ſucci ſuauitate, matureſcũt tempeſtiuè in Auguſto menſe, unde etiam nomē inuenerunt. Eadem fugacia ſunt nec diu durant. Abundant in Heſsia ubiq;.

Honigbirn groß/id eſt, Mellea maiora, in oblongum deſinunt turbinem, longitudine quadrante, ſemuncia minora ſunt: latitudine uerò ſextantē ferè aſsequũtur. Colorem habent in flauo cæſium, & ſuperficiem non adeo glabram, guſtu adſtringunt, ſuccoq; abundant ſuaui, matureſcũt autumni initio, aliquandiu durantes. Habentur Vuittembergæ in ſuperiori Saxonia.

Honigbirn klein/id eſt, Mellea minora, turbinata ſunt, longitudine ſeſquiunciam non excedunt, latitudine uerò paulo minora ſunt, colorem habent ſubrubentem, ſaporem habent ualdè dulcem & ſuauem, unde nomen inuenerunt. Liqueſcũt facile in ore guſtantium, matureſcunt paulo poſt Auguſtana. Abundant in Heſsia.

Muſcatellerbirn/id eſt, Muſcatellina, parua admodum ſunt & turbinata, longitudine unciam paululũ excedunt, latitudine uerò uncia paulò minora ſunt. Colore in uiridi rubente, ſaporem habent ſuauiſsimum & aromaticum, ueluti modico muſco condita eſſent, unde etiam nomē ſortita ſunt. Facilè in ore liqueſcunt, odorē quoq; iucundum ſpirant. Matureſcunt in Iunio menſe. Colũtur ſtudioſè in Miſnia.

Schaffbirn/Melleis maioribus ſimilia ſunt quantitate, figura & colore, paulò tamen oblongiora & anguſtiora. Saporem uerò habent uehemēter ſuauem, modicè adſtringentem, facileq; propter carnis & ſucci teneram mollіciem in ore reſoluuntur. Matureſcunt ſole ad libram properante. Habentur Francobergæ in Heſsia.

Waybirn/id eſt, Cærea, inferius uentroſa ſunt, ſuperius in turbinem deſinunt, longitudine quadrantem paululum interdum ſuperant, latitudine uerò ſextantem raro excedunt. Colorem habent flauum aut cæreum, unde nomen illis inditum eſt, ab ea etiam parte, qua ſolem receperunt, grato & maculoſo rubore intuentes ad comedendum ſe inuitant. Saporem habent ſuauem, modicè adſtringentem, carne conſtant miti & facilè in ore liqueſcente. Matureſcunt ſole in uirginem ingreſſo, fugacia ſunt, nec diu durant. Habentur Marpurgi in Heſſia.

Roſtbirn/id eſt, Roſtia, in medio uentroſa ſunt, & utrinq; in anguſtum deſinunt, longitudine quadrantem ſemuncia excedunt, latitudine uerò ſextantem cum ſemuncia ę quant. Colorem habent flauum, cęſiis punctis cōſperſum, guſtu ſunt ad modum miti & ſuaui, ac facilè in ore liqueſcunt. eadem propter nimiam mollіciem minime durant. Matureſcunt autumni initio. Coluntur Iſlebii & uicinis oppidis.

Aſchbirn/id eſt, Cinerea, nomen habent quod cineris modo mollia ſint & facilè in ore diffluant. Roſtia, figura, colore carnis ſubſtantia & ſapore æmulantur, paulo tamen minora ſunt, magisq; in unam partē uerſus pediculum turbinata, quamuis interdum Roſtiorum modo in medio uentroſa fiant. Matureſcũt cum Roſtiis. Coluntur Iſlebii.

Drinkebirn/id eſt, πότιμα, ſic dicta ſunt, quod alicuius potus inſtar ſitim arceant, in medio tument & in obtuſum mucronem deſinunt, longitudine ſextantem parum ſuperant, latitudine uerò ſextantem ferè æ quant. Colore ſunt omnino flauo,

rubescunt tamen ea parte quæ soli exposita fuit, saporem habent suauem, carnemq́ teneram & largo potabiliq́ succo abundantem. maturescunt cum Rostiis, & similiter ut illa cito putrescunt. Coluntur in agro Islebiano.

Eyerbirn/id est, Ouata, à figura nomen inuenerunt quæ illis est utrinq́, breuis oui instar turbinata, alioquin etiam à potimis proportione & forma non multum differunt, paulo tamen minora existunt, colorem habent flauum, punctis conspersum. sapore Rostia æmulantur, simulq́ modicè adstringunt. odorem spirant admodum suauem, maturescunt cum potimis, citoq́ putrescunt. Habentur & hæc Islebii & uicinis oppidis.

Pfaltzgräuisch birn/id est, Palatina, quæ in Hessia **Meßbirn** uocantur, fugacium omnium generosissima sunt, æqualiter plerumq́ in turbinem desinunt, longitudine quadrantem, semuncia dempta, æquant, latitudine uero sextantem rarò excedunt. Colore sunt inter croceum, puniceum & rubentem medio. carne constant tenera, succosa, sapore suprà modũ suaui, & ueluti aromatica. Odorẽ habent tam integra quam incisa suauissimũ, quẽ nullum pirorum genus bonitate superet. Maturescunt Augusti exitu sole in uirginem ingresso. Habentur in Renano tractu. Francia. Hessia, & multis aliis regionibus.

Spindelbirn/siue **Rautenbirn**/id est, Rombacea, Rostiis figura, colore, et magnitudine similia sunt, paulo tamen angustiora, substantia uero & sapore ab illis differunt, duriore siquidẽ carne constant, ideoq́ diutius durant, saporẽ habent adstringentem simulq́ suauem. Maturescunt cum Rostiis. In agro Islebiano coluntur.

Zuckerbirn/id est, Zucharina, longitudine sextantem paululum excedunt, latitudine uero eundem uix aut rarò attingunt: colore sunt uiridi. Carne constant tenera facile instar Zuchari in ore, liquescente, gustu suaui & dulcia. Maturescunt cum ouatis nec diu durant. Coluntur in agro Islebiano.

Packelemisch birn/id est, Paclemiana. Zucharinis quantitate & figura similia sunt. Colorẽ habent uiridẽ & cęsium, superficie aliquantulũ sunt scabra, carne constant dura, succosa & adstringente. maturescunt cum Zucharinis, & si iniuria absit non facile putrescunt, sed aliquamdiu durare possunt, sicut pleraq́ alia quæ dura carne & adstringente succo constant. Coluntur in agro Islebiano.

Kirchmeßbirn/id est, rotũda & uentrosa sunt, & uersus pediculũ in longũ, angustũ & ualdè attenuatum mucronẽ desinunt. longitudine triente, semuncia breuiora sunt, latitudinis uero diametro sextantem excedunt, quamuis etiam minora nascantur. colore sunt flauo, carne constant tenera succosaq́. gustu simul Palatina & potima referunt. Maturescunt autumno, durantq́ ferè donec sol sagittarium ingrediatur. Habentur Vuittembergæ.

Knaustbirn/siue **Gelbe Honigbirn**/id est, Tumida & Mellea flaua, latam habent basim, atq́ Turgidorum instar tumida & subrotundo sunt, iuxta pediculum in breuem, obtusum ac rotundum mucronem desinunt, tam longitudine quam latitudine, sextantem cum semuncia interdum excedunt, sed rarò, colore sunt flauo et punctato, circa pythmena plerumq́ Melleorum maiorum colore & asperitatem affectant. carne constant subdura, succosa, & circa seminum receptacula lapidosa. Saporem habent in mellea maiora, & Leonina medium, estq́ hic admodus gratus. Maturescunt autumno, & nonnunquam ferè usq́ ad hyemale solstitium durant. Coluntur Vuittembergæ uicinis locis.

Klosterbirn/ id est, Cœnobiana, inęquali uentre turgent & iuxta pediculũ turbinantur, longitudine quadrantem attingunt, qui latitudine quoq́ non multum cedunt. colorem habent flauum & uiridibus punctis conspersum. substantia eis est subdura, & aliquantulũ lapidosa. Gustu mediocriter adstringunt & modicè glutinosa cum suauitate existunt. Maturescunt cum Tumidis, illisq́ similiter durant. Habentur in agro Vuittembergensi.

Glaßbirn/id est, uitrea, rotunda sunt & modicè turbinata, longitudine sextantem cum tertia plerumq́ unciæ parte ęquant, latitudine uerò, sextantem paululum exce-

excedunt. colorem habent in flauo modicè uirescentem: caro iis est tenera, succosa, gustu adstringēs, suauis & uinosa, maturescunt cū Rostiis, paulò ante autumni initiū. Islebii copiosus eorū est prouentus, uicinisq; oppidis. durant usquequo sol sagittarium ingrediatur.

Kirchbirn/id est, Templaria, oblongam & ouatam habent figuram, magis tamen quam ouum in turbinem desinunt. Longitudine sextantem æquant, latitudine uerò sesquiunciam aliquantulū excedunt. Colore sunt ab una parte in flauo uiridi, ab altera autem, qua solem receperunt, rubente. Carnem habent duram, modicè succosam, gustu modice acetosam, ac uehementer adstringentem. Maturescunt æstatis exitu, diuq; durant. Horum quoq; magnus est Islebii prouentus.

Quittenbirn/id est, Cotonearia, Cœnobianorū modò inęquali uentre tumēt, iuxta pediculum in breuem mucronem, ueluti turbinata Cotonea, desinunt, pariterq; tuberosa existunt. Vnde etiam nomen illis factum est, sextantem cum tertia unciæ parte, tam latitudine quam longitudine excedunt. Colorem habent uiridem, carnem uerò duram, succosam, gustu modicè uinosam & mediocriter adstringentē. Maturescunt autumni initio, durantq; usq; in hyemem. Habentur Islebii, &c.

Parißbirn/id est, Parisiana, inferius rotunda sunt, & superius in mucronē desinunt. Longitudine sextantem cum semuncia æquant, latitudine uerò sextantem nō excedunt, aut rarò. Colorem habent ab una parte flauū, ab altera autē qua solem senserunt puniceū. Caro iis est succosa, gustu cū suauitate adstringens. Maturescunt cū prędictis, durantq; in hyemē usq;. Copiosus eorū est in agro Islebiano prouentus.

Weyberstorben/id est, Thelyphona, rotunda essent, nisi iuxta pediculū in breuem obtusumq; mucronem fastigiarentur. sextantem tam latitudine quam longitudine plerunq; excedunt. Colorem habent flauum, & iuxta basim croceum, & puniceis punctis conspersum. Carne constant dura aliquantulum lapidosa, succo, gustu modice acetosa & ualde adstringenti, quemadmodū Templaria, cum quibus etiam maturescunt. Durant in hyemem usq;. Coluntur in agro Islebiano.

Kölbirn/id est, Brassicana, magna, subrotunda & turbinata sunt, longitudine quadrantem æquant, cui etiam latitudo eorum respondet, si semuncia, aut tertia unciæ pars detrahatur. Colorem habent in uiridi pallidum, ab altera parte modice rubentem & punctis conspersum. Carne cōstant duriuscula, succosa, gustu aliquantulum acetosa & fortiter adstringente, quemadmodum Theliphona, cum quibus etiā maturescunt, & similiter durant. Islebii coluntur.

Hölpener/id est, Vasta, magna, uentrosa, inęqualia & turbinata sunt, longitudine quadrantem cum semuncia interdum excedunt, latitudine autem longitudinem fere æquant. Color iis est uiridis, Carnem uerò habēt succosam, gustu uinosam, modice acetosam, & Brassicanis fortius adstringentē. Maturescūt autumni initio, diuq; usq; in hyemem durant. Frequens eorum est in agro Islebiano prouentus.

Saffrbirn/id est, Succulenta, uastis similia sunt, paulo tamen minora, minusq; inęqualia, colore in uiridi flauo. carne constant solida, quę incisa copioso succo manat, eadē manducata fere tota in succum transit, nimium enim quiddā remanet sicci, cum deglutitur succus, qui gustu frigidus, subacidus, uinosus & adstringēs est. Maturescunt autumni initio, diuq; durant. Habentur Vuittembergæ.

Eierlinge/id est, Oualia, à forma ouali nomen acceperunt. mediam habent inter Potima & ouata figuram ac magnitudinem, color iis est flauus punctisq; subruffis in fusco conspersus. Carne cōstant dura, succosa, gustu acida, uinosa & adstringente. Maturescunt autumni initio diuq; durant. Proueniunt Vuittembergæ.

Kruselbirn/id est, Turbinata, figura turbinem, quē pueri funiculo inuolutam in terram proiiciunt ut uertatur, ęmulantur. longitudine quadrantem attingunt, latitudine autē sextantem semuncia excedunt. Color eis est in uiridi pallidus, multis uiridibus maculis ceu punctis conspersus, carne constant solida, succosa gustu ualde adstringenti, aliquantulum acetosa & suaui. Durant usq; sol aquarium aut pisces superauerit. Abundant in Misnia.

Bratbirn groß/quæ etiam **Fregelbirn**/id est, quæ frigendo sunt, omnium ferē maxima sunt, nonnunquam enim minam cum dimidia pendent, figura sunt globosa, interimq́ turbinata, & frequenter inæqualia, colore inter uiridem pallidum ruffumq́ medio, & ex altera parte magis ruffo. Carne constant cum suauitate succi, adstringēte, aliquid acetosi participante. Proueniunt in Misnia, præsertim Leisnichii & Coldicii.

Grawchen/id est, à colore nomē inuenerunt, siquidē cineracea, simulq́ sub uiridia & sunt, figura globosa paruaq́, unciā tam latitudine quā longitudine æquantia, aspectu à syluestrium quibusdam nihil differunt, gustu sunt tenera, mitia, dulcia & suauia cum adstrictione aliqua, durant post solstitium hyemale. Proueniunt autem in Misnia Lipsensi agro.

Gelbrotebirn/id est, Punicea, oblongam pyramidalem figuram habent, quadrantem longitudine paulominus quam semper attingētes, latitudine uerò sextantem. Colore sunt ab unà parte citrino, ab altera croceo & puniceo. Carne cōstant tenera, gustu adstringente, suaui, subacido & aquoso, maturescunt autumni initio & usq́ ad solstitium hyemale durant, Proueniunt Hildesheymii in Saxonia.

Grünlinge/id est, Prasina, satis magna sunt, siquidem quadrantem nonnunquā longitudine excedunt, latitudine uerò sextantem, figuram habent oblongam at pyramidalem, colorem uiridem, carnem succosam, non segniter gustu adstringentem. Maturescunt autumno ineunte, & usq́ pòst solstitium durant, prouentus eorum Hildeshemii est magnus.

Wasserbirn/id est, Hydrapia, quantitate Prasina æmulantur, figuram habent uentrosam in medio, & utrinq́ in mucronem desinunt, iuxta pediculum oblongiorem acutioremq́, propè pythmena uero breuiorem & obtusiorem, colorem ab una parte habent pallidum, punctisq́ conspersum, ab altera autem rubentem, & per oram pallore dilutum. Carne constant succosa, gustu aquea cū suauitate aliqua, matura fiunt cum prasinis, nec usq́ adeo durant. Proueniunt Hildesheymii.

Kegelbirn/id est, Conaria, pinei coni figuram habent, è latiuscula enim basi in mucronem desinunt, longitudo eis quadrantalis, latitudo autem sextantalis, colore sunt ex una parte uiridi, ex altera uero rubescente. Carne constant succosa, gustu austera, maturitas eis contingit autumni initio, à quo tempore usque ad hyemale solstitium durare possunt. Nascuntur Hildesheymii.

DE MALIS. CAP. X.

MALOrum tam urbanorum quàm syluestriū non minor quàm pirorū uarietas est, plurima enim & horū genera, partim insitionū natura, partim diuersitate discreta, quę autē ex his nobis optime cognita sunt, ea deinceps describemus.

Mußöpfel breyt/id est, Pulmentaria lata, satis magna sunt, latitudine altitudinem superant, nam quadrantem altitudine non attingunt, aut rarò, cum latitudinis diametro trientem nonnunquam excedant. Colorem habent rubentem & modicè purpurascentibus uibicibus mixtum, carne constant miti, **gritzelicht** & omnis succi experte: Facili in ore, dissolubiliq́ gustu, in dulci subacida, & suaui, odorē uerò iucundum spirant. Copiosus eorum est Islebii prouentus.

Maidezitzchen/id est, κορητιτθιαι, sic dicta sunt, quod figura protuberantes & ferè acuminatas puellarum mammillas imitentur, tam exquisita similitudine, ut etiam pythmē eorum, papillas aspectu referat. longitudo ijs est sextantalis, à qua latitudo basis nihil aut parum differt, iuxta pythmena in obtusum, latum, & umbilici figura cauum mucronem desinunt. colorem habent flauum, carnem uerò teneram succosam, gustu suauem, subacidam, uinosamq́. odorem, reposita gratum spirant, maturescunt autumni initio, & ad hyemis principium usq́ durant, uel paulo diutius, Islebiano agro copiose proueniunt.

T. 1. 44. p. 104.



Müßöpfel rund/id est, pulmentaria rotunda, ut plurimum globosa aut rotunda sunt, interdum tamē latitudine longitudinē superant, & è contra, longitudine latitudinem. magnitudine etiam inter se differūt quantum ad indiuidua attinet, specie autem minime. Vt plurimum autem quadrantē cum semuncia lata sunt, sed altitudine quadrantem uix attingunt, inueniuntur etiam multò maiora. Colorem habent undique ferè rubentem, longis & in purpura roseis ceu uibicibus, distinctum. Carne constant miti in dulci modicè acescente, facile in gustantium ore liquescente, mediocriter succosa, gustu suaui, uinosaqꝫ. Odorem habēt iucundum. Maturescunt autumni principio, & ad hyemis initium usque durant, aut aliquanto diutius. Habentur Vuittembergæ.

Müßöpfel klein/id est, Pulmentaria minora, rotundis Pulmentariis forma & colore similia sunt, multo tamen minora, oblongioraqꝫ existunt, carne etiam teneriore, succosiore constant, saporem habent suauem, uinosum & subacidum. Odorem uerò iucundum. Maturescunt cum rotūdis similiterqꝫ durant. Proueniunt in agro Vuittembergensi.

Müßöpfel gelb/id est, Pulmentaria flaua, maximis rotundis pulmentariis æqualia sunt. Colorem habent flauum, ab una parte raris uibicibus. Colore sanguineis conspersum. Carne constant suaui, dulci, uinosaqꝫ, ueluti rotunda pulmentaria. Odorem bonum spirant. Autumni initio perficiuntur & in hyemem usque durant. Magnus eorum est Islebii prouentus.

Süßlinge klein/id est, dulcia minora, forma & colore minoribus pulmentariis similia sunt, sed multo minora, nam rarissimè Coretitthiorum magnitudinem excedunt. Carnem habent teneram, succosam, gustu uehementer dulcem & gratam. Odorem spirant suauē. Maturescunt hęc etiā autumni initio & in hyemē usqꝫ durant.

Nannöpfel/id est, Paterniana, lata & plana sunt, altitudine sextantem cum semuncia æquant, latitudine uerò quadrantem nonnunquam excedunt. Colorem habent flauum, sanguineis uibicibus, Pulmentariorum instar, maculosum. Carne constant tenera, mediocriter succosa, gustu subacida, uinosa & uehementer suaui, odore pulmentaria æmulantur. Maturescunt cum prædictis, durantqꝫ similiter. Proueniunt in Vuittembergensi agro.

Scheibôpfel/id est, Orbiculata, Pateruianis similia sunt figura, odore, & sapore, plerumq; tamen paulò minora, pauloq; magis in latitudinem compressa existũt. Colorem habent pallidum, interdum flauum in croceo, paucisq; uibicibus, iisq; sanguineis pictum.

Gotharde/siue **Polßôpfel**/oblonga sunt, & in medio aut inferius aliquantulũ tumidiora, quorum pythmen profundiusculæ insidet superius ueluti lacuna. Colore sunt in spadice ruffa aut fusca. ab altera interdum parte pallidiora ac rubentibus uibicibus maculosa. Longitudinem habent multò plerumq; maiorem quadrante, latitudinem uerò quadranti æqualẽ. Carne constant tenera, miti ac rara, fungosa & tamen aliquantulum succosa. Gustu subacida, suaui, & in ore facilè dissolubili. Maturescunt cum prædictis, atq; post medium hyemis usq; durant. Habentur in omnibus Germaniæ regionibus.

Kartecken ôpfel/**Parißôpfel**/uel Biscope, id est, uel Episcopia, omnium dulcium malorum nobilissima sunt. Figura eis est ut plurimum rotunda, colorem habent ab unà parte suauiter, tenuissimis, contiguis roseisq; uibicibus rubentem, ab altera uerò in candido pallidum uix euidentibus, dilutisq; uibicibus conspersum, incertum, & descriptu difficilem, unde etiam Cartechianorum nomen inuenerunt. Odorem spirant gratum ac iucundum, longitudine quadranti cedunt, latitudine uerò eundem æquant. Carne constant tenerrima, succosa, niueáq;. Gustu supra modũ suaui, dulci atq; miti. Maturescunt autumni initio, & in hyemem usq; durant. Habentur in omnibus ferè Germaniæ nationibus.

Hartlinge weiß/id est, Duracina alba, rotunda sunt atq; modice in latitudinem compressa, altitudine sextantem, latitudinis uerò diametro sextantem & semunciam excedunt. Colorem habent unà parte, qua solem exceperunt in flauo rubentem, altera autem in uiridi candicantẽ: intus albescentibus maculis, per cutim transparentibus asperſa sunt. Carne constant tenera & tamẽ solida, succosa, gustu acida, uinosa & suaui, odorem reposita aliquamdiu spirant iucundum. Maturescunt autumni initio ac totam hyemem durant. Habentur ubiq; ferè in Germania.

Porstorffer/id est, Porstorfiana, eandem habent quam Duracina alba figuram, & proportionẽ, paulò tamen minora sunt, colore quoq; non multum ab eis differunt. siquidem ab una parte pallent, ab altera uerò suauiore inspicientes rubore delectant. Carne constant iam dictis Duracinis simili gustu uehementer suaui & generoso, ueluti si quis Duracina Cartechianis commisceat. Odorẽ spirant gratum. Coluntur in Misnia, ubi propter saporis nobilitatem cæteris omnibus præferuntur. Maturescunt cum Duracinis, & similiter ferè durant.

Presilienôpfel/id est, Presiliana, aspectu sunt pulcherrima, figura rotũda & globo similia, colore rosea, atq; Presilii materiæ dilutum prouocantia, magnitudine quadrantem ut plurimum æquant, nonnunquam etiam excedunt. Carne constant tenera, subsolida, gustu dulci, simulq; acescente & suaui. Maturescunt autumni initio, & usq; hyemale solstitiũ durant. Magnus eorum est Hildesheymii prouentus.

Saffrâncke/uel **Hanenklote**/id est, Crocina, è nobilissimis haud quaquã sunt postrema, figuram habent globosam propemodum, tam longitudine quàm latitudine sesquiuncialia, latitudo eorum, longitudinem non rarò excedat, paululum tamen, in summa Coretitthiis ferè æqualia & similia. Colore sunt inter uiridem flauum crociq; dilutum medio, quem serenis & calidis æstatibus puniceæ croceæq; maculæ tenuesq; uibices distinguunt, eo insigni pluuiosis æstatibus destituuntur. Carne consistunt tenera, gustu dulci, aliquantulũ subacida, suaui, & aromatico quodam halitu gustantis palatum commendante. quinetiam suauiter & iucundè redolent. Maturitatem adipiscuntur autumni principio, & usq; ad æquinoctium uernũ durant, frequenter etiam longius. Habentur Hildesheymii, præsertim in hortis Monachorum in Sulta extra urbem sito Cœnobio.

Saffrâncke rot/id est, Crocina rubentia, Crocinis figura & magnitudine ęqualia sunt,

lia sunt, colore uerò pulmentariis & dulcibus minoribus, nam similiter sanguineis uibicibus roseam superficiem distinctam habent. Carnis substantia, saporis qualitate, maturescendi, durandiq; tempore Crocinis respondent. Proueniunt autem in Saxonia Hildesheymii ac Honouerae.

Bolchöpfel/mala quae Romani Pulmonea olim nominabant, omnium dulcium maxima sunt, figura globosa, diametri quoquo uersus non rarò trientalis, colore flaua, nonnunquam etiam in uiridi pallido, praesertim ubi frigidiori humidiorique aestate enata fuerint. Carne constant rara, fungosa, instar pulmonis, unde etiam nomen sortita sunt: ea digitis confricata & auribus admota strepitum edunt. Saporem habent dulcem, non insuauem, nulla alia qualitate mixtum, maturitatem consequuntur aestatis exitu. Durare aliquandiu possunt, nunquam tamen aut rarò hyemale solstitium attingunt. Proueniunt copiosè in Hessia.

Weidenbolche/id est, Pulmonea salici inserta, Pulmoneis iam dictis aequalia & similia sunt. Carne constant paulo rariore, gustu dulci atq; aliquantulum amarescente. Aestatis exitu haec quoq; maturescunt, & similiter modico tempore durant, coluntur à quibusdam in Hessia. Possunt horum ad exemplum etiam alia salici inseri, praesertim, dulcia & alioquin rarae substantiae, auctuq; facilia.

Glaßöpfel/id est, Vitrea, pulmoneis similia aequaliaque sunt, non tantum figura uerumetiam colore, praeterquam quod superficiem, nonnunquam etiam carnem habeant obscuri uitri modò pellucidam, quod horum malorum proprium est, idem si aliis malis contingat, uicium censendum est. Carne constant dulci, suaui, modicè uinosa. Maturescunt aestatis exitu, diu autem durare minimè ualent. Nascuntur Coburgi in Franconia.

Hartlinge rot/id est, Duracina ruffa, figuram habent orbiculatam, interimq; globosam, magnitudinem uerò neque omnia, neque, ubique eandem, ut plurimum tamen altitudine sextantem, latitudine autem sextantem & semunciam attingunt: colore sunt roseo, sanguineis longisq; uibicibus undique distincta. Carne constant admodum solida & densa, attamen ualdè tenera, succosa in gustu, acetosa, cum peculiari suauitate. Odorem spirant non ingratum. Maturescunt autem autumni initio atq; omniũ diutissimè durant, nonnunquã enim usq; ad aestatis medium, atq; non rarò diutius, prorogantur. Proueniunt ferè in omnibus totius Germaniae pomariis.

Weinseürchen/id est, Oenoximela, Orbiculatis figura & quantitate similia sunt, paulò tamen altiora, nec usque adeo in planum compressa. Colore ab una parte in uiridi pallidoque candicante, ab altera leniter interdum rubescente. Carne constant admodum solida duráque, interim tamen delicata & tenera, succosa gustu, uinosaque suauitate: tenue, austerum, syncerumque uinum aemulante. Maturitatem adipiscuntur autumno ineunte, & usque post aequinoctium uernum durant. Abundant in Hessia.

Eckôpfel/id est, Angulosa longa, ab angulis nomen inuenerunt, à pediculo enim usque ad pythmena undiq; angulis crassioribus sulcantur, qui tamen iuxta utrumque caput eminentiores sint, in medio uerò, hoc est uentre non tam euidentes. Longitudinem habent quadrantalem, latitudinem sextantalem, nonnunquam tamen in maiorem quantitatem adolescunt. Colorem autem flauum, sanguineis uibicibus, densè conspersum. Caro eis tenera, succosa & mitis, gustu inter dulcem atque acetosum saporem media, & suauis ualdè. Maturescunt autumni principio, ac uernum usque ad aequinoctium durant. Proueniunt in Hessia ac Misnia.

Eckôpfel rund/id est, Angulosa rotunda, angulorum eminentiis, colore, carnis substantia, sapore, maturescendi durandique tempore Angulosis longis similia sunt, in hoc tantùm ab iis differunt, quod ut plurimùm globosam figuram ha-

habeant, magnitudine sunt quoquo uersus quadrantali, non rarò tamen maiora, quanquam frequenter etiam minora inueniantur. Proueniunt in Misnia.

Grunche/id est, Prasomela, figuram habent oblongam, latitudinem sextantalem, longitudinem autem semuncia maiorem, colore sunt in uiridi pallido. Carne constant tenera, gustu suaui, dulci simulque acetosa. Maturescunt æstatis exitu, & totam hyemem durant. Proueniunt copiosè in Hessia Marpurgensi agro, ac in uicinia.

Weisse Godharde/id est, Gothardina alba, Gothardinis figura, carnis teneritudine, sapore, maturescendi durandique tempore similia sunt. Magnitudinem uerò inter Prasomela ac Gothardina mediam habent. Colorem autē in uiridi candicantem. Frequens eorum est Marpurgi in Hessia prouentus.

Augst öpfel/id est, Augustina, parua sunt atque propemodum globosa, sesquiunciam tam latitudine quàm longitudine rarò excedunt. Colorem habent flauum, Carnem teneram, gustu dulcissimam & ualdè suauem. Odorem gratum & iucundum. Maturescunt Augusto mense, unde nomen inuenerunt. eadem fugacia sunt, minimèque durant. Nascuntur ubique ferè in Germania, sed in Hessia copiosissimè, Saxones ea **splitke** uocant.

Rosen öpfel/id est, Rosacea, Presilianis magnitudine & colore similia existunt, carnem habent paulò dulciorem, figuram uerò non usque adeò globosam. Maturescunt æstatis exitu & ad hyemem usque durant. Proueniunt Coburgi in Francia.

Blůt öpfel/id est, Sanguinea, figura sunt globosa, quantitate sextante paulo maiore, colorem habent foris roseum. Carnem uerò teneram ueluti in sanguine maceratam, roborisque gratissimi: gustu dulcem, aliquantulum subacidam & suauissimam. Maturescunt æstatis exitu. Magnus eorum est Coburgi in Francia prouentus, quamuis & alibi non desint.

Süßöpfel groß/id est, Dulcia magna, Pulmoneis figura & quantitate æqualia sunt, paulò tamen minora, rotundioraque. Colorem habent in uiridi flauescentem, ex altera parte subrubentem. Carnem mediocriter solidam, gustu dulcem, suauemque. Odorem spirant gratum ac marrubio simillimum. Maturescunt æstatis exitu: abundant in Hessia.

Sauröpfel groß/Oxymela maiora, dulcibus magnis colore, magnitudine, figuraque similia sunt, in hoc tamē differūt à dulcibus, ferè omnia acetosa, quòd candicātia exiguaque puncta per cutim transpareāt. Carne cōstant solida, tenera, gustu acetosa, uinosa, suauique. Maturescunt æstatis exitu, durantque in hyemem. Proueniunt in Hessia.

Parelöpfel/id est, Parelia, Omnium maxima sunt, figura globosa, modicè compressa, colore in roseo alicubi flauescente, sanguineisque uibicibus consperso. Carne constant tenera, sapore inter dulcem ac acescentem medio, estque hic non mediocriter suauis. Odorem spirant iucundum, maturitatem consequuntur autumni initio, durantque ad autumni ferè exitum. Coluntur Islebii, uicinisque tractibus.

Sauröpfel klein/id est, Oxymela minora, Duracinis ruffis æqualia similiaque sunt, paulò tamē oblongiora, colore in uiridi candidoque flauescente, pūctisque candicantibus per cutim translucentibus conspersa. Carne, sapore, maturescendi durandique tempore Oxymela maiora imitantur, paulò tamen acetosiora existunt. Prouentus eorum est in Hessia magnus.

DE COTONEO *arbore & Cotoneis malis.* CAP. XL.

COTONEVS, SIVE malus Cydonia, siue Cotonea, arbor est fruticosa, numerosis, nisi coherceatur caudicibus, iisque ramosis & inæqualiter uirgatis ab uno radicis capite assurgens, altitudine quatuor, quinque

aut

T.3.43.p.1039.



aut sex cubitorum, crassitudine manũ complente, nõnunquam etiam multo maiore, præsertim cum ad iustam magnitudinem peruenerit. Cortice uestitur mediocriter crasso, non rimoso nec ualdè scabro, inferius colore fusco, superius autẽ leuiore & glabro, folia habet piro arbori non dissimilia, hoc est subrotunda, interimq; fastigiata, plerumq; tamen minora, crassiora, robustioraq;, supernè uiridia & glabra, infernè autem cãdicante lanuginosaq; pube obducta. Flores apud nos producit sole ac ariete ad Taurum properante, quinque candidis leniter rubentibus, subrotundis, semuncia latioribus foliis constantes, apicibus quibusdam in medio stipatos, propè quos exerunt se parua quędam folia, arboris huius nõ florũ foliis similia. hinc est quod cotonea quædam mala & fere omnia iuxta pythmena foliata sint. Retro florum folia oblongum lanuginosumq; aliquid extuberat, secuturi uidelicet fructus rudimentum: hoc decidentibus florum foliolis incrementum capessit, donec iustam quantitatem assequatur. Porrò ipsa Cotonea mala apud nos in duo præcipua genera conciduntur. Vnum enim maiorem molem adipiscitur, longitudine quadrantem cum semuncia interdum superantẽ, latitudine uerò, quadrantem, iuxta pediculum latiorem, circa pythmena autem paulo angustiorem, superficie glabram, æqualem, & pauca, nonnunquam etiam nulla, obductam lanugine, colore in aureo flauescente. Carne rariuscula fungosaq;. Alterum multò inferius, magnitudine existit prope pediculũ angustius, iuxta pythmena latius, angulis striisq; profundioribus sulcatum, colore in aureo flauoq; uirescente, densiore lanugine obductum. Odor utriq; generi suauissimus ac late spirans: minoribus uerò, id est, Strutheis uehementior. Caro utriusq; colorem flauum obtinet, minorum uero densior compactiorq; existit. Semina ferunt in medio pomo utriculo in cellas discreto, piri seminibus ęqualia similiaq;, cum nucleo tũ cute spadicea, foris mucilaginoso dum madefiunt, lentore lubrica. Strutheorum caro, qua seminum conceptacula ambit, lapidosa existit. Vtrunq; genus durare diu nequit. Radicibus arbor hæc nititur multis, partim rectis, partim obliquis, fusco simulq; spadiceo cortice obsitis. Seritur auulsione, uiuiradice, insitione, ramulis & taleis.

DE CITRO *arbore ac malis Citreis.* [*Tragus trium diuersarum, sed cognatarum arborum fructus, Citrea mala, & Nerantia à recentioribus uocata, & Limones uulgò dictos, exprimere uoluit. Accuratiores singularum icones Matthiolus dedit.*] CAP. XII.

T.3.40.p.1032.



CITRVS arbor, est fruticosa ueluti Cotoneus, ramos habet uiridi glabroꝗ uestitos cortice, ferendę fœtuum moli ualde impares & ad terrã pronos, ideoꝗ subiectis per transuersum hastilibus, funisꝗ fulciẽdos. Folia laureis similia, dẽsiora tamen, multóꝗ maiora, & ad iuglandis magnitudinẽ accedentia, oblõga, utrinꝗ acuminata, egregiæ uiriditatis, splendorisꝗ: præsertim supernè, infernè enim pallidiora existunt. Tota hyeme arborem suam exornãtia, odoris acerrimi, latè spirantis, qualis in Melissophyllo sentitur, cũ grauitate quadam cimicem imitante. spinis armatur sub omnium foliorum annexibus, longitudine uncialibus, rectis, acutis, ac uiridibus. Flores uirentes, gemmarum caliculi emittunt oblongos candicantes, & quorum duplex est genus uidelicet, sterile & fructiferum: sterile nullum post se tuberculũ producit: Fructiferum uero, præterquam quod à tergo fructus rudimento sibi annexo comitetur, etiam in medio aliud insigne exerit pensum colo inuolutum æmulans, quod Theophrastus quoꝗ nouit. Fructus florem sequuntur singuli, longitudine non rarô dodrantali, figura ouata, superficie rugosa, tuberosáꝗ, colore primum uiridi, in maturitate uero aureo, seu citrino, nec solum ouata nascuntur figura, tum etiam globosum consequantur habitum, utrumꝗ eiusdem est odoris ac foliorũ similis. Cortice ambiuntur gustu amaro, feruido simulꝗ tenui, cui subest caro cartilagineę duræꝗ consistentiæ, colore candido, aspectu atꝗ acetoso sapore conditę capitatę Brassicę truncos referens, in medio malo cauitas quædam est, succo uehementer acetoso, suis mẽbranis contento plena, cui immixta sunt oblonga & semuncialia semina, utrinꝗ ferè acuminata, cute foris flaua striatáꝗ, intus candido dupliciꝗ nucleo constantia: quibus amarus, tenuis & mediocriter feruens est sapor præsertim cutis. nucleus enim dulcedinem quandam admixtam habet, radicibus nititur copiosis & tenuibus: Cœlum amat calidum, hyemis iniuriis minime obnoxium, quod si nactum fuerit, flores, adolescentes, maturescentes maturosꝗ fructus simul producit, non solum æstate, uerum etiam hyeme. Magnus est huius arboris malorumꝗ eius in regno Neapolitano & Hispania prouentus, seritur etiam in Germania, sed frustra, nihil enim præter folia producit. Verum frigore siderata facilè perit, nisi diligenti cura adhibita, contraꝗ hyemis sæuitiam muniantur, illatis in tepida cœnacula aut cellaria arbustis, sic enim ad plurimos annos uiuent. Cùm fructificat substructis iugis,

hastilibus

hastilibus furcisq; fulcienda est, ne malorum pondere increscente detracta succumbat, ac fracta prosternatur. Verum hoc in Germania timendum minime est, in qua uix frondes ab hyemis sæuitia uindicari queunt, quantumuis tepidis specubus foueantur.

DE CITRIO, *id est, Arangio arbore, malisq; Arangijs.* [*Vide Lemma præcedens: item ultimum huius libri.*] CAP. XIII.

ARANGIVS, seu Citrius arbor est, Citro cortice, radicibus, aculeis, ramis, foliis, fructuq; similis, multò tamen maior ac singulari stipite seu caudice assurgens. quinetiam flores similes producit, sed pulchriores & multo odoratiores, intus subcitrinos, per oram uero limbi purpurascentes, differt tantum foliorum singulari forma, fructusq; cum paruitate tum rotunditate. Folia enim quamuis Citreis similia sint tam colore quam nitore, acuminatiora tamen angustioraq; spectantur, & præter hanc notam etiam singulari quodam proprioq; insigni distinguuntur. quodlibet enim eorum posteriori parte iuxta annexum ferè, utrinque incisuram habet, quibus sibi inuicem aduersus constituitur isthmus, quinetiam spina per foliorum dorsum transiens in ipsa angustia iuncturam habet, qua ueluti in bina folia, singula diuidantur, ita ut posterior eorum pars parua myrtheoq; æqualis sit, uerum obtusa, anterior autem Laurini maioris acuminatiq; figuram ac quantitatem habeat. Odor ijs est quemadmodum & sapor, Citrinorum æmulus, remissior tamen paulò, licet & hæc cimicum uirus nonnihil redoleant. Fructus iisdem quibus Citrius temporibus producit, rotundos ac globosos, modicè compressos, magnitudine mediocris mali. Colore primùm uirides, in maturitate postremò fuluos aureiq; fulgoris, cortice, carne & semine constantes. Cortex est crassus & corio similis. Gustu, odoreq; citreos cortices imitans, iucundius tamen redolet. cui subest caro, per longitudinem senis plerumq; aut octonis membranis distincta, uinoso succo plena, qui in altero eorum genere dulcis, attamen aromaticus, uinosusq; existit, in altero uerò acetosus, utrumq; suis dignoscitur indiciis, dulcia superficiem habent glabriorem, leuiorem, mollioremq; corticem: acetosa autem asperiorem ac duriorem. Semina in carne continentur Citreis similia, paulò tamen minora eiusdem etiam cuius Citrea saporis & odoris. Retinet & hæc arbor suas hyeme comas, quemadmodum Citrus, similemq; cœli constitutionē, curam, cultumq; desiderat.

DE LIMONE *arbore, eiusq; fructibus, id est, Limonibus.* [*Vide Lemma capitis 12.*] CAP. XIIII.

LIMON quoq; ex Citri est genere, multò tamen minore ac fruticosiore arbusto, pluribus ab una radice uirgis exeuntibus, cū large fructificat, subiectis hastilibus ac furcis fulcienda est. arbusto, cortices, ramos, uestiunt priorum instar uirides. Folia multo minora producit, piri Cotoneiq; foliis æqualia, rotūdiora tantùm, densa, uiridia ac glabra. Spinis armatur ueluti Citrius atque Arangius, minimè tamen rectis, sed aliquantulum hamatis, multoq; pluribus quam illæ, quo fit ut eius uirgæ ac ramuli aduncis aculeis quandam rubi imaginem referant. Flores Citrio figura non dissimiles profert, paulo tamen minores, fructus uero Citreis ac Arangiis aspectu, odore, ac sapore non dissimiles, eorum quadruplex ad nos peruenit genus, primum anserini oui formam ac magnitudinem habet. Odore inter Citrium atq; Arangium malum medio. Secundum globosum existit, minusq; prędicto, utroq; capite ueluti eminente umbilico insigne, cętera sui parte tuberosum. Tertiū oblongum est gallinarum oui quantitate & figura. Quartū tertio ęquale est sed globosum, & superficie magis æquali, omnibus crassior, ac aurei palloris cortex, qua-

lis Arangiis. Odore uehemens, gustu amarus, feruidus ac tenuis. Reliquum corpus caro est, rara cauernosaq; per longitudinem membranis quibusdam intersepta, cui immixta sunt Citriis similia figura odore aut gustu, semina minora tantùm, succus per totam carnem diffusus est largus, saporis uehementer acetosi ac dentes hebetantis. Radicibus nititur qualibus Citricus ac Arangius. Gaudet eodem cœlo cura ac cultu semper uirens fructumq; fundens ac florens. Fructus eius omnis generis cũ ex Italia tum Hispania ad nos ueh untur terra mariq; , partim per se, partim etiam idq; frequentius marina aqua aut alia quapiam muria conditi. Plantam eius in Germania enascentem nullam uidere hactenus mihi contigit.

DE PVNICA *malo, ac Punicis malis.* CAP. XV.

T.3.42.p.1037.



PVNICA malus, parua est arbor, Euonymo, quæ & Anonymus uocatur, magnitudine, cortice, ligni duricia, radicibus ac foliis similis, folia autem multò minora sunt, ac potius oleæ ęqualia, molliora tamen, obtusioraq;, longitudine sextantem, latitudine uerò digitum raro excedente, grauiter cũ fœtore aliquo odorata, atq; canum halitum, feliumq; urinæ graueolentiam aliquo modo referentia; aculeos in ramis fert oblongos ac subrectos. Flores fert duplicis differentiæ, hoc est steriles & fœcundos, hii à tergo oblonga capita annexa habent, hyosciami uasculis ęqualia ac similia, eaq; singuli singula, Græcis κύτινοι nominata, quæ secuturi fructus rudimenta sunt. Illi autem nihil huiusmodi obtinent, sed nudo latoq; calici insidens. Vtrisq; amplitudo rosæ æmula, stipata conferctaq; foliorum densitas. Colore ut plurimũ rutilo, ac inter sanguineum roseumq; medio, estq; hic aspectus iucũdissimus. reperiuntur etiã candidi, mixtiq; è rutilo & albo coloris. Roseorum autem maior inualuit in Medicina usus. Steriles flores cum ad iustam consistẽtiam peruenerint, sponte delabuntur, ideoq; Balaustiorum nomen apud medicos habent. Eos eligere oportet densis, rutilis roseoq; colore, foliis consertos, & sanguineo decore aquam inter macerandum coquendumq; tingentes, gustu uehementer adstringentes, qui uero pallidiores fuerint è Medicina excludendi. Non autem Balaustia tantùm decidunt, decidunt etiam fœcundorum florum capita, hoc est, fructuum rudimenta, quos antea Cytinos appellauimus, pluribus enim fœtibus grauata parens, alimentum omnibus largiri nequit, sed robustioribus tantum, imbecilliores autem præerepto à ualidioribus succo destituti à pediculo resoluti delabuntur, qui collecti propter insignem quam habent adstringendi uim, magnopere medicinam instruunt. At qui in arbore remanserũt, pugni magnitudine adolescũt, figura globosi, breuiq; pediculo ramis annexi, pythmene in summo lato, amplo ac dolii plerumq; instar concauo ac profundo. Cortice

uestiuntur

uestiuntur duro, crasso, subscabro, foris in obscura purpura subrusso, intus autem flauo, ac substantia, gustu & demigrandi facultate gallis simili, eo cōtinentur oblongi, angulosi, confercti acini, tenui carne, uinoso succo ac semine constantes, ad fauorum aliquam similitudinem dispositi, numerosis tenuissimisq; membranis distincti. differunt inter se acini colore ac sapore: quidam enim sunt rufi, quidam, in purpura candicant, quidam etiam cādicant tantum. Sapor aliis acetosus, aliis dulcis, aliis mixtus, omnibus tamen uinosus ac præcipuæ suauitatis. Semina acinis singula, cnico figura ac colore similia sunt, minora tamen, forisq; ligneo cortice, intus autem nucleo constant. Inuenitur etiam singulare quoddam huius mali genus, nullum in acinis semen continens, ob id ἀπύρινον Græcis dictum, quod rarissimè ad nos peruenit. Cortex priuatim ad Medicinam reponitur, Græcis σίδιον, Latinis Malicorium appellatur, qui nunc corrupto nomine passim in Pharmacopoliis Psidia & cortex psidiæ uocitatur. Eligito purum substantia flauum, intus nullo situ obsita cauitate: synceris, minimeq; corruptis aut putrefactis malis collectum. Colitur etiam in Germania Punica malus, magno studio curaq; custodienda, fructum tamen producere nequit, ob Cœli nostratis in hyeme rigorē: gaudet enim calidis regionibus, in quibus minimè seuit hyems. Prouenit etiam temperatis, ideoq; fœliciter etiam in Hispania, Italia ac Narbonensi Gallia fructificat. cum alias in Pœnis nascatur, unde etiam nomen inuenit.

DE PVNICA SYLVESTRI. CAP. XVI.

PVNICA syluestris, satiuæ per omnia similis est, incultior tamē, spinisq; horridior, cuius Balaustia ac Cytini in satiua punica natis efficaciora sunt. Nascitur in Aphrica ac in Hispania Herculeo freto uicina sponte, Regno hoc ob id Granati cognomento gaudente.

DE FICO ET FICVBVS. CAP. XVII.

FICVS fruticosa est arbor, magnitudine mediocris sambuci, caudice breui cōtortoq;, uirgas ac stolones ab eadē radice emittit plures, ceu geniculatas, crassitudinis diuersæ: cortice uestitur leui, tenui, simpliciq;: inferius in caudicibus cineraceo, superius uero in ramulis uiridi. Materia constat molli, infirma, rara, ampla intus cauitate, cuius inanē crassa fungosáq; medulla ad exemplū sambuci repletū est. Folia habet magna, crassa, lata, tam longitudine quam latitudine, nō rarò dodrantalia, in tres partes antrorsum spectantesq;, binis profundioribus incisuris diuisa, quarum media recta præ cæteris eminet, reliquæ duæ obliquè ad latera tenduntur, quę ui earum à tergo per medium hirsuto neruo dirimitur. iuxta pediculum utrinq; singulæ aliæ partes è prædictis duabus exeunt. Color foliis supernè uiridior, infernè pallidior, utrinq; scabricia quadam obsita sunt, inferius quidem mitiore, superius autem asperiore, præsertim cum uersus pediculum ea quis mulceat. Radicibus nititur multis, longis, firmis, lentis, euulsu distractuq; cōtumacibus, multis capillamētis fibratis, colore flauis, atq; rutæ radicibus per omnia similibus, maioribus tamen multo. abundant cortices & folia lacteo copiosoq; liquore, odore ac sapore ad rutam accedente, quemadmodum etiam reliquæ eius partes. Fructus omnis ferè urbana ficus bis producit, æstatis initio unum, autumno uerò alterum, utrosq; simul fouens, sed diuerso tempore perficiens. Flores, ut omnes hactenus tradiderūt, fert, sed statim parua fructuum rudimenta, quos grossulos aut grossos Latini uocant, piso aut fabæ æqualia, ea paulatim increscunt, donec piri mediocris figuram ac quantitatem consequantur, cum ad mediam magnitudinem peruenerint. intra se flores (quod fortasse mireris) concipit figura confercttis staminibus similes, colore in candido purpurascentes, undiq; è carne exeuntes, atq; ad mediam fructus cauitatem se

T.3.47.p.1050.



dirigentes, quibus singula minutaq́ꝫ succedũt semina, colore flaua, quodãmodo leniter compressa, milioq́ꝫ similia, unde etiam Cenchramides à Græcis dicuntur. Ipsæ ficus liquorem habent dum adolescunt lacteum & subacrem, qui maturescẽte fructu paulatim in dulcem excoquitur succum, ubi ad maturitatẽ peruenerint, cauitas eorum tota carne & semine repletur, carne primũ constant dura, in maturitate uerò molli gustu, dulci, odore propemodũ nullo. differũt inter se colore; quędam enim candicant, quædam rubent, quædam nigricant. Prætereo genera earum adhuc multa nobis nõdum uisa, ideóq́ꝫ potius silentio prætereunda, quam ex historia & relatione aliorum describenda, donec aliquando Christo adiuuante, & hæc ipsi conspexerimus. Afferuntur ad nos passarũ triplex discrimina. Primùm in spartheis magnisq́ꝫ corbibus. Secundum in similibus sportis, sed lauri foliis immixtum. Tertium in paruis turbinatisq́ꝫ è spartho contextis corbibus, Massiliensium cognomento, à prouincia in qua proueniunt dicta, magnitudine cæteris quidem inferiores, saporis uerò generositate superiores. Cœlum amat calidum, ac temperatum. Prouenit etiam frigidis regionibus, uerùm multa cura à frigoris iniuria uindicanda, ideo apud nos priorem fructum perficit tantum, alterum frigore præueniente.

DE CAPRIFICO. CAP. XVIII.

CAPRIFIcus syluestris est ficus, urbanæ per omnia similis, incultior tamen duriorq́ꝫ: grossos fert, quales urbana, sed nunquam maturescentes, liquore manat quàm satiua acriore, tam gustu quàm odore. Prouenit sponte in calidioribus regionibus, gaudet montanis, aut alioquin editis locis ac uetustis muris, quos insinuatis radicibus etiam disrumpit, ideoq́ꝫ copiosus eius est Romæ, ueterum in ædificiorum ruinis prouentus. Vbi equis etiam non ingratum pabulum uirgę ac frondes eius faciunt. At in Germania nulla penitus sponte exit, cum uix urbanam maximo studio cultam, alere queat, tam difficile est, peregrinas plantas alii quam suo cœlo assuefacere.

DE OLEA, *atq; Oliuis.* CAP. XIX.

OLEA inter nobilissimas arbores haudquaquam postremum locum obtinet, cum

T.3.51.p.1061.



cum tot modis non tantùm cibos, uerumetiam medicamenta instruat. Est autẽ proceritatis mediocris ceu mascula cornus. Cortex ramos uestit leuis, glaber ac flauus: folia profert numerosa, longitudine sextantalia, latitudine uerò semunciã plerumq; excedentia, utrinq; acuminata, nullis omnino incisuris serrata, nullisq; uenis conspicua, præterquam unico, per medium dorsi spinæ uice, transeunte neruo, tactu crassa, spissa & glabra. Colore, in uiridi flauescentia, supernè quam infernè pallidiora contra aliarum arborum naturam, tàm breui pediculo adnata, ut surculis ceu infixa appareant. Saporiis amarus atq; subacris, quemadmodum & cortici. Flores producit paruos, cãdidos, foliatos, aspectu muscosos & propemodum racemosos, qui non omnes ad frugem perueniunt in Europa, in iis uerò locis, quibus propria est hæc arbor, perueniunt, ideoq; congestæ eius baccæ confertas uuas æmulantur. Ipsi fructus, quos oliuas uocant, cum ad maturitatem peruenerint, mediocris atq; oblongi pruni, cum magnitudine, tum etiam figura spectantur, quantitas tamen diuersis generibus diuersa: quædam enim oliuæ unciam, quædam sesquiunciam excedunt. Colorem habent principio uiridem, mox flauum, postremò fuscum: constant autem carne, succo, semine. Caro primum dura est, in maturitate uerò mollis, succus pinguis & oleosus existit, atq; aliquid aquei sibi commixtum habet, quod autem pingue dulceq; in eo fuerit, oleum appellatur, quod uerò aqueũ ac amarum, amurca. Semen oblongum, lignosum, durũ, & utrinq; acuminatum, singulis oliuis singulum intra se candidum nucleum claudens, eiusdem figuræ, cuius ligneus cortex. Materia arbori æqualiter spissa, solida, crispa ac intorta, attamen tenera, gustu amarescẽs: colore, inter flauum ac spadiceum ferè medio, nõnunquam etiam maculis utriusq; coloris inuicẽ conuolutis conspersa, presertim cum ad iustã etatis consistentiam peruenerit. Radicibus nititur partim rectis, partim obliquis, in summo cespite coherentibus. Materia arboris modò solida: gaudet calidis regionibus, ideóq; in Syria, Grecia, Italia atq; Hispania feliciter prouenit. In Germania uerò, quamuis diligentissimè coletur, nihil preter florem producit, idq; in calidiori eius parte.

DE COLYMBADIBVS. CAP. XX.

COLYMbades, muria conditæ oliuæ sunt, ab innatando sic appellatæ, condiuntur tàm immature quàm maturescentes, afferuntur ad nos integre cum muria sua ex Italia, terrestri itinere, & Hispania per mare, arboris sue frondibus, ac Thymi manipulis mixtæ. Eligito solidas, æqualiter flauas, unciales ferè, nulla putredinis macula emollitas, superficiei extentæ, ac minimè rugosas, pediculis adhuc adherentes. Saporem habent amarum, subacrem, ac propter muriam, salsum, estq; hic nõ ingratus. Vsus eorum in sanitate cum assatis carnibus est, in delicatioribus Germaniæ Gentibus frequens.

DE OLEO EIVSQVE *differentijs, Amurca, & Fracibus* CAP. XXI.

OLEVM est succus Oliuarum, prçli ope expressus, substantia pinguis, gustu dulcis, eius ad nos tria perueniunt genera, Italicum & Hispanicum, utrumque ex maturis oliuis expressum, atque Omphacinum, hoc est acerbũ, ex immaturis baccis factum, affertur tàm ex Hispania quam Italia. Italicum frigore facilius densatur, aquosius enim est, colore cum concreuerit in flauo candidum, aspectu subasperum inæquale ac ueluti harenaceum, qualis consistentia à Germanis **Gritzelicht** uocatur: gustu dulce ac suaue. Hispanicum contrà siue ab Vlisibona allatum pinguius est, aspectu ac substantia æqualius, leuius, tenuius & acrius. Sapore primum dulci, postea uerò fauces aliquantulum sacrificante. Omphacinum quod Latini acerbum uocant, uiridius existit, gustuque adstringit mediocriter. Omni recẽti Oleo odor suauis, Hispanico tamẽ acrior paulo, Omphacino præter suauem quiddam acidi redolens. Contra inueterato cuiuscunque generis rancidus & nauseosus non tantùm odor, uerumetiam sapor. Atqui omne recens ac nuper expressum oleum, tria in se continet, oleum, amurcam & fraces, ut paulò ante relatum à nobis est, cũ Oleam describeremus. Fraces appellantur fundo insidentes feces, hæ fiunt ex comminuta baccarum carne simul expressa ac fundum petente, sapore subamaro ac subacri. Amurca est aquosus ille succus, ab oleo & fracibus recedens, supra fraces & infra oleum constitutus, tenuior quidem fracibus, ponderosior uerò oleo: ideoque medium inter utrumque locum occupat, ueluti inter aërem ac terrã aqua. Oleum postremò utrisque leuius existit propter aëream pinguemque substantiam, supremũ ex hiis locum obtinens, ac omnino similem qualem inter elementa aër. Porrò hactenus simplicis, natiui ac proprie nominati olei Historiam recensuimus, alibi facticiorum, & ad Medicinam compositorum oleorum rationem traditiuri.

DE CITRIO *altero.* [*Vide suprà, Lemma capitis 12.*] CAP. XXII.

EST etiam altera Citrius per omnia similis Citrio, Arangia mala ferenti: fructus gignit Arangiis similes & æquales, multo tamen gratiore, magisque fuluo colore, odore, Arangiis ignauiora multò: sola figura, soloque aspectu gestantium oculos inuitantes. Carne constant Citreis simili, gustu insuaui. Quinetiam in superficie infixorum dentium uestigia habere dicuntur, unde eis Adami pomorum nomen factum est, quo ab Italis cognoscuntur. Colitur & hæc arbor in Calabria, mihi nondum uisa, quapropter breuiter eam percurrimus.

DE LARICE, [*cuius elegantem picturam Matthiolus dedit.*] CAP. XXIII.

LARIX resinifera est arbor, caudice recto, procero atque Abieti æquali cortice crasso, scabro, fuscoque, ramis supra medium multis foliis capillatis, uillorum instar coaceruatis, longitudine sextantẽ, crassitudine uerò porcinas setas æquantibus, colore in uiridi pallidis, tactu mollibus, teneris, iuxta exortũ è singulis ueluti tuberculis, per interualla dispositis, exeuntibus, leniter odoratis, contra hyemẽ cõtumacibus, nec antèquam alia ueris initio succedant, defluentibus: quod ubi contigerit, non uniuersa simul, sed singula paulatim recedunt, aliis successiuè ab iisdem tuberculis prodeuntibus, dilapsorum uices occupaturis. Itaque non defluxisse folia, sed noui iuuentutis habitũ induisse uidentur: Conos, (qui fructus eius sunt) è ramulis profert paruos, oblongos & ouatos, longitudinis sesquiuncialis, Cupressi galbulis similes & æquales, tenuioribus tamẽ squamis compactiles, autumno maturescentes, semen singulis squamis geminũ tegitur, admodũ paruũ, Tedæ seminis figurã & quãtitatẽ referens, foris cinericeo cortice, intus autẽ candido nucleo cõstans, sapore dulci, & pineã nucem çmulante, seminibus annexç sunt singulç ceu alæ, apũ siue alterius cuiusdã insecti pennis similes, è dehiscẽtibus autumo conorũ squamis se exerẽtes, ipsa semina uento dispersa, ut diffusius & rarius spargãtur, uehere & impellere natæ.

natæ: squamis ex interiori parte binæ sunt cauitates, quarum conuexa subtus latitantia semina operiunt. Materia arboris est spissa, dura, colore spadicea, ueluti Cedro & Taxo, corruptioni ac teredinibus minimè opportuna, ideoq; seculis aliquot duraturis operibus & ędificiis dicata. Resinam fundit larix liquidam, nunquam durescentem, liquidi mellis consistentia, colore flauam, nonnunquam etiam uitream & transparentem, gustu plusquam amarescentem, mediocriter acrem, tenuem, & odoratam, quæ hodie non tantùm pro Terebinthina in usum recepta est, uerumetiam solo Terebinthinæ cognomento cognita, quamuis à quibusdam Italis etiam Largatum & Lachrymum, id est, lachryma appelletur. Nascitur in Alpibus Germaniæ, copiosissima autem circa Saltzburgum regionibus, & Silesiæ Morauiæq; montibus, in finibus Boiohemiæ.
* Lerchenbaum/unde Larigna resina est.

Larix. T.3.77.p.1119.

Oleaster Germanicus Cordi uidetur, aliqui Rhamnis adnumerant.



DE OLEASTRO Germanico. [Hic fortè etiam cognatus frutex aculeatus, qui circa Rhenū uersus Curiam copiosè nascitur, acinis è luteo rutilantibus, acidis: quem aliqui Rhamni speciem esse putant: cuius iconem de nostris addidimus. CAP. XXIIII.

OLEASTER Germanicus, arbor est non adeò procera: cum ad iustam magnitudinem peruenit, quatuor, quinq;, aut sex cubitorum altitudine, nōnunquam etiam procerior. Caudice aliquantulum intorto, ramis, surculis, corticis colore, aculeis, & toto propemodum habitu, syluestri Pruno, hoc est, Spino pruna fe-

renti similis. siquidem cortice uestitur foris colore spadiceo: aculeisq; armatur longis, sescuncialibus aut sextantalibus, colore ut plurimum cinericeis. Folia totis ramulis surculisq; adnascuntur oblonga, oleæ similia, minora tamen tenuioraq;, atq; breuissima, tenuissimaq; lanugine subtus canescentia, superius autem in uiridi cineracea, longitudine sesquiunciam, latitudine uerò tertiam digiti partem æquantia, sapore modicè adstringente, odore nullo. Flores totis ramulis adnascuntur quibus singulæ succedunt baccæ, Myrti baccis similes, paulo tamen maiores, oblongiores, multo tamen molliores, colore primum autumno, deinde cũ ad maturitatẽ peruenerint, tenui, glabra, fragiliq; cute & succo cõstantes. Succus autẽ triplicẽ misturam sortitus est: uidelicet oleũ, aquam & carnis parũ, qui è baccis expressus in tria medicamẽta, ceu oleæ succus seipsum diuidit. Caro enim fundũ uasculi petens, in fraces transit gustu adstringẽtes & acescentes. Aqua medium locum occupat, supra fraces, & infrà oleũ constituta, in amurcã conuertitur, consistentia tenuem, sapore ualdè acidam ac ipsum acetum æmulantem. Quod autem pingue in hoc succo est, propter leuitatem in summo amurcæ suæ supernatat, pinguedine nihil à uerò oleo distans: tenuius tamen, gustu pingue, subacidum & modicè adstringens, odore olei aceto commixti. Tota autem bacca digitis contrita, naribusq; admota propter acidam amurcam, magis quàm oleum acetum redolet: quæ uerò tota hyeme in arbore remanserint baccæ, si terantur, succum remittunt aspectu & colore † post imitantẽ. Odore aceti ueteriq; rancido oleo cõmixti, corrumpitur enim, putrescitq; gelicidiis in baccis oleum, ut odore tantùm ab amurcæ inesse cognoscatur. Semina baccis sunt singula parua, oblonga, utrinq; acuminata, pallenti tunicæ inuoluta: aspectu foris fusca, intus uerò candicantia. Radice arbor nititur multifida & diffusa. Materia eius à Spina, pruna agrestia ferẽti, sola mollitia differt. Frondes eius in cubiculum proiectæ mures alliciunt, præsertim siccatæ. Nascitur circa fluuios & amnes, solo lapidoso arenosoq;, copiosissima autem in Germania ad Lycum Vindeliciæ amnem, & ad Danubium ab eiusdem Lyci ostio, usq; ad Petreas fauces, per quas Danubius fluit, tribus millibus passuum suprà Kelheymium oppidum sitas.

† *Forte Pus uel Porst.*

DE TAMARISCO *Fœmina, [fœminam uocat eam speciem, quæ latioribus folijs est, medulla maiore, & ligno minus solido: Marem uerò, cui folia tenuiora, medulla minor, & lignum solidius: qualis apud nos, & Argentorati circa Rhenum nascitur. Fuchsius in libro iconum Tamaricem syluestrem fœminam pingit. Tragus non distinguit: figura tamen, quam ex eius libris exhibemus, illi quàm Fuchsius dedit, persimilis est.]*
CAP. XXV.

TAMARISCVS fœmina, masculæ Tamarisco, uirgarum figura, magnitudine, & colore per omnia similis est, foliis eiusdem instar in uiridi cineraceis, indiuiduis, paruis, oblongis & circa ramulos surculosq; totos undiq; frequentibus, ijsdemq; sursum uergentibus. Flores ueris medio circa quadrantales aut sextantalesq; graciles q; surculos fert, muscosos, exiles, numerosos, in quina ut plurimum acuminata foliola, stellæ figura dehiscẽtes, colore aut candidos, aut in candido purpurascentes. Radicibus nititur foris colore fuscis. Materia uirgis seu baculis à radice præcisis est, multo quàm masculæ rarior: amplaq; intus & fungosa, medulla inanis & laxa. Saporem cortices, folia & flores habet adstringentẽ, simulq; tenuem, & halitũ faciliori respiratione commendantẽ. Odorem siccatæ frondes iucundum exhalant. In summa tàm qualitatibus, quàm aspectu masculam Tamariscum immitatur. Nascitur secus rapidos & crebris inundationibus tumidos amnes, solo saxoso: copiosa autem circa Lycum & Vertachum Vindeliciæ amnes: præsertim Augustæ, & in ripa Danubii infra Lyci amnis ostium, porrò in omnibus hisce locis promiscuè cum Oleastro Germanico prouenit, quamuis humiliores, humidiores & magis lapidosos quam Oleaster natales amet. siquidẽ hic etiam longius à fluuiis solo editiore & tamen plano exit, altissimis inundationibus exposito.

DE

Tamariscus. T.3.5.p.955.



Pseudocrania.T.3.26.p.1003.



DE PSEVDOCRANIA, [*id est, falsa Corno. Quærendum an hæc sit arbuscula, seu frutex, quem à ligni duritia, Germani* Hartriegel *appellãt. Plinius Virgam sanguineam appellauit. Eruditi quidã Cornũ fœminam esse cõijciunt, (sed Cordus mox cap.30. aliam Cornum fœminam describit.) cuius iconem apposuimus.* CAP. XXVI.

PSEVDOcrania, arbor est quatuor, quinq; aut sex cubitorum altitudine, caudice distorto ut plurimum, crassiore quàm ut manu complecti queat, cortice uestita spadiceo, ramisq; pluribus brachiata. Folia habet subrotunda, ac interim in breuem mucronem desinentia, leuissimè per ambitum serrata, raròsesquiuncia latiora, figura inter Tiliam, Betulam ac Pirastrum media. Flores pôst ueris initium secus folia è surculis ramulisq; profert paruos, colore propemodum in herbaceo pallescentes, staminibus paucis breuibusq; stipatos: in medio flore exiguum & oblongum eminet secuturi fructus rudimentum, quod paulatim, relicto post se flore, in oblongam excrescit baccam, utrinq; modice turbinatam, & corni fructus modò ouatam magnitudine principio uiridẽ, in maturitate demũ Radice nititur multifida, quoquo uersus distracta. Nascitur in saxosis collibus inter petras, quales sunt supra Regensburgũ urbem (quam Ratisbonam uocant) in utraque Danubii ripa.

DE TRIFOLIA *arbore.* CAP. XXVII.



Trifolia arbor, octo aut decem cubitorũ altitudine adolescit, caudicem habet inferius subscabro, superius autem leui, ac in cinericeo subuiridi cortice uestitum, circa medium ramosum. Foliis plerumq; sextantalibus utrinq; acuminatis, minime per ambitũ serratis, atque in singulis pediculis ad Trifolii exemplum ternis. Flores post ueris principium producit, in dodrantalibus, gracilibus atque dependentibus pediculis numerosos, figura fabaceos seu papilionaceos, quales in omnibus leguminibus est uidere: colore luteos & genistę floribus similes. è quibus singulæ enascuntur siliquæ, longitudine quadrantales, sextantalésue, graciles, & in latitudinem aliquam compressæ, semine grauidæ: colore, figura, & magnitudine inter fœnogræcum & lenticulam medio, gustu subamaro, ac modice cum nausea quapiam adstringente. Transfertur à quibusdam propter florum decoram speciem in hortos: præsertim Oeniponti, & Francoforti ad Mœnum fluuium siti.

* *Cytisus quorundam: Laburnum Plinij, & Anagyris altera (maior) Matthioli.*

DE CYTISO ALBO *syluestri.* CAP. XXVIII.

Cytisus albus syluestris frutex est, plures ab una radice perennes emittẽs uirgas, longitudine cubitales, bicubitalésue, fractu aliquantulum cõtumaces, quibus totis folia adnascuntur numerosa, in singulis pediculis terna, à tergo breui admodũ ac pilosa lanugine canescentia, dorso elato, ab utraq; parte in mucronem desinente, carinam referentia: & uulgari alicui Trifolio similia, minora tamen. Gustu suauiter glutinosa & dulcescentia. Flores post ueris initium ab inferiore sui propemodum parte usque ad summitatem uirgarum, è foliorum alis producit oblongos, papilionaceos, longitudine sesquiunciales, Fabæ floribus similes, colore luteos, sapore immaturi cuiusdam leguminis, è quorum medio singulæ se proferunt,

Effigies hæc Cytisi est, qualis circa Scaphusiam in collibus nuper à nobis repertus est.



ferunt siliculę, principio hirtæ & incanæ, ęstate maturescentes, longitudine ut plurimum sextantales, angusteque. Semine intus grauidæ, media ferè inter Fœnograæcum & Lenticulam figura & magnitudine, gustu uiciæ semen imitante. Radice nititur lignosa, multifida, lōga & quia frutex est, perenni. Nascitur montanis locis inter petras & arbusta, iisdemq; nō nimium opacis aut umbrosis sed potius apricis, copiosè autem Ratisbonæ ad Danubium sitis collibus, & præsertim eo monte qui Castein ab incolis nominatur, inter urbem ipsam & Stauffam Danubio imminens oppidum, ad sinistrā iacente.

DE PSEVDOCYTISO, *siue nigro & maiore Cytiso.* CAP. XXIX.

PSEVDOCYTISVS, siue niger Cytisus, prædicto similis est aspectu, magnitudine & foliis, hoc tamen differt quod magis in rectum adolescat, ramulosq; potius surculosos, quàm uirgas è caudice proferat: ligno etiam constat fragiliori, cortice & foliis nigrioribus, nec ita in carinæ figuram elato eorum dorso. Gustu minus glutinoso, floribus quidem luteis, sed breuioribus, & fusco in siliquis semine. Nascitur iisdem quibus albus locis. Tubingæ autem in Vuirtembergensi Sueuia, solus absq; albo prouenit.

DE CORNO FOEMINA. [*Vide suprà, lemma capitis 26. Corni simpliciter, maris nimirum, icon hæc est è Tragi libris.*] CAP. XXX.

CORNVS fœmina, masculæ Corno per omnia similis est: distat tamen ab hac, caudice minus procero, minusq; recto: flore racemoso quidem, sed

minore, colore in uiridi pallido, seriusq́ erumpente: baccis austerioribus, & materia minus spissa.

Cornus est arbor durißimo ligno, Germanicè Cornlebaum/ *&* Hornkirsche/ *&* Welscher kirschenbaum. *Nascitur in Hercynia copiosè propè Stolbergam.*

Cornus T.3.37.p.1024.



DE COTONEA MALO *syluestri.* CAP. XXXI.

COTONEA malus syluestris, satiuæ per omnia similis existit, à qua ramis distat minoribus tantũ, caudice assurgit magis recto, iuxta terram minus fruticoso, sed singulari frequentius: eadem numerosioribus scatet floribus, & largius fructificat. Fructus sero perficit, qui etiam satiuæ fructibus multo sunt minores, Nascitur ad radices montium & collium, frequenter etiam inter petras, atque in uinearum sepibus, copiosissimè autem supra Ratisbonam & supra Kelheymium oppidum, petræis faucibus, in utraq; Danubii ripa.

DE THYMELAEA *minore.* CAP. XXXII.

THYMELAEA minor, paruulus est frutex, plures ab una radice emittens uirgas, longitudine pedales aut dodrantales per terram stratas, lentas, flexiles,

&

Thymelæa minor.



& distractu contumaces, foliis numerosis, undiqꝫ uestitis, figura oblongis, utrinqꝫ acuminatis, crassiusculis, superius uiridibus, inferius pallidioribus, Oleæ Myrthiqꝫ foliis multo minoribus, ac potius fruticoso Polio similibus, paulo tamē maioribus, gustu glutinosis. Flores, sole Taurū occupāte, producit in summis uirgis oblongos, inferius angustos, superius in quaterna folia parua se pandētes, è purpura in puniceū atqꝫ candicantem colorē uergentes, densos, confertos, & ab uno principio se in corymbos diffundentes, suauiter odoratos, & mellis aliquē odorem redolentes, diuqꝫ durantes, quibus coronarii utuntur. Floribus singulæ succedunt Radice nititur longa, candicante, neruosa, lenta, flexili, infragili, & perenni: gustu ad aliquot horas fauces & palatum Coccognidii modo excalefaciente & scarificante. Nascitur frutetosis & muscosis, tam planis quam editis locis, nonnunquam etiam sub Iuniperis. copiosa autem circa Vindelicorum Augustam & Ratisbonam.

DE GENISTA *angulosa.* [*Tragus Chamæspartium nominat. Foliorum in descriptione meminit, quæ icon non repræsentat.*] CAP. XXXIII.

GENISTA angulosa, frutex est, cuius rami in plurimas uirgas diuidūtur, longitudine cubitales, gracilitate iunceas, angulosas, egregiè uirenti cortice uestitas, erectas, lentas, flexiles, distractu difficiles, & scoparum modo in densam congeriem stipatas, in quibus folia sunt parua, oblonga, utrinqꝫ acuminata, rutæ foliis æqualia, & in singulis ferè exortibus terna. Flores medio uere, cū humidior annus fuerit, totas uirgas uestiunt, Papilionum aut Pisi florū figura, colore egregiè lutei, magnitudine unciales. è quibus singulæ excrescunt siliculæ, principio leniter hirtæ, cum ad iustam magnitudinem adoleuerint, ut plurimum sextantales, in latitudinē aliquam compressæ, colore nigricantes, intra se semen claudentes lenticulæ similes, minus tamen, colore flauum, consistentia mediocriter durum. Radice nititur multi-

Genista angulosa. T.2.7.p.602.



fida, neruosa, lenta, flexili & infragili, colore lutea. Totus frutex grauiter Sambuci propemodũ instar olet. Saporẽ caudicis ramulorumq́ue cortex, folia, uirgæ, flores, semina & radices habent amarum, ac reliquorum purgantium medicamentorũ modo nauseabundum. Folia autumni exitu amittit, uirgis tota hyeme inter niues grato aspectu uirentibus. Nascitur montanis, asperis locis, solo denso, rubricoso, simulq́ue arenoso, ut in Hessia, Sorlandia: nec non planis campis in mera arena & sabulo, ueluti in toto Nurenbergẽsi agro, pręsertim circa Lauffam oppidum. Porrò silentio prætereundum non est, hunc fruticem in arenosis campis humilem esse, & duos cubitos rarissimè excedere: in montibus uerò, ubi densius & asperius solum nactus fuerit, arborescere: caudice, qui manu amplecti nequeat, quinq; & sex cubitorum proceritate, atq; tam densis stipari uirgis, ut quantumuis profundas niues sustineat, nec patiatur temerè ad radices usq; eas delabi: adeò ut liberam uiam & transitum syluæ eius, niueos fornices subeuntibus prębeant uiatoribus: maximè autem in Sorlandiæ montibus, quibus mirum *inmodum scatet, & abundat hæc Genista.

* Ginster zu Stegen. pabulum optimum pro ouibus.

DE GENISTA IVNCEA. CAP. XXXIIII.


GENISTA iuncea, angulosæ & proximè descriptæ, ramulis, uirgarum rectitudine & uiriditate similis est, tenerior tamen in uniuersum, minimè angulosis, sed teretibus, glabris uenosisq́ue uirgis, foris lento, neruoso, flexili & uirenti cortice: intus autem inani, fungoso candidoq́ue habitu, leuem iuncum per omnia referentibus: folia, tenerę tantùm & nuper enatæ uirgæ habent angusta, utrinque acuminata, longitudine uncialia, numero pauca, ex interuallo plerumq; singula, non ut angulosa, in unoquoque exortu, terna: annuæ uerò & uetustiores uirgæ ramulique, foliis omnino carent, eo tantum loco excepto, quo tenera emittunt germina. Flores quibus singulę succedunt siliquæ prædictæ longiores quidem, sed paulò angustiores, quadrantem ut plurimum longitudine ęquantes, semine intus Angulosę simile & æquale. Radicem habet cuius cortex, quemadmodum etiam caudicis & ramorum, gustu Angulosam genistam æmulantur. quin & huius semen gustu, & qualitates illius imitatur, omnes tamen eius partes remissiores sunt tam odore, quam sapore. at extremæ uirgę & nouella germina nihil graue, nihil nauseosum, nihilq; amarũ olent aut resipiunt, præterquam herbaceam & insipidam Iunci qualitatem. Nascitur

Seritur

Seritur apud nos à quibusdam in hortis, quemadmodum & in Italiæ aliquot locis, ſpectandi tantùm gratia.

* *Sparthum Hiſpanicum.*

Geniſta Iuncea.



DE LYCOSTAPHILO MASCVLA. [*De fœmina leges ſuprà, Cap. 3. huius libri, ubi & Iconem inuenies.* CAP. XXXV.

LYCOSTAPhilus maſcula, arbor eſt fruticoſa, multis circa caudicem ſtolonibus, quinq; aut ſex cubitorũ altitudine aſſurgens, caudice brachiali craſſitudine, ramoſoq; uirgæ & ſurculi ex interuallo ramulis enaſcuntur gemini: alterno poſitu cruciformem habitum referentes, eum in modum diſpoſiti, ut bini ſemper in ſingulo exortu ſibi aduerſentur. Folia habet quatuor aut quinque ut plurimum, unciarum latitudine, uitigineis propemodum ſimilia, in tres partes minoribus inciſuris ſerratas diſſecta, tactu mollia. Flores in extremis ſurculis, ſole geminos intrante, ſe proferunt numeroſi, conferti, latam, denſam & corymbaceam umbellam conſtituentes, quinis ſubrotundis foliolis compoſiti, nullis in medio prorſus ſtaminibus, aut ſtaminum ſiue ueſtigijs, ſiue rudimentis, inſignes. Colore candidiſſimi, nullo odore, ſed ſolo candore commendabiles, & nullam ſecuturi fructus ſpem promittentes. Materia arboris eſt rara, fragilis, grandi intus ac inani fungoſaque medulla peruia, ueluti Sambucus & Ficus. In ſumma tota arbor, radice, caudice, ramis, ſurculorum ordine, foliis, floribus, materia, corticiſque odore, & ſapore, Ly

costaphilo fœminæ, hoc est, fructiferæ similis existit, præterquam quòd masculæ flores, nulla in medio, ut fœmina, staminum uice foliola habeant. Masculæ præterea nullum fructum deprehendere potuimus, cùm fœmina etiam hyeme puniceis baccis suis gratum inter niues spectaculum præbeat. Nascitur iisdem, quibus fœmina, locis: sed in Germania parcius, ideóque in hortos propter florum elegantiam transfertur, præsertim Augustæ Vindelicorum, Ratisbonę, ac Nurenbergę.

* *Videtur esse* Schwelcken.

DE ANAGYRI. [*Tragi hæc est Faba inuersa, uel ut alij nominare malunt, fœtida. Germanicè* Baumbonen. *Qui plenius pictam Anagyrin requirit, à Matthiolo petat.* CAP. XXXVI.

Anagyris. T.2.14.p.619.



ANAGYris parua est arbuscula, caudice singulari, rimoso cortice, scabritiem quandam referente, qui in uirgas diuiditur rectas, teretes, flexiles, & fractu contumaces, duplici alterno, alatóque ordine germina ac surculos ita emittentes, ut alterius ordinis surculi oppositorũ germinũ spaciis ex aduerso innitantur. Folia habet partim oleę partim Vitici similia, latiora tamen paulò, et Oleæ foliis molliora, utrinque acuminata, supernè uiridia, infernè in cinericeo canescentia, longitudine sesquiuncialia, nonnunquam etiam promissiora, & in singulis pediculis terna. Quòd autẽ inter ea medium locum occupat, aliis duobus cum longius, tum etiam latius existit. In summa, Trifolii alicuius folia imitatur. Flores quibus succedunt siliquæ, semina intra claudentes renibus, aut Smilacis satiuæ seminibus similia, minora tamen, breuioráque, & ad minorum fabarum tam figuram quàm magnitudinem propius accedentia, superficie glabra, colore inter se diuersa, quædam enim, arbusculæ purpureos, quædam liuentes, aliæ in cinericeo pallidos, fœtus excludunt: omnibus in maturitate ossea est soliditas, ac dentibus propemodum inuicta duricies, quam non tantùm in cortice, uerùm etiam in flaua intus carne obtinent. Radice nititur recta, descendente, plures fibras in obliquum emittente, flexili lentore uirgas æmulante. Fœtorem contrectata manibus, cortices, germina & folia, ædunt fœdum, nauseabundum, Xyridis maioris graueolentiæ non dissimilem. Saporem eædem partes habent ceu pratense aliquod Trifolium, interim tamen ingratum, semina uerò commanducata

* *Faba fœtida.* Baumbohnen *Tragi.*

FINIS LIBRI III.

VAL. CORDI PLANTARUM HISTORIÆ, LIBER IIII, IN QUO LIGNORVM, CORTICVM, ET FRVCTUUM PEREGRINORUM: ITEM PEREGRINARUM RADICUM & LACHRYMARUM DESCRIPTIONES HABENTUR.

Quidquid Thuriferis procul Sabæis,
Eoisq; rates uehunt ab oris,
Maurorumq; dat ampla, uasta tellus,
Atq; ex occiduis refertur Indis,
Descriptum modica probè papyro,
Iste paruulus exhibet libellus.

DE GVAIACO, *fortè Trogete, seu Thuia, seu Citro.* CAP. I.



GVAIACVM, lignum est proceræ arboris ex Hispaniola insula, ante quinquaginta annos primum ad nos allatum: cuius non unum genus esse multi arbitrantur: optimum autem ex sequenti descriptione cognoscitur. Caudex huius arboris ab incolis in truncos serra inciditur, cuius diameter plerumq; dodrantis aut pedis longitudinem habet, cortice uestitur in candido cinereo: quo detracto, materiæ superficies pallida spectatur, pollicari profunditate. quæ uero intra hunc annulum clauditur nigrior materia, solida est, non unum habens colorem. nigricat enim quædã, quędam etiam in spadiceo colore flauescit, quædam præterea omnes istos colores discretos habet. quare in plura genera hoc lignum ab aliquibus diuiditur: eligendum tamen est quod ruffum, spadiceum, flauum, liuidumq;, colores simul mixtos habeat. Pectines, quibus in longitudinem findi possit, non habet, sed admodum breues, in rectum, obliquum, transuersumq; diuulsos reuersosq;, quos Germani lignarii fabri Widerburstige schlissen uocant, densa item, compactaq; est materia, quapropter torno leuigata, polito marmori, uel cornu similis est, & aquæ iniecta quamprimùm fundum petit. Radice aut trunco eius inferiori nihil crispius, cum torto ac sinuoso uillorũ discursu, cuiusuis aceris tuber prouocet, ac etiã superet. Saporẽ habet modice amarũ in dulci, leni & mordicante acrimonia adiuncta.

DE PRESILIO. CAP. II.

PRESILIVM lignum, aliquam in materia cum Acere habet similitudinē, colore tamen rubet: inuenitur etiam in ruffo candicans, sed prædictum melius est: crassitudine Guaiaco æquiparatur, pectines habet rectos, ideoq; facilè finditur, scobina asperiore in assulas redigitur, quæ in liquorem, quo decoquuntur, rubedinem suam deponunt, tinctoribus expetitam, scribendis etiam rubentibus literis aptam. Eligito materiam eius ruberrimam, decorticata ad nos affertur, ut pluuias uel alias ex industria affusas aquas facilius inbibere possit: hoc enim pacto id quod pallidius est, floridiorem acquirit colorem: quidam etiam lixiuio humectant, facilè deprehenditur, purpurascit enim in superficie, intusq; remanente pallore. Saporē habet modicè dulcem.

DE PRESILIO *citrino, id est, Bugia.* CAP. III.

PRESILIVM citrinum, longi sunt baculi, crassitudine qua ferè manum impleant, rectis per longitudinem descendentibus pectinibus. Colorem habet flauum uel citrinum, dolabris in tenues & fasciis similes assulas scinditur, quæ in aqua decoctæ, luteum uel citrinum remittunt colorem, quo fullones tingendis lanis & pannis utuntur, in gustu ferè nulla qualitate linguam afficit.

DE SANDALO *rubeo, id est, Loto arbore.* CAP. IIII.

SANDALVM rubeum, peregrinæ & in Aphrica Indiaq; nascentis arboris materia est, crassitudine & pectinibus rubenti præsilio similis, colore multo rubentiore & ad nigredinem accedente: huius etiam solidior, & propterea ponderosior est quam illius materia, ideoq; aqua iniecta quamprimum fundum petit. Saporem habet dulcescentem adstringentemq; leniter: odorem uerò nullum fatu dignum, tingit hoc etiam quemadmodum presilium, sed gratior profundiorq; huius est quam presilij color. Decorticatum affertur.

DE SANDALO CITRINO. CAP. V.

QVOD uerò Citrinum appellatur sandalum, diuersum penitus à ruffo mihi esse uidetur, nam gracilius quàm illud est, & dissimili constat materia & qualitatibus, sine cortice ad nos affertur, forisq; pallidius est, intus uerò solido, ponderoso, pingui, et si aquę imponatur, fundum petente, leni, tenuissimo, nullamq; medullam habente, ligno constat: sapore acri, aromatico, per totum os se diffundente, & ad caput usq; penetrãte: colore in flauo rubescente. Odorē habet quemadmodū & saporem aromaticum, iucundum, fortemq;, qui facillimè caput tentet & repleat.

DE ALBO SANDALO. CAP. VI.

EST & tertium sandalum, quod quidam album uocant, sed reuera nullam habet in colore, qua à citrino dignoscatur, differentiam: inuenitur enim quod magis flauo & profundiore sit colore quam antea descriptum citrinum. Quapropter hac nota non est à prædicto discernendum, sed tantum odore & sapore, hos enim ualde imbecilles, uix perceptiles, & citrino dissimiles habet, magnitudine uerò & materia illi omnino simile est, & similiter decorticatum ad nos affertur.

DE AGALOCHO, *id est, Xyloaloe solida & ponderosa.* CAP. VII.

AGALOCHVM in plures species ab authoribus, præsertim recentioribus diuiditur: quo uerò passim utimur, lignum est duum triumúe digitorum crassitudine densum, ponderosum: & aquæ iniectum, fundum petens, pingue, nodosum, pectinibus nō adeò rectis, sed interdum in tuber inuolutis, colore uarium, maculosumq;,

culosumque, nigris, fuscis, & flauis distinctum uenis, gustu acre, amarum & aromaticum: odore, dum prunis imponitur, grato & iucundo: prunarum calore pinguem, rubentemque remittens liquorem, et spumę modo paruas agentem bullas: affertur & hoc decorticatũ sandalorum modo. Nascitur in India & Arabia. Quidam hoc Agallochũ, lignum Rhodium siue Rhodisium appellant, & Aspalathum esse affirmant, ut Suessionensis ille Ruellius, sed errat plurimùm, uir alioquin doctissimus, & multæ lectionis: sunt etiam qui hoc Oleastri lignum esse credant.

DE TARO, *id est, Xyloaloe fissili, leui, & aromatica.* CAP. VIII.

TARVM uerò, quamuis Agalochi species sit, & ab Aëtio Xyloaloë appelletur, diuersum tamen penitus à prædicto Agalocho existit. Crassiore siquidem multò est trunco, ut uix utraque manu amplecti possit: materiam, & rectos gracilesque pectines instar fichtę habet, quapropter facilè in parua etiã frusta finditur: colore uerò ab abiete multũ differt: fuscũ enim in cinereo existit. Et ut plurimũ maculosum, præsertim si per transuersum incidatur, partim enim fuscis, partimque cæsiis uenis distinguitur, optimum erit in quo nigredo superet: pondere etiam prędicto multò leuius est, nec aquæ iniectum submergitur, nisi multis in ea diebus maduerit. Saporem habet aromaticum, per totum os, ob partium tenuitatem se diffundentem: odorem uerò siue tritu siue prunis impositum, suauissimum: qui à gustato etiam ad cerebrum ascendat.

DE TARO CRISPO. CAP. IX.

AFFERTVR & aliud ex India Tarum, prædicto simillimum, leniter sinuosis pectinibus, fluctuanti aceris tuberi simile, colore pallidius, materia rarius, odore & sapore imbecillius multò: uidetur tamen ex eadem arbore desumptum esse, atque à radice potius quàm caudice (nam radices arborum Crispiores plerumque sunt quàm ipsi caudices.)

DE CINAMOMO CHARACIO, *id est, usuali.* CAP. X.

CINAMOMVM characium, quod nunc ubique simpliciter cinamomum siue canella uocatur, cortex est rectus, longitudine cubiti aut maiore fistulæ, aut cannalis modo concauus, colore in fusco rubescens, cuius crassiores & inferiores partes, alio cinereo, tenui & scabriore cortice uestiuntur, qui, quoniam inutilis penitus existit, deraditur: baculi autem arboris, à quibus deglubitur, pollicis aut digiti crassitudine sunt. Saporem habet ualde acrem, nõ cum molestia pungentem, sed iucundũ, & supra omnia aromata, suaui acrimonia linguam titillantem. Odorem item suauissimum, siue gustetur, siue alias tritum, aut confractum naribus admoueatur, spirat. Optima autem est interiora corticis pars tenera, & in longum fissilis: exterior enim scabrior existit, & remissiori acrimonia, eaque simul adstringente constat. quod uerò cortice continetur, lignum inutile est, ideoque ab incolis, ubi nascitur, abiicitur.

DE CASIA AROMATICA. CAP. XI.

CASIAE, apud ueteres multa, quemadmodum etiam cinamomi, genera cognita fuerunt, quæ multis seculis iam delituerunt: iam uerò tria rursus afferri cœperunt. Est autem quodlibet horum cinamomo similis frutex aut arbuscula, quatuor plerumque, aut quinque cubitorum altitudine, rectis caudicibus & ramis adolescens, duorum pollicium, aut unius crassitudine; superiores uerò ramuli graciliores sunt. Folia habet densa, laurinis similia, multò tamen maiora, ad Citri potius folia accedentia, utrinque fastigiata, ternas indiuiduasque uenas per longitudinem transeuntes habentia, quarum media crassior rectáque est, reli-

quæ duę leniter curuãtur,& in arcũ sinuantur,eę à tergo eminent, & euidentiores sunt quam intus. Fructus fert laurinis baccis similes,minores tamen & rubentes, calicibus,seu capulis glandium modo insidentes,qui rarissimè afferuntur. Cortices uerò eius qui iam afferũtur,longitudine cinamomo characio similes sunt, crassiores tamen & nigriores,præsertim duo priores: quorum unus saporem habet acrem & aromaticum,ueluti si quis cinamomum,galangam & Caryophyllos æquis portionibus misceat, modicè insuper glutinosum: alter uerò paulo remissiorẽ, glutinosum in gustu lentorem instar symphyti,reddens. Tertia species gracilior existit,colore & forma ad cinamomũ accedẽs, cui etiam saporem similem habet,sed remissiore acrimonia & glutinoso lentore leniter adstringentem. Quæ uerò passim iam in omnibus pharmacopoliis habetur,appellata Cassia lignea,adulterina est, & à pręscriptis diuersa penitus:radicis enim cuiusdã cortex existit,nullum fatu dignum saporem,præter adstringentem,habens. Nascuntur uerò omnes Cinamomi & Cassiæ species partim in India, partim etiam in felici & odorifera Arabia.

DE XYLOBALSAMO. CAP. XII.

LIGNVM quod nostra ętate Xylobalsami nomine affertur,tenues gracilesq́ uirgæ sunt, cubiti longitudine,aut maiores ex uno caudice,minimi digiti crassitudine enascentes,in plures surculos diuisæ,tenui & cinereo cortice uestitæ,gustu lenem & aromaticam acrimoniam resipientes , odore non admodum uehementi, qui dum teritur,uix percipi potest.

DE NASCAPHTHO, *id est,Thymiamate.* CAP. XIII.

NASCAPHTHVM quod hodie Thimiama,& Storax rubea in pharmacopoliis uocatur,crassi corticis fragmẽta sunt,colore in ruffo nigricantia,quę sola per se aut cum aliis quibusdam ad odores uaporantur:habetq́ acrem,nec iniucundum in suffitu odorem, gustu nullam ferè qualitatem præ se fert præter siccantem:estq́ huius rei causa,quòd nimis inueteratum ad nos afferatur.


DE NVCE INDICA. CAP. XIIII.

NVX Indica grandis, ouatus & triquetrus est fructus:humani capitis plerunq́ magnitudine,duplici cortice, nucleoq́ constans. exterior cortex crassus, carnosus, & neruosis uenis per carnẽ in longitudinẽ transeuntibus,plenus est, quo detracto alter subest solidus, lignosusq́ cortex, oblongã & paulo minus quã globosam speciẽ referens. Colore propemodũ spadiceus,superficie modicè rugosus,obtusiore capite, rotundo foramine peruius, circa quod duæ aliæ paruæ cauernæ sunt impressæ,his tribus foraminibus faciei aliquam formam æmulatur, ita ut cauernæ oculorum & superciliorum uicem, peruium uerò foramen oris impleat:in altero capite tres eminentiores anguli,in unum angulum desinunt. Nucleus lignoso hoc putamine continetur,totam eius cauitatem proportionaliter explens , cum recens est: siccatus uerò in cõcusso cortice uacillat & mouetur. Color ei est in rugosa superficie fuscus,intus uero candidus,substantiam habet mediocriter cartilaginosam, pinguẽ & oleosam, recens gustu dulcem,& butyro non salito similem, inueteratus uerò simul rancidam. Habet hic intus cauitatem, qua maturus , & nuper decerpto fructu exemptus,aquam cõtinet gustu dulcem,quę successu temporis exiccatur:ideoq́ ad nos allatæ inanem habent cauitatem ,propter quam multum nucleo decedit:nam is incisus , qui concauus est, uix minimi digiti crassitudine cernitur , qui cum sicca est, una cum lignoso & integro cortice bilanci impositus, ut plurimum duodecim, tredecim aut quatuordecim uncias pendet:affertur ex India, detracto plerumq́ exteriori cortice,cuius neruosę uenę torquendis funibus aptę sunt. Ligneus autem, et nucleo proximus cortex,argento exceptus,& ornatus poculorum uice,in conuiuia recipitur. Durat aliquot annis propter nuclei soliditatem.

Nux Indica.







DE CVCI, *id est, Nuce Indica minore.* CAP. XV.

NVX Indica minor, quam Theophrastus Cuci appellat, iam descriptæ similis est, multò tamen minor: totus enim fructus tres aut quatuor uncias longitudine rarò excedit, idē superius latior est, quam inferius, ubi pediculo adnascitur, figura triquetrus, foris carnoso uenosoq; cortice, intus lignoso cōstans, quo nucleus cōtinetur oblongus in summo quam imo latior, utriusq; corticis modo triquetrus, unus tamen angulus harum partium acutus est: reliqui duo obtusi ac teretes, color nucleo est in superficie fuscus, intus candidus, habet etiam in medio cauitatem proportione toti fructui respondentem, aquoso humore plenum, paulatim cum exiccatur euanescentem. Substantia nucleus constat primum cartilaginosa, pauloq; duriore quam maior Indica nux, sed cum inueteratus fuerit, cornu soliditate ęqua, qui pluribus diebus in calida aqua maceratus teneræ cartilaginis duriciem acquirit. Saporem habet, quemadmodum & odorem subrancidum, uelut maior.

DE NVCE *moschata mascula uel maiore.* CAP. XVI.

NVX moschata mascula, colore rugoso habitu, intusq; uersicolore uenarum discursu, nuci moschatæ similis est, maior tamen, oblongiorq;, figura atque

magnitudine ferè ad uulgares palmulas accedit, cuius pericarpium, quale sit, nobis nondum constat. Saporem habet subacrem, aliquantulum tenuem & aromaticum, ideoq; contra difficiles partus eam assumunt Venetæ mulieres. Affertur ex India, non tamen copiosè, sed rarò, cum reliquis aromatibus, præsertim nucibus moschatis, casu quodam iis mixtæ.

DE NVCE MOSCHATA. CAP. XVII.

NVX Moschata insignis est fructus, qui totus, cum ad iustum incrementum peruenerit iuglandis, uiride, carnosumq; putamen adhuc habentis, magnitudine cernitur, triplici, cortice, nucleoq; compositus: exterior cortex carnosa consistẽtia ac crassitudine uirenti iuglandium putamini similis est, cui subest alter tenuior, non continuus, sed in partes sectus, colore in flauo rubescens, qui singulari proprioq; nomine olim macer, nunc uerò macis appellatur. Eo detracto apparet tertius colore in fusco purpureus, aut ruffus, substantia lignosus nec admodum crassus: intra se nucleum cõtinens subrotundum, oblongum, longitudine uncialem, superficie rugosum, colore cinereum, intus spadiceis candicãtibus, discurrentibus intortisq; uenis uersicolorem, substantia subpinguem, cum pungitur, rubentem oleosumque liquorem è plaga emittentem, in contundendo fragilem. Saporem habet quemadmodum & odorem tenuem, suauiter acrem, iucundum, ualdè aromaticum & adstringentẽ, qui nux moschata uocatur, & decorticatus ex India affertur. Afferuntur etiam integri fructus melle conditi, quos nuper cœperũt adulterare, eius singulis nucleis, uiridi iuglandiũ putamini diuiso, impositis, & rursus composito, qui dolus facilè deprehenditur, mollicia, sapore, & qua diuisa erant commissura. Carnosus enim moschatæ nucis cortex iucundum habet saporem, solidioremq; cõsistentiam, iuglandis uerò austeriorem, & molliorem. Similiter quoq; excipiuntur Limonum & Chebulorum (quos sic uocant,) conditorum carne, sed hic dolus commissuris deprehendendus est, quoniam condita eorum caro, gustu ferè nihil à nucis moschatæ carnoso putamine differt. Medius autem cortex, quem macem uocamus, saporem & odorem habet nucleorum Tedæ pingui commixtorum, ideoq; amariusculus est, magisq; caput tentat. Lignosus postremò cortex, gustu insipidus existit. Eligito nucleos maiores, ponderosiores, solidiores, intus spadicei coloris plurimum, candicantis autem ac pallidi minimum habentes, & copiosiorem tenuioremq; liquorem è plaga remittentes.

DE MACE, *id est, medio Nucis moschatæ cortice.* CAP. XVIII.

DE Mace, seu ut ueteres uocant, Macere, iam in Nucis moschatę descriptione, ceu de parte eius diximus, quare denuo de ipso uerba facere opus nõ esset, sed cum singulari nomine appelletur, ac separatim per se solum, ceu sui generis medicamentum ex India afferatur, atq; reponatur, non malè me facturum existimo, si proprium ei & peculiare caput tribuero. Est igitur Macis seu Macer nequaquam exterior, ut hactenus nobis traditum est, sed medius nucis moschatæ cortex, inferius ubi pediculo proximus fuit, coniunctus, reliqua sui parte diuisus & inæqualiter dissectus, colore in flauo rubescens, non adeò crassus, substantia ferè cartilagineus, friabilis, & subpinguis cum pungitur, moschatæ nuci similem liquorem è plaga fundens. Odorem & saporem habet nucis moschatę paucę pinguiq; Tedę commixtę. Eligendum est integrum crassissimum, fuluum seu rubentius, copiosiorem liquorẽ ex impressa plaga fundens, pinguissimum atq; ponderosissimum.

DE FAVFELE, *id est, auellana Indica.* CAP. XXIX.

FAVFEL, quod Arabum Medicorum interpretes, Indicam auellanam nominant, longitudinis uncialis fructus est, inferius sublata basi, turbinata cauernu-

cauernula, modicè concauus, superius teretis coni figura in mucronem desinens, qui supra mensam basi collocatus, cauitatem tegit, erectæ pyramidis figuram imitans, foris cinereo aut subfusco colore, tenuibusque rugis, intus uersicolore uenarum discursu, nuci moschatæ similis. Saporem habet mediocriter adstringentem, odorem uerò nullum fatu dignum. Affertur ex India, sed rarissimè, nec nisi casu aliquo cum aliis aromatis, præsertim Zingibere. Eligito maximos, ponderosissimos & gustu uehementius adstringentes.

DE NVCE STYRACINA. CAP. XX.

A. Styracis fructus, uidetur fractus. B. Granum quoddam ruffum, quod apud pharmacopolas cum Styrace calamite inuenitur. C. fructus quidam cum Styrace rub. apud pharmacopolas.



NVX Styracina globosæ figuræ fructus est, mediocris auellanæ magnitudine, duplici cortice nucleoque constans, exterior cortex carnosa substantia & in uiridi cæsio colore, supremum amygdalę putamen refert, is in maturitate tribus rimis in tres partes dehiscit: alterum lignosum, durum, flauum, aut subruffum corticē ostendens, quo continetur nucleus pinguis, oleosus, gustu acris, odoratus & resinosæ Styracis qualitatibus respondens, sed multo acrior, & fauces scarificans: affertur ex Asia minore frequenter unà cum Styrace. Eligendæ sunt maturæ, recentes, rubescentes & minus rancidæ, uetustate enim nuclei rancorem contrahunt propter oleosam substantiam.

DE NVCE VOMICA. CAP. XXI.

NVX uomica, qua hodie utimur, fructus planus, compressus, orbiculatus, latitudine uncialis, crassitudine sextam unciæ partem non excedens: superficie, in cæsio candida, ad inclinationes splendente: tactuque propemodum holoserici molliciem habente, breui denseque stipata lanugine obsitus, quæ derasa, comminuto Amianto similis existit, in medio utrinque obscurum, ceu umbilicum, paruum & uix euidente tuberculo referens, concretione duplex, atque in duos orbiculos fissilis. Substantia, seu materia cōstat candida, dura, solida, & infragili, ueluti cornu, tritu & contusu difficillima, nisi arida ramenta contundantur, quæ & ipsa maximo labore uix teruntur. Cū in duos orbiculos finditur, uterque in orbis circumferentia exiguum foramen habet, quo continetur germinaturæ, & ex semine hoc sato exituræ plantæ rudimentum: exiguo pediculo, & ueluti paruo Tiliagineo aut Hederaceo, uenoso, duplicique folio constans, tam exquisita perfectaque figura, ut cum ueri folii consummata forma de perfectione certet, eius unica tantum pars, hoc est pediculus, prædicto foramine uel cauerna continetur, foliola uerò duplicis fructus commissura, clauduntur. Saporem habet

absq; ulla adstrictione, uehementer amarum, ideoq; nauseam & uomitum prouocantem, unde nomen inuenit.

DE ANACARDIO. CAP. XXII.

ANACARDIVM oblongus est fructus, aliquantulùm planus, & in latitudinem quãdam compressus, longitudine ut plurimùm uncialis, anteriori parte in rotundum obtusumq; mucronem attenuatus, posteriori uerò ac latiore crasso, angulosóq; pediculo adhærens. Colorem habet nigrum & splendentem, formam uerò, auium corda aspectu æmulantem, unde etiam nomen accepit, substantia ei diuersa est: intus enim planum candidumq; nucleum claudit, hunc ambit reliqua eius pars ceu cortex, quę incisa, cauernosa & foraminibus, tophi, aut pumicis instar plena est, crassiusculum, uiscosum, glutinosum, lentum, & in ruffo nigrum liquorem cauernosis anphractibus continens, cùm inueteratus fuerit arescentem & coagulatum, spumosum, exiccatumq; sanguinem, unà cum cauernulis referentem. Saporem nucleus habet, primum dulcem, mox acrem, & paulatim eò usq; adstringentem, donec linguã, palatũ ac fauces planè cõtrahat: melligo uerò eius, seu glutinosus liquor, gustu nucleo respõdet, multò tamẽ asperior est, ac uehementissimè adstringit, adeò, ut fauces in angustiam constringat, & strangulationis periculo respirationẽ detineat, contumaciter dentibus, linguæ atq; palato adhærens, idem paulò largius gustatus aut assumptus, uescentes strangulat & interimit. Eligito nigerrima, ponderosissima, candidum, recentemq; nucleum, & copiosiorem ac fluidiorem liquorem habentia: durat pluribus annis antequam uetustate corrumpatur. Affertur ex transmarinis partibus ad nos in Europam.

DE BALANO MYREPSICA. CAP. XXIII.

BALANVS Myrepsica, quam Arabes granum Ben appellant, fructus est, ut plurimùm oblongus, figura triquetrus, colore candidus, aut in candido cinereus: cortice & nucleo constans. Quale autẽ pericarpium habeat, nobis adhuc incognitum est, nam calice & pericarpio suo exemptus, in Europam affertur. cortex modicè lignosus ei est, interimq; fragilis, & propter raritatem leuis, quo clauditur nucleus, proportione corticis cauitati similis, colore tam foris quàm intus candidus, substantia pinguis & oleosus, in superficie tenui: fungosóq; uelamine circumdatus: sapore subdulci, subamaro, & tenui: saliuam, nauseam atq; uomitum ciens, præsertim cum intra corpus sumptus fuerit. Eligenda est colore undiq; candida, plenum candidum, minimè rugosum, neq; rancidum, neq; flauum nucleum habens. Affertur ex Syria & Aegypto in Europam.

DE SILIQVA *Indica, id est, Caßia fistula, quam ueteres Fabam Indicam uocarunt.* CAP. XXIIII.

SILIQVA Indica quæ à ueteribus Faba Indica, à recentioribus uerò Cassia solutiua, seu Cassia fistula nominatur, siliquaceus est fructus, uiginti unciarum, duorum aut trium dodrantum plerumq; longitudine, digitali, pollicari, nonnunquam etiam maiori crassitudine, interdum rectus, frequenter etiam leniter incuruatus, atq; figura teres, lignoso cortice, ligneis interseptis, pulpa atq; seminibus constans. Cortex illi est tenuis, foris niger, reliqua sui parte pallidus, duas cõmissuras ueluti suturas habens per longitudinem transeuntes, sibiq; inuicẽ oppositas, quibus, malleo leniter percussus, dehiscit: tota siliqua intus nigra, subliquida, dulciq; medulla, seu pulpa repletur, nõ tamen continua, sed planis, tenuibus, transuersis, ligneisq; orbiculis, breui interuallo, distincta, crebroq; intersepta: in omnibus interstitiis singula sunt semina, tertiam unciæ partem longitudine implentia, latitudine paulò minora, cordis figura turbinata, aliquantulum in planum compressa superficie tenus, pallida aut ruffa & nitida, substantia solida ueluti cornu, aut cartilago lenta, uulgaris siliquæ non inæqualia aut dissimilia, in quorum commissura, flauum duplexq;

ceu

ceu folium continetur, germinaturæ & ex terra proditurę plantæ rudimentum: crassioribus autem siliquis, & pollicem excedentibus nulla insunt semina, rarissime enim illis contingunt. pulpa inueterati fructus paulatim omninò exiccatur: quò fit, ut ad motum intus crepitaculi instar resonent, qualis reiicienda est ementibus, atque eligenda crassissima, ponderosissima, atque intus liquidiore pulpa repleta. Affertur ad nos ex Aegypto & India.

DE CARPESIO. CAP. XXV.

CARPESIVM arboris Asianæ coaceruatus quidam fructus est, cuius hęc est constitutio: pediculi ab arbore exeunt in rotundum, et crassius capitulum desinentes, à quo undique plures exeunt teretes fructus, ut plurimùm incurui, deorsum pendentes, figura filiquacei, foris nigri, ac ueluti geniculati, modicéque apparentibus angustijs, breui interuallo præcincti, substantia neruosa, uenosa, & propterea difficili distractu, pinguique liquore madida constantes: semina intra se contigua, purpurea, nitida, & gigartis similia: sed paulò maiora claudentes, longitudine plerumque sextantales, paulò longiores, frequentius tamen breuiores, crassitudine quartam unciæ partem æquantes, & nulla commissura neque sponte, neque ui dehiscens. Saporem uenosa eius ac pinguis pars habet acrem, feruidum, aromaticum, & caput tentantem: odorem uerò similiter acrem, uehementem, nares ferientem, & caput implentem, maximéque si frangatur aut contundatur. Semina gustu iniucunda, & rancida sunt, ideóque eximendum atque abijciendum, cùm intra corpus assumendum, aut medicamentis aroma hoc miscendum fuerit. Eligito nigrius, ponderosissimum, pinguissimum, copiosiori liquore friantium digitos inficiens atque perungens, siue à pediculi capite adhuc dependeat, siue ab eo deciderit. nam utrumque simul ad nos ex Syria Asiáque affertur.

DE AMOMO. [*sic uocat Rosam Hierichuntis uulgò dictam, non probo.*] CAP. XXVI.

AMOMVM paruus est & dodrante breuior fruticulus, substantia lignosus ab uno caudice, seu trunco minimo digito graciliore, plures emittens ramulos, qui & ipsi rursus in numerosos cirrososq; surculos distrahuntur, in seipsos introrsus conuolutos, fractu difficiles, & colore spadiceos. Corticem crassiores eius ramuli flauum, aut candicantem habent. totus frutex contracto habitu uuæ figuram æmulatur. Semen interiore sui parte conuolutis surculis tectum continetur, copiosum in singulis pericarpiis geminum, alioquin circa pediculos numerosum, atque uuæ modo racemosum, quod in conuoluto frutice uix apparet, qui si aqua aut uino maceretur, extensis humore surculis diffunditur, & undique in latitudinem expanditur, omnes seminum racemulos ostendens, humore autem postea exemptum paulatim exiccatur, & rursus in pristini habitus figuram inuolutis cirris contrahitur. Odorem totus fruticulus habet acrem, suauem, aromaticum, caput replentem et somnum conciliantem. Saporem autem similiter acrem, linguam Carpesii instar mordentem, iucundum, atque aromaticum. Eligendum est recens, integrum, non comminutum, ponderosum, semine flauo aut subruffo adhuc plenum. Affertur ad nos ex Syria, ab ijs qui Hierosolymam religionis gratia hactenus hinc profecti sunt: eoq; ad imposturas suas hucusque usi sunt monachi & sacrificuli, simplici & credulæ plebeculæ persuadentes, rosam id esse circa Hierichum, in sancta terra natam, ideò in Natali Saluatoris nostri nocte atq; ipsa Natiuitatis hora, sponte sua, diuinitus aperiri & diffundi, maxima & execrabili impostura hoc mendacium hominibus inculcantes, reuera enim sponte expanditur nunquam, nam quotiescunque, & quandocunque uolueris aperitur, si aqua aut uino perfusum maceraueris, eodem illi quoque modo expansum populo ostenderunt. quapropter Amomum ad nos delatum, ignauum tum odorem, tum saporem habet, cùm toties maceratum, in humorem qualitates suas, natura tenues & dissolubiles, deposuerit.

DE MELLIGETTA, *id est, granis Paradisi, seu cardamomo piperato.* CAP. XXVII.

MELLIGETTA oblongus est fructus, & magnitudine, figura propemodum ouo æqualis, folliculo similis, cortice constans uenoso, fractu cõtumaci, subruffo, aut in pallido fusco supernum pythmena, inferius pediculi uestigium habens, intra se nitidis, angulosis, pipere minoribus, superficie ruffis, intusq; candidis seminibus, crebris, fungosisq; mẽbranis distinctis & interseptis plenus. Gustu feruidis ut piper & Zingiber, quibus odore etiam nõ dissimilia sunt. Cortici nulla ferè in gustu qualitas. Afferuntur ex India, & regno Melli: cortici exempta eius grana, raroq; folliculo inclusa: eligenda sunt nitida, ruffa, superficie extenta, minimeq; rugosa, solida atq; ponderosissima.

DE CARDAMOMO MAIORE. CAP. XXVIII.

CARDAMOMVM maius, Melligettæ similis fructus est, minor tamen, longitudine rarò sextantem superans, superius iuxta pythmena latior, inferius propè pediculum angustior, & ficus aut piri modo turbinatus, nullam cõmissuram habens qua aperiri queat, colore foris in cinereo subruffus, uenoso & distractu difficili cortice constans: intus seminibus crebrò membranulis interseptis ac distinctis. Colore, figura ac magnitudine Melligettę granis similibus, obtusioribus tamẽ angulis, plenus. Saporem grana habent quemadmodum & odorem ualdè iucundum, aromaticum, tenuem, subacrem, ac modicè amarescentem. Cortici nulla est in gustu gratia, ideoq; eo exempta semina ad nos ex Syria & Aegypto afferuntur, quamuis interdum etiam integri fructus, quales iam descripsimus, aduehantur. Eligito grana eius nitidiora, ponderosiora, at odoratissima. Fructus autem integri probantur maturi, hoc est superficiem extentam habentes, undiq; pręclusi, neq; ex industria aperti, neq; teredinibus corrosi, ponderosi, & cõsummatis denseq; in se farctis seminibus pleni. Errant quotquot dicunt, Melligettam, maius Cardamomum esse, Cardamomis enim tenuis minimeq; feruens, sed gratus ac iucundus est sapor, Melligettæ uerò piperis instar acerrimus: qua de re alibi in scriptis in Dioscoridem commentariis disseruimus.

DE CARDAMOMO MEDIOCRI. CAP. XXIX.

EST etiam aliud Cardamomum, figura oblongum, triquetrum, utrinq; acuminatum, colore in candido fuscum, quantitate grandi auellanæ nuci æquale, maiore Cardamomo minus, minore uerò maius, ideoq; mediocre à nobis nominatum. intus densè in se farctis, maioriq; Cardamomo similibus granis plenus: cortice constat prædicti instar, uenoso, sed multo tenuiore, in tribus suis angulis, quibus maturum dehiscit, singulas commissuras habet. Gustu Cardamomo maiori grana eius respõdent. Affertur & hoc ex Aegypto & India, sed paucissimum, idq; perquam rarò, cum utroq; Cardamomo.

DE CARDAMOMO MINORE. CAP. XXX.

CARDAMOMVM minus mediocri per omnia simile est, paulo tamen minus, candidiori, paulo tenuiori cortice, & trium angulorum commissuris dehiscente uestitum, quo detracto semina apparẽt densè in se farcta, nullis membranulis distincta, maiori cardamomo similia, paulo minora, magisq; angulosa, in ruffo cineracea, atq; tam arctè sibi ipsis coniuncta, ut unum semen figura bubulos renes æmulans, appareant esse. Saporem grana habent ualdè aromaticum, tenuem, maioriq; Cardamomo similem, sed paulo tenuiorem. Affertur & hoc ex Aegypto & India, folliculis suis exemptum, nõnunquam etiam una cum folliculis, idq; copiosius quam maius, solumq; uulgo hodie cognoscitur: maius enim cum parcius aduehatur paucissimis notum est: probatur quod maioris, notas habuerit.

DE CARYOPHYLLO *immaturo aut minore.* CAP. XXXI.

CARYOPHYLLVS immaturus aut minor, exiguus fructus est, in India nascentis paruæ cuiusdam arboris, solidam, ponderosam, duramq; materiam, & lauri folia habentis, uulgo per Europam Caryophylli appellatione cognitus, absq; immaturi adiectione: decerpitur enim, cum floret, cum adhuc est secuturi fructus rudimentum: longitudinem habet transuersi digiti, aut uncia minorem, formam uerò exigui & obtusi claui: nam gracili eius corpori latiusculum & quadrangulum capitulum insidet, in angulis quatuor eminentiis dentatum, lacunulæ, aut quadrati alueoli instar, superius modicè excauatũ, conuexo, concauóq; ceu tberculo tectum, friatu facili: quapropter hæc capituli pars, non in omnibus Caryophyllis cernitur, cum solidius eorum corpus, fragilius, in tanto itinere atterat. Materia constat cartilaginosa, modicè lignosa, lenta, infragili, tritu difficili tam foris quàm intus, in nigro & rubente colore fusca: pinguem, oleosum, tenuemq; liquorem, cum pungitur, è plaga remittente. Saporem habet piperis modo acrem, tenuem, ualde aromaticum, simul adstringentem, & linguam ueluti stupore quodam afficientem. Odorem quoq; aliorum aromatum modo iucundissimum. Probatur nigrior, solidior, ponderosior, & copiosiorem liquorem ex inflicta plaga fundens. Affertur ut dictum est ex India.

DE CARYOPHYLLO *maturo, seu maiore.* CAP. XXXII.

CARYOPHYLLVS maior, nihil à minore differt, præterquam quòd ille immaturus, hic uerò maturus sit: relictus enim in arbore sua, quoad iustum capiat incrementum, acerbus seu minor Caryophyllus, in maturum atq; maiorem cõuertitur, qui hodie ab omnibus tam Medicis quam Pharmacopolis Anthophyllus uocatur, figura oblongus, in medio crassior, magnitudine mediocri auellanæ, aut potius Corni uel oliuæ nucleo similis & æqualis, superius quadrangularem pythmena, quam in Caryophyllo, capitulum à nobis dictum habens. Cortice foris uestitur tenui, quo detracto, duplex apparet nucleus, ideoq; in duas partes fissilis, incurua & sinuosa commissura compactilis, ligni aut cornu instar solidus tritu q; difficilis. Saporem cortex eius, Caryophyllo minori similem habet, nucleus uerò multo remissiorem.

DE FESTVCIS *Caryophyllorum.* CAP. XXXIII.

FESTVCAE Caryophyllorum, aliquibus fusti, aut fustichi nominati, graciles oblongiq; sunt surculi: quibus ceu pediculis, ipsi Caryophylli adnascũtur, colore & substantia Caryophyllo æquales, gustu uerò paulo remissiores, hi ex Caryophyllis separati seorsim ab aliquibus seruantur. Eligantur nigriores, pinguiores, liquorem fructuum modo remittentes, odore atq; sapore ad minores Caryophyllos proximè accedentes.

DE PIPERE LONGO. CAP. XXXIIII.

PIPER longum, oblongus est iulus, in India nascens, gracili pediculo dependens, Coryli aut Betulæ arborũ apud nos nascentium, iulis similis & æqualis, longitudine plerumq; sesquiuncialis, crassitudine tertiam aut quartam unciæ partem raro excedens, colore ut plurimum cineraceus, aut fuscus, figura teres, in superficie numerosis & paruis eminẽtibus, ceu uerrucis, obliquis contiguisq; ordinibus dispositis, tuberosus. Semina sub omnibus tuberculis singula latitant, colore foris ruffa, intus candida, figura milio similia, paulò tamen minora, nõ nisi fracto iulo apparentia, quę perfecti secuturiq; piperis rudimenta sunt. Saporem habet modicè amarescentẽ, uehementer acrẽ, & ignis modò feruidũ, non tamen è uestigio linguã pungentem, propter excremẽticei, ac nondũ percocti humoris copiam, cuius culpa etiã facilè à teredinibus perforatur. Odorẽ spirat modicè aromatũ instar iucundũ. Eligendũ est recẽs, magnũ, solidum, minimè corrosum aut perforatũ, põderosum, seminibus intus, eo quo dictum est modo dispositis, plenum, ac si in aqua decoquatur, aut pluribus diebus maceretur, minimè diffluens: quod uerò huiusmodi nõ

fuerit, ceu inueteratum atque fictitium reprobandum est: adulteratur enim multis modis quos consulto hoc loco prætermimus, ne potius imposturas tradere ac docere, quàm dolos deprehendere, uideamur.

DE PIPERE *albo & nigro* CAP. XXXV.

PIPER album atque nigrum ex longo fit, dehiscentibus eius iulis, & ab inuicem recedentibus, increscentibúsque, intus contentis miliaceis granis, donec in oblongos racemulos obliquis seminum ordinibus plenos diuisum, quadrantalem, aut maiorem consequatur longitudinem. singulis granis rotunda figura, & Viciæ magnitudo est: ita ut duodecim grana perfecta, obolum pendeant, nonnunquam pauciora: frequentius autem plura. eadem principio uirent, quo tempore inter exteriorem, tenuem, extentúmque corticem, & nucleum cauitas quędam inanis intercedit, quæ paulatim maturescentibus nucleis repletur: cum autem ad iustam magnitudinem peruenerint, foris nigra fiunt, & rugis contrahuntur, partimque medullæ contumaciter cohærentem corticem habent, quæ nigrum, & simpliciter uocatum Piper sunt: partim uerò non rugoso, tenui, & facilè ab extento candidóque nucleo, recedente cortice, uestiuntur, quę candidum Piper sunt. Vtrumque odoratum & gustu acerrimum, feruidissimumq́; est, odoratius tamen acriusq́; candido nigrum sentitur: ideóque medias habet candidum, inter longum & nigrum qualitates: tardius enim longi, citius candidi, citissimè autem nigri acrimonia gustu percipitur, quamuis Dioscorides candidum, (quoniam acerbum sit) utroque ignauius esse tradat, quàm benè non uideo, cùm absurdum quiddam inde oriatur: nam idem noster Dioscorides nigro ignauius candidum, ideò esse ratiocinatur, quoniam acerbius, hoc est immaturius sit nigro, ergo cùm longum quoque acerbius, immaturius imperfectiusq́; sit candido, sequitur necessariò longū Piper omnium esse ignauissimum, ergo uidetur aut hæc ratiocinatio nullum in ueritate locum habere, aut Dioscorides malè tradere, candidum tam longo quàm nigro ignauius esse, qua de re in libris de qualitatibus & facultatibus medicamentorum latius differemus, in quibus plures huiusmodi controuersias diiudicabimus. probatur in nigro maximum, solidissimum, ponderosissimum, & paucissimis rugis contractum. In candido albissimum, maximum, solidissimum, ponderosissimum, superficie extentum & minimè rugosum.

DE BRESMATE, *id est Pipere abortiuo.* CAP. XXXVI.

BRESMA siue Brasma imperfectum & ueluti abortiuum est Piper, colore & magnitudine nigro simile, sed inane & ualdè leue, gustu quoque nigrum æmulans, sed imbecillius, quod à nostris negociatoribus Gerbelier nominatur, prædictis tribus Piperis speciebus in omni usu, (præsertim in medicina) postferendū.

DE CVBEBIS. CAP. XXXVII.

CVBEBAE longè diuersi sunt à Carpesio fructus, figura rotundi, & nigro Piperi similes, paulò tamen minores, oblongis rectísque pediculis adhærentes: colore in cineraceo fusci, acu aut cultello puncti, Cariophylli modo liquorem remittentes, qui ab Indiæ, in qua nascuntur, incolis partim cum adhuc acerbi sunt, partim cùm ad iustam maturitatem peruenerint, colliguntur: hinc est quòd immaturæ leues sint, superficiémque habeant rugis contractam, intus autem in corticis inani concauitate nucleum exiguum, flaccidum & tabidum. Maturæ uerò in superficie sunt æquales, extentæ minimèque rugosæ, intus autem cæsio, tritu facili, & consumatæ magnitudinis nucleo plenæ ac distentæ, ideoque acerbis ponderosiores. Saporem acerbæ, hoc est, ante maturitatem lectæ, habent ualdè aromaticum, acrē & mediocriter amarum, subtilem, cum maxima tenuitate ad caput in gustu euaporantem.

porantem. quæ uerò ad iustam magnitudinem peruenerunt, gustu minus acres, minusq; amaræ sentiuntur, magnam penetrabilis & uaporabilis saporis partem & ipsæ retinent, imbelliores itaq; acerbis maturæ sunt. Probantur acerbæ, quæ rugosæ, inanes, leues, & ualde aromaticę tam gustu quàm odore fuerint: maturæ autem quæ maiores, ponderosiores, foris æquali superficie minimeq; rugosa, intus plenæ & nequaquam inanes sint.

DE CARPOBALSAMO. CAP. XXXVIII.

CARPOBALsamum quod ad nos fertur, hoc nomine parui, oblongi, & utrinq; acuminati sunt fructus, duplo aut triplo pipere maiores, duplici cortice & nucleo constantes. exterior cortex crassior est, ruffumq; in fusco colorem habet, & quatuor euidentes commissuras per longitudinem transeuntes, quibus pòst maturitatem aperitur: exterior uerò tenuior est & candidus, clauditq; intra se candidum pinguemq; nucleum. Saporem & odorem habet acrem, tenuem & ualdè aromaticum, inter Carpesium, Cardamomum atq; Cubebas medium. Optimum est grande, plenum, pingue, & liquore Balsami in exteriori cortice plenum, sapore atq; odore uehementissimo. Adulteratur ualdè similibus granis, quæ multò imbecillioribus qualitatibus & mediastino septo, per longitudinem nuclei transeunte, à dicto Carpobalsamo dignoscuntur & distinguuntur. Affertur ad nos ex Aegypto, sed ualdè inueteratum.

DE CVCVLI *fructibus.* [*Vulgò Cocce de leuant nominant.*] CAP. XXXIX.

CVCVLI fructus sunt in Aegypto nascentis furiosi Solani: † racemoso, dũ adhuc in matre sua hęrent, habitu, nouẽ, decẽ aut duodecim acinis ab uno pediculo corymbi figura dependentibus: nigra, succosa, molliq; carne, lignoso cortice, & nucleo cõstantibus, quorũ caro paulatim, exiccato eius succo, tabescit & rugis cõtrahitur antequã ad nos è tam longinqua regione perferãtur. Singulis acinis siccatis auellanę paruę magnitudo est, & rotunda, aliquantulùm oblonga figura, & circa annexum modicè renum instar sima. Nucleum habent candicantem, pinguem, sinuoso, contorto, & lignoso distinctum intersepto, sapore amaricantem, subdulcem, & modicè tenuem, quo ad capiendos pisces utuntur. Eligito maximos, ponderosissimos, & candido nucleo intus repletos, nam ad nos allati, ut plurimum inanes & leuissimi sunt.

† Historiæ apud Dioscoridẽ & Theophrastum non respondet.

DE THAMARINDO, *id est, Acacia Indica.* CAP. XL.

THAMARINDVS Ceratio, hoc est Siliquæ similis & æqualis fructus est, in India nascens, foris in ruffo niger, splendens, tactu mollis, succosa & mellis despumati spissitudine, liquore plena, per longitudinem neruis uenosa, ac siliquis crassiori carne constans, quo continentur contigua, in angulos & planiciem compressa, cartilaginea ruffaq; aut flaua semina, nigro & friabili cortice uestita: duplicia, duabus separabilibus partibus compacta, in fructus longitudine disposita, magnitudine fabis æquali paruis aliquantulùm maiora, ita, ut terna aut quaterna drachmam pendeant. Saporem melliginosus carnis succus habet uehementer acetosum, subdulcem & adstringentem. Caro autem gustu succo respondet, ignauior tamen minusq; dulcis existit, quamuis fortius quàm succus adstringat. Semina postremò uehementius etiam carne adstringunt, paulùlum acetosæ qualitatis habentes, dulcedinis uerò nihil. Orientales populi expresso eius succo ceu præstantissima parte, in medicamentis utuntur, nobis carnem & semina, hoc est abiectas reliquias mittentes: probatissimi in nigro purpurei, succosi, non tamen aceto perfusi, atq; ualde in gustu acetosi.

DE MYROBALANO INDO. CAP. XLI.

MYROBALANVM tam Græci quàm Latini autores fœminino genere proferunt, cùm à Balano fœminini generis nomine uocabulum hoc compositum sit: posteriores uerò, & barbari, grammaticis præceptis non satis instructi, atque bonos authores neque curantes, neq; obseruantes, ad hunc usque diem masculinum genus eis tribuunt, quarum tres tantùm differentias uetustiores Arabes medici tradiderunt, uidelicet Indas, Chebulos & Citrinas, de Belliricis ac Emblicis seorsim, ceu sui generis medicamentis differentes: recentiores uerò etiam hos duos fructus Myrobalanis annumerant, quinque earum differentias colligentes, quas hoc distycho comprehendunt. *Myrobalanorum species sunt quinque bonorum, Citinus, Kebelus, Belliricus, Emblicus, Indus.* Reuera autem neque Belliricus, neque Emblicus ex earum numero sunt, cùm nullam habeant in figura cum Balano, hoc est, glandе similitudinem: glandes enim oblongæ sunt: hi uerò fructus duo, globuli modo rotundi. At quoniam similiter Myrobalanis adstringant, uentrémque aliquantulùm comprimendo subducant, ac lignosos, ut ipsæ, habeant nucleos, uisum est recentioribus, hos quoque Myrobalanorum generi adiicere, quorum uestigia nos etiam sequemur, eodem ordine eas descripturi, sumpto ab Inda principio, cuius etiam Plinius in Palmularũ enumeratione meminit. Porrò una eademq; arbor omnes tres Myrobalanorum differentias gignit, ex quibus Inda seu nigra, acerbus, immaturus, & adhuc adolescens fructus est, ideóque nullum intra se nucleum habet, sed quoddam cauitatis secuturum nucleum excepturæ rudimentum: magnitudinis est incertæ, quoniam tam intempestiuè, quàm tempestiuè colligitur. Hinc est quòd aliquæ earum unciam, aliquæ etiam sesquiunciam longitudine excedant. Colorẽ habent foris in uiridi fuscũ & pallescentem, qui tamen non nisi in abstersa et lota apparet: nam cũ copiosè afferatur, inuicem confricantur & atteruntur, detritoq; sibi fusco puluere, in nigrum colorẽ tinctæ conuertuntur, figurã habet Oliuæ & utrinq; turbinatam. Carne constat densa, solida, ponderosa, dũ confringitur splendẽte colore nigra aut fusca, gustu uehementer adstringente, aliquantulũ acida, subdulci, tenui, saliuam prouocante, ideoq; sitim arcente, & oris halitũ cõmendante. Odorem nullum fatu dignũ siccata spirat. Eligito neq; minimas neq; maximas, sed mediocres, longitudine uncia paulò breuiores, aut ad summũ unciales, pondere triobolares aut 2 ʒ nonnunquam excedentes, simulq; densas, solidas, intus nigerrimas, & splendentes: foris autem in citrino & fusco colore, si abluantur, uirescentes: minus rugosæ, nulloq; aut admodũ exili & compresso cauitatis rudimento inanes.

DE MYROBALANO CITRINA CAP. XLII.

MYROBALANVS citrina ex Inda fit: relicta enim in arbore sua Inda quoad increscat & maturescere incipiat, concepto intus lignoso semine, in eã quam citrinam nominauimus, euadit: longitudine sesquiuncialẽ et nonnunquam maiorem, crassitudine uerò media & tumenti parte digitalem, utrinque in mucronem desinentem, quinque angulis per longitudinem transeuntibus inæqualem, modicè rugosam, tenui cortice, densa solidaq; carne & semine constantem. Cortici color est citrinus: carni ex citrino ad ruffum uergens. Semen eius lignosum, candidũ, angulosum, rugosum, scabrũ, ualde durũ, figura oblongũ: corni semine duplo, triplo, aut quadruplo maius, intus candidũ oblongum, utrinque acuminatum nucleũ tenui, pallidáque cuticula uestitum claudens, figura & sapore Pineo nucleo similem. caro gustu Indæ respondet. Probatissimæ sunt maiores, maximè citrinæ minus rugosæ, densæ, crassæ, & in fracturis splendente subruffaq; carne, minorique semine prægnantes, & pondere duas drachmas et scruplum æquantes.

DE MIROBALANO CHEBVLO CAP. XLIII.

CHAEBula appellata Myrobalanus fit, cùm citrina ad consummatam maturitatem peruenerit, quę Citrinæ figura, carne, semine & nucleo per omnia respondet

respondet, maior tamē est, molliorisq; crassiore, & minus fragili carne constat, colore tam foris quàm intus nigra, gustu citrinæ aut Indæ simili. Eligantur maximæ, ponderosissimæ: foris, cum abluuntur in citrino puniceoq; colore nigræ, carnem crassiorem, nigriorem, lentam, mollem, & fractu ob succi copiam difficilem habentes: ad trium drachmarum pondus quam proximè accedentes.

DE MYROBALANO Bellirico. CAP. XLIIII.

MYROBALANVS quæ Bellirícus appellatur, à prædictis tribus differt, in alterius generis quàm illæ, arbore nascens, figuram habet rotundam aut modicè oblongam, superficiem fuscam, æqualem, in longitudine quinq; ut plurimùm angulis distinctam, magnitudinem uerò maioris gallæ, pondere quatuor aut quinq; scrupulos superans aut æquans, tenui carne, & magno, lignoso, duroq; semine constans Chebuli semine multò maiori, drachmę pōdus leuante, & intus oblongo, acuminatum & auellanæ propemodū æqualem nucleum claudente. Saporem caro eius habet proximè ad prædictarum Myrobalanorum qualitatem accedentem: substantiam uerò illis rariorem. Eligito maiores, ponderosiores, solidiorisq; carne constantes.

DE MYROBALANO EMBLICO. CAP. XLV.

MYR Obalanus appellata Emblicus, suum peculiare & proprium genus habet, etiam à Bellirico diuersum: magnitudine Bellirico cedit, eadem nunquā integra affertur, sed in fragmina diuisa & dilapsa: habet enim eius caro sex in lōgitudine commissuras, quibus cum maturuit dehiscens in totidem partes dilabitur, quæ singulæ adhuc in binas partes digitis findi queunt, crassitudine mediocri, habitu contracto, & aliquantulùm rugoso, colore cinereo aut fusco. Totus fructus sub commissuris singulas cauitates habet, quarum uestigia in fragmentis apparent. Semen in medio est lignosum, durum, paulò minus quam rotundum, colore subrufsum, æquale, minimè rugosum, paruæ rotundæq; auellanæ æquale: sex angulis & commissuris compactile, & in totidem partes secundum longitudinem fissile, quibus singuli insunt nuclei figura oblongi & triquetri, ligneo, tenui, & tamen duro cortice, intus autem medulla constantes. Saporem caro eius Indæ Myrobalano aut Chebulo similem habet. Eligito fragmenta eius maiora, solidiora, ponderosiora, & minimè rugis contracta.

DE PISTACIIS. CAP. XLVI.

PISTACIAE, quas alii in neutro genere Pistacia uocant, in Syria natæ nuces sunt, amygdalinis fructibus minores, pineis uerò nucibus paulò maiores, duplici cortice & nucleo constantes, figura oblongæ, superius acuminatæ, inferius pediculi, cui adhæserunt, uestigium seruantes, ab una parte tumidiore & in angulum desinente uentre protuberantes, una commissura, per mediam anguli longitudinē transeunte, cum maturuerunt dehiscentes. Exterior eius cortex carnosus, modicè rugosus est, supremo amygdalæ putamini substantiæ, & colore similis, qui facilè à maturis fructibus recedens, interiorem ostendit corticem. Colore candidum, superficie glabrum, substantia durum, lentum, fractu contumacem & ueluti osseum, qui intus barbatę, ruffæq; auellanæ nucleo, similem & æqualem nucleum continet: substantia tenerum, pinguem, colore in flauo uirescentem, rubenti cuticula uelatum, gustu dulcem, ualdè suauem, tenuem, orisq; halitum commendantes. Eligito maximas, ponderosissimas, candidissimas, sponte sua modicè dehiscente commissura plenum, recentem, & neq; rancidum, neq; rugosum, neq; situ obsitum nucleum ostendentes: quæ autem ab hiis notis, uel ab aliquibus earum recedunt & discrepant, inutiles sunt, neq; medicamentis intra corpus sumendis, miscendæ, sed liuores ex ictu curantibus, confectionibus relinquendæ.

Pistaciae.



DE AMYGDALIS *minoribus.* CAP. XLVII.

AMYGDALAE minores, uulgaribus proportionaliter per omnia similes sunt, quibus etiam sapore & facultatibus respondent: multo tamen, hoc est triplo aut quadruplo minores existunt. eædem in duplicem differentiam diuiduntur, una enim amaras, altera uerò dulces nuces producit. Afferuntur adhuc putaminibus suis inclusæ cùm Gallis Asianis atq; aliis medicamentis ex Asia aduectis.

DE PERSICIS *minoribus.* CAP. XLVIII.

PERSICA minora ab Armeniacis differunt: nostratibus per omnia respondent: multò tamen minora sunt, ut ex nucibus æstimare facilè quis potest, quæ cum à uulgarium nucibus lignosa substantia & scabra, cauernosoq; habitu nihil discrepent, duplo tamen aut triplo minores sunt paruis, & ex Asia uenientibus Amygdalis. Saporem & qualitates uulgaribus easdem habent.

DE IVIVBIS *seu Zizyphis.* CAP. XLIX.

IVIVBAE, quæ Græcis Zizypha uocantur, ab Oriente in Europã inuectæ, arboris poma seu baccæ sunt: Corni baccis sanguineo & splẽdente foris colore, oblõga figura & singulari intus ligneoq; semine similes: aliquantulùm tamẽ maiores, & ad

& ad mediocris pruni aut oliuæ magnitudinem accedentes, leui, molli, glutinosa, gustuq; dulci pulpa seu carne constantes, in medio singulare, ut dictum est, semen continentes, utrinq; acuminatum, foris duro ligno, intus oblongo, aliquantulum compresso & ruffo nucleo constans. Afferuntur ex Italia ad nos siccatæ, ideoq; rugosæ. Eligito maximas, plenas, recentes, molles, nec adeò rugosas.

Iuiubæ. T.3.36.p.1023. *Myxæ. T.3.35.p.1011.*



DE MYXIS. CAP. L.

MYXAE uel Sebastę, quas hodie Sebesten appellitant, & ipsæ è Syria translatæ in Europam, arboris fructus sunt, Iuiubis aut cornis similes & æquales, orbiculato calici ceu adnexæ insidentes, foris nigri, intus lenta, glutinosa, uiscosa gustuq; dulci carne constantes, in quorum medio singulare est semen, Corni semini æquale, modicè planum, foris duro ligneoq; cortice, intus dulci nucleo compositum. Eligito maiores, & natiuo lentore madidas, uiscosas, & adhuc orbiculato calici adhærentes.

DE IVIVBIS *minoribus, quas Plinius Tuberes nominat.* CAP. LI.

IVIVBAE minores, Plinio tuberes appellatæ, colore, nitore, carne, molli

lentore. Sapore & nucleo maiores imitantur: iis tamen minores, nec oblongæ, seu rotundæ atque similiter flaccidæ. Eligantur maiores, ponderosiores, minus flaccidæ, & pleniorem carnem habentes. Afferuntur hæ quoque ex Italia.

DE FOLIO CASIAE CAP. LII.

CASIA omnis aromatica, maximam habet cum Cinamomo similitudinem, ideóque folium quod hodie pro Malobathro in usu est, & simpliciter folium, magno errore uocatur, Cinamomi folium à plerisque etiam doctis esse creditur, sed male: est enim à Malobathro penitus diuersum, quemadmodum etiam à Cinamomi folio, nam sine dubio à uiliore & non adeò efficaci Casia producitur, quod pediculi eius sapor manifestè indicat, qui planè rubentem & glutinosi saporis Casiam refert, & nequaquam Cinamomum. Est autem figura oblongum, utrinque mucronatum, speciosum, densum, crassum, atque interiore sui parte glabrum, nitidúmque: posteriori autem tribus eminentibus neruis ab uno mucrone ad alterum transeuntibus exaratum, quorum medius crassior est, rectáque extenditur, reliqui uerò duo qui utrinque sunt, in arcum flectuntur, utrúmque folii limbum sequentes: nullus enim tortuosus, aut in ramulos diuisus est. Magnitudo foliorum non est eadem, plerúmque tamen quinque, sex aut septem uncias longitudine æquat, latitudine autem tres, aut circiter. Colorem habet in cineraceo & pallido, cùm ad nos peruenerit uirescentem: saporem uerò glutinosum, tenuem, aliquantulum subacrem, & quandam Cinamomi gratiam resipientem. Odorem quoque subacrem, aromatum modo iucundum, ueluti si quis Piperis & Cinamomi odores commisceat. Eligito recens, densius, crassius, maius atque integrum, quod tam gustu quàm odore proximè ad Casiam accedat. Fragmenta uerò & friatorum puluerem, medicamentis ne commisceas.

DE FOLIIS CARIOPHYLLI. CAP. LIII.

CARIOPHYLLI folia densa sunt, crebrísque & tortuosis uenulis exarata: figura autem & magnitudine tenuifoliæ Lauri folia imitantur. colorem habent iisdem paulò fusciorem: odorem uerò ac saporem Cariophyllorum, sed remissiorem. Eligito quæ maiora, crassiora, firmiora integraq; sint: friata uerò in puluerem, aut fragmenta eorum uitanda. Afferuntur cum Cariophyllis, sed raro.

DE SCHOENO, *uel Schœnuanto.* CAP. LIIII.


SCHOENVS hoc est teres odoratus iuncus, hodiè corrupto uocabulo Squinantum appellatus, in plures species diuiditur, natalibus tantùm diuersas, quidam enim in Nabathæa, quidam in Arabia reliqua, quidam etiam in Lybia, prouenit. Is autem qui ad nos affertur, qua regione natus sit nondum comperi: est autem aspectu nostrati Iunco tenuiore non adeò dissimilis: sed colore differt in candido subruffoq; purpurascente, neque simplici tunica fungosam medullam continet, sed multis tenuibus inuolutisque in teretem habitum tunicis totus constat, è quorum medio caulis emicat gracilis & teres, in summitate purpureis flosculis plenus, qui rarissimè in Europam aduehuntur, cùm à Camelis prærodantur, quod Galeno etiam cognitum fuit. Festucas, quas inuolutis tunicis constare diximus, ab una radice numerosas emittit, inferius crassiores, superius tenuiores, longitudine dodrantales aut pedales: radicibus nititur tenuibus, lentis & lignosis. Saporem stipulæ seu festucæ habent feruidum, tenuissimum, ualde aromaticum, & Pulegio per omnia similem, multò tamen uehementiorem, atque optima arte destillatam Pulegii aquam resipientem. Odorem quoq; inter Rosas & Pulegium mediũ, estq; hic suauissimus. Eligito integrum, longum, plures stipulas ex una radice proferentem, nõ candicantem, sed rubentiorem, intus purpurascentem, superius in tenuiori coma in ruffo purpureoq; colore cineraceum, sapore feruidissimũ tenuissimũmq;, & odore uehementissimum.

DE

Schœnus.



Nardus Indica.



DE NARDO INDICA. CAP. LV.

NARDVS Indica à Syriaca & Gangite nullam habet genere differentiam, natalibus tantum distinguuntur, siquidem omnes in uno eodemq; monte gignuntur, ex quibus Syriaca in occidẽtali eius parte, Syriam respiciente, Indica uerò in Orientali parte ad Indiam uergente nascitur. Indica in duas species diuiditur, quarum una in ipso monte prouenit, altera uerò in radice montis, non longè à præterfluente Gange nascens. Odore uirosior, atq; in monte nata ignauior. Hodie autem hæ nardi species ad nos indistinctæ, iisdem saccis aduehuntur. Planta eius tota qualis sit, nobis nondum cõstat, pars uerò ea quę Nardi aut Spicę appellatione affertur, radicis caput est, aliqua radicis portione, et foliorum caulisq; lentis, uenosis, neruosis, capillatis, & in spicæ figurã intricatis reliquiis ac uestigiis constans, colore in fusco rubens. Saporem radix habet amarum, tenuem, acrem, aromaticum & Celticæ nardo similem. Odorem uerò inter Celticam Nardum atq; Schœnum, medium. Spica autem radici insidens easdem qualitates habet, sed multò ignauiorem saporem. Eligito singularem aut unam atq; alteram spicam una radice ferentem, mediocrem, hoc est, neq; maximam neq; minimam, densam, non in uillos distractam, ponderosiorem, ruffam, subfuscam, gustu amarissimam, tenuissimam, aromaticam atq; odoratissimam, tam spica quàm radice, longiorẽ radicis partem habentem. Fragmenta autem friatumq; pulnerem medicamentis ne misceto.

DE NARDO CELTICA *seu Saliunca.* CAP. LVI.

NARDVS Celtica, quam Latini Gallicam, atq; Saliuncam Germanico nomine appellant, odorata, aromatica & admodum breuis herbula est, coliculo sesquiunciali aut sextantali, paruis, oblongis, in cinereo pallidis aut flauis sursum uersis, & sibi squamarum instar superiacentibus tunicis, ceu foliis, obsito, in terra plerumq; iacente, è cuius summitate terna, quaterna, qui naue exeunt florũ uice oblonga, tenuia, uenosaq; folia, colore lutea, inferius admodũ angusta, superius latiu-

Nardus Celtica.



scula, longitudine sesquiuncialia aut sextantalia, quæ cum deciderint, singula uestigia & reliquias post se relinquunt, foliaceas coliculi squamas, seu tunicas constituentia. Radice nititur tenui, oblonga, fusca, fibrata, uillosa & Azaro simili, tenuiori tamen, quin etiam ex inferiore coliculi parte terræ incumbenti, fibras & radiculas demittit. Odorem habet grauem, uehementem, latè spirantem, uestes bono halitu commendantem, Cyperum & ueluti situm redolentem: estq; hic admodum iucundus: quibusdam tamen fastidium, ob nimiam odoris, caput leniter agrauantis uehementiam. Saporem radix & coliculi habent amarum, acrem, tenuem, aromaticum, halitum oris commẽdantem, & diu in gustantis palato perseuerantem. squamosæ autem foliaceæq; tunicæ & flores, neq; odore, neq; sapore fatu digno, commendantur: ideoq; hæ partes medicamentis non sunt miscendę. Nascitur apricis Germaniæ alpibus copiosissimè: quemadmodum in Norico & Istria, ubi ab incolis una cum radicibus uellitur, & in manum complentes fasciculos ligatur, qui deinde per totam Europam à Pharmacopolis & mercatoribus comportantur. Eligito fasciculos maiores, radicum & florum plenos: hæ enim partes recentis signa sunt. Paleacea eius fragmenta, friatumq; puluerem medicamentis intra corpus sumendis ne admisceas.

DE CRETHAMO *marino, uel Crethmo ueterum.* CAP. LVII.

CRETHAMVM marinum, siue Crethmum à ueteribus dictum, umbellifera herba est, caulem ab uno radicis cespite, unum atq; alterum aut nonnunquam plures emittit, longitudine pedales, aut proceriores, graciles, geniculatos, aliquantulùm solidos, teretes, intus fungosa tenuiq; medulla plenos, pediculos è geniculis singulos producit, aliquoties in ternos minores pediculos subdiuisos, superiores atq; extremi singuli terna habent folia, longitudine uncialia, aut sesquiuncialia, figura angusta, utrinq; acuminata, crassa, portulacæ modo pinguia, & in ruffo uiridiq; colore albescentia, gustu aliquantulùm salsa. Flores in umbellis ramulorum summitatibus insidentibus, fert paruos & candidos, quibus succedit oblongum, teres, modicè angulosum, duplex candidumq; semen, Smyrinii aut Libanotidis albæ semini æquale & simile, foris molle, intus cartilagineum ueluti nucleum habens. Radice nititur ab uno capite in duas tres aut quatuor longas & teretes partes diuisa, crassitudine ferè digitales, colore candidas & perennes, gustu subacres, dulces, tenues & suaues, ueluti si quis pastinacæ satiuæ, & Crethami agrestis radicum sapores misceat. Semen quoq; subacre & suaue est quemadmodum radices, tenuioribus tamen partibus constat. Nascitur maritimis saxosisq; locis, in lapidum rimis accommissuris, plurimumq; maritimis Liburniæ partibus.

DE



Crethamus. *Rhabarbaricum.*

DE RHABARBARO *seu Indico.* CAP. LVIII.

RHA barbarum seu Indicum grandis est radix, herbæ cuiusdam Rumici cognatæ, crassitudine utramq; interdum manum complens, foris undiq; fusca, intus uersicolore, Aceris aut Alni, aut Betulæ tuberum modo in crispum habitũ intorta, conuolutaq; carne constans, pondere leui, fungosa, partim flaua, partim candicante & croceis, puniceis ruffisq; uenis distincta, gustu mediocriter amara & cum glutinoso lentore aliquo adstringens, eadem humorem in quo maceratur croceo pallore tingit. Eligito propter natiuum humorem ponderosum, intus multis rubentibus uenis iisdemq; peruersicolorem carnem sparsis, plenum, odoratissimum, quod minimè teredinem senserit, neq; antea maceratum fuerit. Affertur ex India, per transuersum in partes, ceu crassiores orbiculos secta.

DE CENTAVRIO MAIORE. CAP. LIX.

CENTAVRIVM maius, quod hodie in omnibus Pharmacopoliis, & à cunctis Medicis Rheu siue Rhaponticum appellatur magno errore, insignis herba est, caule interdũ ferè tricubitali, multis adnatis ramoso, foliis magnis Iuglandi ęqualibus, colore uiridibus, per ambitum aliquantulùm incisis, flore in oblongis ac subrotundis capitulis capillaceo, in cœruleo colore purpurascente, semine pap-

Centaurium maius.



posa florum lanugine inuoluto, in capitulo molliter collocato, duro, anguloso, colore candicante simulq; liuido, ac Cnico per omnia simili, paulò tamen maiore. Radice nititur grandi, sæpius bicubitali, crassitudine sextantali aut sesquiunciali, nonnunquam etiã multo crassiore, & manum complente, recta, singulari, in nullas partes distracta, instar lõgi teretisq; pali in terram acta, foris fusca, intus rubescente, densa, põderosa, æqualiter carnosa, et circulos, cum per transuersum inciditur, sibi superinductos plures habẽte, quibus singulorum annorum incrementum, ac uniuersa eius ætas colligitur: copioso, ruffo, substantia pingui, oleoso, simulq; fiscoso & aquæ innatante liquore plena, eundemq; copiosiorem exterioribus è circulis fundente, gustu leniter acri, cum lentore aliquo modicè adstringente, subdulci ac aliquantulùm tenui, cuius usus est. Eligito recentem, hoc est plenam, solidam, ponderosam, liquidiore liquore manantẽ, à uermibus minimè corrosam, & cum frangitur, Rhabarbari instar uersicolorem, propter pallidam simulq; ruffam substantiam & rubentem liquorem in longis porosis angustisq; cauitatibus contentum. Nascitur montanis, apricis & frutetosis locis, solo pingui. copiosissimaq; in Italia monte sancti Angeli, unde ad nos à nostratibus Agyrtis eò proficiscẽtibus affertur. Nascitur etiam in Germania, sed uiribus in Italia natæ, cedens.

DE COSTO ALBO *seu Arabico.* CAP. LX.

COSTVS albus seu Arabicus, maiori Centaurio similis radix est, ut plurimũ tamen minor, densa & candida: quæ per transuersum in partes secta ex Oriente huc affertur. Inulæ campanæ instar subruffum liquorem continens, roscidis guttulis per substantiam eius dispersum. Saporem habet uehementer cum aromatica gratia feruidum, & sub amarum, odorem autem ualdè acrem, aromati similem & nares ferientem. Eligito solidum, candidissimum, plenum & minimè teredinibus corrosum. Sapore & odore acerrimus & suauissimus, hæ enim recentis notæ sunt: nam plerumq; ualdè inueteratus affertur, nunc autem rarissimè

ſimè aduehitur, ſed loco eius acerrimæ herbæ radix, ipſius uidelicet Thapſiæ maris in Italia naſcentis, & prætereà Inula in oriente naſcente, ueri Coſti modo in taleolas aut orbiculos ſecta, de quibus radicibus mox agemus. Dolus uerò ab iis facilè deprehenditur, qui Enulæ noſtratis figuram, ſubſtantiam & qualitates probè perſpectas & cognitas habent.

DE COSTO *flauo uel Syriaco.* CAP. LXI.

COSTVS flauus, qui à ueteribus Syriacus appellatur, candido ſeu Arabico per omnia ſimilis eſt, maior tamen & ad Centaurii maioris radicem propius accedens, ſiquidem colorem habet Buxi modo flauum, ac nonnunquam ad Centaurii ruborem inclinantem, quo ferè ſolo ab Arabico differt, nam guſtu & odore eidem omnino reſpondet: uenit hic quoq; ex Oriente per tranſuerſum in fruſta diſſectus. Eligito plenum, ſolidum, guſtu ac odore acerrimum & iucundum, à uermibus nequaquam corroſum, talis à recenti crebris foraminibus ac contento in foraminibus puluere nimia leuitate deprehenditur. Affertur hodie quam rariſſimè, cum impoſtores hoc dolo, turpi ac Deo abominabili lucro inhiantes, alias pro eo radices uenditent, de quibus in Arabico dictum eſt Coſto, & iam latius dicetur.

DE INVLA COMAGENA. CAP. LXII.

INVLAE Comagenę ac reliquis in Oriente locis naſcentis radix, quæ pro candido, hoc eſt Arabico Coſto, ab indigenis impoſtoribus ad nos miſſitatur, noſtratis Enulæ Campanæ radici, forma ac qualitatibus per omnia ſimilis eſt, denſior tamen ſolidiorq́;, & magis percocta ob cœli calorem, quapropter ſiue in orbiculos tranſuerſa ſecetur, ſeu ſecundum longitudinem findatur, minus in exiccando flacceſcit & parcius in rugas contrahitur quam noſtrâs, quæ aquei & inconcocti humoris plurimum habet, quo inter exiccandum exhalante corpus remanens flacceſcit ac rugis contrahitur. Partim autem hæc Orientalis Enula candicat, quæ bonitate excellit, partim liuet aut fuſca eſt, quod uetuſtatis aut intempeſtiuè effoſſę, ac negligenter ſiccatæ indicium eſt, partim etiam per tranſuerſum in orbiculos ſecta affertur, partim etiam in longitudinem fiſſa.

DE THAPSIA MAIORE. CAP. LXIII.

THAPSIA maior, umbellifera & ferulacea herba eſt. Radice nititur grandi, longa, craſſitudine manum complente, foris nigra aut fuſca, intus autem candida, craſſo, carnoſoq́; cortice, & lignoſa ſimulq́; fungoſa medulla conſtante. Guſtu acerrima, linguam exurente, plurimam ſaliuam prouocante, ingratiſſima, nauſeoſa, & fauces ueluti ſtrangulationis comminatione afficiente. Odore uiroſa, rancida, & uetuſtiſſimæ cuiuſdam rancidæq́; pinguedinis qualitates referente. Naſcitur in Italiæ calidioribus regionibus, unde ad nos pro Coſto ab impudentiſſimis impoſtoribus hiſce annis miſſitari capta eſt, execrabili, periculoſiſſimo ac capitali pœna digno dolo ac impoſtura.

Tapsia maior.



DE GALANGA MAIORE. CAP. LXIIII.

NVPER admodum cœpta est afferri, anteà nobis incognita quędã radix, in partes secta, quam maiorem Galangam uocant, quoniam Galangæ, quòd ad figuram attinet, per omnia respondet: multò tamen maior est, nam pollicem et duos interdum digitos crassitudine æquat: eadem inæqualis ueluti ramis brachiata, & foliorum candicantibus uestigiis, ueluti zonis & circulis cincta est, & gracilibus neruosisq; cirris fibrata, qui ceu inutiles auferuntur. Colorem habet foris ruffum, intus autem uenosam, ualdè leuem, candidam, aridam atq; Zingiberi similem substantiam. Odore ualdè acrem, in caput penetrantem et sternutamenta prouocantem, nõ tamen gratam, aut iucundam ut minor. Sapore acerrimam, ingratam & uentriculum subuertentem. Eligito maximam, leuem, plenam, ac uermibus non corrosam.

DE GALANGA MINORE. CAP. LXV.

RADIX hæc simpliciter & propriè hactenus Galangę uocabulo cognita fuit, nulla cognomenti adiectione, nunc autem cùm alia maior eiusdem nominis afferatur, minoris cognomine ab illa distinguitur. Est autem herba Orientalis ex Cyperi generibus, à quibusdam Cyperus Babylonicus appellata, cuius radix in taleolas secta ex Oriente affertur, pondere leuis, figura inæqualis, & in transuersum & obliquum tendentibus adnatis brachiata, minimum digitum crassitudine ęquans,

æquans, foliorũ uestigiis ex interuallo, ceu zonis aut circulis præcincta, foris ruffa et subfusca, intus autem fulua, dura, solida, uenosa cùm frangitur & tritu difficilis. Odore ualde acris, & aromatum modo iucunda. Sapore quoque ignis instar feruida & aromatica. Eligito nitidam, solidam, mediocriter ponderosam, foris in fusco ruffam, intus fuluam, minimè pallidam, dum cultro inciditur splendentem, nequaquam uermibus corrosam, gustu cũ aromatica suauitate acerrimã & odoratissimã.

DE ACORO, *qui uulgò Calamus aromaticus dicitur.* CAP. LXVI.

ACORVS uerus qui hodie per totam Europam magno errore Calamus aromaticus appellatur, gladiolacei generis herba est, foliis statim à terra exeuntibus cubitalibus, latitudine ferè uncialibus, uenosis, se inuicem dissecta aluo ueluti carina excipientibus, & sibi insertis, nostratem Iridem figura imitantibus, atq; gladii modo in aciem & mucronem fastigiatis. Radices habet Iridi syluestri nostrati similes, perennes, posteriori parte sibi cohærentes et implicitas, foliorum uestigiis inæquales, quincunciales aut longiores minimo digito: cùm siccatæ sunt, ut plurimùm crassitudine æquales, nõnunquam crassiores, præsertim antequam exiccentur, undique per terræ superficiem in transuersum sparsas, ita ut à superiori parte cœlum spectante, folia proferant: inferiore autem qua terræ incumbunt, fibras deorsum mittant, quarum uestigia, ceu stigmata in exiccatis adhuc apparent. Colorem foris subruffum aut candicantem: intus candidum, aut in candido modicè rubescentem. Substantiam raram, angustissimis contiguisque poris fungosam ac pondere leuem. Gustu subamaram, acrem, tenuem, & aromatum modo suauiter odoratam. Eligito non crassiores minimo digito, candicantes, densas, minimè rugosas, admodum breui interuallo foliorum uestigiis præcinctas, teretes, tam gustu quàm odore uehementiores, & non cariosas. Nascitur aquosis locis, in calidioribus prouinciis, plurimáque in Asia, unde ad nos affertur.

DE ZINGIBERE. CAP. LXVII.

ZINGIBER Cypero cognata est herba, in India proueniens, cuius radices ad nos afferuntur omnibus Zingiberis nomine cognitæ, figura inæquales, modicè planæ, in paucas bulbosas partes ut plurimùm diuisæ, longitudine sesquiunciales, sextantales, aut nonnunquam maiores, foris cæsiæ aut in candido subfusca: intus alba, friabili, tenera, & per longitudinem uenis seu setis aut filis neruosa carne constantes. Gustu ceu Piper, feruidæ, acres, & aromatum modo odoratæ, quarum hodie duæ aut tres afferuntur seorsim differentiæ, scilicet foris, quò ponderosiores fiant, rubrica tinctæ, quæ coloratum Zingiber uocantur, et albæ quæ album Zingiber. Eligito candidissimum, friabile, & tamen solidum, superficie extentum, plenum magnumq; & quod nequaquam teredinem senserit, facilè enim propter excrementicii humoris copiam à uermibus corroditur. Est etiam fuscum intus & ueluti corneum Zingiber intempestiuè collectum, quod improbatur.

DE ZEDOARIA, *quæ Veterum Arnabo uel Zarnabum est.* CAP. LXVIII.

ZEDOARIA quæ ueteribus Arnabo & Zarnabum appellatur, duplicem habet differentiam, altera enim longa, altera uerò rotunda est: longam ex Arabibus quidam simpliciter Zedoariam uocant, rotundam autem Zurumbet, ideò nos quoque utrúmque medicamentum descripturi, eam distinctionem sequemur, utrique eius speciei suum proprium caput tribuentes. Est itaque Zedoaria Arnabi altera species, longam radicem habens, longitudine sextantalem, trientalem aut quadrantalem: crassitudine minimo digito æqualem, utrinque in obtusum mucronem desinentem, foris candidam, intus ex cinereo in fuscum colorem uergentem. Substantia densam, solidam, pinguem & ponderosam. Gustu atque odore uehementer tenuem, subamaram, mediocriter acrem & latè cum grauitate quadam ac ualde aromatica suauitate, dum tunditur aut manducatur, spirantem: minima portione diu oris halitum commendantem, & per palatum ac nares in caput penetrantem. Eligito magnam, densam,

plenam, non rugosam, intus ueluti pinguem, lentam, dentibus propter soliditatem aliquantulùm repugnantem, gustu tenuissimam odoratissimamq́;, & nullis foraminibus peruiam, facillimè enim cariem ac teredinem sentit, ob calidi, crassi, lenti & excrementicei humoris, quo tota constat, copiam. quapropter etiam ante uetustatem corrumpitur, si humidiori & situm redolente loco seruetur, aut si, ut plerumq́; inter uendēdum fit, ex uno loco in alterū transferatur, uidelicet ex sicco in udum, aut è contra, præsertim si crebro fiat.

DE ZVRVMBETO, [*quam Zedoariam rotundam dixeris.*] CAP. LXIX.

ZVRVMBETVM, siue ut Arabes proferūt, Zurumbet, substantia, pondere, soliditate, colore, sapore & odore longæ Zedoariæ omnino similis est, sola figura differt. Est enim radix rotunda, globosa, magnitudine uncialis, aut interdum maior, nonnunquam etiam minor, superficie aliquantulùm inæqualis, ac præcisarum fibrarum uestigiis tuberosa: Ari bulbo similis & æqualis, eadem superius in breuem plerumq́; mucronem desinit, quo germen terræ adhuc inhærens fundere consueuit. Eligito prædictæ Zedoariæ notis commendabile. Affertur ex India.

DE CVRCVMA LONGA. CAP. LXX.

CVRCVMA quæ à ueteribus Cyperus Indica uocatur, duplicis est differentiæ, uidelicet longa & rotunda, quemadmodum Cyperus in Europa proueniens, suum tamen proprium, à Cypero nostrate diuersum genus habet. Sunt autem prioris speciei radices ut plurimum sextante longiores, minimo digito crassitudine æquales, Zingiberi simulq́; longis Cyperi radicibus similes, teretes, utroq́; latere radicibus aliis minoribus, quarum aliquæ breues, & oculaceis bulbis similes sunt brachiatæ, & obscuris foliorum uestigiis præcinctæ, foris pallidæ & modicè scabræ, intus autem ex croceo colore in puniceum aliquantulùm declinantes, ponderosæ, densæ, & ueluti densato atq́; exiccato humore constantes: gustu subamare, & cum aromatica tenuitate acres & odoratæ, quæ uino aut aqua maceratæ, croceo colore tingūt. Eligito densiorem, ponderosiorem, nullis foraminibus peruiam, gustu feruidissimam atq́; odoratissimam.

DE CVRCVMA ROTVNDA. CAP. LXXI.

CVRCVMA rotunda substantia, pondere, soliditate, colore, odore, & sapore longæ Curcumæ omnino respondet: figuram uerò rotundam habet aut modicè oblongam & ouatam, qualem oliua aut radix Ari, quibus etiam magnitudine æqualis est ut plurimum, eadem fibris quoq́; ut longa nititur. Odore ac sapore priorem ut dictum est imitatur, multo tamen acrior, feruidior & tenuior existit, præsertim quæ substantia constat rariori ut Zingiber: hæc enim ferè medium habet inter Zedoariam & Carpesium tam odorem quàm saporem. Eligito gustu feruidissimam, tenuissimam, aromatum modo odoratam, diu acrimoniā in gustantis palato relinquentem, orisq́; halitum odoris gratia commendantem, & quæ nondum teredinem senserit.

DE DORONICO. [*uulgò dicto, quod Romanum cognominant, quo maius est, sed minus efficax, quod in nostris alpibus Heluetiorum oritur.*] CAP. LXXII.

DORONICVM parua cuiusdam herbæ radicula est, longitudine uncialis aut sesquiuncialis, aliquantulùm in latitudinem compressa, modicè inæqualis uelut squamata, in medio latiuscula, inferius uerò atq́; superius paulatim in angustum tenuemq́; mucronem desinens, ex utroq́; latere unum aut alterum oblongum tuberculum ceu pedes emittens, quo fit ut tota radicula minimæ tarantulæ aut lacertæ figuram exprimat: colorem habet in candido & cinereo modicè flauum aut subruffum,

subruffum, substantiam uerò densam, solidam, recrementiceo humore constantem, gustu dulcem, paululum amarescentem, subtenuem, & rosarum propemodum modo odoratam. Eligito maiusculas, densas, æquales, extentas, lentas, & minimè perforatas: facilè enim, dum ueterascunt, teredinem sentiunt ob excrementicei & à calore non percocti humoris copiam.

DE TVRBITO. CAP. LXXIII.

TVRBITVM, siue ut Arabes uocant Turbit, radix est in calidioribus regionibus nascentis herbæ, hactenus nondum cognitæ. Radix autem ad nos affertur ualdè inueteratus, in sextantales aut quadrantales partes secta, crassitudinis incertæ, partim enim duorum digitorum, partim unius crassitudinem habet, partim etiam festucarum & surculorum modo tenuis est, maiora frusta inæqualia & tortuosa sunt, tenuiora uerò æqualia & recta. Colorem habet foris in cinericeo fuscum, intus autem cādidum: substantiam exterius corticosam, interius ueluti lignosam, per longitudinem concauis, angustis & contiguis poris ceu canalibus fistulosam, & raram, ideoq́ pondere ualdè leuem. Saporem habet, quod corticosum foris est, acrē, paulatim feruere in gustantium ore & faucibus incipientem, saliuam copiosam elicientem, idem inter terendum odoratum quiddam spirat. Eligito cortices eius, æquales, rectos, intus candidos, exiccati liquoris, ceu roscidas guttulas in se continētes, leues, & minimè à uermibus perforatos: adulteratur gūmi, utriq́ extremitati seu capite illito, ut ueluti natiuo liquore pingue uideatur. Sed dolus cognoscitur, quod gummi hoc illitum, gustu nequaquam ferueat, & quod confractus cortex nullas intra natiui liquoris reliquias contineat. Adulteratur etiam immixtis minoris Thapsiæ tenuioribus radicibus, quæ candidiores, fractu puluerulentæ & facilè in farinam conteri aptæ sunt.

DE THAPSIA MINORE. CAP. LXXIIII.

THAPSIA minor, æque ut maior, ex umbelliferarum & ferulacearum herbarum genere est: radicem habet longam, satis magnam, crassitudine digitalem aut pollicarem, nonnunquam etiā crassiorem uel graciliorē, foris nigram, intus candidam, carnoso crassoq́ cortice constantē, qui exempta interiori neruosaq́ medulla affertur, substantia tener, in farinam friabilis, leuis, & liquorem ruffum, exiccatum, guttatim dispersum cōtinens. Saporem habet, cùm siccatus ad nos peruenerit, primum ferè insipidum aut farinę tribuli aquatici similem, mox tenuem aliquantulùm, postremò mediocriter acrem & feruentem, ob excremēticei humoris copiam, nō è uestigio, sed tardius acrimoniam suam linguæ ac palato imprimentem. Eligito corticem eius magnitudine mediocrem, crassum, siccati liquoris guttarum plenum, & à uermibus nondum corrosum, quod facilè fit ob crassæ humiditatis copiam.

DE MANDRAGORA *albo seu masculo.* CAP. LXXV.

MANDRAgoras albus, quem masculū ueteres appellant, folia à radicis capite profert magna, iuglandi aut latifolię lactucę ęqualia, oblongiora tamen his, mollia, glabra, in uiridi candicantia, & circa radicis caput per terram sparsa, secus quæ trientales exeunt pediculi, in quibus flos est pallidus & foliaceus ceu latiusculo calici insidens, floribus singula succedunt poma, figura rotunda, paruis limonibus æqualia, colore ad dilutum aqua crocum inclinantia, succosa carne constantia, qua continentur pallida aut cæsia semina, piri seminibus æqualia, non tamen acuminata, sed modicè plana, & ab una parte renū instar sima. Radice nititur perenni, grandi, longa, crassitudine manum implente, in partes distracta, foris pallida aut in candido subfusca, intus candida, carnosa, succosa & crasso cortice constante. Odorem tota herba grauem spirat, præsertim poma, quibus succus est aliquantulùm gustu uinosus, subamarus tā odore quā sapore caput aggrauans. Radix amarescit simulq́ subdulcis est. Eligito cortices radicis crassiores, candidiores, & à uermibus

non corrosos. Nascitur in Aegypto & Syria, unde ad nos affertur, quamuis in Germania quoq; ab aliquot studiose colatur sicut & ipse feci.

Mandragoras albus. T.2, 126 p.809.



Mandragoras fœmina.



DE MANDRAGORA *nigro seu fœmina.* CAP. LXXVI.

MANDRAGORAS niger seu fœmina, folia habet candidi instar per terram sparsa, minora tamen, & angustiora, tenuifoliæ lactucæ similia, sed hiis quoq; minora, mollia, odore graui, ac in uiridi colore nigricantia: secus quę, pediculi flores & poma sunt albo Mandragoræ, succosa carne, seminibusq; similia, colore uerò paulo pallidiora, duplo minora, Sorbis aut mediocribus epimelidibus, id est, mespilis nostratibus æqualia. Radicem habet priori substantia & figura similem, minorem tamen, in duas aut tres sibi inuicem ut plurimum implicitas partes diuisam, foris nigricantem, intus autem candidam & perennem, quæ sapore prioris radici respondet. Eligito cortices eius maris Mandragoræ notis commendabiles. Nascitur hic quoq; calidioribus terris ut prædictus, & similiter apud nos à paucissimis colitur, magnam curam, qua à gelu uindicetur, postulans.

DE MACHOLEBO. CAP. LXXVII.

MACHOLEBVM, seu ut Arabes uocant Mahaleb, nuclei sunt, figura, quantitate & colore Cerasiorum nucleis similes, gustu tamen tenuiores, uehementiores,

hementiores,& odorati,ideoq; suaui odore oris halitum commendantes. Eligito recens, hoc est, plenum, in candido subruffum, odoratum,& minimè uetustate rancidum. Affertur ex Aphrica & Aegypto in Italiam, Galliam & Hispaniam: in Germaniam uerò rarissimè, quia apud nos nullus adhuc eius usus inualuit. Arbor autem in qua nascitur, qualis sit nobis nondum constat.

Macholebum.



Cuminum satiuum. T.2.119.p.876.



DE CVMINO SATIVO. CAP. LXXVIII.

CVMINVM satiuum, siue ut aliqui scribunt Cyminum, parua & umbellifera herba est, altitudine rarò pedem excedens, tenuibus & in plures angustas partes sectis foliis: semine in umbellis oblongo, utrinq; acuminato, anguloso, cartilagineo: in cineraceo colore subflauo: longitudine quartam unciæ partem æquante: gustu subamaro, tenui, mediocriter acri, & cum grauitate suauiter odorato. Radice nititur oblonga, tenui, & cum maturuit semẽ, pereunte. Eligito plenum, magnum, flauum, aut pallidum, purum, intus pingue ueluti liquore aut oleo madefactum, minimeq; acerosum, inuehitur ad nos ex Vlisibona & Venetiis, Antuerpiam, ac in reliquas urbes atq; emporia.

DE BRASSICA MARINA. CAP. LXXIX.



BRASSICA marina, quam hodie Soldanellã uocant, coliculos ceu uiticulas per terram spargit graciles, à quibus exeunt folia longis pediculis, posteriori parte latiuscula, anteriore uerò in obtusum mucronem desinentia, hederæ aut Chelidonio minori similia, latitudine plerumqꝫ sesquiuncialia, pinguia, crassaqꝫ, lacteum liquorem cùm præciduntur remittentia: semen habet in rotundis folliculis nigrum, angulosum, durum, cicere minus, intus flauum. Saporem habet herba acrem, amarum & subsalsum, maximè liquor. Nascitur maritimis locis, in Italia & Narbonensi Gallia, unde ad nos affertur.

DE SERIPHIO *Absinthio, [siue marino: quod uulgò Alexandrinum aut Zinæ semen appellatur. Aliud uidetur Absinthium marinum, quod Matthiolus pingit.]* CAP. LXXX.

ABSINTHIVM Seriphium, siue marinum Absinthium, ramosa est herba, nostrati absinthio similis, multò tamen minoribus foliis: semen habet paruum ueluti ammi, acerosum, colore flauum, gustu ualdè amarum, acre, uehementer tenue & grauiter, ueluti si quis Santonicũ absinthio misceat, & cum aromatica qualitate aliqua odoratum. Eligito magnum, non puluerulentum, & odoratissimum. Nascitur maritimis locis in Aegypto, unde ad nos affertur, Alexandrinum semen, aut Zinæ semen appellatum, aliud ab hoc est Santonicum.

DE BDELLIO. CAP. LXXXI.

BDELLIVM ueteres regionum, in quibus prouenit, nominibus distinxerunt, sed quoniam etiam in iisdem prouinciis diuersa eius genera proueniunt, uisum est mihi conuenientius esse, coloris & qualitatum differentiis ea distinguere, præsertim cum nobis non constet, neqꝫ facilè inquiri possit in tanta ignauia, & ueritatis contemptu, ubi quæuis eius species nascatur. Est autem Bdellium densata lachryma, in aqua dissolubilis, Myrrhæ concretione & aspectu similis, in Arabia, India, & uicinis aliquot regionibus, ex arbore quadam Ceraso simili cortice uestita emanans, atqꝫ circa ramulos in magnos grumos, pondere sextunciales, quincunciales, sextantales & unciales concrescens, qui tam integri quàm confracti ad nos afferuntur, unà cum adhærente cortice & ramulis; quod in crassiores grumos seu glebas concreuit, Hadrobolon à ueteribus Græcis Medicis cognominatur. Differt autem Bdellium colore & sapore: quoddam enim ruffum, aut in ruffo subfuscum est, quod plerumqꝫ maioribus grumis constat, & cum frangitur in plures grumulos dissilit, modicè transparet, & mediocriter splendet. Gustu amarum, acre, & tenue existens. Quoddam minoribus est grumis, forisqꝫ in ruffo subfuscum, intus ruffum, cum frangitur in duas tantùm partes se diuidens, & ueluti dissectum prædicto magis translucens, densum, lentũ, glutinosum, pingue &

Primum. (margin)

Secundum. (margin)

lachry-

lachrymas albas, seu guttas omnino translucidas, cùm in calido loco reponitur, emittens. Est etiam quod pallidum aut candidum habet colorem, grumis oblongis & mediocribus constans, multis longis, inter defluendum densatis guttis concretum: sapore amarum, ualdè ingratum, omnibus Bdellii speciebus acerrimum, et fauces uehementer scarificans, adeò interdum, ut anhelitum restringat. Est praeterea nigrum Bdellium, colore foris nigrum, intus autem, cùm frangitur, in nigro ruffum: Gustu, glutinosum, lentum, & mediam inter Thus & Cerasi gummi qualitatem resipiens. Affertur quoque aliud Bdellium, foris nigrum, intus fuluum in igneo aut purpureo colore, & omnium maximè translucens: substantia lentum, molle, glutinosum & Cerasi gummi simile, sapore idem Cerasi gummi cum amaritudine quadam & modica acrimonia imitans. Est postremò Bdellium, prioribus speciebus simile substantia, colore & sapore, quod intus paucis, pallidis, aut candicantibus maculis ceu unguibus distinguitur. Odor cuicunque Bdellii generi prunis imposito acris, grauis & aromaticus, ueluti si quis Thus & Myrrham commisceat: differt tamen aliquantulùm secundum substantiae diuersitatem. Eligito in quouis Bdellii genere aspectu, cum frangitur, nitidum, cornu ungui aut taurino glutino simile, magis translucens & pinguius molliusque, hoc enim recentis indicium est. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum.

DE MYRRHA. CAP. LXXXII.

MYRRHA in odorifera Arabia nascentis arboris lachryma est, in aqueo aliquo humore dissolubilis, cuius sex ad nos perueniunt genera, non tamē distincta, sed sine discrimine simul in unum saccum coniecta, ex quibus primum rubeum habet colorem. Secundum flauum. Tertium flauum aut subruffum, & maculis ceu candidis unguibus uarium colorem habet. Quartum omnino & aequaliter candidū est. Haec quatuor Myrrhae genera pinguia synceraque sunt, & fractu nō difficilia, pondere leuia, paruis & semuncialibus aut uncialibus ad summum grumis constant, globosam & natiuam formam habentibus, ex quibus candidum in gustu Cerae modo lentescit. Sapor omnibus est amarus, acris, tenuis & aromaticus. Odorem habent per se, & prunis imposita, acrem, aromaticum, iucundum, cum grauitate non pauca caput in somnum trahentem. Quintum myrrhae genus, magnis, nigris & compactis glebis constat, substantia aridum, odore & sapore iniucundū, quoniam nimio solis feruore exaruit, aut tenuiores & aromaticas partes propter expressam ex se stacten amisit. Sextum adulterinum est, aloë, gummi Arabico & pauco Myrrhae diluto compactum, & in grumos conformatum, qui dolus facilè deprehenditur odore, sapore & prunis: nam naribus admotum non iucundè olet, gustatum aromatica tenuitate & acrimonia caret, & dentibus contumaciter adhaeret, prunisque impositum foetet ueluti gummi, & cum frangitur, propter ariditatem in multas partes friatum dissilit. Syncera autem Myrrha dentibus non adhaeret, sed facilè resoluitur. Eligito Myrrham pinguissimam, leuem, foris aequaliter flauam & ueluti tabidam ac purulentam, intus autem ruffam, aut flauam, aut uersicolorē, plures candidos ungues habentem, aut candidam atque liquore plenam, quem aestate in roscidas guttas concretum emittat. Vendiderunt hisce annis impostores maiores Myrrhae grumos pro Bdellio, sed dolus deprehenditur, quòd Bdellium gummi instar dentibus adhaereat, nullumque ferè odorem per se spiret, nisi prunis imponatur, sic enim grauem, uehementem, Thurique nō dissimilem & à Myrrha differentem odorem spirat. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum.

DE STACTE. CAP. LXXXIII.

STACTE, pinguis, ruffus aut flauus liquor est, ex recenti, syncera, pinguissimaque Myrrha expressus, oleo liquido crassior, infuso aqueo quodam humore dissolubilis, gustu ac odore Myrrhae qualitates cunctas referens, sed multo effica-

ciores, cùm optima illius pars, atq; ipse flos existat, probatur odoratissima, mediocris et liquida. colore fulua aut rufta. gustu amara atq; tenuissima, nulloq; oleo adulterata, qui dolus superinfusa calida aqua facillimè deprehenditur: syncera enim Stacte in ea resoluitur: oleum uerò, qualecumq; id fuerit, nullo modo aquæ commiscetur, sed ipsi innatat. Nunquam in Germaniam allata huc usq; Stacte est, potest tamen paruo labore, sed magno dispendio, ex optima Myrrha exprimi.

DE OPOBALSAMO. CAP. LXXXIIII.

OPOBALSAMVM, Balsami liquor est ex inflicta cortici eius plaga guttatim destillans, in aqueo humore dissolubilis. Colore, dum musteum adhuc est, candicans & lactescens, atq; liquidi olei cõsistentiam habens, postea cùm inueterascit exhalans quod tenuissimum in eo est, fuluum colorem acquirens & crassescens. Odorem habet supra omnia aromata suauissimum, acrem et latè spirantem. Saporem autem feruidum mediocriter, cum maxima partium tenuitate per totum palatum, ad caput & odoratus organa penetrantem. Eligito præter iam dictas notas, lac coagulans, si aquę instilletur, primùm fundum petens, & mox à se ipso dissolutum ipsi aquæ se commiscens: cùm linteo aut panno instillatur, neq; maculam, neq; maculæ uestigium in eo relinquens, postquam potius frigidissima quàm calida aqua rursum pannus sit ablutus. Adulteratur enim multis modis, odorato aliquo oleo, aut resina, aut cera: sed deprenditur hic dolus sola frigida aqua: syncerum enim facilè in ea dissoluitur, nec quidquam eo in fundo remanet, aut superius aquæ innatat. Adulterinum uerò & quod doli causa syncero mixtum fuerit, nequaquam aquæ commiscetur: sed separatum, aut fundum petit, aut innatat, aut utrunque facit.

DE CANCHAMO. CAP. LXXXV.

CANCHAMVM, quod recentiores authores Laccam appellant, in Arabia nascentis arboris lachryma est, colore ruffa, fulua aut flaua: ramulis undiq; in succini duriciem densata & concreta adhærens: lumine accensa lucidissima flamma ardens, liquescens, & ardentibus flammantibusq; guttis destillans, quæ extinctæ nigricant & indurantur. Eadem in calida aqua ad ignem dissoluitur, & ei omnino commiscetur, sanguineo aut purpureo colore aquam tingens, qua tingendis pellibus utuntur: ex eadem fit floridus ille & preciosus color, quem pictores eodem nomine Laccam uocãt. Odorem prunis impositum iucundum spirat. Saporem habet cùm resolutum fuerit amarum ac tenuem, quale autem per se est, nullum ferè odoris aut saporis qualitatem remittit propter nimiam substantiæ densitatem. Eligito maiores eius grumos, colore fuluos, translucidos & adhuc surculis adhęrẽtes: reprobatur immundum, admixtis corticibus aut aliis rebus plenum, & quod nigrũ est. Cùm lauare & sordes ab eo segregare uolueris, in feruentis aquæ sextarium sex Canchami uncias conijcito, & bullire paulatim sinito, donec aqua sanguinea aut purpurea reddatur, tum excolatam aquam, abiectis quæ in colo remanserint fordibus, ad spissitudinem liquidi mellis decoquito, & liquidis medicamentis, quæ Laccam requirunt, misceto. si uerò solidis & siccis miscere opus fuerit, diutius coquito, donec refrigeratum pristinam soliditatem ac duriciem recuperet, hoc modo preparatum Canchamum nigrũ fit, estq; hæc genuina lauandi Laccam ratio, poteris etiã pro simplici aqua Schœnanti, aut aliorum epati obstructo cõuenientium & aperientium medicamentorum decoctionem aut dilutum accipere: lauatur etiam alia ratione, tritum abiecta aliquoties in qua lauatur decoctione, aut aqua, secundum absurdam & omnibus modis improbandam recentiorum authorum traditionem.

DE

DE SARCOCOLLA. CAP. LXXXVI.

SARCOCOLLA, arbusculæ cuiusdam in Perside nascentis lachryma est, colore ruffa aut candicans, concretione tenuis, minutis, ueluti friatis, atque Thuris, Mannæ similibus grumis cõstans: Sapore amara, acris, nauseosa, gummi instar glutinosa, atque in aqua aut aqueo humore aliquo dissolubilis. Eligito rarum, ueluti spumosum, candidum, amarissimum, & gummi instar glutinosum: ruffus color inueterascentis indicium est: adulteratur minuto & friato gummi, sed facilè deprehenditur, adulteratum enim minorem amaritudinem resipit, & minimè acre est, neque nauseam, cum deglutitur, prouocat, neque fauces scarificat.

DE BENZOO. CAP. LXXXVII.

BENZOVM seu Benzoi, quod etiam Assa dulcis appellatur, arboris cuiusdam in India nascentis resinosa lachryma est, quæ ad nos non grumis ueluti Thus, Myrrha, Canchamum atque alia huiusmodi affertur, sed antea ab incolis, apud quos prouenit, expressa, ac demũ in magnos pastillos, massas ac panes compacta, qui malleo percussi facilè in partes & grumos dissiliunt. Substantiam enim habet aridam & friabilem ceu pix aut resina siccissima atque Colophonia, alio nomine Græca pix appellata. Colorem habet uarium, ruffum, flauum & candidum, eosque distinctos & translucentes. Saporem subdulcem, suauem, & modicè ueluti arescentem, quemadmodum Guaiacum lignum: commanducatum in ore non dissoluitur propter resinosam consistentiam, sed Masticheѕ modo inter dentes lentescit, pallidumque in lurido colorem acquirit, translucidum amittens. Odorem spirat ualdè iucundum, cùm teritur ac tractatur: prunis uerò impositum multò acriorem, & propter fuliginosum siccum uaporem fauces siccantem & tussim irritantem. Eligito purum, & quod immixtis folijs & corticibus careat, translucidum, maioribus grumis distinctos colores habentibus, in densam massam compactum & formatum. Substãtia constat neutra, hoc est neque aqua neque oleo dissolubili, quemadmodũ & Viscum. Cortex arbori, ex qua destillat, est Guaiaco similis, sed uenosus: folia uerò lata Terebintho aut Lauro similia & æqualia, quę nõnunquam panibus immixta unà cũ lachryma afferuntur: materia uerò arboris qualis sit nobis nondũ cõstat: uerùm quatenus ex sapore & odore sumpta ratiocinatio ualet, magnam habet cum Guaiaco arbore in qualitatibus similitudinem, quid autem figura differant, explorandum.

DE OLEO BENZOINO. CAP. LXXXVIII.

BENZOINVM oleum duplex est. Primum enim in India ex recenti Benzoo ui exprimitur, quemadmodũ ex Myrrha Stacte, substantia liquidum, & tenue, colore ruffũ, fuluum & candicans, odoratissimum, nares & caput opplens, atque gustu multò quàm Benzoum acrius, facileque penetrans: quod rarissimè syncerum affertur, neque enim ad hunc usque diem uulgò eius in Germania usus est, quamuis sit uiribus efficacissimis. Secundum peculiari quodam artificio per destillationem fit prædicto simile, sed multò ignauius tam gustu quàm odore: utrumque adulteratur oleo, sed deprehẽditur dolus turbido oleagineoque colore, & rancida faucesque offendente in gustu acrimonia.

DE CINNABARI, *id est, Sanguine draconis.* CAP. LXXXIX.

CINNABARI, seu ut hodie adhuc uocatur Sanguis draconis, nascentis in Aphrica arboris cuiusdam lachryma est, & nequaquam Elephantorũ Draconumque in fabulosa pugna occumbentiũ sanies, ut olim hominibus inculcauerũt suis uenditationibus mercatores, & ut Plinius credidit. Cõcrescit hoc in densos & picis modo fragiles grumos, coagulato sanguini foris colore, & aspectu similes, qui unà cũ adhærente cortice afferũtur, in paruas micas fractũ splendet, & luci oppositũ modicè ueluti spumosũ est, ac cũ teritur roseũ floridissimũque colorẽ habet, integrũ uerò

in profundo & saturo colore nigricat, commanducatum inter molares dentes entescit, iisque tenacissimè adhæret propter glutinosam uiscosamque substantiam: saporem inter masticandum remittit præter glutinosum lentorem, primum subdulcem, & modicè ueluti adstringentem, mox ualdè acrem, & si gustetur paulò diutius linguæ mucronem instar Cariophyllorum, obstupefacientem, & gustati doronici halitum in palato relinquentem. Eligito paruis & cortici ruffo aut candicanti adhuc adhærentibus cōstans, purum, splendidum, profundi, donec integrum est, coloris: cum teritur uerò, floridissimi. Adulteratur pluribus modis, Rubrica, arida colophonia, & pauca synceri Cinnabaris quantitate mixtis, quod in magnos pastillos & oblongos grumos formatur, ut pendentiū in arbore micararum natiuam figuram referat atque æmuletur, sed dolus facillimè deprehenditur colore turbido, liuido, rubricoso & minimè florido: præterea etiā saporis ignauia. Acrimonia enim atque doronici halitu in gustu caret, postremò in oleo statim resoluitur, & colophonia ad pristinum fuluumque colorem redit, ad fundum uasis descendente rubrica: syncera uerò, neque oleo, neque aquæ inter dissoluendum miscetur, sed aquam, in qua coquitur, lacteam reddit in pallido, cum refrigeratur, uasique adhæret.

DE PROPOLI. CAP. XC.

PROPOLIS lachryma est resinosa Betulæ, Populi nigrę & alpinæ arborum gemmantibus, oculis aut germinibus innascens & adhærens: apibus collecta & in aluearíis circa oras & aditus eorum suspensa, qua hyeme omnes rimas amplosque aditus contrà frigoris iniuriam obturant, cuius quatuor sunt differentię. Prima è nigra populo colligitur tantùm, secunda ex Betula tantùm, tertia promiscuè, ex nigra alpinaque Populis & Betula, facilè tamen dignoscuntur. Populo enim nigra desumpta, cui Aegyrinę cognomentū sit, colore est flauo aut fuluo, manibusque tractata mollis fit, & in longum trahitur quemadmodum uiscum. Odorem habet suauem, iucundum, caput mulcentem & somnum inuitantem ueluti Aegyri, hoc est Populi nigræ germina primo uere enata, atque Styraci non dissimilem, sapore eiusdē Populi oculis respondet. Quæ uerò è Betula sumpta est, Semidea, id est, Betulnea in posterum nominetur. Hæc Betulę oculorum odorem spirat, qui Aegyro non est absimilis: colorem habet inter flauum, cinereum & subuiridem medium, atque iam dictæ instar in manibus mollis fit & distrahitur, paulò tamen siccior existit quàm Aegyrina. Quarta uerò quę ex nigra alpinaque populis, & Betula colligitur, utriusque colorem, odorem, saporem & consistentiā mixtas habet, ideoque mixtæ nomen post hac obtineat. Tertiam ex alpinæ Populi lachryma apes faciunt, sed rarò, iisque tantùm locis quibus nulla populus aut Betula, sed Alpina solummodo abundat. Est propoli natura, ut oleo resoluatur ueluti cera, ponderosior tamē densiorque est, nam in aqua liquefacta fundum petit: cera uerò aquæ supernatat. Eligito in quouis genere odoratissimam, synceram, & minimè admixtam ceram habentem, quod si cera doli causa adiiciatur, in aquam propolis coniiciatur sufficientem, & coquatur, ita enim syncera ad fundum uasis descendet, cera uerò aquæ innatabit, quæ refrigerata facilè au eretur.

DE STYRACE. CAP. XCI.

STYRAX nascentis in minore Asia arboris cuiusdam lachryma est, in paruas micas aut grumos concrescens, substantia resinosa, pinguis, in longum, ubi incaluit, ductilis, in oleo resolubilis admodum, cum grauitate non pauca, odorata ueluti propolis, præsertim cum prunis imponitur, cuius tres cognoscuntur species colore tantùm differentes, prima candicat, altera ruffa est, tertia nigricat simulque liuet, ruffa foris plus rubet quàm intus: candida, ac nigra per totam substantiam eundem colorem habet, reperitur etiam flaua quædam inter ruffam & candidam media. Meminit præterea Dioscorides candidæ pellucidæque Styracis gummi similitudinem

tudinem habentis, quam mihi uidere nondum licuit, quanuis diligentissime eam inquisiuerim: prædictarum enim nulla pellucet, neque ulla ex his copiose & sola affertur, sed omnes commixtæ, atque arboris suæ schobe quàm plurima adulteratæ, adeò etiam ut ex integra eius libra, uix uncia syncerae eligi queat, sic allatam hodie omnes Storacem calamitam uocant. Eligito puram, in longum ductilem, pinguem, odoratissimam, atque cum suauitate caput aggrauantem, & somnum inuitantem. Adulteratam, furfurosam, aridam, cano situ obsitam & scobe plenam, nullis medicamentis admisceas, præterquam iis quæ odoris causa conficiuntur: præstaret tamen ijs quoque potius synceram miscere quàm adulterinam, siquidem puriorem, uehementioremque uaporem syncera emittit: adulterata autē imbecilliorem. Fit in quibusdam confectionibus Rubeæ storacis mentio, ibi ruffa lachryma Styracis accipienda est, & minimè cortex ille fuscus et aridus, falsò Storax rubea uocatus.

DE STYRACE LIQVIDO ET OLEO STYRACINO. CAP. XCII.

STYRAX liquidus qui ad nos peruenit, liquidæ aut Laricneæ resinæ consistentiam & crassitudinem habet. Colorem in cineraceo candicantem. Odorem Styraci similem, uehementem, acrem & grauem, præsertim cùm prunis imponitur, per se latius spirat, quàm prædictus Styrax, propter liquidiorem substantiam. Idem natiuus nō est, sed fit additis paucæ calamitæ Storaci, copiosiore liquida aut Laricna resina oleo & uino, simulque coctis, expressis, atque cùm refrixerit donec candorem acquirat, ligneo pistillo agitatis: ex ea mixtura duo resultant, uidelicet Styrax liquidus, & oleum Styracinum: dimissa enim uno atque altero mense, quod deinde tenuissimum, liquidissimum, atque odoratissimum in mixtorū illorū medicaminum substantia fuerit, à crassiore discedit, eidemque ad fundū uasis descendenti, superius innatat oleo crassior, Laricnę resinę liquidior, colore fulua & pellucida, Styracinum oleū appellata, quod à reliquo aufertur, & separatim seruatur, reliquū rursus agitatur ut candorē induat. Eligito in liquido Styrace odoratissimam, odore ad purū Styracē propius accedentem: sed multò uehemētius & grauius redolentem, colore candicantē in cineraceo. Oleū Styracinū ad nos rarissime affertur, in quo probatur fuluū, pellucidū, odoratissimum, & suauius quàm liquida Styrax redolens, & quod lentum sequacissimumque fuerit dum ab intincto digito defluens dependet.

Petrus Belon scripsit mihi se à Lusitano quodam pharmacopola didicisse Styracem liquidam à uera Styrace omnino discrepare, esseque resinā è peculiari quadam arbore manātem in monte Fois, inter Galliam & Hispaniam. Hac itaque ratione duæ sunt liquidæ Styracis species.

DE THVRE, *manna Thuris, & cortice Thuris.* CAP. XCIII.

THVS quod in omnibus Pharmacopoliis hodie corrupto à Libano uocabulo Olibanum appellatur, in Arabia nascentis arboris resinosa lachryma est, in oleo liquescens: cuius plures sunt species, colore & magnitudine grumorum tantùm differentes, uidelicet Indicum, mammosum, masculum Orobia & Manna, ex iis Indicum maximis inæqualibusque glebis constat, pondere sextantalibus & trientalibus, nonnunquam etiam grauioribus: colore tam foris quàm intus liuidum, nigricans, candicantibúsque aut flauis maculis uarium. Mammosum oblongis est grumis Indicoque minoribus, multis oblongis guttis prioribus superuenientibus & inter defluendū densatis, pendulorū mammarū figura cōpositum: colore flauum: cognominatur hoc Stagonia quemadmodū etiā proxime sequens masculum: hoc paruis, rotundis, candicantibus aut flauis est grumis, Auellanę æqualibus: minoribus tamē, maioribusque interdū, partim singulis, partim geminis, ueluti testiculis cohærentibus cōstans. Orobia autem minimis est grumulis, Eruo aut Viciæ æqualibus, & globosis: colore masculo simile, hæ Thuris differentiæ hodie nō separatim sed mixtę afferuntur. Habet omne Thus suauē, acrē, aromaticū, & uehementē odorem, cùm per se, [?]tū prunis impositū. Saporem autē amarū, suauiter acrē et tenuem. Probatur natiuā habens in grumis figuram in quouis genere, nitidum, purū, intus cū frangitur pingue, odoratissimū, & quod quamprimū, si accendatur, ardeat flamma lucidissima. Adulterabatur olim Pinea resina, et gummi, hodie uerò Terebinthina uera: sed facile deprehēditur. Resina enim in tenues micas & farinā facilè friatur, & in fumū cū uritur, euanescit atque liquescit. Thus solidius est, citissime accenditur nec adeo liquescit, gūmi in igne fœtet & in oleo nequaque dissoluitur. Porrò mānna à ueteribus appellata, Thuris pollen & farina est: crebro motu concussione et at-

titione in saccis aut cistis elisa, colore candicans. Probatur pura, Thuris grumulis, Orobiæ minoribus mixta, atq; eundem Thuri odorem ac saporem habens. Vitanda est cribrata, resina adulterata: hęc, cū prunis inspergitur, inęquali fumosoq; motu, & obscure ardet, mixtumq; odorem alieno uapore spirat. Cortex uerò, Thuris arboris Thuriferę cortex est, qui unà cum adhærentibus affertur. Eligito crassum, pinguem, nitidum, leuorem habentē, et qui Thus imbiberit, odore & sapore Thuri similem, sed uehementius adstringentem.

DE TEREBINTHINA RESINA. CAP. XCIIII.

TEREBINthina, appellata Terebinthi, arboris resina est: colore candida, subflaua, uitrea, aut candido cœruleū colorem affectans, interdum pellucida, quæ friata, primùm in plurimas micas teritur, mox lentescit, & glutinosa fit. Odorem habet acrem, suauē, aliquantulùm grauem, & Laricneę resinę non dissimilē, præsertim manibus tractata, & prunis imposita. Gustu modicè amarescit, et inter dentes lentescit, iis dum masticatur adhærens: destillat hæc primū liquida, deinde paulatim arescit. Eandem hactenus sacrificuli unà cum Thure accēsam, in templis adoleuerunt, ob id incensum appellantes: quò factum est, ut hodie adhuc cum Thure ex Syria & Aegypto allata, pro Thuris quadam specie uendatur ab imperitis & impostoribus mercatoribus, qui differentiam inter utrumq; facturi, hanc, Incēsum siue Thus appellant: (sed magno errore) Thus autem uerum Olibanum, non intelligentes hæc duo uocabula, alterum græcum, alterum latinum, eiusdem rei nomen esse.

DE MASTICHE. CAP. XCV.

MASTICHA, seu Mastiche, quæ hodie Mastix ubiq; nominatur, Lentisci arboris resina est: colore foris propter inhærentem puluerem, attritione elisum, candida, aut flauescens: eo autem absterso, uitrea, aut propemodum Crystallina atq; omnino translucens: odore suauis: gustu aliquantulùm adstringens, tenuis, oris halitum commendans, & inter dentes lentescens: liquida primùm destillat, deinde paulatim aridam consistentiam acquirit, & in guttas densatur, ideoq; minutis grumis cōstat, pondere obolum plerunq; pendentibus, frequentius etiam minoribus, & nonnunquam maioribus. Eligito synceram, puram, candidam, omnino trāslucentem, odoratissimam, dum manibus tractatur aut masticatur, lentescentem, atq; inter dentes transparentem, qualitatem amittentem, & loco eius niueum candorem induentem.

DE SANDARACE. CAP. XCVI.

SANDARAX maioris Iuniperi resina est: substantia arida, dura, flaua, omnino translucida & aspectu Mastiche similis: longioribus tamen coniunctis & inter destillandum densatis in grumos guttis constat, duriorq; & multò aridior existit, ideoq; neq; inter digitos neq; dentes lentescit. Odorem habet Mastiche, sed acriorē dum teritur, aut prunis imponitur: saporem etiam eidem similē, sed amariorem. Probatur munda, calculorum, corticum & surculorum expers, prorsus transparens, flaua, atq; odoratissima: aliud ab hac Sandarace est Sandaraca, metallicū medicamentum Auripigmento cognatum.

DE RESINA ELEMNIA. CAP. XCVII.

RESINA Elemnia, quam aliqui gummi Elemni uocant: ex qua arbore destillet nullus authorum prodidit, cùm ne nomen quidem eius apud ipsos reperiatur, quapropter hodie adhuc nullus est eius in Germania usus, rarissimè etiam hactenus affertur, idq; ab uno aut altero in tota Germania Pharmacopola tātùm. Quātum autem ego ex cōsistentia, qualitatibus & facultatibus eius ratiocinari possum, hæc resina nihil aliud est, quàm Cedri lachryma: at quoniam hoc nondum certò cōperi,

peri, ideò Elemniæ nomine, pharmacopolis cognito, eam descripturus sum. Est autem Elemnia non gummi, sed resina densa & sicca, in grumos castanearum magnitudine concreta, foris in flauo sordida, intus flaua, maculis modicè candicantibus distincta, et Thuris modo pinguis. Odore acris, uehemēs, & Sandaraci similis, sed grauius & uehementius redolet, ueluti hodie uocata Colophonia. Saporem habet inter Thus, Colophoniam & Sandaracem medium. Eligito synceram, pinguem, flauam & translucidiorem.

DE COLOPHONIA. CAP. XCVIII.

COLOPHonia quæ nunc ita uocatur, pix est arida: colore in ruffo fulua, & translucida, cum grauitate et uehementia quadam odorata. Sapore amariuscula & subacris, magnam habens cum Elemnia resina, odore, sapore, & substantia similitudinem: quapropter si Elemnia Cedri est resina, hæc sine dubio eiusdem arboris pix est: nam nostra Colophonia plurimùm à ueterum Colophonia differt, siquidem quæ apud ueteres sic appellatur, resina est liquida: quam uerò hodie Colophoniam nominamus, arida pix est, à quibusdam Græca pix uocata. Laudatur pura, fulua atque omninò translucida.

DE LARIGNA RESINA. CAP. XCIX.

LARIGNA resina è Larice arbore emanat, est autem omninò liquida, consistentia oleo crassior, melle uerò liquidior: colore flaua, aut uitrea: odore acris suauis, atque aliquantulùm grauis: gustu amara, acris & tenuis: probatissima quæ ab intincto digito contumaciter & æqualiter defluit, aliquantulùm translucida, odoratissima atque purissima. In uitrea probatur clarissima & uitri instar lucem transmittens. Hanc hodie ubique ferè per Hispaniam, Galliam, Italiam atque Germaniam Terebinthinam appellant, atque eadem etiam pro Terebinthina utuntur, magno in rē errore. Nascitur copiosissimè hæc resina eiusque arbor in Germania, uidelicet in Silesia, Morauia, Transsyluania & Alpibus, unde in alias Europæ nationes defertur.

DE LADANO CAP. C.

LADANON neque resina neque gummi est, sed pinguedo quædam roscida, Ladæ frondibus superficie tenus insidens. Est autem Lada Cysto similis frutex: colligitur hæc pinguedo duplici ratione, uidelicet casu & industria. Nam dum capræ frondes huius fruticis depascunt, barbis pinguedinem abstergunt, inhærentemque uillis, domum saturæ portant, dominis suis depectendam: hic collectionis modus casu deprehensus est. Ex industria autē Ladanum collecturi uillis obsitos funes, aut funes tantùm per Ladæ frondes trahunat, itque sic inhærentem pinguedinem depectunt, & in offas latiusculasque massas conformant, medicamentum quod Ladanum seu Laudanum uocatur cōstituentes. Tactu lentum & mollescens, in oleo dissolubile: colore cùm huc affertur, ruffum, aut in purpura fuscum: sapore adstringens: odore ferum, uehemens, acre, & tamen suaue atque iucundum, nec ingrata suauitate caput olfactumque mulcens. Adulteratur calculis minutis, terra & arena, sed deprehenditur facilè, pondere, duricia, nigricia atque odoris ignauia: nā syncero multò ponderosius est, neque digitis dū tractatur adeò adhęret, neque mollescit: si cultro incidatur, terram & harenam ostendit, cultrique aciem hebetat, atque inter masticandum dentes offendit. Syncerum uerò nullo ex iis uiciis dedecoratur, sed dentibus cedit absque ulla eorum offensione. Eligito leuissimum, in sole diffluens & mollescens, inter digitos lentescens, iisque adhærens, colore ruffum, purū atque odoratissimum, cū per se tū prunis impositū. Nascitur in Lybia, Arabia et Cypro, unde ad nos affertur.

DE GVMMI. CAP. CI.

GVMMI quod Arabicum cognominatur, Crispinæ spinæ modo aculeatæ, siliquas Lupini figura ferentis, contortique aspectus arboris in Arabia atque

Aegypto nascentis lachryma est, in grumos Auellanæ Castaneæ'ue magnitudine concrescens, frequenter etiam uermium aut lumbricorum contortorum figuram referens: colore uitreum, candidum, fuluum & pellucidum: gustu glutinosum, dulce, dentibus contumaciter adhærens, eósque glutinoso lentore coniunctos detinens, ut difficilimè distrahantur: aquam qua dissoluitur in lentam, sequacem liquidamque mucilaginem conuertens. Eligito purum, uitreum, translucidum aridumque.

DE TRAGACANTHO.

TRAGACANThum glutinosum est gummi, ex Hircinæ spinæ radicibus collectum, oblongis, curuis, intortisque lachrymis, ueluti per cribrum aut rarum linteum expressis, constans colore candidum & pellucidum nitorem leuorémque habens: reperitur etiam flauescens, subruffum, & in fusco rubescens. Substantiam habet lentam, glutinosam, tritu difficilem, aquam qua dissoluitur, in densam, coagulatam & tremulam mucilaginem, glutinis instar tenacem, conuertentem: sapore subamaram & mediocriter dulcem. Eligito candidissimum, purum, minimè sordidum, æqualiter translucens, & cuius minima portio maximam aquæ copiam coagulet. Affertur ad nos ex Asia.

DE LASERPICIO CAP. CII.

LASERPICium ferulaceæ cuiusdam herbæ densatus liquor est, in Lybia, Media & Syria nascens, ex his, qui in Lybia prouenit, alibi natum odoris bonitate excedit. Verùm hic in Germaniam aduectus est nunquam. Illud autem Laserpicium quod in Syria ac Media gignitur, ad nos peruenit atque in alias Europæ nationes, Assæ fœtidæ nomine. Scarificantur eius herbæ radices & caules: liquor è plagis destillat, & in guttas grumosas concrescit, colore ruffus, flauus aut candidus: sapore acris, feruidus & subamarus: odore acerrimus & latè spirans, uirosa grauitate Allii, Ceparum Porrique odorem superans, caput replens. Eligito cādidioribus, flauis, tactu lentis, atque lucem mediocriter transmittentibus guttis constantem: purum, lentum, inter tractandum uiscosum, pondere leuiusculum, & nullis festucis sordidum. Adulteratur pluribus modis, plerúmque tamen terra, arena & trito marmore, sed deprehenditur facilè, duricia, ponderis magnitudine, habitu sordido, minime natiuam grumorum figuram referente, atque arena, marmore & terra dū resoluitur, ad fundum uasis descendentibus, ac si coletur in colo remanentibus. Resoluitur ad liquida medicamenta aqua, aut aceto, aut uino iniectum supra prunas.

DE SAGAPENO. CAP. CIII.

SAGAPenum quod hodie Serapinum corrupto nomine appellatur, nascentis in Syria atque uicinis ei regionibus ferulaceæ plantæ densatus liquor est, quemadmodum & Laserpicium, cui etiam colore, sapore & odore non est dissimilis, non tamen adeò magnum, sed mitius uirus redolet. Eligito syncerum, pellucidum, foris ruffis: intus autem cum frangitur flauis aut candicantibus guttis compactum, inter digitos si tractetur lentescens, & propemodum medium inter Laserpicium & Galbanum odorem habens. Affertur ad nos in hunc usque diem recens, syncerum ac minime adulteratum, quod in posterum quoque ut fiat, opto. Resoluitur quemadmodum Laserpicium.

DE GALBANO. CAP. CIIII.

GALBanum prouenientis in Syria ferulaceæ plantæ Metopium appellatæ liquor est, grumis tam foris quàm intus flauis aut candicantibus compactus: substantia mollis, pinguis, cum tractatur uiscosus & digitis adhærens: sapore amariusculus, mediocriter acris, odore grauis, caput suauiter implens & somnum

concilians,

concilians, plerumq; caulium suorum assulis mixtus. Eligito syncerum, purum, pingue, cum accenditur claram & cum impetu ardentem flammam nutriens, neq; nimis liquidum, neq; nimis aridum, sed mediocriter uiscosum, micis suis Thureas guttas imitans, colore maximè flauum, tale enim recens est. Resoluitur ut Laserpicium.

DE HAMMONIACO. CAP. CV.

HAMMONIACVM, seu gutta Hammoniaca, à ueteribus etiam Hammoniacum Thymima appellatum, nūc uerò corrupto nomine Armoniacum, ferulaceæ plantæ Agasyllus nominatæ, & in Lybiæ harenis, atq; circa Hamonis Iouis delubrum nascentis densatus liquor est, densis solidisq; grumis, in massas compactus Thuri non dissimilibus, foris flauis, ruffis, aut in fusco flauis, intus autem candidis aut subcandidis, nitidis & splendentibus. Odore ferè Galbanum pauco castoreo mixtum referens, gustu amarum. Eligito syncerum, minimè harenosum, omnino purum, maioribus grumis, foris flauis aut croceis, intus uerò candidioribus congestum, cum accenditur, claram flammam alens, & repentino ictu propter densitatem aridiorem in plures splendidas nitentesq; micas dissiliens, & cum manibus tractatur, cum lentore mollescens, quod huiusmodi fuerit Thrausma à Dioscoride uocatur, quæ uerò minoribus micis est, & arenis plena, ab eodem Phyrama dicitur. Affertur ad nos syncerum & ualdè purum, omnibusq; bonitatis notis commendabile: nōnunquam tamē semine suo permixtum, quod latum duplexq; est, ueluti Anethi semen, sed maius. Resoluitur ad medicamenta quemadmodum Laserpicium.

DE OPOPANACE. CAP. CVI.

OPOPANAX, siue Opopanacum, ferulaceæ plantæ, Panaces Herculeum appellatæ densata lachryma, seu liquor est, pisō æqualibus aut maioribus guttis in massas compactum. Massis, grumis, guttisq; eius foris croceus, uel ruffus in puniceo color est, intus uerò candidus aut flauescens. Substantiam habet pinguem inter digitos lentescentem, saporem amarum, mediocriter acrem & tenuem, Lygustico nostrati per omnia similem, uehementiorem tamen. Odorem quoq; remittit ueluti Lygusticum acrem, latè spirantem, cum grauitate aliqua caput implentem. Eligito croceo foris colore, intus candido, pingue & Galbani instar lentescens, purum, nullis caulium assulis mixtum, gustu uehementissimum, odoratissimum, maioribus grumis constans, atq; propius ad lacteum liquorē, dum resoluitur, accedens. Dissoluitur ad liquida medicamenta, quemadmodum Laserpicium, eiq; cognati liquores. Quod si aliquem ex prædictis liquorem ab immixtis ferulæ assulis aut surculis purgare uolueris, mediocriter contritum linteo præligato excipito, atq; in fictili suspendito, superinfuso quantum satis fecerit uino, aceto aut aqua, prout condu cere aliquis horum liquorum uideatur: atq; paulatim calefieri supra fornacem sinito, cum deinde in linteo liquidum factum fuerit, aut fieri cœperit, exprimito quod sincerum est, surculos uerò in linteolo remanentes abiicito. Purgatur etiam alia ratione, cum nodus ita suspenditur ut humorem non tangat, sed ut feruentis tantùm humoris uapor per linteum penetrans liquorem emolliat, donec exprimi queat, quòd calente adhuc eo fieri necesse est. Affertur ex Aphrica, Aegypto & minori Asia.

DE OPIO. CAP. CVII.

OPIVM nigri papaueris liquor est, ex scarificato eius uasculo emanans, colore primum lacteus & consistentia liquidus collectus flauescit atq; exiccatur, cùm omnino dēsatus fuerit colorem acquirit ruffum, spadiceum aut fuscum, atq; in massas herbę suę foliis inuolutas conformatur. Odorem spirat acrem, grauem, & caput in soporem trahētem, ueluti tota ex qua colligitur herba, sed multo grauiorem. Saporem habet amarum, acrem, & linguam stupefacientē. Probatur syncerum, purum, in arido mollescens, in sole diffluens, colore quàm maximè ruffum aut spadi-

ceum, cùm frangitur splendore quodam nitens, & qui facilè dissoluitur, nec Ceræ modo lentescit. Affertur ex Aegypto ad nos.

DE EVPHORBIO. CAP. CVIII.

EVPHORBIVM, Euphorbię nominatę plantę liquor est, cuius duo sunt genera. unũ in æquales densatur guttas, magnitudine pisi, modicè cauernosas: colore flauas & mediocriter lucem transmittentes. Alterum in excipulas sub plagis suspensas confluit, & in massam densatur: colore uitreum aut candicans. Primum affertur ad nos frequentius: utrumq; saporem habet omnium feruidissimum, non tamen è uestigio cùm gustatur agentem: sed paulatim ferueścentem, palatum, fauces maxima acrimonia scarificantem, exurentẽ, & interdum integrum diem perferentẽ, si uel tantillũ ex eo in ore dilutũ deglutiatur: naribus attractũ idem præstat. In summa Tithymalli alicuius gustu qualitatẽ repręsentat. Porrò planta ex qua colligitur, aculeis cortice crassiusculo exeũtibus, ceu uallo munita est, fructũ parit in trifido folliculo, ternis utriculis coniunctũ, Lathyridi similẽ, sed paulò minorẽ: semina utriculis singula clauduntur, colore foris flaua, intus autẽ candida ac pinguia: gustu liquorẽ ęmulantia. Quapropter si quis accuratè hanc plantã consideret, inter Tithymalli species reponendã esse indicabit. Eligito grumos liquoris eius puros, cãdidos, aut flauos & pellucidos: qui uerò plantæ suæ aculeis & fructibus permixtus est, reprobatur, ideoq; tã spinas quàm semina è liquore electa abiicito, cùm syncero uti destinaueris. Affertur ad nos ex Aphrica syncerũ, rarisimè adulteratũ. Adulteratur autem Gummi, aut Sarcocolla, & Tithymallorũ liquore, sed facilè dignoscitur. Gummi enim dulcedine & glutinoso lentore deprehenditur: Sarcocolla friabilis est, gustuq; amara: Tithymalli uerò liquor non ita in guttas magnas concrescit, sapore tamen similis ei est.

DE SCAMMONIO. CAP. CIX.

SCAMMONIVM, quod hodie Scammonęam appellant, Scammoneæ nominatæ herbæ liquor est, in excauatam eius radicem confluens, colore primùm lacteus, & substantia liquidus: is aufertur, & densatus in massas confirmatur: cùm exaruit colorem acquirit fuscum, aut liuidum, aut cineraceum, aut fuluum: qui fuluus aut ruffus fuerit, pellucet: cæteri colores densis massis sunt, lucemq; non transmittunt. Eligito rarum, spongiæ instar foraminosum, pondere leue, minimeq; densum aut ponderosum, colore cum frangitur fuluum, Taurini glutinis modo translucentem, mediocriter lentum, & tamen fragile, dissolutu facile, uenis tenuissimis distinctum: gustu leniter amarescens, paululùm acre tenuitate qualitatis, mediocriter saliuam eliciens, & cum linguę adfricatur, in candidissimum liquorem, lacti similem superficie se resoluens. Adulteratur Tithymallorum liquore, qui similiter ad linguam albescit, sed deprehenditur in gustu, fauces exurente & dolum prodente acrimonia. Syncerus autem fauces nequaquam scarificat, ut Tithymalli liquor, sed omnino Cyssampeli, hoc est, maioris Conuoluoli liquorem resipit, & similiter nauseam gustatus affert, idq; non immeritò: est enim Scammonia cuius liquor est Scãmonium, Cõuoluolo per omnia similis, quantùm ad uiticulas, flores, lacteum liquorem & qualitates attinet: folia quoq; ab huius foliis parum discrepant: sunt enim ipsius foliis similia, sed pilosa, triangularia, atq; in alatæ sagittæ figuram redacta.

DE

Scammonium.



DE ALOE. CAP. CX.

ALOE eiusdem nominis herbæ densatus succus est, quem Indi pellibus insusum ad nos mittunt: eius tres hodie cognoscuntur differentię, ex eadem tamē planta expressæ. Optima Succotrina appellatur, omnium purissima, quę dum frigida est, malleo percussa, in splendida nitidaꝗ fragmenta dissilit. Colore fulua, aut ruffa & pellucida, inter tractandum mollescens, in sole diffluens, atque foris nitido fuscoꝗ, aut nigro colore bonitatem suam intus latentem, abscondens & dissimulans. Saporem habet amarum, adstringentem, aromaticum, aliquantulùm tenuem & oris halitum cōmendantem. Odorem autem aromaticū, & tamē grauem. Secunda Hepatica cognominatur, prædicto densior, aridior, iocininoris modo concreta. Colore in citrino subruffa, & Succotrina minus pellucida. Odore & sapore Succotrinam æmulatur, grauius tamen olet, pauloꝗ amarior existit, magisꝗ adstringit. Tertia Caballina uocatur, ueterinariis relinquenda, omnium ponderosissima, aridissima, densissimaꝗ. Colore nigra, & minimè translucens, terra arenisꝗ plena, & maius quàm prædictæ uirus olens. Gustu amarissima & ualdè adstringens, & non sine horribili qualitate aliqua palatum & stomachum afficiens. Eligito in quouis genere pinguissimā, purissimam, hyeme friabilē, ęstate molliusculā, & in manibus len-


Aloë.T.2.149.p.932.



tescentem, calculis, arenis ac terra carentem, tam gustu quàm olfactu aromaticã amaritudinem resipientem, somnum odore conciliantem, & dissolutu facillimam. Affertur ad nos ex India atque Arabia, per Syriam & Aegyptum. Herbam autẽ eius ex Hispania allatam, plãtaui, omnibus quibus à Dioscoride describitur notis respondentem, hyeme tamẽ ob gelu eruenda est, & in tepido quodam loco suspendenda, nam in aëre quoq; suspensa uiuit ac incrementum capit, cuius rei causa etiam amphibion appellatur: non enim in Arabia, Indiaq; tantummodo prouenit, uerum etiam maritimis Apuliæ & Hispaniæ partibus, sed faciendo succo inutilis.

DE SACHARO. CAP. CXI.

SACHARVM quod hodie Zuccharum appellatur, melleæ dulcedinis succus est, è singulari harundinis genere expressus, ad iustam cõsistentiam coctus,
& in turbinatas metas densatus, colore & splendore niueus, aut in candido rubescens, cũ aqua dissoluitur & rursum ad crassitudinẽ coquitur, mellis instar pinguis,
I & in longum ductilis, dulcedinis gratia & suauitate ipsum mel superans, cuius pri-
Natiuum. ma diuisio duplex est, natiuum enim alterum & facticeũ alterum. Natiuum liquor
est, sponte ex harundinis suæ oculis in geniculis germinantibus erumpens, principio liquidus, deinde cum sole excoquitur, piso, fabæ, aut auellanæ æqualibus grumis, in salis friabilem naturam ac densitatem concrescens, colore interdum candidum, interdũ etiam fuluum, & pellucidum: hoc antiquis medicis tantùm Sachari atq; salis Indi nomine cognitum fuit. Hodie uerò non amplius affertur, sed eius in locum substitutum est, quod Candum aut candidum cognominatur, cuius mox fiet mentio. Facticium diuiditur in Pyramidale, Candum, Penidium. Pyramidale rur-
II sus in species plures, uidelicet Thomæum, Melisiuum, Cannarium & Finale. Tho-
Thomæũ. mæum à quodam Occidentalis Indiæ loco, cui Sancti Thomæ nomen est, cognominatur, ubi plurimum fit: hoc omnium pinguissimum est, colore candidum aut in flauum uergens, frequenter etiam in mediis metis ruffum, pręsertim in summitate: quod in eo candidum est, præsertim foris, friatur facilè: ruffum uerò propter lentam


Sacharum.

tam pinguedinis densitatem frianti resistit, cũ
resoluitur ruffescit, & in despumando pluri-
mũ spumæ excernit, cum rursus ad spissitudi-
nem coquitur, densitatem diu seruare nequit,
sed propter pinguitudinem melli cognatam
semper humescit. Saporem habet cum odore
aliquo pingui, cæteris quidem dulciorem, ma-
gisq; uiscosum, sed minus suauẽ. Adulteratur
spuma sua, intus pyramidibus admixta: dolus
fusco rubore detegitur. Eligito tactu facilè,
pingue, densum, candidius, & quod non adeò
lentum & contumax fractu est, cũ malleo per- III
cutitur. Melisium similiter ut Thomæum ab *Melisium.*
Indiæ occidentalis quodam loco cognomina-
tur, mediamq; habet inter Thomæum & Can
narium substantiam, colorem & naturam: pu-
rius enim, nitidius, candidiusq; Thomæo exi-
stit, idem facilè friatur, manibus mediocriter
propter pinguitudinem aliquam adhęret fria-
ti farina. Probatur tàm intus quàm foris candi
dissimum: quod autem foris tantùm candicat,
intus uerò subruffum est improbatur, nam ad-
ulteratur hoc quoq; spuma sua Pyramidibus
intus commixta. Cannarium nominatur ab IIII
Insula Cannaria, inter Aphricam, Spagnollam *Cannarium.*
& Americam sita, ubi copiosissimum coqui-
tur: est hoc prædictis duobus generibus soli-
dius, multò candidius, splendidius, ac purius.
Saporem habet ualdè dulcem & suauissimum:
Eligito undiq; niuis instar candidissimum, ari
dissimum, minimè lentum aut pingue, sed mal
leo percussum, in solidas partes dissiliens, dum
dentibus atteritur, cum strepitu quodam cre- V
pans, atq; si resoluatur ac despumetur, aqueam claritatem habens. Finale, siue Zuc *Finale.*
charum Finis aut Fini à mercatoribus appellatum, nomen inuenit ab extrema & fi-
nem consecuta bonitate. Fit hoc è Cannario cùm optimè despumatur & depuratur:
decoquitur deinde lento igne ad debitam consistentiam, postremò in dodrantales
Pyramides cœrulea charta inuolutas fingitur. Optimũ quod candore, ariditate &
splendore etiam optimum Cannariũ superauerit. Adulteratur Cannario in paruas
metas, seu Pyramides formato, sola metarũ paruitate & chartæ colore: Finale men VI
tiente dolum detegunt fragmenta, à Cannario nihil differentia. Candum ex quo- *Candum.*
uis supradictorum genere fit, è Thomæo difficilè tamen: uerùm è præstantiore, prę
stantius & pulchrius. Resoluitur eorum quoddam, ac denuò ad iustam consisten-
tiam, certum modum non excedentem, tum ollis infunditur è rariore luto factis,
intus prius ligneis tenuibusq; hastulis, per transuersum inuicem crucis modo cre-
bro dispotis, repletis, ita tamen unciæ aut duorum digitorum interuallo, ab inuicẽ
ligna illa distẽtò. Fiunt hęc è recto fissiliq; ligno quale est Abietis aut Piceastri. Re
ponitur deinde feruens adhuc in calefacto æstuario, donec circa insertas hastulas
densatum, cuborum aut cocti Calchanti modo concreuerit, tum eximitur & in par-
tes ueluti longos racemos diuiditur. Saporem habet Cannario similem, ori indi-
tum sensim liquescit, dentibus autem comminutum, crepitu uehementiore quàm
Cannarium obstrepit, quoniam omnium durissimam substantiam possidet. Proba-
tur quod in fuluo colore flauescit & pellucet, quódq; in maiores cubos exæquatis

splendidisq́ lateribus, densatum fuerit. Laudatur atq; excellentissimum censetur omne Zaccharum, quod recens fuerit, atq; minimum spumæ ac sordium in despumando remiserit. Affertur quod iam descripsimus Zaccharum Pyramidale omne ex occidentis Insulis atq; regionibus, quas antea nominauimus, Antuerpiam, clarissimum inferioris Germaniæ emporium: ubi demum interpolatur, ac Finale coquitur, atq; maxima Candi appellati copia. Affertur etiam à Venetiis terrestri per alpes itinere, non tantùm Finale, uerùm etiam aliæ eius differentiæ. Hæc sunt Zacchari genera quæ nobis mittuntur hactenus, & quæ unà cum nominibus suis in Germania cognoscuntur. Alibi autem natum ueluti in Creta, Cypro aut aliis regionibus, quibus differentiis dignoscatur, inquirendum. Nouisse autē oportet has generum differentias non plantæ diuersitate fieri, sed terræ ac locorum, in quibus VII *Melicalamus.* nascitur, diuersa natura ac situ oriri: eadem enim est herba quæ hunc liquorem fundit, quantùm ad figuram, attinet, qualis autem hęc sit: iam tradimus. Herba est harundinei generis, ab uno radicis cespite plures ac proceras harundines, quas Cannas recentiores uocant, emittens, humanam proceritatem longitudine excedentes, pollice multò crassiores: ac interdum manum complentes, figura teretes, colore flauas, crebris geniculis ueluti Zozis, sextantis, quadrantis, aut trientis interuallo distantibus precinctas. Folia è geniculis exeūt sursum erecta, figura harundinea, bicubitalia, ac frequenter etiam longiora, duobus digitis latiora, atq; palustri Tiphæ tam figura quàm positu similia: ipsę harundines fungosa intus medulla plenę sunt, & melleæ dulcedinis succo turgent. Radicibus nititur crassis, geniculatis, obliquis, atq; per transuersum se propagantibus, intus non minus quàm Cannæ fungosa, dulci, succosaq; medulla grauidis, à quibus oculi aut germina ad consitionem auferuntur. VIII *Penidiam.* Flores & semen eius quales sint mihi uidere nondum licuit, quapropter silentio ea præteribimus, donec aliquando utrunq;, concedente Christo, oculata fide cognouero. Penidium uerò Zaccharum ex Pyramidali fit, in micas confracto, per noctem in sufficienti aqua, donec resoluatur macerato, tum ad iustam & diligenter considerandam consistentiam lentis prunis, absq; despumatione coquendum, usquequo gutta eius frigido marmori instillata, seipsam contineat nec diffluat, aut do nec frigidæ aquæ instillatum omninò densetur atq; indurescat, nec in ea inter instillandum dissoluatur: deinde super marmoream tabulam aut mensam optimè exæquatam, oleo quodam pinguissimo superunctam, dum adhuc feruet effundendū, eiusq; diffluentes oræ & extremitates continuè in medium referendæ: cùm autem propemodum Larignę resinę crassitudinem acquisiuerit, in unco parieti affixū, suspendendum, defluensq; sine intermissione ad uncum referendum, atq; celerrimè diducendum distrahendumq; est, donec candorem acquirat, tum ueluti in tenues funes torquendum & exiccandum: agenda hæc sunt in calido æstuario, manusq; Amylo conspergendæ. Eligito candidissimum, rarissimum, at leuissimum.

DE DROSOMELITE, *id est, Manna.* CAP. CXII.

DROSOMELI, quod etiam Aëromeli à Græcis, ab Arabibus uerò, Men, Siracost & Tereniabin, à Medicis autem recentioribus Manna appellatur: roscidum siue aëreum mel est, ut ipsa etiam Græca eius nomina indicant. Pandectarius tamen Tereniabin diuersum esse à Manna tradit, sed impropriè, siquidem genere nihil differunt, utrumq; enim aërei mellis species existit. Est autem omne aëreum mel qualecunq; id fuerit succosus, optimusq; terræ uapor: æstate cum plures sereniss ími dies fuerint, calore eleuatus, in aërem attractus, & ibidem in dulcem liquorem excoctus, qui postremò nocturno frigore coactus, ante diluculum, uice roris super arborum & fruticum folia decidit. Colorem & cōsistentiam eandem minimè habens in omnibus regionibus; quod enim in calidioribus locis, ueluti Arabia ac Syria gignitur, in paruas, friabiles, cādidasq; micas densatur; quod uerò apud nos in Germania decidit, (decidit enim æstate serena sæpissimè) liquidum, flauumq; est, foliisq; ceu superinfusus aliquis Sirupus insidet, liquidum permanens, donec ab


ab apibus & eius generis insectis absorptum auferatur. Gignitur etiam in Calabria, nostrati siccius, propter cœli temperaturam, nostri aëris temperamentum calore uincentem. Hoc ab incolis colligitur, & ad medicinæ usum seruatur, diu tamen durare nequit: corrumpitur enim ac diffluit quauis humida aëris constitutione, ideoq; calido siccoq; loco repositum seruari debet. Eius duę à pharmacopolis constituũtur differentię, Masticina & Granata, ab argumento cognominatæ. Granata manna minoribus granis aut grumulis constat. Masticina autem maioribus atque Mastichæ guttis propemodum æqualibus. Saporem habet ubicunq; genita, dulcissimum, aliquantulùm Penidii instar lubricum & uiscosum. Eligito recentem, candidam, & anno minimè uetustiorem, ultra id tempus inueterata ruffescit & fusca fit, atq; medicinæ inutilis redditur. Adulteratur quàm facillimè Zacharo penidio, gramini aliarumq; herbarum foliolis circumuoluto, & in paruas micas formato, ut de cœlo cadentes, ac circa foliola densatas guttas, habitu suo mentiens, pro natiuo uendi possit: indicat fraudem durationis tempus: huiusmodi enim in annos plures seruatur. Nouisse etiam oportet facticeam esse quæcunq; Senæ folia grumis suis amplectitur, nulla enim ex Arabia & Aegypto ad nos affertur Manna, nedum quę super Senæ frondes in Aegypto prouenientis ceciderit: nam Sena in Europa nascens satiua est, & Manna super satiuas herbas parcius cadit, cùm parua earũ sit copia: in syluestres uerò frequentius se dimittit, quoniam latos campos occupent, recipiendo huic liquori capaciores.

DE CHINAEA RADICE. CAP. CXIII.

CHINAEA radix quam aliqui Chinam appellant, & Schinam pronunciant, à China occidentalis Indię regione nomẽ accepit, in qua copiosè nascitur. est autem tuberosa, inæqualis, media inter Tuber & Rhodiam radicem figura, magnitudine incerta, raròtamen triente breuior: foris in cineraceo pallida, simulq; fusca, intus uerò candida, nigrisq; filis per longitudinem transeuntibus distincta: substantia tenera, fungosa, leuis & arida ueluti Galanga aut Rhodia radix: ea digitis confricata & auribus admota Pumicis aut Meliæ terræ instar, strepitum emittit. Saporem habet tenuem, subdulcem, & aliquantulùm suauem. Odorẽ similiter tenuem, non iniucundum, & halitum inter masticandum commendantem. Vtuntur indigenę ea aduersus morbum Gallicum, decoctum ipsius propinantes. Affertur Antuerpiam.

FINIS LIBRI QVARTI ET VLTIMI.

Folium ad cap. 52. lib. 4.



Eleagnus Cordi.



Caspari Collino Pharmocopœo

peritißimo Seduni apud Vallesios, Conradus Gesnerus S. D.

ACCIDIT errore quodam, ut pictor dum stirpes aliquot è meo pictarum stirpium thesauro pro his Cordi libris depingeret, has etiam numero quinq; ad Cordi libros nõ pertinentes, in formis ligneis expresserit. quod ne frustrà factum esset (nostrum enim stirpibus quod meditamur uolumen, an cum eiusmodi aut aliter factis iconibus, olim Deo largiente edituri simus, nondum constituimus.) Cordi libris hîc eas subiungere, & ad tuam humanitatem, optimè & charißimè mi Colline, mittere uolui. tu enim inter Pharmacopœos eruditione excellis, & meum in Stirpibus inuestigandis studium benignè iuuas, communicandis subindè ijs quæ in patria tua herbarum feracißima, non uulgaria tibi se offerunt. His igitur fruere interim, donec tandem nostrum etiam De Fontibus Heluetiæ & Germaniæ medicatis, iam dudum in tuam gratiam inchoatũ, & propter alias occupationes intermissum librum absoluero. Vale. Tiguri decimo Calend. Ianuarij, instantis anni M. D. LX.

DE TVLIPA TVRCARVM.



HOC Anno à natiuitate Domini M. D. LIX. initio Aprilis, Augustæ, in horto magnifici uiri Ioannis Heinrichi Heruuarti uidi herbam hîc exhibitam, ortam è semine quod Byzantio (uel ut alii, è Cappadocia) allatum erat. Florebat tũ temporis, flore uno pulcherrimè rubente, magno, instar lilii rubri, octonis condito foliis: quorum quatuor foris sũt, & totidem intus, odore suauissimo, leni, & subtili, qui breui euanescit. Color interius pallidus est aut subflauus: & stamina tanquam croci, in medio intercepta ceu geniculo, ipsa quoque octona, ex quibus itidem alia exterius paulò sunt, alia interius. Calix nullus. Caulis est circiter pedem altus. Folia in eo quaterna albicant, crassiuscula, solida, duos palmos (id est digitos octo) longa, Orcheωn ferè foliorum figura, modicè recuruato margine, (non adeò quidem ut pictura præ se fert, quam anteà expressam amicus quidam

ad nos misit.) ex his tria inferiora maiuscula sunt: summum, paruulum. Maculæ nullæ dum erant, quas in adultioribus foliis apparere aiunt. Radicem non uidi: sed aiunt esse bulbosam instar hermodactyli ferè, uel porri forma & magnitudine. tertio anno florem producere. propagari de radice, bulbulo puto adnascente. semen nullum proferre, siue natura, siue nostri cœli culpa. Turcio uocabulo Tulipam uocant aliqui. Sed aliam herbam in Italia eruditi Turcico Tulipæ nomine demonstrant, cuius picturam Ioan. Kentmannus nobis communicauit: ternis foliis, flore ceu lilii parui, luteo, bulbo ruffo, simili cepę. cuius semina olim Guilandinus Borussus ad me misit, lata, ruffa, similia seminibus lilii syluestris quod Martagon Itali uocant. ipse Satyrium triphyllum esse coniiciebat. & fortè nostra etiam hæc Tulipa, Satyrii species est, præsertim erythri uel erythraici, cum flore rubeat. Quòd autem semina non fert, uel regionis ui accidere potest, uel quia species diuersa est. nam & Iridis species alia semine fœcunda est, alia sterilis. Sunt ex Turcis (inquit Kentmannus) qui Tulipam dicunt nomen habere à flore, qui formam refert pileoli Dalmatici.

Tulipa.

DE CHAMAECERASO MONTANA.



FRVTEX in alpibus Claronæ, circa Fabarias thermas, alibiq; & apud nos etiam in Albio monte nascitur, cubitalis plerumq;, aut parum suprà. qui cerasa pulchra & rubra fert, ueris simillima, paulò minora, pediculo etiam simili: succo plena aquoso, subamaro, croceo per maturitatē, hoc est, in fine Septembris, locis frigidioribus: apud nos Augusto. prodeūt ea ex alarum cauis. semina insunt alba, lata, in singulis fructibus ferè sex septémue, aut plura, circa pediculum inter se coniuncta, amara. Fructus quidem gemelli uisuntur. Aspectus sanè cerasa uera mentitur, sed gustus ingratus ilico prodit. Hoc etiam peculiare habent, quòd punctis binis nigricantibus singuli hi fructus, tanquam ocellis aut pupillis notantur. Folia quoq; cerasi, (uel arbuti, sed non crenata) oblonga, in muronē exeuntia, marginibus non serratis: sapore non certo quidem, sed ingrato: bina. Stipitis cortex albicat, ut fruticis illius quem **Beinhültzen** Germani uocant, (Dodonęus, ni fallor, Periclymeni speciem: nos Periclymenum rectum uel marem appellabimus:) cui sanè cognatus uideri potest, foliis & fructibus tanto maior, quantò stipite & ramis minor est, succo & sapore eodē, nescio an etiam seminibus. Florem quoq; nondū uidi. Medulla ligni alba est. Quod si, ut suspicor, cognatus illi fuerit, Chamæpericlymenum appellabimus. Sed hoc alias certius indagabitur: interea (si placet) Chamæcerasum nuncupemus: nam & montium nostrorum incolæ **Bergkriese** appellant, hoc est, Cerasa montana. In literis quidem, quod sciam, nulla hactenus eius memoria extitit: neq; usum eius ullum esse

Chamæcerasus.

esse puto. audiui quidem quatuor aut quinq; cerasa deuorata, uomitum ciere: aliquando etiam aluum. Chamæcerasus alia est cuius meminit Dioscorides ille, aut quisquis est, consarcinator libri Græci De morbis curandis per simplicium medica. à capite ad pedes, &c. capite. cxxiii his uerbis: Chamæcerasus, herba (πόα) exigua, circa filices nascens: eo tempore quo & arboris (nimirum cerasi) fructus maturescit, duos aut tres fructus cerasi fructibus persimiles profert, ualdè odoratos instar moschi. huius fasciculus cum radicibus, foliis & fructu, in uino decoctus ad tertias, certissimum est remedium ad sclerias, id est, duros tumores emolliendos. Sic ille. Quænam autem sit herba ista, fateor mihi non constare. dubitaui aliquando an hæc esset quæ fraga fert: quoniam & parua est herba, & fructu non dissimili cerasis, & locis quidem montanis (illic enim & circa filices quoq; præcipuè nascitur) non ante cerasa maturescit: & fructus odore est suauissimo, præsertim altioribus locis: & ad remedia uaria herbæ simul & fructus radicumq; usus esse solet. & aliud eius Græcum nomen hactenus nemo dixit, & ipsa quoq; arbutus à Bithynis uidetur Chamæcerasus dicta, ut inferius patebit. An uerò duros tumores mollire aut discutere possit, affirmare non habeo. est quidem ei uis astrictoria, qua partes corroborat intus forisq;. sed aperiendi quoq; uim habet, (& per omnia ferè eandē quam pentaphyllum:) qua iecoris ac lienis obstructionibus summopere prodest: & urinum strenuè ducit, sicut & renum calculos. Fructus quidem non propriè Moschum olere mihi uidetur: & arbuto quàm ceraso similior: quare Chamæcomarum potius quàm Chamæcerasum appellarem. nam & Plinius: Aliud (inquit) corpus est terrestribus fragis: aliud congeneri eorum unedoni, &c. xv. xxiiii. A Nicolao Myrepso mentio fit huius herbæ corrupto nomine φράλλε, in Martiati inagni compositione: ubi Fragulam quidam Latinè nominarunt. Ab eodem χαμοκερασίας (sic enim habet manuscriptus codex quo Fuchsius usus est, ut noster iam citatus Dioscoridis codex χαμοκέρασιν,) radix nominatur, in Drosato lxxxii. ad iocinerosos, lienosos, &c. inscripto: ut proximè præcedente (ad iocinerosos) radix eius simpliciter. Fuchsius simpliciter cerasum humilem ab eo sic nominari putat, nec aliud addit. Recentior quidam Græcus innominatus, (cuius interpretationem super nomenclaturis simplicium medicamentorum, barbarè quidem prorsus & ineptè scriptam habeo) Cistum aliis nominibus Citharum, Oribithrum, & Chamæcessarum (sic enim scribit, χαμαικέραρου, non χαμαικέρασου) uocat: nos apud Dioscoridem Cistum aliter Citharum, aut Cissarum, dici legimus. Sed Cistus (opinor) nec fructum nec aliud ceraso simile habet. Dalechampius doctissimus Lugduni medicus Chamæcerasum nominat arbusculam, quæ Arabicè Mahaleb dicatur. Aduehitur (inquit) ex Syria, quamuis ubiq; per sepes istic (circa Lugdunum) nascatur, sed arbore humiliore, fructu minus habito, nucleo & semine tenuiore ac graciliore. Folia rotundiora sunt: flos albus, ceraso similis. primus omnium uere prodit. fructus sigillatim pediculo suo adnexus, niger ubi maturuit, rotundus, ex amaro subdulcis. Sic ille: à quo etiam ramulum unà cum fructu suo accepi: quem depictum inter alias Cordi descriptionibus plantarum adiectas icones reperies. In Gallia passim nasci Bellonius mihi retulit, & inuenisse se etiam in monte illo Rhętorum, qui inter Curiam & Clauennam interiacet. Seminibus eius quæ odorata sunt uti Lugduni illos, qui Chirothecas odoribus imbuunt. Nascitur, si benè memini, inuenta aliquando mihi, copiosè in monte proximo Vuesæ oppido (quod ad Riuarium lacum apud nos est) exeunti Curiam uersus ad sinistam, locis lapidosis. Et, ni fallor, in Vallesia quoq;: ut coniicio ex epistola tua, doctissime Colline, qua superiore Augusto ad me scribebas, inuenisse te fruticem satis altum, foliis ferè cerasi, cui etiā fructu (quamuis immaturo adhuc tibi uiso) respondere uideretur: & pediculis oblongis. Huius ramulum, & fructus, quanquam aridos, ut quamprimum unà cum aliis quas mihi promisisti rebus ad me mittas, cupio: Mahaleb (uel Mahalub, inquit Auicenna) eligendus est albi coloris, & purus. Calefacit in primo ordine, & modicè siccat: abstergit, attenuat, resoluit, & mitigat dolores, præsertim ilium ac dorsi. cum aqua

Mahaleb.

mulsa bibitur utiliter in syncope. Prodest etiam aduersus coli morbum, & calculos renum ac uesicæ. Mahaleb (inquit Bellunensis) est granum fructus, simile ossi cerasorum, notum in Syria, & commendatum contra calculos renum. Serapio Phillyream, Arabicè Mahaleb nominat: quam etiam Matthiolus pluchrè pictam exhibet: sed fruticem à nostro iam dicto siue Mahaleb (ut Datechampius & Bellonius mihi nominarunt) siue Chamæceraso diuersum. Plinius lib. xv. cap. xxv. cum cerasorum diuersa genera memorasset, subdit: Sunt & Macedonica paruæ arboris, raroq; tria cubita excedentis, & minore etiámnum frutice Chamæcerasi. Tales & tantas (id est, urbanas quidem & propter fructum expetitas cerasos, sed nanas ac pumilas) hodie etiam aliqui in hortis alunt, ut Torgæ apud Misenos Kreichius, ualdè humilem & fruticem potius quàm arborem. **Zwergkriese** uocare licet Germanicè, sicut & Malum nanam, **Zwerg öpfel** appellant. Asclepiades Myrleanus (ut refert Athenęus lib. ij. Chamæcerasum dictam, pumilam esse tradit, in Bithynorum agro frequentem, cuius radix non magna sit, ut neque ipsa arbor, sed par rosarum arbori, (ut uertit Natalis de Comitibus: Græcus codex noster impressus habet, ἀλλὰ τῇ ἴσορ: Natalis legit nimirum ἀλλὰ τῇ ῥοδῇ uel ῥοδωνιᾷ ἴσον.) Baccæ eius cætera omnia cerasis cõsimiles sunt: sed copiosè uescentibus caput uini modo grauant, & dolores cient. Hæc quidem Athenæus de Mimæcylis, id est, unedone uel arbuti fructu intelligit, quorum & arbor huiusmodi sit: & qui fructus plures septenis ingesserit, capite grauatur. Apparet itaq;, Chamęcerasos esse & dici diuersas: quas distinguendi gratia, à nobis exhibitam, si libet, montanam cognominemus: eam cuius grana à Syris petuntur, Syriacam: quæ in hortis propter fructum edulem colitur, urbanam, Arbutum autem & herbam quæ fraga fert, usitatis suis, non Chamęcerasi, nominibus, ad uitandam homonymiam, usurpemus.

Phillyrea.

DE CHAMAEMESPILO.

CHAMAEMESPILVM nomino hunc fruticem, quòd & ualdè humilis, & fructum ferens mespilaceum, proueniat. Frutex est lignosus, cubitalis, foliis ferè ocimi, subrotundis penè, parte supina in canis uel albicantibus & modicè lanuginosis, ferè insipidis. Baccæ in eo singulæ aut binæ dependent, elegantes aspectu, cocci colore, magnitudine qua fructus polygonati: umbilico in quinq; partes dissecto, ut in generis Mespilacei fructibus cum cæteris, tum Spinæ appendicis siue oxyacanthæ, cuius etiam saporem refert, hoc est, insipidũ. Caro intus siccior, colore subluteo: grana terna, parua ceu uinacea. Maturescunt initio Iulii, decimo enim huius mensis die maturas decerpsi. Ramuli cortice subruffo uestiuntur: & minores ex eis uiminum instar lenti sunt. Nascitur in montibus & collibus cum alibi, non passim tamen, tum iuxta Badam nostram in Legerio mõte, & alicubi in Albio nostro. In Bernensiũ agro **Mälpi** uocant, ut audio: licebit etiam **Zwergnesplen** (id est, Mespilum terrestrè uel nanam appellare. Itali, ni fallor, Pyrum ceruinam (uulgò Pero ceruino) nominant: ut ex ramulo quem doctissimus Aldrouandus ad me misit, facilè cõiicio: foliis sub rotundis, ocimi, infernè albicantibus, mandenti subglutinosis: cortice subruffo: etsi Bellonius cum apud me Chamæmespilum hanc uideret, similem potius pyro ceruinæ, quàm eandem existimabat. Nascitur & Italorum Pyrus ceruina in alpibus: ramulo quem habeo cum foliis, nihil differt: fructũ non uidi. Bellonius Chamæpyrum nominabat: mihi rectiùs Mespilis adnumeranda uidetur. Idem alicubi in obseruationibus suis Gallicis hunc fruticem Gallicè Malancier appellat. Chamæpyri nomen non laudo ex Græco & Latino compositum. Chamæapion potius dixerim, quanquam & Apios uocatur herba, cuius radix ἄπιον, id est, Pyri similitudinem habet.

CHA-

Chamæmespilum.



DE CHAMAENERIO.

CHAMAENERION uoco hanc plantã, quòd Nerion siue Rhododaphnẽ aliquo modo æmuletur, foliis, floribus quo d ad situ͂, & semine in siliquis lanuginoso, &c. & natalibus, iuxta aquas. Veneni quidem, ut Nerion, nihil habere puto. Sed quoniam aliæ etiam species huic similes sunt, de omnibus aliquid afferamus: merentur enim omnes sub genus unum referri, unoq; nomine cõmuni appellari, differentiis à magnitudine aut aliunde adiectis. Ruellius unam tantùm eius speciem describit, quam Delphinium esse putat. Herbarii quidam (inquit) putant esse, quam Filium ante patrem suprà diximus appellari, *(atqui suprà lib. 2. cap. 125. in* Bellio *flore alterius herbæ quam alij, Itali præsertim, eodem nomine* Filium ante patrem, *uel* Antipatrem *uocant, meminit, hîc cõfundit,)* quòd siliquam & intus semen ante floris exitum ostendat, rectius si Partus ante conceptum ab eis appellaretur. Iam audio aptius à teretis siliquulæ per extremu͂ in expansum florem exeunte, Buccinariam quadam similitudine dici. (Dioscorides etiam Delphinium suum à Romanis Buccinum uocari tradit.) Surculis à radice una pedalibus funditur, foliis paruis, tenuibus, intersectis, incuruis, longiuscula Delphinis effigie: flore uiolæ matronalis, subpurpureo: semine in ualuulis teretibus exiguo, milio (mihi non uidetur) non dissimili. Inuenitur frequens in asperis, & locis totius diei solem accipientibus. Hæc ille. Mihi magis inclinat animus Delphinium esse consolidam regalem uulgò dictam, &c. Videtur autem Ruellius primam & uulgarem huius generis speciẽ tantùm obseruasse,

Filius ante patrem.

Buccinaria

Chamænerion.



Antoniana

quæ à quibusdam, ut dictũ est, Filius ante patrem uocatur: ab aliis (in Germania inferiori præsertim) Antoniana, uel sancti Antonii herba: ab eo nimirum quòd Erysipelatis, quæ uulgò sancti Antonii ignem nominãt, medeatur. At Romę herbam aliam sic nominari audio, quæ eruditis Plumbago Plinii uidetur, causticã, & ignis instar urentem, non extinguentem. Nostri **Schoßkraut** appellant, quoniã dolores eorumq́ impetus in dentes, abigat, collo suspensa, ut creditur: aut fumo eius dum uritur ore excepto. Dodonæus inter Lysimachia describens, & species eius tres distinguens, Germanicè uocat **Braun oder rot Weiderich**/ non usitato, (ni fallor) sed propter aliquam cum Lysimachio similitudinem à se conficto nomine. Lysimachium quidem genere toto diuersum dixerim: & Dodonæus etiã, Lysimachium illud solùm ex quatuor à se propositis iconibus, quòd luteos flores habet, uerum esse, & quę de eo tradunt autores præstare posse putat. Mihi ubi ueтera nomina non inuenio, aut dubito, noua potius excogitare certa ratione, quàm illis temerè abuti, placet. Appelletur igitur si libet Epilobium, ἐπιλόβιον, uocabulo ex tribus composito: quoniam ion (id est, uiola seu flos eius, quē Leucoio similem habet) ἐπὶ λοβοῦ, id est, super siliqua nascitur, eiq́ insidet, ita ut siliqua suo flore ceu præpiletur, sicut hasta uel hastile cuspide ferrea.

Epilobiũ.

Iam dictę herbæ species altera reperitur, solo floris colore, qui cãdidus est, differens: rarior inuentu. Vtraq́ iam dicta foliis & caule læuis est. Tertia species aliquantò maior, & leniter hirsutis foliis reperitur, infrequentior prima. Quarta maiori frutice nascitur, eoq́ suauis odoris, sed leuissimi, cũ reliquę omnes odore uacent: sed huius etiam forsan odor ille tenuis, non omni tempore sentitur, mihi quidem uehementer gratus. Siliquæ quadrangulæ sunt, non teretes: flos purpureus: caulis rotundus & ex parte puniceus, ut & anguli siliquarum. Radix quadrangula, tenuibus per interualla fibris capillata, dura et ferè lignosa. Sed ex his notis aliquæ forsan etiam aliis speciebus conueniunt. Calidam esse iudico in medio secundi gradus, siccam in fine eiusdem uel initio tertii: astringit enim euidenter, sed cum dulcedine quadam suaui: ac simul modicè abstergit, leui quadam ferè nitrosa facultate, ut diuersis eam constare partibus ac uiribus appareat. Inferiores quidam Germani (Frisii præcipuè puto) hanc priuatim **Schůlmont** appellant, nescio qua etymologia, nisi fortè quasi **Schelmund**/ ut superiores Germani dicerent, quòd ad crustas & ulcera oris, quibus os excoriari (**Schelen** dicunt nostri) uidetur, præcipuam uim habeat, in illo præsertim morbo & stomacacce, quam accolæ quidam Oceani regionibus illis peculiarem, **Schorbock** appellant. Contra quod malum olim iisdem in regionibus Britannica utebantur, hodie non satis cognita. Easdem uires prædictis etiam speciebus esse coniicio: sed minus efficaces. Poculis im-

ponere

ponere solent, qui stomacaccen timent aut patiuntur. Hanc Lucas Ghinus Italus Lychnidem existimabat. Hactenus memoratę huius generis species, singulis caulibus exiliunt. At quinta species, quam priuatim Chamænerion nuncupare libet, propter maiorem cum Nerio similitudinem, pluribus surgit caulibus: omniũ maxima, nisi aquæ inopia incrementum prohibeat, eius ramulum unum depictum exhibui. Vidi iuxta riuos & lętiore solo sæpe quatuor aut quinq; cubitorũ altam: circa syluas & montes nascitur, foliis ferè Nerii. Aliqui apud nos priuatim Feür kraut appellant, id est, Igniariam: quòd circa syluas illic potissimum nascatur, ubi areæ uacuæ ab igne quondam illic excitato relictæ fuerint. In hortos translata diu uiuit, & æstate fermè tota à solstitio usque in autumnum particulatim floret. Calidior quàm prædictæ uidetur, & minus aut nihil astrictionis habere. Quare non assentior illis qui Lysimachii speciem hanc esse suspicantur. Sexta & ultima species nihil à quinta differt, nisi quòd undiquaque minor est, foliis angustioribus: rarior inuentu apud nos, aut fortè nulla. Non procul Verbano multa. Omnes loca aquosa amant: & aquam uel indicant præsentem, uel subesse pollicentur. Siliqua omnium in hoc genere à maturitate dehiscens, in quatuor partes distorquetur, & lanuginem quandam albam splendidámque ostendit. Hactenus sex Epilobii, si ita mecum nominare libet, differentias descripsi, ex quibus an ulla sit Vincetoxicum à Syluatico dictum, æstimandum est: sic enim ille. Vincetoxicum (inquit) foliis è Persici, stipite subtili, qui tendit ad uiolaceum colorem: idémque Antipharmacum dicitur. Caulis ei longus unum aut alterum palmum, uires contra toxicum habet, & miscetur theriacæ diatessaron in Antidotario Galeni. Scio quidem etiam alias herbas aliis Vincetoxici nomine uenire. Nascitur in alpibus frutex quidam cubitalis, aut paulò altior, odoratus, roseo flore, Alp rosen, foliis Oleæ, inferiori parte ruffi coloris cum fusco mixti, pinguis, &c. Hunc uir quidam eruditus in Italia ceu Chamænerion quoddam, Nerion Alpinum uocitat. Sed quanquam folia Nerio ferè similia habet, reliqua tamen forma naturaq; tota discrepat.

Lychnis. *Chamænerion.* *Vincetoxicum.*

DE CONYZOIDE *cœrulea.*

CONYZoides à nobis appellatur hæc herba, donec uel antiquum ipsius nomen reuocetur, uel nouum aliquod commodius imponatur. Cognata uidetur Asteri Attico Fuchsii, quem Itali quidam uiri docti Amellum Vergilii interpretantur, nescio quàm rectè. Conyzis aliquo modo similis est foliis, flore & pappis. Ab Hier. Trago describitur libro primo, capite quadragesimo nono, cum Astere Attico Fuchsii, & aliis duabus herbis, nomine Tinctorii floris imposito, quoniam tinctores alicubi unius ex quatuor istis floribus utantur. Fuchsius hoc nomine Genistæ speciem quandam apellauit, nos incertis uagis & homonymis uocabulis abstinebimus. Ex iis quas Tragus describit, duæ tantùm aut tres priores, cognatæ inuicem uidentur herbæ, & κονυζοειδεῖς uocari posse: adiecta singulis aliqua à colore aut aliundè differentia: nos hîc exhibitam cœruleam cognominamus, à colore floris subcœruleo. Germanicè alicubi Schartenkraut appellatur, sicut & aliæ duæ Trago descriptæ species: quòd foliorum margines (in ea præsertim specie opinor, quæ flores luteos fert) figura & acie falcem quodammodo referant: alicubi etiam herbis aliis communi nomine Heidisch Wund kraut. Omnes calidi & sicci temperamenti sunt, lutea minùs calida, cœrulea magis, Fuchsii Aster inter utrãque: ita ut hanc in secundo gradu calefacere, luteam in fine primi, cœruleam in principio tertii dixerim: quantum nunc meminisse possum ex eo quòd sæpius singulas gustando iudicaui. Siccandi quidem gradus non tam facilè est gustu discernere: neque enim tam citò tamque euidenter siccandi uis in linguam agit ut calefaciendi. Omnes tamen gradu secundo siccare mihi uidentur. Ergo Conyzoides cœrulea caule exilit singulari, rotundo, striato, inferius rubicundo, hirsuto, pedali plerũque. Folia Oleæ ferè sunt, cir-

Dentelaria quibusdam.



ea radicem latiora, duodecim aut plura, quę caule etiam prognato durant, (quod in plerisq; aliis herbis non fit: quo non obseruato icones Matthioli aliquoties nõ probè expressæ sunt.) Eadem hirsuta sunt, oblonga, angusta, acria, sapore nonnihil ad pyretrũ accedente. Cauli sine petiolis hærent per interualla, alternis singula ab imò ad summum. Supra dimidium caulem ramuli ex initiis foliorũ ceu alarum cauis exoriuntur breues: & flores sustinent, singulos, binos aut ternos, subcœruleos, multis minutis staminibus constantes, in medio ferè cauos, sed lanugine pallida papporum instar refertos. Flos totus mox in pappos soluitur, citius opinor quã ullus alius. θερειγέροντα dixeris, nam alius est ἠριγέρων. Floret Iulio mense, asperis, siccis & apricis locis, ut circa syluas, & in muris urbis nostræ, ad fossam ceruis dicatam.

FINIS.

SYLVA OBSERVA-tionum uariarum Valerij Cordi,

QVAS INTER PEREGRINANdum breuißimè notauit, primùm de rebus foßilibus, ut lapidibus, metallis, &c. deinde etiam plantis.

CL. V. IOANNI PLACOTOMO DOCTORI MEDICO, ERVditione & artis usu præstantissimo, Conradus Gesnerus Medicus. S. D.



RATIAE ALIQVIS FRVCTVS, GRATITVDINIS argumentum, ad eum à quo exiuit primùm, ut reuertatur, par est. id quod elegantiæ studioso antiquitas tribus gratiarū simulacris scitè propositis, ita ut una daret auersa: ex reliquis duabus inter se aduersis, una acciperet, altera redderet, quanquā nō expectāti & auersæ, nobis insinuauit. Hoc mihi mecū animo uoluēti, uir ornatißime, omnes ferè Valerij Cordi, quæ hoc uolumine cōprehenduntur lucubrationes, in tuum unius nomen inscribi, & ad te unum redire, postulare uidebantur. Quoniam tu & in Dioscoridis libros annotationes, & quatuor illos quibus omne genus stirpes describuntur ipsius Cordi manu perscriptos: & hasce obseruationes rerum naturæ uariarum, pro summo & benignißimo candore tuo, mittere ad me non dedigna-
tus es, & ut publicæ utilitatis ergò euulgarentur, hortatus. Rursus cùm in optimis & doctißimis quibusq; uiris (quo-
rum uel præcipuis te adnumero) non singulas uirtutes, sed arcto complures inter se iunctas uinculo esse considero: ui-
rum te ut eruditum, candidum, & humanum, ita liberalem quoq; & κοινωνικὸν esse, hoc est, promptum ad communi-
candum, non res modò, sed etiam honorem & gloriam & à uana ambitione alienum, facilè mihi persuadeo. Erudi-
tionem tuam libelli abs te editi loquuntur, quorum aliquos magna cum uoluptate, & non sine fructu perlegi: ac in-
dies magno iudicio, summaq; diligētia conditam à te Pharmacopœiam expecto: cuius lectione frui si mihi licuerit, eo
quidem nomine feliciorem me arbitrabor. Candorem tuum, καὶ τὸ εὐμετάδοτον, hi libri tam promptè mecum commu-
nicati ostendunt. Itaq; iudicabam te in laudis ex horum librorum editione participationem, facilè quosuis bonos &
eruditos uiros, illos præsertim qui & ipsi aliqua Cordi scripta, uel tecum, ut Ralla honorandus ille senex Pharma-
copola Lypsiæ: uel mecum, ut nobilis ille Noribergæ medicus Hieronymus Heroldus, impertiti fuissent. Quamob-
rem & illis & alijs quibusdam egregijs uiris diuersos huius uoluminis libros nuncupaui, alijs alios: Heroldo autem
quatuor illos, quibus uariæ plantæ describuntur: quos ab eodem primò acceperam. Rallæ, in Dioscoridem Annota-
tiones, quòd ab illo primùm eas ad te peruenisse existimarem. Merebatur quidem C. V. Ge. Aemylius, Theologus in-
signis, & affinitate tibi coniunctus, ut aliqua huius uoluminis pars in ipsius nomen inscriberetur: quoniam tibi hæc
edituro, quæcunq; à Cordo olim acceperat, emendata, & breuißimis scholijs illustrata permisit. Sed reuerentia tanti
uiri, sacrarum & humanarum literarum cognitione præstantis, qui in maiora & grauiora studia nunc totus incum-
bit (quorum comparatione rerum naturalium notitia omnis puerile quiddam est) id audendi animum mihi excus-
sit. Accipe igitur doctißimè & charißimè mi Placotome partem aliquam debiti mei, aut si mauis deposi-
ti reddendi, Syluam hanc Obseruationum uariarum Cordi tui, hilari & serena fronte: in qua & authoris memoriam
colas, & Gesneri erga te obseruantiam, gratitudinem, ac tui amorem agnoscas. Non autem dubito, quin optimum et
huius & omnium Cordi librorum patronum te sis declaraturus, qui ipsius amicitia olim familiariter usus es, et Dio-
scoridis libros ipsum enarrantem audisti. Seruabis autem hoc ueluti pignus debiti maioris, quo præstantiæ tuæ, tum
propter enumeratas iam causas, tum alia quædam non uulgaria in me beneficia tua, obligatum me profiteor. Est e-
nim etiámnum inter κειμήλια mea, eritq; dum uiuam, series illa Succini Prutenici globulorum, quorum aliquot ani-
malculis infectis (quæ liquidum adhuc nimirum inuoluerat uiua) rari & spectabiles sunt, eoq; chariores mihi,
quòd etiam Plinius Succini hoc nomine naturam sit admiratus. Sunt & Succini orientalis globuli duo, carißima mu-
nora tua, candore & perspicuitate crystalli: Quod tantæ authoritatis est, sicuti scribis, ut reginis Portugalliæ dotem
impleat, & pro suauißimo preciosoq; suffitu Vlyßibonæ uratur: cuius in literis nulla hactenus, quòd sciam, memo-
ria fuit. Sunt deniq; lapides metallici, qui circa Islebiam eruuntur, admirando naturæ artificio, squamosis piscium for-
mis, æreo penè colore, insignes: è quibus æs etiam conflari audio. Pro his omnibus ut perpetuò memorem gratumq;
animum tibi seruabo, ita quanquam in remotißima Germaniæ ora, Dantisci (quæ clarißima Prußiæ ciuitas & nobi-
le emporium est) degentem, nunquam non amare & uenerari pergam. Vale. Tiguri Heluetiorum, Idibus Decem-
bris. Anno salutis. M. D. LIX.

VALERII CORDI OBSERVATIONES QVAEDAM RERVM
Naturalium uariarum, & primum Fossilium in Germania.

VENA siue terra aluminosa est ad Brambecum pagum in ripa Albis dextra, quinque ferè infra Vuittembergam miliaribus. habet etiam aliquid de Misy ac Calchantho.

Pyrites ibidem in eadem uena est, friabilis ac impurus.

Aluminosa terra candida lubricáque est in cuniculis Dauidis Hatzkerodi ad Hercyniam Saxoniæ.

Pyrites multiplex ibidem est, uidelicet solidus & friabilis.

Aerugo ibidem in cuniculis fit destillante per solidum pyritem aqua. friabilis uerò Pyrites minimum aut nihil æruginis gignit: sed plus Calchanthi ac Aluminis.

Bituminosa terra leuis, arida, & quæ nunquam lutum fit, etiam imbribus maximis, & quæ accensa ardet carbonum modo, donec in cinerem soluatur tota, odore dum ardet Bituminis sulphuri mixti, Halæ Saxoniæ est, sub ipsa urbe, maximè autem in fossa uersus meridiem.

Bituminacei carbones sunt propè Cunhardem, ubi etiam bituminosa æris & argenti uena est.

Salsa terra est circa Seburgum undiq; ad salsum lacum: lacum alioquin dulcem inficiens.

Salsus ille lacus omni septennio turbatur: in medio enim eius abyssus est, emittens ceu usti bituminis & sulphuris fœtorem, quo totus inficitur lacus, adeò ut pisces in eo moriantur, quotiescunq; turbatus fuerit.

Salsa terra salsiq; campi sunt circa Langebeugen lacum, cuius aqua è salso fluit lacu: item Salzemundæ, id est, ad Salsam Mundam pagum ad sextum ab Hala Saxoniæ lapidem.

Bitumen subdurum effoditur in agro Brunsuicensi, campestri loco.

Bitumen liquidum olei modo fluidum ibidem confluit in excauatas foueas, quo rustici utuntur ad lucernarum lumina, & ungendos curruum axes.

Cœrulei uenæ propè Bituminis huius scaturigines sunt.

Dactyli Idæi subflaui ac pellucidi ibidem effodiuntur è glareoso solo, quos rustici uocant Aluestein.

Fons qui Hildesheymii sulphureum limum emittit, ante sedecim annos primùm fluere cœpit, post bellum, quod contra Hildesheymianos gessit princeps Henricus Brunsuicensis dux, nunc exul.

Terra candida, lubrica, & splendens effoditur ex montanis Hercyniæ campis: qua dealbant rustici parietes circa Haselnfelde oppidum ac Breytensteinum pagum. Agyrtæ eam pro Bolo uendunt albo, fortè non malè.

Aes purissimum, quod suum est, reperitur circa Vuimelrodum pagum ad tertium à Mansfelda lapidem: admodum ductile est.

Cœruleum ibidem pulcherrimum, æris uenæ adnatum inuenitur.

Chrysocolla etiam pulcherrimè uirens eidem inest uenæ.

Gypsi excellentissimi uariæ sunt species inter Northusium & Stolbergum.

Salsus tractus est circa Atram oppidum non longè à Franckenhusio.

Sal fit Scheningii in ducatu Brunsuicensi ad uigesimum quartum à Brunsuico lapidem.

Sal fit in Salzdalheim pago ad quartũ à Brunsuico lapidem, uersus meridiem.

Sal fit in Solta pago prope Bodenburgum pagum, ad quartum ab Hildesheymia lapidem.

Lapis Alabastriti similis sub arce Vuolfenbuttel inuenitur.

Lapis specularis inter Brunsuicum & Vuolfenbuttel circa Stederburgum cœnobium effoditur.

Omnia

OMNIA QVAE SEQVVNTVR VIDI ET COGNOVI PRIMVM *in peregrinatione Anni* M. D. XLII. *post natum Christum,* [*Sunt autem Obseruationes primum de rebus uarijs fossilibus, lapidibus, metallis, &c. deinde etiam de plantis*]

IASPIDIS uiridis fragmentum, cuius uena per saxum ferebatur non longè à Rochlicio oppido Misniæ uersus septentrionem.

Chalcedoniam appellatam gemmã uersicoloribus lineis sinuosam ibidem, paulò tamen plus ad septentrionem, iuxta Betulletum.

Marmor planum, mensarium, subcinericeum, fuscis maculis, ueluti cornicum uestigiis distinctum, Rochlicii in radice montis inuenitur, uena dilatata.

Iaspis spadiceus inuenitur copiosè in agro Aldẽburgensi in Misnia, quo rudi adhuc publicæ uiæ sternuntur.

Iasponyx gemma constat spadiceo Iaspide & candicante Chalcedonia seu onyche. inuenitur Aldenburgi in Misnia.

Onyx simplex & uulgaris reperitur ibidem humano ungui colore similis.

Sarda, id est, Corneola, siue Carneola, eadem est fortassis quæ Sarcites apud Plinium, reperitur Aldeburgi in Misnia.

Sardonyx quæ constat Sarda carneola, & Chalcedonia uulgari, inuenitur in Aldenburgensi agro.

Turchoides gemmæ uirides inueniuntur in Silesia Goltbergi, & Strigæ, &c.

Zinstein/ueluti plumbarius lapis per quarzum, id est, Silicẽ metallicum dispersus, Marienbergi.

Hematites fissilis, uena amplissima inuenitur Marienbergi: ut xx aut x minarũ pondere lapides decutiantur.

Zinstein/klein wie körner von Rübsamen/lauantur in Theudoro oppido propè Vallem D. Ioachimi, appellaturq; Seyffenzin.

Vena Stanni, hoc est, Bisemuti pura & impura eruitur copiosè circa uallem Diui Ioachimi.

Stannum purissimum, id est, quod iam suum est, effoditur ibidem in ualle Diui Ioachimi.

Hæmatites niger turritus, stalacticus & erinacei modo aculeatus, effoditur circa uallem Diui Ioachimi.

Lignum carbonis modo nigrum, aridum ac leue effoditur in iisdem montibus quadraginta orgyiarum profunditate.

Lapides oblongi, candicantes, fissiles, ossea substantia, atq; etiam aspectu ossibus simili, ibidem è montibus eruuntur.

Magnes lapis ualenter ferrum attrahens effoditur inter Snebergum & Annæbergum in ualle diui Ioachimi & Irberstorffi.

Magnes ueluti squamatim in tessellas fissilis, uisus mihi est Nurenbergæ apud D. D. H. S. colore cœruleus.

Magnes ultramarinus in cœruleo fuscus, uisus est mihi Nurenbergæ apud Olingerum.

Lutum seu Creta figulina in solidissimas in terra usta testas, effoditur inter Thermas Caroli quarti & Schlackenuerdam oppidum propè Lessauium pagum, quo armento apparet quondam eum tractum arsisse sponte propter latens in terra sulphur, aut bitumen, aut utrumq;: nam terra & agri circumiacentes similitudinem habent luti è fornace fracta sumpti.

Ferrarii lapides grãdes eodẽ loco effodiũtur, colore nigri, fuligine obsiti, et ueluti

usti: qui etiam incendii naturalis uestigium atque argumentum existunt.

Rubrica ruffa in assulas fissilis, ualdè pinguis ac floridi coloris effoditur inter eundem pagum & Caroli quarti Thermas.

Rubrica uersicolor, uarii coloris, uidelicet candidi, flaui, lutei, cinerei, puniceique, effoditur ex eodem loco in torrente quodam.

Saxa dura ualdè & lineis cinericeis conuoluta effodiuntur propè Suuartzbergum oppidum inter Snebergum & uallem diui Ioachimi.

Ferrariæ sunt inter idem Suuartzbergum atque uallem diui Ioachimi: ibidem globi ferrei hac ætate fiunt.

Saxum durum magnas rupes faciens, est circa Thermas Caroli quarti & propè Elnbogen oppidum, candidis ueluti tessellis immixtis uarium.

Acidula est propè Thermas Caroli quarti, sapida quidem, sed aliquo modo diluta.

Acidulæ aquæ sunt inter Culmam, Acutum & Aegeram, austeri uini sapore.

Acidula semper turbida & in altum multis locis ebulliens, nõ tamen effluens, tactu frigida, haustu aues enecans, est in prato inter Acidulas & Culmam propè pagum quendam solo lutoso & cauernoso: eadem strepit feruentis modo: appellatur Germanis, **Das dolle wasser**/ id est, stolida aqua.

Acidulæ aliæ non procul sunt ab hac stulta aqua ad duo uel tria millia passuum uersus occasum hybernum, in loco uliginoso, muscoso ac palustri: eæ similiter feruentis modo grandes ueluti globos euomunt, nusquam tamen è fontis uel lacunæ labro effluũt. Strepitus & mugitus earum auditur ad quingentesimum passum aut longius tranquillo tempore, haustu fertur non tantùm iumenta, feras, pecudes & aues, uerùm etiam homines enecare, gustari tamen sine periculo potest. Appellatur autem hæc aqua ab indigenis **Das wütende wasser**.

Acidulæ aliæ non procul sunt ab arce & uico Kunigspergo in eodem tractu locis pluribus.

Acidulæ dilutæ sunt ad suburbium septentrionale Aegeræ.

Acidulæ aliæ sunt Bulemeuti iuxta ferrarias fodinas, quæ celebres ibi sunt.

Acidulæ saluberrimæ sunt in Sueuiæ Vuirtenbergensis finibus orientalibus, ad quas hominum ęgrorum turbę confluunt, in calefactis, ueluti Thermis felici successu lauantes.

Acidulæ sapidissimæ sunt propè Frideburgũ in finibus Hessiæ & Vuederauię, in prato quodam.

Acidularum acidi saporis causa est ferrarius lapis, qui rubiginosa qualitate fontes uicinos & contiguos sua medicata ui inficit: nam ubicunque eæ sunt, iuxtà latent aut apparent ferrariæ uenæ, lapides & saxa: quod ne obliuiscaris, uide.

Ferrariæ celebres sunt circa Bulemeutum & uicino tractu.

Ferrariæ aliæ sunt nobiles non procul ab oppido quod uocatur **Kemmet** & uicinis locis.

Ferrarię diuites sunt circa Blechum pagum, ad quintum à Nurenberga lapidem.

Ferrariarum omnium largissimæ & ditissimæ sunt Ambergi in Bauarica, in iis hæmatites niger pulcherrimus ferrum optimum fundit.

Ochra itidem rubiginosa, quam uocant **Leber ertz**/ copiosè ibidem effoditur, quæ optimum remittit ferrum.

Rubrica dura, hæmatitis modo ferri splendorem præ se ferens, nascitur in ferrariis Ambergi.

Fons quidam largus tanto impetu eructans aquas, ut etiam iniecta grandia saxa respuat, est propè Kunigsteinum arcem & oppidum, non longè ab Albi fluuio, in Misniæ finibus.

THermæ Caroli quarti sitæ sunt duobus à ualle Ioachimica Germanicis miliaribus, uno à Schlaccenuuerda, uno à Schlaccenuualde, & uno ab Elnbogio. Sũt autem

autem in ualle ad Dopelam amnem, in medio fluuio atque utraque eius ripa magno cum sonitu eructantes. Vbi effluunt aut oriuntur lixiuii modo ruffum colorem habent propter lapides. Sunt autẽ lixiuii propemodum diluti atque urinę, à nitro nimirum; sapore, neque salem, neque sulphur, neque bitumen, neque alumen, quæ quidem ullo sensu aut ratione percipi queant, habentes.

Lapides & saxa Thermæ eæ intra terram faciunt diuersos: alius candidissimus est: alius roseo conspersus est rubore, alius roseũ habet ruborẽ lacteo colori permixtum, flauet alius. Omnes duri sunt mediocriter, Zonis præcincti, & Calcarii. & calx quæ ex candidioribus solidisque coquitur, melius in aëre & humidis locis durat.

Lapides cum prædictis nascuntur porosi, fauacei, lutei aut pallidi & friabiles in puluerem, ex quibus calx coquitur quæ melius igni resistit. Hac extruuntur camini, fornaces, &c.

Lapides alii gignuntur iis locis quibus Thermæ defluunt, aspectu racemosi, tuberosi & tunicis constantes, colore partim flaui, partim ruffi: partim etiam in stirias diuersi coloris concrescunt, in Thermis uerò quę sub arce sunt, stiriæ & lapides candidissimi coloris gignuntur.

Saxum aliud ex Thermis ibi genitum est cinericeum in fusco, durum atque marmorosum infra oppidum uersus sinistram, ad ipsum amnem.

Saxum ibidem est eminens in cinereo candidum, multis tenuibus tunicis constans, hoc si diu crematur ac deinde teratur, atque tritum uitro aqua repleto iniiciatur, adeò incalescit, & tanto feruore aquam accendit, ut teneri manibus uix queat: redditque aquam gustu acerrimam, causticam & corrodentem, si cuti imponatur.

Aphronitrum è cauernoso saxo ibidem in specu nascitur, quouis alio acrius & tenuius: gignitur que intra oppidum sub arce, ubi prædicti calcarii eruuntur lapides.

Thermæ istæ calidæ ualdè lauantium corpora nõ exulcerant, etiãmsi multis diebus lauent: cõtrà frigidiores aut tepidę altera aut tertia aut etiã prima die exulcerãt.

Eædem, amnis Dopelæ uadum in oppido totum lapide obduxerunt.

Lichen nascitur in iisdem Thermis ad lapides è Thermarum undis natos, gustu ferè Thermarum: quæ præsens est aduersus impetigines remedium: acrior enim est quam ea quæ dulcium aquarum aspergine in saxis prouenit.

THermæ Mattiacæ, hoc est, Wißbaden/ sitæ sunt in Mattiacis pratensi loco, uno miliari Germanico uersus septentrionem & occasum æstiuum à Moguntiaco urbe, Carolinarum modo largæ: eiusdem saporis, magis tamen salsæ, citius Carolinis lauantium uires resoluentes.

Lapidem hæ faciunt qua fluunt, quemadmodum Carolinæ, eiusdẽ coloris, sed non ita copiosum: non enim usque adeò terrestrem consistentiam habent.

Sal in plateis quibus fluũt serenis diebus terra enascitur, circa marginẽ fluentis undę gignitur, cõsistentia tenuis, colore candidus, gustu salis ueri, sed paulò tenuiori.

Lapis Calcarius etiam undique est circa has Thermas in montibus & circa oppidum undiquaque: qui constat totus ueluti minutis oblongis conchis.

THermæ Vuirtembergenses quas uocant das Wildbad / sitæ sunt in Sueuia Vuirtembergẽsi ad tertium à Tubinga, ad secundum ab Herrenbergo, ad primum à Kalba miliari, natura Carolinis similes.

Lapis Calcarius etiam hoc loco inuenitur.

THermę factitię sunt propè Tubingam, circiter mille passus ab urbe uersus meridiem, in Steinmacher tal ad sinistram Steinmachiam torrentem ascendendo: eæ nulla qualitate uidentur mihi à uulgari quapiam fontana aqua differre: nam diligenter gustaui & consideraui, sed superstitiosa fide his se credũt infirmi. Appellantur autem Das Bläsi bad.

Thermę in eadem Sueuia Vuirtenbergensi sunt similiter igne calefaciendæ propè Aro oppidum quod distat à Tubinga uersus ortum tribus miliaribus Sueuicis, & uno à Nurtinga oppido, uidentur & hæ nihil, aut tantillum, à fontana unda uulgari dulci differre. Appellantur autem das Sewbad.

LICVS non exiguus amnis Vindelitiæ, Augustam Vindelicorum præterfluens, semper est turbidus, & ueluti in cinericeo candidus, eius rei causa est quod

cum impetu perlutosũ ac albicans solũ fertur præceps, et quòd in alpibus supra Campodunũ semper sint niues, quę liquescentes limum candicantẽ deferũt: serenis autẽ diebus brumalibus & frigidissimo gelu concretæ sunt, nec liquescunt, nec cum limo deferũtur niues: inuectus antea in alueum limus eluitur, & cum nullus in eluti uicẽ delabitur, contigit Lycum clarissimum fieri: nam istę alpes etiam media æstate niue albent plerisq; locis.

Lynum ostryæ arboris, Hagenbůch / id est, Haynbůchen mutatum est in durissimam siliceamq; cotem iuxta Francofortum ad Mœnum amnem, & in Vuirtẽbergensi Sueuia.

Lapis Aëtites Plinii, dilatatus quadrangulari figura, obtusis angulis, è sabulo lutoq; ferrugineis concretus, Francoforti ad Mœnum in Pharmacopolio Ioannis Metlingeri. Hic fortasse est ea Aëtitis species, quam Plinius Aethiopicum uocat.

Aëtites lapis globosus, grandis, pilæ minoris magnitudine, absolutæ rotunditatis, foris candidus æqualisq; superficiei: substantia intus, cum frangitur, omnino silicea, ad ictum ignẽ elidente, in medio habet cauitatem rotundam, proportione toti lapidi respondentem, in qua globus est candidissimus: friabili & ualdè siccante luto, aridissimoq; constante, qui intus ut plurimùm uacillat, si lapis integer concutiatur. Attulit hunc Anshelmus rhizotomus è Gargano Apuliæ monte: hic aliquando foris cinereus est.

Aëtites huic similis aspectu colore, materia & luto, sed concretione geminus: ex eodem monte ab Anshelmo rhizotomo Nurenbergam allatus.

Aëtites grandis, globosus, superficie inæquali, cauernis & anfractibus peruius, harena sabuloq; in cauernis resonantibus, intus etiam lutum impurũ harenosumq; continens, allatus est ex eodem monte ab Anshelmo rhizotomo.

Lapides conchoides calcarii diuersæ figuræ, inueniuntur non longè à Tumpachio oppido, qua itur uersus Aurpachium oppidum.

Lapis ruffus minii ac hæmatitis colore, est copiosus magnusq; inter Tumpachium & Aurpachium oppida: est autem substantiæ hæmatitinæ & ferrugineæ.

Lapis ferrugineus, imò saxum, in maxima qualitate est ibidem, colore ruffius, nec ita floridi coloris.

Lapis Ostracites, ostracis, adunco ueluti rostro, colore cinericeus, tunicis compactus ueluti Ostrea in Vuirtenbergensi Sueuia inter Hechingam oppidum & montes orientales in radice montium.

Dactyli Idæi lapides in eodem inueniuntur Sueuiæ loco, ubi ostracis.

Ochra lapidosa & crustacea inuenitur iisdem in Sueuia locis, quibus ostracis & Dactyli Idæi lapides.

Gypsum copiosum candidumq; effoditur in Vuirtenbergensi Sueuia, iuxta Tubingam & Herrenbergum oppida.

Lapis Armenus uel eius uenę reperiuntur in finibus Vuirtembergensis Sueuię uersus meridiem & occasum hyemalem in montibus.

Cœruleum pulchrum Armeno lapidi & Chrysocollæ uenis permixtum, reperitur in ijsdem Armeni lapidis uenis in Sueuia.

Marmor mensarium candidum, quo in Germania mensæ fiunt, uenam habet dilatatam in montibus, ita ut in latissimas mensas duum digitorum crassitudine suis commissuris diuidantur marmorea saxa.

Marmoris eiusdem alia species in paruas ueluti tegulas fissilis, quibus etiam pro tegulis utuntur in Bauaria Kelheymi, Ratisbonæ & alibi: cæditur utrunq; genus inter Ratisbonam & Kelheymum paulò infra Kelheymum ipsum.

Marmor purpureum maculosum in spadiceo, est in montibus circa Salisburgum: quantislibet cædendis molibus sufficiunt lapidicinæ. Ex hoc defunctorum monumenta & columnæ fiunt Augustæ & alibi.

Marmor

Marmor Salisburgense aliud omnium ferè colorum mirabili aspectus gratia Augustæ uidetur in quibusdam structuris: aliaq; multa eius genera in templis.

Marmor aliud pulcherrimum, ist anzůschen wie ein hüpsche gemalte landtschafft/ conspicitur Augustæ Vindelicorum in sacello Fuccherorum.

Marmor candidum ueluti siliceum reperitur in montanis circa Egeram urbem, ex quo sepulchrorum lapides.

Marmorosum saxum, coloris liuidi, gestalt wie grosse vngeschlachte holtzspaltern/ circa Egeram in montibus, ex quo ponticuli & lithostrota.

Marmorosum saxum prædicto materia & aspectu simile, colore in flauo candidum & spadiceum, in montibus inter Egeram & Kemmetam urbes.

Marmor calcarium in candido liuidum aut cinereum, eruitur circa Rebicium oppidum inter Egeram & Kemmetam.

Lateres Augustæ & Nurenbergæ fiunt ex luto & abiegni ligni scobe, simul in lateres ductis & coctis. exustæ scobes relinquunt cauernulas, ideoq; pumicibus raritate & leuitate similes sunt hi lateres: ex quibus camini & intestini parietes extruuntur.

Lapis (aut Saxum) Calcarius latitudine fissili, mensario marmori similis, inuenitur in montibus Fichtelbergi: materia est talcũ, hoc est, amiantus crustaceus, breuibus squamis: ideoq; in igne non exuritur, cum factæ ex eo mensæ poliuntur, superficies maculis ueluti argenteis ac plumbeis nitet. Vidi Nurenbergæ apud Leonhardum pharmacopolam confractam mensam.

Lutum citrinum floridi coloris, tenerrimum, pinguissimum, in metallis Annæbergi inuetum, appellatur à metallicis Ein gelber Seyffengang: quoniam saponi simile est.

Lutum eiusdem substantiæ subfuscum eodem loco effossum, uocatur ein schwartzer Seyffengang/ à metallicis.

Creta nigra minimis pyritidis mixta atomis, gustu salis & Chalcanthi, effoditur supra Salueldam Turingiæ urbem, qua utuntur tingendis ædificiorum trabibus.

Creta nigra iam dictæ colore gustuq; similis, asperior tamen duriorq;, effoditur Hildesheymii inter urbem & Marienburgum castellum, iuxta pumilionum antrũ in profundo.

Creta nigra, optima, lenis, facilè lineas remittens, gustu subacris, effoditur in inferiori Germania, in agro Aquisgranensi, qua architecti & pictores utuntur. affertur uenalis Francofortum ad Nundinas.

Pumex cãdidus, leuis & rarus, Siculoq; aut Melino aut Aphricano similis, effoditur in mõtibus nõ longè à Cõfluentia urbe, in Rheni & Mosellę cõfluentibus sita.

Minium grandibus cæditur è uena glebis colore penè purpureum, merum nihilq; aliud continens: confractum argenti uiui guttas ostendit. uidi Nurenbergæ apud D. D. Hyeronimum Schallerum.

Glimmer res est metallica, plumbeo ferè colore, sed splendidissima. effoditur in montibus Fichtelbergi.

Rubrica lapidis Hęmatitis modo splendens in liuido cum madescit, Nurenbergæ.

Aes quod iam suum est purissimum inuenitur in Morauiæ finibus, in metallis quibus præest Wolff Schelle/ frater Doctoris.

Lapis molochites uocatus, colore est uiridissimus, substantia & materia Chrysocollæ. cum frangitur, dissilit, ferè ad modum uitreæ massę, aspectu etiam † uiridæ smathæ similis est. inuenitur in alpibus, non longè ab Oeniponte. † Viridi Smaltæ.

Vena quædam gemmea, dilatata ab una parte, amethysti, ceu politis cubis & angulosis turbinibus constans: ab altera parte autem est Arabici lapidis peculiare quoddam genus, durum, candidum, in poliendo ebur splẽdore & candore superãs: inuenitur & hæc in Athesina regione in alpibus quemadmodum molochites.

Chalcanti uena in candido pallida, duo habens, uidelicet alumen & Chalcantum uiride in cœruleo: Schemnicii.

Alumen scissile candidum, lene, subpingue tactu, in capillamẽta amianti instar diuisibile: gustu uehementissimè adstringens, affertur à Schemnicio.

Sulphur quod duriusculum Sandarachæ colore in guttas oblongas concretum, elicitur è uena quadam metallica. Nurenbergæ uidi.

Sulphur quod suum est, citrini coloris, syncerissimum, propemodum pellucidũ, inuenitur in quibusdam Germaniæ metallis ad Bohemiam.

Bitumen nigrum durum, simile carbonibus bituminosis, hoc est, fossilibus, inuenitur in alpibus Heluetiorum.

Bitumen nigrum durum inuenitur in tractu qui est inter Egeram, Kulmam altam, Falkenauium & Elenbogium: copiosissimum autem non longè à Falkenauio in colle quodam qua itur à Falkenauio ad Sattelam pagum; optimum uerò circa Sattelam & in ipso pago, aspectu crustaceum, leue, accensum flagrat & copiosum remittit uaporem.

Tractus qui est inter Culmam altam seu acutam, & Elenbogium olim arsisse uidetur: quia in utraq; ripa Egerę adusta est terra, & facta similis terræ fornacum adustæ: præterea terra ipsa partim in lateres cremata est propter spontanei incendii uehementiam. huiusmodi autem lateres reperiuntur inter Falkenauium & Culmam altam.

Bitumnis ueluti exusti cineres inueniuntur inter Elenbogen, & Falkenauium, Culmam & Egeram urbem.

Radices arborum in ipsa terra in carbones crematæ & redactæ, eruuntur inter Falkenauium & Sattelam pagum.

Terra purpurea cum aliquo Indici colore, inuenitur imbribus detecta magnis inter Elenbogium & Sattelam pagum, quæ & ipsa incendii uestigium est.

Bitumen illud quod circa Falkenauiũ & Sattelam eruitur partim pyritosum est, partim synceri pyritis ærei frusta continet, partim etiam eo caret.

Ea loca pastorum ignibus accenduntur non contemnendo uicinorum periculo.

Ciuitas Iuhonum, ut Cornelius Tacitus refert, grauiter afflicta & propemodum deleta est huiusmodi incendio, & igne sponte è terra ædito. Fuit autem ciuitas Iuhonum fortassis hoc loco: aut, quod potius credo, in eo tractu ubi Zuuickauia (quam Cygneam uocant aliqui) sita est: nam quantùm ex Tacito colligi potest, Hermundurorum ea fuit ciuitas. Tractus autem Zuuickauianus non rarò sponte exardescit, adeò ut saxa liquefacta riuorum instar liqui uitri defluant, quale fuit hoc incendium quod ante quadraginta annos, pagos, uillas, non satis tuta etiam urbe uastauit.

Achates sanguineis uenis in se conuolutus & flauis: lineis maculisq; uarius, Nurenbergæ apud Gemmarios.

Gammehu oyychis placodis species est: inuenitur in Vuesterichia.

Achates alius cinereis ac liuidis in cœruleo uenis conuolutus, Nurenbergæ.

Achates uulgaris fabæ magnitudine è Gallia allatus.

Achates mineaceis maculis, lacteo & luteo corpori immixtis, Nurenbergæ.

Onyx pulcherrima, grandis, & lata, ouata figura, colore cœruleo, lacteo, & spadiceo nigroq;, crustatis uaria, imaginem speculi instar reddens.

Halmyrax nitri species est, qua canescunt siccatæ camporum conualles, ut Plinius ait, in Media. Gignitur etiam apud nos circa Berneburgum, & Stasphurtum ac propè Vuarmsdorffium.

Terra nitrosa est Berneburgi, etiam ad tres cubitos effossis scrobibus.

Terra salsa est Stasfurti, ideoq; sale canescunt siccitatibus fossarum margines.

Lacus salsi sunt ibidem: in quibus nascitur anthyllis. quidam adeò salsam

habent muriam ut nihil gignant.

Frutex paruus, Ericę similis, minor tamen, nascitur inter Caroli quarti Thermas, Elenbogen & Falkenauium.

Fruticulus exiguus, humi prostratus, iunceis uiridibusq; uirgulis: foliis myrtinis, duris, acuminatis, perennibusq;: floribus papilionaceis ferè, diuerso colore, uidelicet albo, flauo & rubente: extimum quidem albet, proximum flauet, intimum rubet. Nascitur in syluis montanis circa Egeram, in Bauaria & Vindelicia.

Orisella Musci quoddam genus est, incauum, ramosum, quod ex Italia affertur.

Muscus quidam, Crispę lactucę similis, minor, & per ambitus leniter aculeatus, cespite latiusculo diffusus, nascitur in Tædacea sylua, inter Suetachium & Lauffam.

Fungus grandis, pylę instar rotundus, foris pallenti cortice, intus candida, succosa dulciq; carne constans, non in puluerem transiens, sed hyemis iniuria, Peponum exemplo, putrescens: nascitur uerè in eadem sylua ex meris arenis.

Ramulus ueluti è lentisco decerptus, foliis utrinq; ex interuallo dispositis, crebrò geminatis, in exortu sibi inuicem respondentibus. Nurenbergæ apud D. D. Schaller.

Absinthium Seriphium, exilibus ramulis, colore in spadiceo nigricantibus, semine tenui, paleaceo, ac totis surculis adnascente, leniter amaro, cum tenuitate euidenti, ibidem, apud eundem.

Herba foliis Pyrethri, caule cubitali, flore, folliculo & semine Scrophulariæ: in horto Ollingeri, ea uenenata est, & ex Austria allata.

Crethamum † marinum, foliis portulacæ syluestris, oblongioribus similiter pinguibus in horto eiusdem. † Crithmus.

Cyclaminus orbiculata radice: foliis inter Cucumim & Bechion mediis, non tamen hirsutis, rubentibus & albicātibus maculis. Autumno floret: æstatis initio paucis spectatur foliis. Nurenbergæ in horto eiusdem.

Cyclaminus globosus, id est, globosa radice, foliis prædicti, similiterq; maculosis, rotundioribus tamen flore inter puniceum & purpureum medio, autumno exeunte. Nurenbergæ in horto D. D. Schalleri.

Calaminthe tenuifolia, ualdè odorata, perennis, tenuibus foliis: ibidem.

Coton herba lanigera, caule duro, tereti, alis brachiato rubenti, subhirto: foliis uitigineis, Althęæ modo breui lanugine hirtis: floribus luteis, rosea figura, intus lanuginosis & purpureis partim folliculi Cotonei amplitudine, triplici aut quadruplici commissura dehiscentibus: & semina habens ciceris quantitate, intus Cinereis sparsa punctis, candida multaq; lana inuoluta: ibidem.

Genista iunceis uirgis, hisq; non angulosis, sed teretibus: ibidem descripsi.

Trifolia arbor, flore in singulis pediculis numeroso, siliquis longis, semine fœnograeci. Francofurti in horto ciuis cuiusdam.

Lepidium maius spōte nascitur Spirę ad uetusta monumenta, in ruderibus Templi B. Germani extra urbem.

Rubea syluestris uera nascitur sponte ibidem in sepibus, satiuæ per omnia similis, multò tamen maiore radice.

Hyacinthus diphyllos Fuchsii, floribus candidis, nascitur Tubingæ in syluulis iuxta diphyllum purpureum.

Calaminthe † quędam, Ocimi ferè foliis, hirsutis, caulibus cubitalibus, semine ex interuallo in raris & semicirculum ęquantibus uerticillis: nascitur inter Tubingam & Nurtingam. † Clinopodium quorundam scilicet.

Tilia grandis ueris medio, aut paulò antè, iulos ferens longos colore flauos: nascitur propè Nurtingam oppidum in pago.

Herba hederaceis aut cucumeraceis foliis, hirsutis: caule cubitum excedente: radice multifida, lenta, perenni, sapore raphani aliquo. Nascitur in montibus Sueuiæ supra Auo oppidum. Lunaria Græca fortè.

Ruta quædam sylueſtris foliis Rutæ minoribus, coluteæ modo geminatis folliculis, cum erumpunt tenuibus, multis, rubentibus, colore in corymbis dependentibus: luteo ſemine in corniculis, oblonga radice, craſſa, rimoſa, flaua, perenni, firma, &c. Saporem folia Rutæ habent. Naſcitur in alpibus Vuirtembergenſis Sueuiæ.

Hyacinthus minor globoſis, concauis, purpureis, deorſum nutantibus & gibboſam comam conſtituentibus floribus, in caule dodrante breuiori: foliis Porro multò minoribus, radice bulboſa: floret poſt ueris initium. Naſcitur copioſiſſimè in alpium Sueuicarum planis pratis, in Heſſia & Vuederauia.

Hyacinthus minor, candidus, proximo ſimilis, maior paulò. Naſcitur iiſdem locis, ſed parcius.

Herba foliis Narciſſi, caule dodrantali, flore in lateralibus pediculis candido, ſtellato aut cruciformi, odorato: radice bulboſa. Nurenbergæ in horto Ollingeri.

Lilium ſylueſtre, quod aliqui falſò Aſphodelum uocant, uidi flore candido, cùm aliâs rubeſcat, in horto Ollingeri.

Cucumis recto caule, fructu Melonis aut Peponis parui. Nurenbergæ in horto ciuis, &c.

Herba caule cubitali, foliis ſpinoſis, capitulis acanaceis, floribus Scabioſę: in montibus Sueuiæ Vuirtembergenſis.

Thlaſpi quoddam minutum multis ab una radice ramulis, flore candido, numeroſo: ibidem in montibus altiſſimis.

Helleborus candidus, plantaginis foliis, niſcꝫ uenoſis & liratis: in montibus alpibuſcꝫ inter Sueuiam & Conſtantiam, **auff der Hart vnd Bar**, non longè à Danubii exortu.

Lycoctonum aconitum purpureo flore: ibidem ſponte naſcitur in opacis ſyluis.

Lycoctonum cœruleis floribus: ibidem naſcitur, utrumcꝫ aliâs in hortis colitur.

Mentaſtrum ualdè odoratum ut Hedyoſmus, in montibus **auff der Bar** iuxta pagos, ibidem.

Mentaſtrum uulgari ſimile, ſed pulchrius odoratiuſcꝫ multò, non longè ab Vlma urbe prope foſſas humidas * in pratis.

Hippion, id eſt, Viola equina, Leucoio æquales flores habet in quadrantali coliculo, cœruleos, pulcherrimos, profundo colore. Naſcitur in pratis inter Vlmam & Auguſtam.

Maiele, coronarii puniceicꝫ ſunt flores, in dodrantalis teretiſcꝫ caulis ſummo, folia ad perennem radicem fert oblonga, inferius candicantia. Naſcitur opacis campis in Vindelicia.

Thymelæa minor, tenuibus foliis, floribus in corymbo puniceis. Naſcitur in Vindelicia circa Auguſtam, &c. deſcripſi eam partim.

Herba foliis latiuſculis, acuminatis, ſtellatim in terra alternatimcꝫ ſtratis: radice fibrata, coliculo quincũciali, tenero, unico: in ſummo flore purpureo, Violaceo, apicem acutum habente. Naſcitur in Vindelicia inter Auguſtam et Licum amnem in campis.

Ophiogloſſon, quam alibi deſcripſi, copioſè naſcitur in mõtanis Sueuię campis.

Lunaria copioſè etiã prouenit in montibus, nõ ita herboſis, collibus & tumulis, folio uno pingui, quadrantali aut ſextantali ab uno coliculo exeunte, Polypodii diuiſura. In ſummitate racemoſum quiddã eſt radice diuiſa, tenui, fibrata, perẽni, &c.

Draco herba acetaria, ſaporis feruidi tenuiſcꝫ, caulibus cubito procerioribus ramoſis, foliis oblongis, Lino aut Hyſſopo maioribus, ſemine florecꝫ minuto, radice craſſiuſcula, multifida, intorta, perenni, & multa emittente germina. Colitur in hortis Auguſtæ Vindelicorum, & Nurenbergæ expetitur lautioribus hominibus ad acetaria, &c.

Iris Illyrica noſtrati eſt ſimillima: differt tantũ odore, ſapore et floris colore, quem candidiſſimum habet & non purpureum. Colitur Nurenbergæ in hortis.

Herba Irinis foliis, longioribus multò, radice fibrata, Ollingero ex Italia pro Iride Illyrica miſſa.

Xyris minor, seu spatula fœtida minor, maiori similis est: differt quantitate minore, radice scabriore & fusciore, atque semine duriore. Nascitur in campis & secus fossas inter Oppenheym & Moguntiacum ad Rhenum fluuium.

Herba cicutæ foliis & odore: radice crassa, nigra, perenni, semine in umbellis † caro crassiore, quo in quibusdã Galliç & Italiæ locis malè pro Ligustico utuntur, ibidem prouenit ubi Xyris minor. † quam Carĩ uel Carui.

Caryophylli Indici minores, caule statim à terra ramosissimo à uere florent usque ad hyemem, foliis multò minoribus, ibidem.

Piper Aphricanum longis, angustis, multisque foliis, & folliculis, colore rutilum. Nurenbergæ, in horto D.D. Schalleri.

Piper Aphricanum huic simillimum, colore tantùm in fusco purpureo ibidem, &c.

Melon Indicus citrinus, propemodum globosus, semine lato candidoque.

Melon Indicus citrinus, oblongus, angulis aliquot inequalibus, crassa & uix tricubitali uiticula.

Melon Indicus citrinus, oblongo similis, fructus tantùm figura differens, quẽ uerticillo similem profert, in latitudinem aliquam compressum.

Alceæ species, ✢ conca minoribus foliis (affertur ex Italia) magisque incisis: caule mollibus aculeis hispido, flore ex quinque candidis foliis roseo: mane se aperiente, meridie unam horam hiante, postea se contrahente, foris partim purpurascente, quemadmodũ etiam intus in profundo capitulo hirto ex luteis apicibus, in medio quinque purpureis apiculis uariante, semine in globoso, hirsuto, membranaceo pericarpio, deinde in nigro aperiente se, subrotundo, nigroque: radice semestri. Malua Vẽneta.

Bechion syluestre, foliis minoribus rotundioribusque multò, coliculo dodrantali, floribus in summo multis, densis, in purpura candicantibus, ueluti Petasitis, radice fibrata & perenni. Nascitur altissimis uliginosissimisque montibus, inter uallem D. Ioachimi, & Bisentalum, metallica oppida.

Herba carduaceis foliis, acanaceisque capitulis: ibidem in montanis pratis.

Herba trientalis, foliis oblongis, ueluti Neriadii minoris, flore candido stellatoque: nascitur ibidem in montibus non ita herbosis, solo neque nimis madido, neque nimis arido, nec syluoso.

Herba Lycoctoni, maioris ue Geranii foliis, caule tereti, tenero, floribus foliaceis, ranunculaceis, candidisque: radice perenni, fibrata, candida, cum arescit leuiter radicem Phu odore æmulante. Nascitur in sylua inter Bisentalum & Annæbergum.

Fruticulus tenuibus & cubitalibus uirgultis: foliis polygoni masculi: semine rotundo, nigro, Iuniperinis baccis simili, gustu acri: allatus est mihi ex horto Episcopi Cenomannensis è Gallia à Petro Bellonio. Ruta caprāria Gallorum fortẽ.

Herba umbellifera, foliis inter Anisi, Apii & Coriandri foliorum figuram mediis, semine acri, odoratoque. Ex eodem horto allatum.

Herba radice nucis auellanæ figura & quantitate, quç seminis modo sata aut defixa germinat: foliis gramineis durisque, gustu dulcis. Vide an sit Xiphion Theophrasti aut Ornithogalon, aut Moly siue Myle: ex eodem horto. Trasi Italõrum uidetur.

Fruticulus Sicilianæ foliis, sed angustioribus multò, satis carnosis: umbella latiuscula. Semine Cymino simili, nigro: fortè Tragy Cretici est species: nã ex Creta affertur, & lachrymam fundit lacteam quç postea spissatur. Ex eodẽ horto per Petrũ Bellonium mihi allatus.

Fœniculus longo semine, prima qua seritur æstate caulem semenque fundens, ut uulgaris: missus mihi est pro Hippomarathro.

Cepç similes fissilibus, multò tamẽ minores, breuioresque coma cõcaua: cepa communi tenuiore. Vere maturescit et cũ primis aut etiã antè euellitur. Germani uocãt

Äschlauch: alii Abschlag. Fortè sunt Ascaloniæ: nam sic ab Italis & Gallis appellantur. Vide etiam quid ab iis differat Gethyum.

Cotyledon uerus radice Ari est, & uillosa: coliculo dodrantali, semine circundato: foliis pinguibus, rotundis, crassiusculis, leniter cõcauis, &c. Allatus mihi est cum aliis quæ ex horto Episcopi Cenomannensis è Gallia Petrus Bellonius ferebat.

Rhus fruticem uidi aridum, foliis oblongis, figura Vlmeis, & tamen Laurinis ramulis, alternatim geminatis, flore in Corymbis candidis: ex Italia allatus est.

Cistus frutex folio est oblongo, & tamen subrotundo, Saluiæ aliquo modo simili, maiori, hirsuto cauoq́; semine in pericarpiis minuto Papaueri simili, &c. gustu adstringit, &c. Allatus mihi est ex Cenomannensis Episcopi horto.

Frutex tenuibus multis acutisque aculeis spinosus: uirgis & surculis tenuissimis, foliis paruis, oblongis, candidis, hirsutis, pro Paliuro missus mihi est ex Gallia: sed uidetur potius Rhamnus esse.

Rhamni nigri fructus niger est, Verticilli figura, orbiculatus, in medio elatus. ex eiusdem Episcopi horto.

Rhamni candidi fructus, prędicto similis est figura, sed colore candidus. Allatus est mihi ex eodem.

Tragus syluestris uulgari minor est, foliis in latitudinem aliquam compressis: floribus in candido puniceis, Centaurii minoris figura. Nascitur in cultis locis ac campis inter Egeram & Filsecum oppida.

Phleon palustris herba, aculeata sub foliorum exortu: foliis harundineis ab uno principio in uentilabri figuram explicitis. Affertur ex Italia cum sarcinis aliarum rerum, idq́; casu.

Cicuta syluestris maioribus quàm uulgaris foliis, hirtisque, in syluis inter Pferingen & Ehingen.

Herba Cicutæ foliis, maioribus: radice pedali, crassa, foris nigra, intus candida: gustu acris, feruida, tenuis, & aromaticum quiddam præ se ferens: prouenit inter Ebingam & Sueiningam in montibus.

Aizoum syluestre siue serratum minus, non longè ab Ebinga oppido scatet in scopulis.

Asparagus quidam fruticosior, multò maioribus quàm reliquus baccis. Nurenbergæ in hortis D. D. Schalleri ac Ollingeri.

Semen herbæ cuiusdam Vmbelliferæ, Brassicæ æquale rotundumq́; colore nigrum, quod pro Smyrnio ex Italia Nurenbergam ferebatur.

Semen herbæ cuiusdam Vmbelliferæ, colore & figura Cari, sed minus: & Ammios magnitudinem paululùm excedens. Francoforti.

Ricinus quidam uulgari per omnia similis, triplo tamen maiori semine. Nurenbergæ in horto D. D. Schalleri.

Agaricus in Picea syluestri, Tæda, Abiete & Larice: sed omnium optimus est Larignus: hic enim solus in usu est medicis.

Viscum in Populo nigra, Sorbo lanata, Sorbo, Spina alba, id est, Pyracanta, seu Sorbo Torminali aculeata: in Sueuiæ alpibus.

Anthyllis maior caulem habet dodrantalem aut maiorem, inferius digiti crassitudine & ferè singularem: superius ramosum: foliis angustis, oblongis crassiusculis, gustu salsis. Flore Anthemidis aut Asteris Attici, figura & magnitudine quidem illius: colore uerò huius. Nascitur salsis locis, nõ procul à lacu Salsiusculo Stasfurti.

Anthyllis minor prædictæ similis est, sed multò minor: caule tenuiori, ibidem exit.

Anthyllis prædicta breuior, angustis foliis: exiguo foliatóque & purpureo flore. ibidem.

Anthyllis tenuis, gracili coliculo, foliis ualdè angustis, salsis: semine & flosculis secus folia tantillis. ibidem.

Anthyllis constans primùm ueluti tritici granis, cacumine sibi insertis. ibidem.

Anthyllis humi sparsa, minori Aizoo similis, salsa. ibidem.

Anthyllis latiusculis oblongisq; foliis, salso gustu. ibidē. fortè Telephiū salsum.

Larix arbor resinifera, conos fert Tædæ, sed minores. Augustæ à quibusdam in deliciis habetur, sponte nascitur in Alpibus. descripsi eam.

Trifolia arbor nascitur Oenipontе & Francoforti ad Mœnum, utrobiq; tamen culta: in montibus uerò quibusdam sponte. descripsi eam.

Lycostaphylos mascula uisa mihi est Augustæ Vindelicorum & Nurenbergæ. descripta est.

Oleastri peculiare genus nascitur in Vindelicia ad Licum amnem & ad Danubium inter Donauerdum & Kelheymium oppida. descripta est.

Tamariscus fœmina nascitur iisdem locis, glareoso solo, nec non ad Vertachum amnem prope Augustam Vindelicorum. descripta est.

Cotonea malus syluestris sponte prouenit in collibus & sepibus circa Kelheymium & Ratisponam, in utraq; Danubii ripa. descripta est.

Pseudocrania arbor prouenit iisdem locis & natalibus. descripta est.

Telycrania, id est Cornus fœmina, nascitur inter Augustam et Donauerdum urbes campestri solo planoq;. descripsi eam.

Cytisus syluestris, quem paulò ante descripsi, nascitur in montibus Bauariæ copiosus, præsertim Ratisponæ in Casteino monte rupibus pleno.

Orchocarpi peculiare genus rimoso & fisso ac dependente cortice in montibus inter Ehingen & Pferingen in syluis.

Styrax arbor è nuce enata foliis Cotoneę similibus. Nurenbergę in horto D. D. Schalleri.

Iuniperus parua duplex est: una floret minimos flauósque iulos coni figura ferendo, qui in puluerem abeunt. hęc fructum non fert.

Altera Iuniperus non floret, sed baccas immediatè profert, decidentibus primi anni fructibus, cum tertii anni enasci incipiunt, tum peruenerunt ad iustam magnitudinem secundi anni baccæ, sed uirides adhuc sunt.

Tæda arbor cono suo similes sed flauos uere producit iulos, qui in puluerem resoluuntur toti, nihil producentes: coni uerò immediatè enascuntur.

Atriplicis syluestris genus gustu salsum, nascitur Stasphurti cum Anthyllidibus ad lacus salsos.

Melon Indus Verticillo similis, fructu uerrucis undique tuberosus.

† Grase Polei herba est, Polygoni masculæ foliis, non humi prostrata sed erecta. Nascitur aliquantulùm * uliginosis locis: copiosa autem Stasphurti. † fortè Grasse.

Coronopus syluestris satiuæ est similis, foliis tamē minus fiscis, alioquin eadem est. Nascitur Stasphurti in campis secus uias.

Pseudocyperus lignosa rotundaq; & ueluti ossea radice, ex Gallia allatus mihi.

Melissophyllon syluestre foliis floribúsque maioribus: candidis floribus labro inferiori rubentibus. Fuchsius uerum esse credit, sed falsò.

Nux quædam Pineę nuci similis, sed maior, crassiori cortice, uenosa quadam carne operta, nucleo duro. Affertur ex India: Fancoforti.

Nucleus quidam Indicus, trium ferè digitorum latitudine, planus, compressus, orbiculatúsque: colore in spadiceo niger. Nurenbergæ.

Lupinus quidam Indicus trium ferè digitorum latitudine, planus, compressus, orbiculatusq;: colore in spadiceo niger. Nurenbergæ.

Fructus quidam globosus modicè, acuminatus, osseæ foris soliditatis, colore cineraceus: linea quadam à basi usque ad apicem spiræ modo circumuolutus. Nurenbergæ.

Smilaces Indicæ unciali longitudine, aliæ purpureæ, aliæ roseæ, aliæ candidæ, aliæ in purpura cœruleæ. Nurenbergæ.

Cardamomum quoddam pinguius, acrius, odoratius scabriusq; ueluti incultius quiddam. Francoforti ad Mœnum in nundinis.

Folium Querno simile, sed minus, oblongius, ac pulchrioribus incisuris concinnius: quod Ollingerus aiebat esse Styracis, sed falsò: nam tale erat, quale Loto tribuitur arbori.

Spinæ Indicæ, id est, Acaciæ maioris, materia Augustæ & Nurenbergæ à quibusdam pro Ebeno uenditur.

Ebenus uera nigerrima, ostensa est mihi à Conrado Rellingero patritio Augustano Augustæ, qui magnos Cylindros habebat.

Materia arboris cuiusdam peregrinæ, colore inter Sandalum rubeum & Resilium medio: ex qua faciunt capulos cultrorum Nurenbergæ. *Presilium.*

Sandali rubræ peculiaris species, colore in candido ruffo, paulatim nigram purpuram induens, à superficie incipiendo, donec successu temporis totum eum colorem acquirat. Nurenbergæ apud cultrarios fabros.

Resina quædam uitrea, quæ cum manibus tractaretur liquescebat: frigidáque, si cum impetu percutiebatur, dissiliebat in paruas micas. fortè erat Terebinthina uera, nam pro ea afferebatur Francofortum in nundinis.

Radix speciei Cardopaciæ maioris, cubito longior, figura Centaurii maioris. Francoforti in nundinis.

Centaurium maius Germanicum nascitur in Heluetiorum alpibus, Cardopacii nostratis modo fissa & gracili radice.

Cyperella herba quædam Cypero multò minor, fibratis tenuibúsque radicum capitulis, allata est Francofortum ex Heluetiis.

Petroselinum Indicum, latè diffusis foliis, semina in umbellis oblonga, ceu caron, gustu aromatico, etiam odore. Nurenbergæ apud D. D. Schallerum.

Lentiscides, id est Lentisci arboris baccæ, paruæ rotundæq; sunt, Ligustri baccis siue acinis æquales, sed colore uirides. Vnde etiam à quibusdam dicitur Lentiscus arbor granis uiridis. Francoforti.

Pulmo marinus spongiæ est similis, substantia inter Cartilaginem & membranam media: siccata contrahitur, humida distenditur.

Myrrhæ quædam species, minutis constans grumis, colore ruffis. Francoforti in nundinis.

Fortè purpurea minus. Casia fistula Cinamomo similis, purpure tamen, gustu lubrica &c.

Casia solo gustu à Cinamomo Characio distans, qui est uocato Calamo atq; Galangæ non dissimilis, tenuior tamen.

Alcea quædam tenuissimis foliis in sylua Hercynia supra Stolbergũ oppidum, ad montem Aurbergum, qua itur ad Mansfeldium & Sangerhausen.

Seriphium, id est, Absinthium marinum ad lacum salsum prope Seburgum.

Sanguis Draconis uulgò. Rumicis species, cuius folia rubentibus sunt distincta uenis: in uenis est succus purpureus, primo anno non caulem fert.

Lysimachia minor indiuiduo caule. Vuittembergæ.

Monoclono Artemisiæ non dissimilis herba. Stasphurti.

PISCIS uolitans pede longior, figura Barbonis, alis membranaceis geminis tantùm continuisq; qui uiuit ultra Gades. Hispanis dicitur Pescauolar, Latinis fortè Miluus, aut Hirundo marina.

Dentata, quæ & ossea lingua, cubito longior, utrinque serræ modo eminentibus dentibus. fortè est Serra marina cuius Plinius meminit. Francofordiæ.

Conchæ Indicæ grandes, in spiram conuolutæ conuexæ: tam foris quàm intus splendidissimè. Francoforti.

Lacertæ Indicæ, ut uocabant, cubitales aut maiores, Crocodilo similes, minoribus tamen squamis. Francoforti ad Mœnum.

Capricorni cornua longa sunt, falcata & tuberosa longitudine trium pedũ. Francoforti.

Cornua Ibicum minora, pauloq; crassiora sunt, falcata & superficie æquali, & ualde ponderosa. Francoforti.

Cornua Dambocci ramosissima maximáque, & ita intricata, ut nullum uideantur animali præstare utilitatem. Lochaurii in arce electoris Saxoniæ.

Cornua ceruorum caprearumq; ualdè intorta, manca & monstrosa, ibidem.

Simia Porcaria cui barba ab auribus usque sub mentum. Francoforti, uulgò ein Pauiam.

Subulones Plinio cerui sunt simplicibus & indiuiduis cornibus, à subulę mucrone dicti: uulgò ab acumine cornuum Spißhirsche uocantur.

Cuniculis similia animalia in campis & agris latibula excauant: uide an sint Dasypodes Leporum genus. reperiuntur autem in Pannonia iuxta Budam urbem, & uicinis regionibus: alii tamen Cuniculum Dasypoda uocant.

Cutis piscis cuiusdam marini, aspera, & scobinæ modo scabra, qua capuli & manubria Hispanicorum gladiorum obducuntur. Vidi huiusmodi gladios ex Antuerpia allatos, uidetur mihi ex Squatina esse pisce. *Vulpecula marina forte.*

Orphus siue Vrphus piscis qui Germanicè ein Vrff uocatur: sapidissimus est, media inter Carpionem, Plozam & Bresmam figura & magnitudine. Vide ergo an sit apud Plinium Orphus.

Goldtforen similes sunt reliquis forris, sed squamas habent deauratas. Augustæ Vindelicorum habentur.

Rotforen reliquis similes quidem sunt, sed carnem habent rubentem & ualdè sapidam.

Grundtforen eandem habet figuram, sed frequentius fundũ amnium sequuntur: unde nomen eis apud Germanos. *Truttæ*

Pisciculi in fusco pallidi, aliquantulùm maculosi, longitudine digitali, Augustæ sunt quibus pascunt forras suas in piscinis diuites.

Sengelē minutissimi sunt pisciculi, gregatim tranquillioribus amnium partibus apricandi gratia innatantes. Augustæ in deliciis sunt.

Testudinum magna est copia Spiræ ad Rhenũ, in campis ac riuulis uiuentium. Cum ibi sunt comitia, rustici eas cancrorum modo uenantur & uenales portant. Hispanis in comitiis ibi agentibus, lautissimum faciunt cibum, cùm non temerè ab aliquo Germanorum expetantur.

Steynraben, corui sunt in rupium & petrarũ cauernis uiuentes, uita illis ad Danubiũ in utraq; ripa ubicunq; saxa & rupes attolluntur: ut non procul à Passauio et supra Kelheymiũ in petræis faucibus. expetuntur regum uenationibus & mensis. *Pyrgocorax Item Brisaci apud sanctā Mariam de lapide prope Basileā*

Steyndolen, monedulæ sunt in petrarum cauernis agentes: reliquis monedulis multò minores: frequentes autem sunt supra Kelheymium in petręis faucibus, utráque Danubii ripa.

Piscis planus Soleæ aut Passeri marino similis, carnosior tamen, * atq; aculeata nigra & cœlum spectante parte, in mari uiuit.

Chlorion auis uidetur mihi esse quæ Germanis uocatur ein Worgangel. colorem habet in uiridi luteum, quemadmodum etiam eius carnes. Vide etiam Hemmerlinge.

Spermatis Ceti genus, seuo simile, multis tenuibusq; ceu neruis plenum, inuenitur in nostro mari.

Motacillæ auis species altera Ictero, id est, Hemmerlingo colore similis, cætera Motacillæ uulgari.

FINIS.

LOCA MEDICAMINVM FERACIA IN GERMANIA
sunt præcipua hæc sequentia.

MONTANI herciniæ syluæ tractus circa Bohemiam totam: & in finibus Saxonum ac Thuringorum, iuxta Goslariam, Osteradam, Halberstadium, Quedlingburgum, Oscharolebium, & Stolbergum urbes.

Item Alpes totæ, præsertim Heluetiorum & Noricorum.

Montes Transyluaniæ.

Deysterus in Brunsuicensi Saxonia.

Vuintbergus, Gleysbergus, aliic̨ Salæ fluuio imminentes iuxta Ienam urbem.

Mons S. Petri iuxta Halam Saxoniæ, omnesq̨ montes Thuringiam circumdantes, præsertim iuxta Vualtershusium.

Vogelbergus, Arnestusq̨ montes, & sylua Reynhardina in Hesia.

Rheno imminentes montes: Brisgoię item, Pomeraniæq̨ partes priuatim quędam excellentiora in suo genere ferunt.

Palustria quoq̨ Chauchorum quædam copiose ferunt.

Sylua quoq̨ nigra, quæ Hercyniæ pars est: & Alpium cornua in Sueuia, quæ Almen incolæ appellant, plurimis optimisq̨ nec ubiq̨ inuentu facilibus scatent.

VAL.

VAL. CORDI DE ARtificiosis extractionibus Liber: cuius tres sunt partes.

I. De extractione efficaciorum partium è medicamentis purgantibus, simplicibus & compositis.
II. De Destillatione oleorum.
III. De Destillatione olei è Chalcantho duplicis, eorumq; uiribus.

CL. V. PHILIPPO BECHIO BASILIENSI DOCTORI MEdico, artis scientia & usu celeberrimo, Con. Gesnerus Medicus. S. D.



ΑΡΙΤΑΣ ΔΙΚΑΙΑΣ ΚΑΙ ΔΙΔΟΥ, ΚΑΙ ΛΑΜΒΑΝΕ, *Gratitudinis laus.*
antiquißimo Menandri senario celebrata sententia, non gentium modò, sed naturali
iure animis hominum inscripta, iustitiam plus quàm ciuilem constituit. Leges enim
ciuiles ea tantùm dare aut reddere quenq; iubent, quæ ex boni ciuis officio facere de-
bet: ac nisi faceret, iure cogeretur. at qui beneficium ultrò et gratis confert, is ut plus
quàm ciuiliter iustus est, & ueluti melioris ciuitatis cœlestisq; reipub. ciuis, inq; ea
summi reuera ἀυτοκράτορ & Dei O.M. imitator, ac sicut in prouerbio est, Homo ho-
mini deus: ita ingenuè, candidè, liberè, liberaliter, et sine remunerationis spe, quæ po
nes se sunt communicat, largitur, commodat, gratificatur aut donat alijs hominibus,
diuina quadam animi magnitudine præditus. Huic uerò proximus est, is qui grato
synceroq; animo, non minus benignè, libenter atq; liberaliter, quàm ille dedit, acceperit: & uerbis, si opus sit, memo-
rem gratumq; se exhibuerit: &, si nihil impediat, re ipsa ἀυτῷ τῷ μέτρῳ, κὴ λώϊον αἴ κε δύνηται, beneficium retulerit. nã
hic quoq; homine ciuiliter iusto, ut mihi uidetur, iustior est: ad referendam enim gratiam legibus non adigitur, sed
sponte facit. Quemadmodum autem sine ciuili iure respublica esse aut durare prorsus non potest, ita si beneficentiæ
& gratitudinis officia accedant mutua, melior eadem, iucundior atq; felicior fuerit, durauerit q; diutius. Hic præci-
puus amicitiæ, perfectißimæ uirtutis: hic potißimus sacro sancti illius & uniuersalis præcepti: Quod tibi fieri nolis,
ne feceris alteri, usus atq; fructus est. Quamobrem erga benè merentes gratitudinem, ita propemodum laudandam
iudico, ut erga Deum pietatem laudamus: ingratitudinem uerò ueluti impietatem quandam detestari oportere. Sic
igitur affectus ego in omni uita beneficiorum quorumuis mihi authoribus, gratum memoremq; animum saltem, si
rebus fortè assequi nequeam, declarandum mihi imperaui. Itaq; in his etiam Cordi libris ad editionem promouen-
dis, hoc primùm spectaui, ut publico artis medicæ studiosorum nomine, conditori eorum, aut eius memoriæ saltem,
quo possem modo præberem me gratum: idq; meritò, cum ipse uitæ suæ periculo, in eoq; tandem amißione, medicis,
imò mortalibus omnibus, prodesse uoluerit. Deinde priuatim ijs, qui mihi scripta eius conquirenti, quæ habebant
exemplaria obtulêre, (ut & mihi gratificarentur, & ex peculiari bono publicum facerent,) gratitudinis aliquod spe
cimen depromere conatus, oblatos ab eis libros, ut profecta ab ipsis gratia ad ipsos quodammodo rediret, in ipsorum
nomina inscripsi, uidelicet Rallæ, Heroldi, Placotomi. Cæterum huic instituto meo, doctißime & ornatißime *Dedicatio.*
Bechi, nisi hunc De extractione subtiliorum partium ex medicamentis purgantibus, & oleorum destillatione libel-
lum tuæ humanitati dedicarem, non satisfacerem. Eius enim tu primus mihi copiam fecisti, quanquam illius tantùm
partis, quæ oleum Chalcanthi destillat: quam postea unà cum prioribus duobus partibus Ioannes Crato etiam (uir
doctrina & uirtute præstans, Cæsareæ maiestatis medicus) Vratislauia ad me misit. Sed nolui idcirco destinatam no-
mini tuo iam antè nuncupationem mutare. Collatis quidem ijs quæ ambo communicastis eadem, libellum integrio-
rem do. Hunc ipsum autem non minus benigno liberaliq; animo nunc recepturum te, quàm prius dedisti, καλοκαγαθία
illa tua, quam uultu, sermone, moribus, totaq; uita præ te fers (ut nihil iam de eruditionis tuæ præstantia dicam,)
spem indubiam mihi facit. Quòd si fortè inuidus aliquis secum stomachetur, & artificiosos illos adeoq; subtiles
& secretos medicamentorum apparatus (quos paucißimi hactenus, soli fortè principum medici, non multis ante hoc
tempus annis, aut qui magna pecunia redemissent, callebant) in uulgus edi ac ueluti mysteria profanari indignè fe-
rat: illi equidem in præsentia nihil respondebo, ut magis etiam indignando ipse sibi inuidiæ suæ pœnam det. Ego (ut
aliquid saltem dicam) bona omnia communißima esse cupio: neq; ab hoc proposito abutentium imperitia aut mali-
tia me deterrebit. istos enim coërcere, & à medicinæ profeßione prohibere, magistratuum interest. qui si alicubi offi-
cio suo hac in parte non satisfaciunt, ut fit, præsertim in populari reipub. statu: nos tamen quæ optima excellentißi-

maq; remedia nouimus, nihilominus & publicè & priuatim uiris bonis ac eruditis (quorum, Dei gratia, magnus ubique numerus est) communicare non desinemus. Vale uir clarissime, & me ama. Tiguri decimo Kal. Ianuarij, instantis anni à uirgineo partu. M. D. LX.

VALERII CORDI DE EXTRACTIONE, VT uocant, Purgantium medicamentorum: & Oleorum destillatione: in genere primùm: deinde priuatim De oleo è Chalcantho duplici, uno austero (uel acido) altero dulci, Libellus tripartitus.

PARS. I.

DE EXTRACTIONE. CAP. I

EXTRAhitur ex medicamentis solutiuis ipsa qualitas purgans æquè ac Olea, sed diuersa ratione. Olea propter aëream substantiam ascendunt in destillatione. Solutiua uerò facultas, quoniam terrestri corpori inseparabiliter inhæret, non ascendit, sed in fundo relinquitur: excepto uno atque altero, flore uidelicet Pruni syluestris & Persici, quorum aquæ destillatæ aluum subducunt: & hoc, quia flores hanc uim obtinent. Nam hi melius à sole excoquuntur, & subtiliores uires, quæ facilè resoluuntur in uaporem, acquirunt. Sed quæ propriè solutiua uocantur: aut sunt radices, aut radicum liquores, aut succi, aut cortices, aut semina, quibus omnibus inest tenaciter inhærens & uiscosa qualitas. Ideóque eorum solutiua uis non potest ascendere in destillatione, sed manet in substantia decoctionis, ex ea euaporante quicquid est aqueum. Excogitata autem hæc est extractio pro delicatis & nauseabundis, ut qui magnam solutiui δόσιν nō ferunt.

ELLEBORI *nigri extractio.* CAP. II

RECIPE Rad. Ellebori nigri recentes, libras iiii. lauentur dum sunt succo prægnditæ: deinde incide minutim, ac superinfunde sequentis decoctionis Colaturam. Re. succi Buglossæ, Borag. lib. ii. Succi depurentur, & colentur diligentissimè, ut auri claritatem acquirant, & reponātur ad tempus conueniens.

Item deinde Rad. Fœniculi, Cicoreæ, Asparagi, Petroselini ana unc. iii. Fruct. Iuiubarum. Sebesten añ drach. ii. Seminum Melonum, Cucumeris, Cucurbitæ, Citrulli: decoquantur secundum artem in aqua lib. xii. Colaturæ infunde prædictas lib. iiii. succorum: deinde sine ebullire paululùm ad ignem. Postea incisas & contusas radices Ellebori iniice, & coque lento igne paulatim, usque dum radices emineant: deinde exprime rursum per filtrum. Colaturam coque ad mellis crassitudinem, clementi igne, adhibita assidua cura ne aduratur. Postea repone, & utere faciendo periculum in dosi à scrup. s. usque ad unum.

EXTRACTIO RHABARBARI. CAP. III.

RHABARB. electi lib. i. minutim incidatur, & grosso modo teratur, postea adfunde succi depurati Borraginis, Buglossæ lib. ij. maceretur per horas xxiiii. deinde coque ad lentissimum ignem, usque quo extra emineat Rhabarbarum. Exprime postea fortiter, & expressam decoctionem per laneum colatorium transmitte & exprime, ut substantia in colatorio maneat: colaturam coque ad mellis spissitudinem, adiectis Zuccari unciis ij. Quidam in balneo Mariæ ad spissitudinem coquunt, ne aduratur, quod melius est, quemadmodum etiam in duplici uase. Purgando deglutiendum cum gutta olei Cinnamomi, aut Anisi mixtum & azymo inuolutum, faciendo in dosi periculum, à scrup. i. usque ad scrup. ii. Quidam quia Rhabarbara per se non ualdè purgat, acuunt totam extractionem cum modico Diagridii optimi quod nihil nocet.

DE *Extractione è Massis Catapotiorum.* CAP. IIII.

CVM uirtutem solutiuam ex massis pilularum extracturus es, necesse est, ut

ut prius diligenter dispensata sit massa, sumpta aloë purissima, & aliis medicamentis electis. Deinde recipe quamcunque uolueris massam, & concidas in minutas partes, ac macera per octiduum in aqua pluuiali, succorum Borraginis, fœniculi, ana q.s. Coque deinde in uitreo duplici uase, per integrum diem, deinde exprime per laneum pannum mundissimum, qui nullos pilos emittat, & iterum in balneo † in duplici uase ad iustam spissitudinem diligenter coquito, & forma pilulas minutas, da scrup. ii, aut circiter i. Hoc modo extracta massa est purissima, tenera, & facilè in manu liquescit. Porrò reliquorum purgantium medicamentorum uires similiter exprimi possunt. Sed animaduertendum quod semper sint admiscenda in decoctione lenientes & lubrici succi, quales prædicti sunt, & melius multò est, ut omnia in duplici uase coquantur. † uel

ALOE *quomodo optimè lauetur.* CAP. V.

ALOEN optimam, fuluam, pellucidã, facilè in manu liquescentem confringe in partes minutas, & pone in patinam uitream, mundam: & infunde desuper sufficientem quantitatem aquę pluuialis. dissolue in duplici uase omnino, & permitte denuò refrigerari: postea aufer innatantes si qui sunt pilos: & sensim quod est liquidissimum ad spissitudinem in duplici uase coque. Quod uerò in fundo uasis est crassiusculum in alios usus seruetur.

PARS II.

DE DESTILLATIONE *Oleorum.* CAP. I.

QVONIAM Aromata quædam, & omnium umbelliferarum herbarum semina ferè constant magna ex parte, calida, tenui & aërea substantia: ideò necesse est, ut aliquid de oleaginosa substantia habeant. Nam talem habet mixturam propemodum omne oleum. At cũ oleum & pinguedo quæ in simplicibus medicamentis continentur duplex sit, quędam monenda sunt. Naturę periti duplex inuenerunt oleum: in simplicibus medicamentis unum terrestre, crassum & uiscosum, & totaliter suo corpori in quo est commixtũ: quale est oleum Nucũ, Amygdalarum, Baccarũ lauri, Seminũ lini, Hyoscyami, Sinapi, Papaueris: & omnia similia quę in fructuum aut seminum nucleis continentur. Hęc autem omnia propter totalem cũ substantia cui insunt commixtionem inseparabilia sunt, nec ullo modo per destillationem elici possunt: quare ui exprimenda sunt è substantia. Alterũ tenue aëreumque est, & separabiliter suo corpori inhæret: & hoc est segregabile. Ascendit enim facilè in destillatione, nec difficulter à suo cui inest corpori decedit. Tale autem est quod cõtinetur in aromatibus, Carpobalsamo, Cardamomo, Pipere nigro, Cubebis, Cinnamomo, Caryophyllis, Macere, nuce Muscata, ligno Aloës. Item quod cõtinetur in seminibus umbelliferarum herbarum: Quales sunt Ligusticum, Angelica, Angelica minor, Libanotis nigra, Magistrantia, Pastinacæ, Caros, Cyminũ, Ammi quod appellant Amomum: item Apium, Petroselinum, Gingidiũ, Pimpinella, Anisum, Fœniculum, Anethum, &c. Eliciuntur autem hæc olea per destillationem in arena, ita ut tusa aromata aut semina iniiciantur in cucurbitam uitream luto intectam optimè: una autẽ uice ad unc. iii. iniiciantur, & sint trita secundum capacitatem cucurbitæ, infundatur deinde ad vi. lib. aquæ clarissimæ, ac misceto diligenter. Pone deinde cucurbitam in capellam aptam fornaci, & arena imple, & non attingat fundum, sed intersit arena. Cucurbitæ impone alembicum uitreum, cuius rostrum desinat in stanneam uel ferream fistulam † intus & foris illitam. ea fistula transeat in obliquum per uas quod habet in se aquam frigidam, ut inter destillandum egrediens cum oleo † liquorum refrigeretur, claude iuncturas accuratè, madefacta papyro uel linteo, & suppone exceptorium. Postea accende ignem lentum, & uide ne nimium surgat & ebulliat in alembicum, quod in cucurbita continetur. Semina enim quædam ut anisum propter raritatem substantię suæ, simulque uiscosum quod habent largiter ebulliunt, ideò non statim alembicũ imponere debemus: sed posteaquam bullas excitari uideris, & uaporem sursum ferri: Quod cum fiet depone alembicum,

† stanno fortè addendum.

† liquor

& immiſſo bacillo agita, ita reſoluetur in uaporē ſpuma, quæ poſtea mediocri igne moderari, compeſci & excitari poteſt. Quo facto impone rurſus amlebicum, & circumlutato ſatis, ac deſtillari ſine ceſſatione, donec conieceris nullum amplius intus contineri oleum: quod uiſu & guſtu ſtatim percipies: nam cum guſtu deſtillantes guttę non amplius reſipient iniecti aromatis ſaporem, deſiſtendum eſt, ne aroma fundo cucurbitæ inhæreat, & exuratur. Deinde ſegrega contentum in deſtillata aqua oleum optimum, quo potes artificio. Porrò notandum eſt, quædam ex his oleis aquæ innatare, quædam fundum petere. Innatant piperis nigri, & recentis Cardamomi, & Aniſi. Fundum petunt, Cinnamomi, Macis & Cariophyllorum, &c. ut uidetur. Aqua Cinnamomi & Aniſi cum deſtillantur, lacteum habent colorem, & lacteum hoc paulatim in oleum conuertitur. Reſeruanda autem Cinamomi eſt aqua, præſertim quæ primò exierit.

NATVRA *& uires Oleorum.* CAP. II.

FOENICVLI & Aniſi olea, naturam mirabilem habent, nam in hyeme utrumq́ concreſcit inſtar butyri, ita ut aſpectu imitetur ſperma ceti, præſertim Aniſi. Nam hoc æſtate media concreſcit aſpectu niueum: reliqua omnia liquida permanent. Reponuntur optimè in loco frigido & puro, pręſertim Cardamomi & piperis. Ea enim omnium tenuiſsimam ſubſtantiam habent, adeò ut neglecta omnino euaneſcant. Vires autem habent earum rerum, è quibus extracta ſunt, ſed multò efficaciores. Nam efficacia quę uni librę ineſt in paucas drachmas contrahitur. Gariophyli enim unciæ xvi. contrahuntur in unciam unam ſemis, aut duas, Cinamomi in drachmas duas ſemis aut duas: piperis in Dra. ij. aut tres una ſemis: Miſcentur autem in confectione† ad guttæ x uel xv aut xx, libræ Zuccari pro delicatis, ſed infundendum eſt ultimò cum morſellis, quos facis uel orbiculis, optimè miſcendo.

† *ad fortè abundat.*

PARS III.

DE OLEO *uitrioli faciundo.* CAP. I.

OLEVM uitrioli quod à quibuſdam oleum uitæ appellatur, aut melancholia artificialis, nihil aliud eſt, quàm aluminoſa qualitas, & ſubſtantia ex uitriolo per artem extracta, modicoq́ ſulphuri mixta. Nam ipſum uitriolum, è quo fit, triplici conſtat mixtura, uidelicet multo alumine, modico æruginę, & pauco ſulphure: Aluminoſa enim aqua in metallis per æris uenas & Marchaſitam deſtillans, æruginoſam qualitatem acquirit, & ſulphuri quod Marchaſitæ ineſt, mixta paulatim concreſcit, aut induſtria ad ſpiſſitudinem coquitur: in deſtillando autem aluminoſus & ſulphureus uapor tantùm aſcendunt, ęruginoſa qualitate in fundo retortæ relicta, quo fit ut hoc oleum aluminis, & non æruginis ſaporem habeat. Eſt autem duplex hoc oleū, nempe auſterū & dulce. Auſterū duplici conſtat mixtura, ſcilicet alumine multo, & modico ſulphure. Dulce uerò ſimpliciter ſulphure conſtat. Nihil enim aliud eſt, quam liquidū ſulphur ex auſtero oleo extractū. Quapropter guſtu nequaquam alumen, ſed ſulphur æmulatur. Faciendum eſt autem utrunq́ maxima cura & diligentia, adhibitis aptis fornace, retorta, & receptaculo: ſiquidem aptitudo inſtrumentorum, ut aiunt Chemiſtę, magiſtrum parit. Quapropter ſequentes Canones diligenter obſeruentur.

ELECTIO VITRIOLI. CAP. II.

CVM plurimæ ſint uitrioli ſpecies, operæprecium eſt indicare, quæ nam ſpecies eius huic operi potiſſimùm conducat. Et quamuis omne uitriolum hoc oleum reddat, nullum tamen eſt ex omnibus præſtantius cœruleo aut uiridi: quoniam plurimum fugitiui ſulphuris obtinet, quo adiuuatur ut facilius oleum aſcendat. Notandum etiam melius eſſe factitio natiuum uitriolum, & maximè Vngaricum: aut ſi huius copia non ſit Goſlarienſe. Eligendum præterea eſt quod magnis

racemis


racemis constet, & maioribus cubis concretum sit. Quod autem † fractum, minutũ & puluerulentũ est, ueluti inutile non est recipiendum, quemadmodũ etiam quod solis † uel aëris iniuria candorem & puluerulentam canitiem contraxit. † friabile. † solis & aëris iniuria candorem amisit.

COCTIO VITRIOLI. CAP. III.

AT quia uitriolum multum in se habet aquei & excrementitii humoris, qui oleum diluit, & non nisi longo tempore & magnis molestiis per destillationem ab oleo separari potest, compendiaria est inuenta uia, qua breui temporis interuallo id absumi queat, ne longa mora artifici fastidium pariat. Recipe igitur prædicti uitrioli lib. xii. conijce eas in ollam magnam, nouam & optimè crematam. ollam impone fornaci profundæ, supra ardentes prunas: cum liquefieri & bullire cœperit, spatula agitetur, ut integrũ liquefacto misceatur donec & ipsum liquefiat. Bullire demum finito usquequo nullã prorsus bullam amplius excitet, & donec totũ densetur. Deinde exemptam è fornace cum uitriolo ollam refrigerari permittito, loco neq; humido neq; uentoso, sed sicco & tepido postquam refrigeratum fuerit, ex olla eximito, & considera an superficies eius undiq; rubescat. Nam si rubescit bonum est signum, & facilius calcinatur, ut iam dicemus.

CALCINATIO Vitrioli. CAP. IIII.

EEXEMPTVM olla uitriolum in minutas partes confringe, & in mortario subtilissimè tere, deinde tertiam aut quartam eius partem in recentem † ac combustam ollam conijce, ac rursus in profundam fornacẽ, si ut ante, dimitte & aliquamdiu urito, donec ruffius fiat color. Mox ollam ab igne depone et moue eã, ut uideas notã, an satis calcinatũ sit Vitriolum. Nam si in olla fluctuat argenti uiui aut liquefacti plumbi modo & exilientes bullas eiaculatur, satis ustũ esse intellige, tunc effunde in magnam & recentẽ ollam prius calefactam, & effluet quasi sit liquidũ, aut ad modũ argenti uiui. Quod autẽ reliquum est Vitrioli, similiter sigillatim, ut calcinetur † uras. Cùm ustũ fuerit, cõmisce rursus optimè in mortario, modestè agitãs ne puluerẽ excites nares & fauces offensurũ. Cũ hęc omnia executus fueris, uitriolum in bilancẽ ponito, & animaduerte põdus ipsius. Nã si sex lib. id est, medietas superfuerit, benè omnia facta sunt. sed hęc sufficiant. † & benè firmatam. † curet.



DE FORNACE faciunda. CAP. V.

MAteria, quę destillanda est, quo modo pręparanda sit, iã indicauimus. Nunc autẽ dicere de fornace res & ordo postulat: nã si hęc inepta fuerit, † frustra omnia fiẽt. Extruenda igitur est fornax ex lateribus in planum positis, quò crassioribus parietibus ignis facilius & diutius contineatur: fiet etiã quadrata & æqualiter crassa, intusq; habeat propemodum duarũ spithamarum latitudinem, nõ tamen omnino, sed dempta tertia parte spithamę. Extruatur autẽ hoc modo. Prima & infima cauitas habeat altitudinem semipedis, cui per transuersum imponantur ferramenta satis crassa, ut ignitis carbonibus non inflectantur: secunda cauitas quæ est constituta supra ferream cratem, (id est **vber den rost**) habeat duum pedum altitudinem, & ex anteriori parte † alias sinistrè.

foramen, per quod carbones iniiciantur. Hoc incipiat lateris tranſuerſi craſſitudine ſuper cratem. Per mediam deinde cauitatem, in ipſo medio inſpicienti fornacem, per tranſuerſum infigatur ferreus axis, quadrangularis, craſſitudine pollicis, qui impoſitam retortam ſuſtineat. In latere deinde ſiniſtro fornacis, relinquatur meatus, per quem retortæ collum exeratur.

DESTILLATIO VITRIOLI. CAP. VI.

POST quam fornacem extruxeris, eligito retortam capacē aptamq; ante omnia, ex uitro Venetiano aut ſaltem Heſſiaco factam, prius undiq; luto obductā. in eam coniicito totum Vitriolum, ita ut aliqua pars retortę relinquatur uacua, quò facilius à † Vitriolo ſpiritus aſcendere queant. Mox tranſuerſam & ferream trabem in fornace optimè luto obducito, eiq; in medio ſuperponito perlutatum teſtæ fragmentum, ſuper id collocabis retortam, ne à candente ferro immediatè diſſecetur, ita tamen ut in medio fornacis retorta conſtituta ſit, eiusq; roſtrum extrorſum modicè pronum promineat, & meatus per quem collum ſuum è fornace exerit, diligentiſſimè luto farciatur atq; obſtruatur. Poſtea accipe quinq; tegulas, & fac ex iis tectum ſupra fornacem ſub quo lateat retorta ad eum modū quē depinxi, tectum luto undiq; obducatur, quatuor pro fumo foraminibus relictis, in ſingulis angulis ſingulo, ea amplitudine ut craſsiſſimus pollex liberè intromitti et exeri queat. Fac etiā quatuor conos ex luto, quibus foramina obſtruantur, quo facto, applica retorta orificio receptaculum grande ex uitro Venetiano aut Heſſiaco, quò enim maius id ipſum fuerit, eò liberius ſpiritus recipiet: ſi uerò paruum fuerit, periculum eſt ne ſpirituum copia diſtentum rumpatur, infunde etiam in retortam aquæ clariſs: unc. xviii. aqua enim citò ſpiritus ad ſe rapit, & prohibet ne confringatur receptaculum. ita applicatum optimo luto diligentiſſimè obſtruatur, magna adhibita cura ne quicquam in receptaculum incidat, tingitur enim inde in ruffum colorem oleum. Cùm omnia hęc feceris dimitte per integram noctem lutum exiccari: ac ſi quę fatiſcunt, rimæ luto illinantur, mane deinde † perlucidum accende ignem, ex puris & magnis carbonibus, aperto uno ſuperius foramine, per quod fumus exeat, augeaturq; ſucceſſiuè ignis uſq; ad ueſperam: quo tempore aperiendum eſt ſecundum foramen, & attende diligenter † an appareant ſpiritus, qui è retorta egrediuntur, ueluti ſi quis candidum efflaret fumum. nocte ſequente uigili cura cauendum, ne ignis remiſſior fiat, ſed acrior, paulatim tamen, ita deinde auctum ignem in uigore teneas, ac altera die tertium aperi foramen, augendo ſigillatim ignem, uſq; quò etiam retortæ collum candeſcat. Sequenti ſecunda nocte auge ignem, & poſt mediā noctem aperi quartum foramē. Cùm ita in ſummo uigore ignis fuerit conſtitutus, uidebis ſpiritus egredi, ueluti conglomeratas nubes, qui cùm ceſſare uoluerint, aperi omnes fornacis aditus, & ſine intermiſſione carbones ingere, uſq; quò etiam receptaculum excandeſcat, ſtudioſè cauendo ne quicquam frigidum aut humidum ſuper retortam aut receptaculum iniuria aut caſu decidat. Agenda hæc ſunt in loco clauſo, quo neq; imber neq; uentus ingrediatur: conſeruandus autem ignis eſt, donec nulli prorſus ſpiritus in † Vitriolo relinquātur, quod uiſu facilè percipi poteſt. Cùm autem nulli amplius egredientur, ſine ut per ſe extinguatur ignis, ac totum opus integrum cum nocte diem quieſcere ac refrigerari ſinito, poſtea aufer cum contento humore receptaculum, & repone donec oleum ab aqua ſegrebabis, tumq; confractam retortam inſpice, & uide an caput mortuum nigrum ſit, hoc enim ſignum eſt perfecti operis. Eſt autem caput mortuum exuſtum in retortà Vitriolum.

† nitro

† placidum.

† ut.

† nitro.

SEGREGATIO INFVSAE AQVAE. CAP. VII.

QVONIAM in receptaculo continetur unà cum Vitrioli oleo aqua, ſegreganda hæc eſt, ut Vitrioli liquor ſyncerus reponatur: ſegregatur autē per deſtillationem in balneo aut cinere ſubtili, tutius tamen in balneo, quapropter totum

humorem

humorem qui est in receptaculo, in cucurbitam uitream Venetianã aut Hessiacam infunde, superponendo Alembicum è simili uitro factum, quæ benè luto circumlinatur. sub balneo deinde accenso igne paulatim sine aquam† donec habeas unc. xviii. illas quas infudisti. Si Vitriolum non benè calcinatũ fuerit, plus egredietur, quare uide ut prædictæ xviii. unciæ sint bonæ mensuræ. Cùm hoc feceris refrigerari balneum finito, et aquam quę destillauit abiicito, quod uerò in balneo cucurbitæ in fundo reliquum fuerit, purum est Vitrioli oleum: habet tamen plerumq; rufum colorem, ideò secundum sequentem modum rectificandum est, ut clarum fiet. † exire.

RECTIFICATIO OLEI VITRIOLI CAP. VIII.

ACCIPE retortam Venetianam aut saltem Hessiacam, anteà luteo optimo uestitam, in eam funde quod in cucurbita continetur oleum, retortam pone in minorem fornacem in capellam quæ pura & lota arena repleatur. Et quemadmodum antea in balneo, ita nunc in arena destilla, paulatim ignem acuendo, ut sigillatim ex interuallo delabantur guttæ. Retortæ orificio applica receptaculum ex eodem uitro factum, ac comissuram optimè luto claude, ne quicquam expiret. cùm deinde totum è retorta destillauerit, refrigerari sinito, ac postea aufer & infunde sensim in purum uitrum Venetianum, quod habeat angustum orificium, ac repone, ceu præsens in multis morbis remedium: hoc est austerum Vitrioli oleum, cuius uires & naturam nunc indicabimus, quas excellentes & efficaces habet.

VIRES EIVS. CAP IX.

MERVM ac non dilutum, neque debet nec potest intra corpus sumi: nam propter nimiam acrimoniam ignis modo interanea, & quicquid attingit adurit: omnia. n. corrodit præter uitrũ & pinguia, ueluti ceram, picem, seuũ & liquidorum etiam oleorum colorem immutat, pręsertim olei Macis, cui si misceatur, sanguineum reddit colorem. Si etiam in duobus uasculis contineatur quantumuis frigidum, & repentè sibiipsi misceatur, adeò incalescit sua sponte ut manibus uix teneri queat. In terram effusum bullit, quemadmodum etiam pura melancholia. quare etiam melancholia artificialis appellatur. Quemadmodum enim melancholia, ita etiam hoc oleum uentriculum confortat, & ad cibi appetentiam inuitat ac stimulat, frigidum uentriculum calefacit, phlegma consumit, crassos & uiscosos humores incidit, colicæ ac dysenteriæ opitulatur, sitim ac feruorem interaneorum in febribus extinguit; singultum prohibet confestim & nauseam ac cibi abominationem auertit, sed temperandum est cum aliis quibusdam. Quare exemplũ unum atq; alterum ponemus.

Aduersus Calculum.

Recipe Olei macis,
Terebinthinæ clariss. ana guttas xii.
Aquarum Anisi,
Fœniculi, ana unc. ii.
Syr. liquiritiæ. unc. i.
Olei Vitrioli tres aut quatuor guttas.

Misce omnia optimè, et gusta: si habet acetositatem, quæ dentes† non in stuporem trahat, benè est: si non est acetosa potio, instilla adhuc unam aut alteram guttam, & consule palatum, ac propina securè. † cett.

Ad uentriculum debilem.

Recipe Syr. de Mentha unciam i.
Aquæ Cinnamomi unc. iiii.

Olei Cinamomi guttas ii.
Olei Vitrioli guttas iii.
Da securè.

AD CALOREM ET SITIM *in febribus.*

Recipe Syrup: ex succo aut infusione uiolarum unc. i.
Aquarum Cinamomi unc. i.
Hordei. unc. iii.
Olei Vitrioli guttas iii. aut iiii.

Misce, & contrahet puniceum colorem, & saporem uini austeri Cinamomo aromatisati.

EX AVSTERO *quomodo Dulce fiat.* CAP. X.

ANTEA dictum est austerum Vitrioli oleum, duplici constare mixtura, uidelicet multo alumine, & pauco sulphure. Quare cũ ex austero oleo dulce extrahitur, nihil aliud fit, quàm quod sulphur ab alumine segregetur. Est itaq; dulce Vitrioli oleum nihil aliud, quam oleum sulphuris aut ipsum sulphur in liquidam substantiam redactum: & hoc propriè oleum dici potest. est enim pingue unctuosumq;, quemadmodum ipsum sulphur quod in oleo, & non in aqua liquescit, sequitur autem modus segregationis.


MODVS SEGREGATIONIS. CAP. XI.

RECIPE uini ardentis acerrimi & ter sublimati unc. vi. olei Vitrioli austeri tantundem, misce in Veneto uitro, & pone in Cucurbitam paruam, angusto orificio, & optimè luto orificium claude, dimitte ita per integrum mensem aut duos. Deinde effunde in Cucurbitam, cui sit immediatè † annexum alembicum, (hoc est, **ein kolb mit einem angeschmeltzten helm**) cuius figuram subiiciemus. pone deinde in paruam fornacem, ac dimidiam partem eius cinere obrue, postea applica recipientem, & luto iuncturam claude diligenter, & extrahe unc. vi. uini ardentis quas infudisti: ut uerò tutius hoc fiat, pone in balneum Mariæ, sic solùm uinũ absq; oleo ascendet. Cùm extraxeris autem per Balneum infusas vi. unc. uini ardentis, pone id quod residuum est in fornacem, ut arena mediam Cucurbitæ partem attingat, ac nouo & uacuo recipiente, eoq; non magno applicato, luto iuncturam diligenter claude. Accende deinde lentum ignem, & sensim extrahe omnem humiditatẽ, quæ relicta est in Cucurbita, donec nihil humidi amplius in fundo appareat: adhibita semper maxima & cura & diligentia, ut ignẽ ita moderetis, ne ebulliat usq; ad alembici canalem. Nam si hunc ebullitio attigerit, sedari non potest nec prohiberi, quin in receptaculum egrediatur: ac totum oleum corrumpat, solet enim facillimè ebullire. Cùm autem sensim extraxeris, aufer statim recipientem cum suo humore, tum uidebis duo contineri in eo, uidelicet aqueum humorem & oleosum ac pinguem. Segregabis autem unum ab altero statim, ita ut nihil aqueum in oleo relinquatur: Nam aqua illa perdit oleum. Solet autem oleum ipsum plerumq; aquæ innatare, maximè si infusum prius uinum omnino per balneum extractum fuerit, sed statim poteris tactu discernere oleum ab aqua. Oleum enim pingue est, aqua minimè. Segregatum oleum deinde usui reserua.

† ui ignis agglutinatũ.

Ein kolb mit einem angeschmeltzten helm muß man ettlich auff der Glaßhütten bestellen zů machen / auß zerbrochnem Venedischem glaß / oder auß Hessischem glaß.

Vires



VIRES EIVS QVOD *segregatum est.* CAP. XII.

VIRES habet quascunq; & sulphur, sed omnia efficacius præstat, quia propter liquiditatem facilius penetrat & ad actiones † proprias, quod sulphur nõ potest, quia impeditur à soliditate & spissitudine sua, quo minus penetret. Illud uerò amplius potest sulphure hoc oleum, quòd ualeat potenter, ad omnes in corpore putrefactiones, & præcipuè ad pestem, ad educendum è pulmone in pleuritide, & peripneumonia, & difficili tussi, pus, & crassos uiscososq; humores: tuto enim absq; omni periculo intra corpus sumitur. Calculum neq; in renibus neq; uesica coalescere sinit, exulceratam uesicam sanat. Dosis eius est una aut altera guttula, aut tres, in uino modico temperatæ. miscetur etiam rotulis & morsellis è saccharo factis. Diligenter autem reseruandum est. Nam modicum fit ex lib. i. austeri olei Vitrioli, & facilè propter tenuitatem partium euanescit.

† *properat.*

FINIS.

Ee ij

VAL. CORDI COMPOSITIONES MEDICINALES ALIQUOT, NON

uulgares.

CLARISSIMO VIRO SEBALDO HAVVENREVTERO *illustris Reipub. Argentinensis medico præstantißimo, Con. Gesnerus medicus* S. P. D.



IBERALITATIS PVLCHERRIMAE VIRTVTIS LAVS ET *decus, nō in magnis solùm donandis, sed paruis etiam eodē animo accipiendis, consistere mihi uidetur. Itaq; cùm te uirum bonum & liberalem esse, doctißime Sebalde, nôrim atque expertus sim, pauculas istas Valerij Cordi medicamentorum compositiones, tantillum munusculum offerre excellentiæ tuæ ausus sum. In quibus (ut spero, ac mihi polliceor) oblectabit te primùm animus* τοῦ δωτῆρος*, qui exiguo potius quam nullo, obligatum se beneficijs tuis profiteri uoluit argumento. Deinde ipsius Cordi memoria. tertio res ipsa, uidelicet compositiones Medicinales non omnibus uulgares. Librum quidem huius authoris De pharmacorum compositione Ioan. Petreius Norinbergæ iam dudum paulò post ipsius mortem edidit, sed in eo ueteres tantum & aliorum compositiones describuntur, ac scholijs ipsius illustrantur : propria uerò nulla continentur, præter Alesanginæ eius catapotia, et eclegma Diamoron. Ego hîc alias quasdam ad te mitto, perpaucas, sed egregias: inter quas præcipua est è Succino trochisci, quos à Ioh. Cratone etiam Cæsaris medico præstantißimo, in ipsius ad me epistola huic uolumini præfixa laudatos reperies. Ad tuam autem potißimùm præstantiam dare hæc uolui, ut amicitiæ nostræ argumentum hoc publicum extaret, & ut tuam quoque super his sententiam audirem. Tu enim si quis alius, & plurimis iam annis artem medicam magna cum laude factitasti: & eruditione solida cùm excellas, iudicare de ijs quæ ad artem nostram faciunt omnibus rectißimè potes. Vale. Tiguri pridie natalis Domini, ineunte anno ab eius natiuitate sexagesimo supra sesquimillesimum, quem tibi tuisq; faustum ac felicem cum alijs deinceps innumeris ab eodem Domino nostro, æterno Dei Opt. Max. filio unigenito secundari ex animo opto.*

DIAMORON VALERII CORDI: (NAM ALIVD EXTAT *Nicolai Myrepsi:) contra depascentia oris ulcera, ad dentium affectus & gingiuarum noxas, atq; ad omnia oris uitia collutione & gargarismo proficiens,*

Recipe Succi mororum rubi,
Succi mororum rubi Idæi,
Succi mororum de arbore,
Succi fragorum, ana lib. ii.
Mellis despumati optimi lib. iiii.
Coquantur lento igne secundum artem.

MORORVM *omnium succus exprimendus est, antequam perueniant ad maturitatem. Porrò Mora rubi Idæi & fraga citius maturescunt quàm alia: quare oportet horum succum colligi, & cum Sacchare decoctum reponi, donec alij maturescant. sit autem Sacchari ad succos proportio dupla. Rubi Idæi nomine intelligo illum quem uocamus Himpen & fructum Himpeer.*

PILVLAE *Alesanginæ Valerij Cordi.*

Recipe Myrobal. quinque generum ana unc. i.

Acori ueri,	Galangæ,
Zedoariæ,	Doronici Rom.
Radic. asari,	Radic. dictamni nostratis.
Absinthii,	Rosarum, ana dra. iiii.

Contun-

Contundantur omnia crassiusculè: & Myrobalani per se macerentur prius in aquæ clarissimæ fontanæ libris quatuor, per horas xxiiij, deinde coquantur donec ferè tertia pars aquæ sit in uaporem resoluta. postea coque etiam radices & aromata lento igne in duplici uase cum aquæ clarissimæ lib. vi. & affunde his antea coctas Myrobalanos cum suo iusculo. Vltimò rosas adiiciendo coquantur usq; ad tertias. Coletur postea ualidè exprimendo. Tum in colatura dissolue Aloës optimæ & lotæ ac rursum exiccatæ lib. iii.

Ponantur omnia in uitrea patina ad solem, aut in stuffam, & agitentur sæpissimè, ut concrescens in margine Aloë, liquido commisceatur. Cùm uerò mellis spissitudinem fuerint consecuta, tunc adde sequentium specierum puluerem minutissimè tritum.

Recipe	Galangæ,	Cyperi,
	Zedoariæ,	Doronici,
	Ligni aloës,	Cinnamomi,
	Schœnanthi,	Nardi Celticę radicularum,
	Nucis moschatæ,	Macis,
	Cubebarum,	Cardamomi,
	Caryophyllorum,	ana dra. iiii.
	Mastiches,	Succini, id est, Carabe, ana dra. vi.
	Myrrhæ,	Croci ana dra. iiii.

Agitentur optimè cum Aloë species, & fiat massa cum diligentia.

MYROBALANI *omnes hoc pondus debent habere exemptis nucleis siue lignis.*

PILVLAE *istæ Alefanginæ sunt efficaces, immò efficaciores prioribus, (à Mesue scilicet præscriptis:) relinquimus tamen unicuiq; liberum arbitrium, alterutras uel utrasq; componendi.*

HOC *loco non debet poni Dictamnus Cretica, sed radices Diptami dictæ, quæ uulgò in usu sunt, & propriè cortex radicum eius. Germanicè uocatur* Aschwurtz/ *propterea quòd folia eius sint similia fraxino arbori, & hæc est uera fraxinella (uulgò ab Italis dicta.)*

ALOE *quomodo ritè lauari debeat, in postrema huius libri parte (inquit) quæ est de præparatione quorundam simplicium medic. docebimus.*

COMPOSITIONES *quæ sequuntur, in impreßis Val. Cordi De Pharmacorum compositione codicibus non reperiuntur. Ego à Laurentio Hiel medico doctißimo accepi.*

SYRVPVS *De piris Valerij Cordi.*

Recipe
Succi pirorum Moschatellinorum,
Succi pirorum Palatinorum,
Sacchari clarificati, ana lib. ii.

Coquantur secundum artem. Et quoniam pira Moschatellina citius maturescunt, expressum eorum succum clarificatum cum saccharo decoctum repones, donec etiam Palatina maturescant: demùm miscebis.

SYRVPVS *de Cichorio Val. Cordi.*

Recipe	Radicum fœniculi,	Cichorii, ana unc. iiii:
	Linguæ ceruinæ,	Scolopendrii,
	Capillorum Veneris,	Trichomanis, ana M. i.
	Aquæ cichorii,	Succi eiusdem, ana lib. iiii.

Coquantur omnia secundum artem. Colaturæ adde Sacchari clarificati lib. iiii. & species sequentes petiæ illigatas suspende in syrupo.

Recipe
Rhabarbari unc. ii.
Radic. spicæ Rom. scrup. i. fiat syrupus.

SYRVPVS *refectiuus Val. Cordi.*

Recipe
Dactylorum enucleatorum,

Ficuum ſiccarum pinguium,
Xyloceratiorum enucleatorum,
Vuarum cibebarum paſſarum,
Vuarum paſſarum uulgarium maiorum & minorum,
Tamarindorum enucleatorum, ana unc. iiii.
Muſti generoſi recentis,
Succi Cydoniorum, ana lib. vi.

Incidantur fructus in partes. Paſſulæ uerò minores & Xyloceratia modicè contundantur, unumquodq; per ſe: deinde miſceantur omnia: & in fictili denſo affundatur eis ſuccus et muſtum: macerenturq; horis xxiiii. Poſtea coquantur lento igne ad conſumptionem tertiæ partis aut amplius. Colaturæ affunde lactis Amygd. cum aqua roſea lib. ii. ex una libra Amygdalarum dulcium tritarum expreſſi. Clarificetur deinde cum albuminibus ouorum xii. Huic decocto clarificato adde ſacchari deſpumati libras iii. Coquatur ad perfectionem. & cum reponis, tum ſuſpende in ſyrupo ſequentes ſpecies craſſiuſculè tritas, & in ſindone ligatas.

Recipe Cinnamomi interioris optimi, Macis, Nucis moſchatæ, Cardamomi, Zinziberis, Galangę, Zedoarię, Caryophyllorũ, ana dra. ii. Ligni aloës, dra. iii. Huiuſmodi dilutum, uel decoctum fructuum horum, uel alicuius eorum, uocant Arabes Nabuh, quo utuntur pro uino & melle in calidis regionibus. Hunc ſyrupum compoſui diuitibus quibuſdam in chronicis morbis, omnem cibum & potum auerſantibus, & comperi mirum in modum uires reficere, alere, & iam deſperatos refocillatis uiribus ſanitati reſtituere.

TROCHISCI DE LACCA *Valerij Cordi.*

Recipe Laccæ electæ unc. iiii.
Ligni Guaiaci ſcobina in minimam ſcobem ſeu raſuram detriti lib. i.

Coquatur lignum Gauiacum in libris iiii. aquæ cœleſtis ad conſumptionem ferè dimidiæ partis. In colatura deinde coquito rad. Rubeæ tinctorum unc. iiii. donec remaneat lib. i. s.

Dein iterum colato, & colaturæ iniice prædictas unc. iiii. Laccæ: & ad ignem coquito donec Lacca diſſoluatur. poſtea colato, & exprimito, & abiice ſuperfluitates Laccæ. colaturam dein ad ſpiſſitudinem aliquam coquito, & inſperge ſequentes pulueres.

Recipe Ariſtolochiæ longæ,
Radicis concauæ,
Rhabarbari,
Coſti ueri, ana dra. ii.
Zedoariæ,
Galangæ,
Aſari radicum,
Curcumæ,
Cinnamomi,
Ligni aloës,
Nucis moſchatæ,
Schœnanthi, ana dra. i.
Camphoræ ſcrup. i.

Miſceantur omnia optimè & formentur trochiſci dra. i. pondere.

Radix concaua, Holwurtz/ quæ falſo appellatur Ariſtolochia rotunda.
Hos trochiſcos compoſui aliquibus obſtructione ſplenis hepatiſq; laborantibus: & præſenti auxilio id malum curauerunt.

TROCHISCI DE SVCCINO, VALERII CORDI.

Recipe Ambræ excellentiſs.
Succini albiſs ana unc. i.
Succini Phalerni,
Succini cerei ana dra. iiii.
Succini nigri,
Camphoræ,
Margar. non perforatarum,
Margar. perforatarum, ana dra. ii.
Onychis,
Dentaliorum,
Entalorum,
Vmbilici marini,
Lapidum cancrorum,
Synodontum,
Ligni aloës,
Cinamomi,
Schœnanthi,
Nucis muſcatæ,
Cubebarum,
Cardamomi,
Croci,
Cyperi rotundi,
Zedoariæ,
Doronici, ana dra. i.

Conterantur omnia minutiſs. & conficiantur trochiſci cum muccilagine tragacanthæ albiſsimæ in aqua maioranæ diſſolutæ.

Ambra eſt Succinum orient.

Succinum eſt quod Arabibus uocatur Carabe, Germanis Agſtein/ *ſiue* Bernſtein : *Sudauijs Gentar: Gallis ambra. Eſt enim Succinum nil aliud quam ambra Germanica.*

Phalernum, id eſt, flauum & clariſsimum & omnino pellucidum.

Cereum, id eſt, quod ceræ colorem habet, non adeò pellucidum eſt.

Nigrum ſuccinum alio nomine uocatur Gagates lapis, Germanicè Schwartzer Agſtein/oder ſchwartzer Bernſtein.

Inter emendum album ſuccinum uitare oportet Scobem et ramenta. Nam hæc ſolent pro albo Carabe uendi. Cùm enim cereum aut phalernum ſuccinum tornatur candida ramenta remittit. Ideoq; integras glebas candidi ſuccini emere oportet. Eſt enim ualdè præcioſum.

Onychis, id eſt, blattæ byzantiæ.

Vmbilici marini Germanicè, Meerbonen.

Lapis cancrorum, id eſt, quos uocant oculos crancrorum.

Synodonites lapides ſunt in capite Synodontis piſcis inuenti: qui ſi haberi non poſſunt, quoniam piſcis marinus eſt: pro ijs accipiantur lapilli, qui bini inueniuntur in capitibus piſcium fluuiatilium, quos Kaulperßken *Germanicè uocant.*

Hi Trochiſci faciunt ad calculum, ad tumentem uentriculum, uertiginem, epilepſiam, apoplexiam, tremorem & imbecillitatem cordis. Ad paralyſin ſi dantur in aquis appropriatis, cùm Betonicæ floribus, aut lauendulæ, aut tiliæ. Et ad ſuffocationes & ſtrangulationes uteri ualent.

OPOBALSAMI *Succedaneum precioſum D. Euricij Cordi, qui Valerij pater fuit.*

Recipe Iridis Illyricæ,
Zarnabi longi, id eſt, Zedoariæ,
Zarnabi rotundi, id eſt, Zurumbet,
Cubebarum,

Cardamomi maioris & minoris,
Agallochi,
Olei Benzoi, ana dra. iiii.
Caryophyllorum,
Nucis moschatæ,
Macis,
Arceutidum.i. gra. Iuniperi nost.
Cassiæ,
Cinnamomi,
Sandali citrini,
Benzoi, ana dra. ii.
Croci,
Asari,
Maioranæ,
Schœnanthi,
Nardi Celticæ radic.
Rosarum rub.
Cyperi longi & rotundi, ana dra. i.
Camphoræ scrup. ii.
Moschi scrup. i.

Hęc omnia trita macerentur in uino Rhenano ter sublimato, diebus viii. Postea diligentissimè destillentur in balneo. Destillatæ deinde aquæ quæ primo exiuerit, cape unc. vi. in quibus dissolue optimæ, candidiss. electæq; myrrhæ unc. ii. Sic tenuissima & præstantiss. pars myrrhæ aquæ uitæ miscetur: crassior uerò instar fecis subsidet quæ nequaquam est separanda aut excolanda, quoniam in fundo dimissa ipsum Opobalsamum aliquot annis conseruabit incorruptum.

FINIS.

STOCC-HORNII ET Nessi in Bernatium Heluetio-

rum ditione montium, & nascentium in eis stirpium breuis descriptio, à Benedicto Aretio Græcæ & Hebraicæ linguarum in schola Bernensi professore clarissimo dictata.

CHRISTOPHORO PIPERINO VERBI MINISTRO *in Sigrisuilla pago Bernatium, doctissimo fidelissimoq́;, Con. Gesnerus. S. D.*



ITTO AD TE HVMANISSIME ET HONORANDE MI Piperine *montium tibi uicinorum Descriptiones. miraris? non meas illas, sed ab Aretio nostro communi amico, in meam præcipuè gratiam, cùm ante biennium rusticari ei libuisset, & montes illos ascendere, non accuratè quidem conscriptas: sed quantùm recens memoria suppeditabat, ut primùm redijt domum, puero dictatas. Eas quoniam ipse pro sua modestia, ceu opus imperfectum, nemini nuncupauit, meoq́; arbitrio permisit, ne solus in hoc uolumine liber hic ueluti acephalus, si nullius nomen patroni sibiret, relinqueretur, tuæ humanitati dicare uolui, quamuis alienam operam. sed cùm amicorum omnia sint communia, non rectè aliena hæc appello. quin potius quoniam Aretius utrique nostrum charissimus est, (id quod meretur, uir sanè doctrina, pietate & omni uirtutum genere singularis,) quæ illius sunt tanquam mea, tibi etiam tanquam tua, pro amicitiæ iure, ceu è communi quodam penore, offero & communico. Hoc ut facerem, argumentum quoque me inuitabat, montium inquam descriptio, quos tu ut quotidie altissimos, tecto tuo (ni fallor) imminentes prospicis:: ita ipsorum admiratio, et nascentium in eis rerum cognitio, iucunda tibi atque familiaris est. Hæ quidem ferè sunt causæ, propter quas hunc libellum in tuo nomine apparere uolui: & insuper alia maior, benignitas illa tua, qua me de facie ignotum iam aliquoties tibi deuinxisti, missis aliquot plantis montanis, radicibus ac seminibus: ut meos in uniuersa Stirpium historia scriptis picturisq́; illustranda conatus, quos iam diu conor & uerso, omni ope tua iuuares, ac promoueres. Quod ut porrò etiam facere pergas, & me, ut cœpisti, ames, uehementer te oro et obsecro: ego uicissim nulla synceri amici officia erga te prætermisero sciens. Vale Tiguri XI. Cal. Ianuarij, instantis anni à salutifero partu. M. D. LX.*

STOCC—HORNII ET NESSI MONTIVM IN *ditione Bernensium Heluetiorum, & nascentium in eis stirpium breuis Descriptio, per Benedictum Aretium Bernensem.*

EGREDIENtibus Bernam, ad Meridiem & ortum hybernum, primo conspectu montes occurrunt uasti, et in immensum alti, —Capita inter nubila condunt. Hinc excurrunt ad Meridiem per Galliam ad mare Ligusticum: inde in ortum per Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, ad Pontum Euxinum extenduntur, rigore perpetuo niuium & inuicta glacie indurati, ita ut mediis etiam ardoribus æstiuis aciem contuentium candore suo hebetent. Ab his summis Alpibus excurrunt in nostrum Bernatem agrum: montes humiliores, colles herbidi, & syluæ opacæ, quibus ualles amœnissimæ continentur. Quemadmodum enim in mari sinus ampliores & promontoria describuntur, ad quæ ex mari feruido tanquam ad loca tutiora nautæ sese recipiunt: ita omninò montium anfractu ualles reconditæ efficiuntur. Paradisos Cyri dixeris, in quibus homines in summa rerum affluentia uiuunt. Hyeme etiam, quod incredibile uidetur, cœli temperies montium undiq; obiectu mitior eis existit.

A meridie, Simei prominent montes à fluuiolo Sima, à quo & uallis nomen habet, de qua infrà suo loco.

In hac, loca celebriora sunt Stocc—hornias, Nouenaria rupes, (uulgò Nüniflü) Nessus geminus. & paulò superius mons & sylua Gallinaria, Hannenmoß dicta. Inde ad ortum Cinerei montes, ad lacum Thunensem desinunt: quo transmisso S. Beati montana plurimos recessus exhibent, intonsos colles & loca compascua. Celebriores in primis autem sunt Recoctauillani, tum loci amœnitate, uini copia, bonitate casei & lactis: tum aëris etiam salubritate. Rupes etiam hic tractus nobis cõspiciendas exhibet plurimas, celeberrimus tamen locus est ob recoctæ nobilitatem Justenstal/& Gemenalp. Inde leni ascensu Seuelfeden/Schaffberg/& Furca, ad summam altitudinem subducit, quæ imminet Emmæ fluuio. Vltra quem in extremo ortu, quantũ uisus montanus hos tractus consequi potest, mons reliquos omnes supereminet die Schiben dictus, omni herbarum genere, & fertilitate, antro præterea horrendo, notus.

Hic tractus est & ea series montium à meridie ortum usq; Aequinoctii: & hę deliciæ nostræ, nostriq; amores quibus oculi ex locis editioribus ciuitatis nostræ pascuntur, & animus uasta cacumina præruptas casurasq; in momento petras admiratur. Hic ortus & occasus interualla notamus: signa quoq; tempestatum & serenitatis inde petimus, cæterùm non tantùm oculos & mentem inde pascimus: sed etiam uentrem, qui tam oculis quàm auribus carere dicitur. Cùm enim herbidi existant isti montes, ac ubiq; dispersas habeant casas, tantam butyri copiam, casei & recoctæ exhibent, ut non tantùm montanos homines et uallium incolas, quorum est ualidissima multitudo alant, sed etiam urbem populosissimam, & agrũ amplissimum istis deliciis perfundant, id ita intelligemus. Omnes uallium recessus habitabiles sunt, præterea colles undiq; hinc inde frequẽtes, tanquam in naufragio disiectas domos habent. incolæ nullo alio occupantur labore, quàm æstiuo tempore operibus lactariis, quæ ita copiosè conficiunt, ut caseo, butyro profusè alantur. Inde etiam recondunt, quòd per totam satis sit hyemem: deniq; superest adhuc ea copia, ut ad mercatus transmittant in nostræ ditionis oppida & pagos. Taceo eam copiam quæ sine numero ad exteras transportatur nationes. Ipsi his uendendis collecta pecunia, frumentum & uina (quanquam & ea multis in locis habeant) coëmunt: pannos item, & alia quæ ad cultum corporis & ornatum pertinent.

Si uictum inspicias, simplicem dicas & naturæ conuenientissimum: si uoluptatẽ, non desunt præstantia uina, tenerioresq; panes: si sermonem, affabiles, & plus quã Atticos dixeris. si mores, antiquam & integritati conformẽ simplicitatem reperies, ueri iustiq; tenacissimã. si deniq; cultũ, non neglectũ, sed liberalem, & qui ingenuos deceat: nec desunt qui nobilium habitum ęquent ueste serica, uilosa, purpura subserico, imò quouis genere panni præstantissimi. Pelles etiam hyeme non desunt, uulpinæ, lupinę, ex ursorũ catulis, Lynce, muremontano, & aliis alpinis animantibus.

Ergo huiusmodi loca quis nõ admiretur, amet, libenter inuisat, perlustret & scãdat? certè fungos, stupidos, insulsos, pisces, lentosq; Chelonas dixerim, qui talibus non afficiantur. Ego sanè nescio qua dulcedine & naturali quodam amore erga mõtes afficior, ut nullibi libentius uerser, quàm in montium iugis, nullę sint suauiores mihi peregrinationes quàm montanæ, etenim si res nouas quæras, exhibebunt eas facilè tibi montes: nempe omne genus herbarum, admirandũ & mira uarietate colucens. feras aues, quæ nisi in montibus non reperiuntur. adde umbrosas ualles, susurros dulces aquarum, prospectum per longè lateq; patentes campos, lacus, flumina, urbes ac arces, deniq; salubrẽ aërẽ quę omnia nouitate quadam illos qui his spectaculis & uoluptatibus assueti non sunt, oblectare possunt. Si uetera desideras, habes monumẽta istic uetustatis antiquissimę, pręcipitia, rupes, pendẽtes in aëre scopulos hiatus profundos, & terrę stupenda chasmata, speluncas reconditas: induratam glaciem, mediis etiam ardoribus. quid multa? Istic theatrum Domini est, uetustatis monumenta quæuis, & admirandę sapientiæ nouitatisq; delicias cõplectens.

Quapropter hosce tractus, quatenus à nobis quidem perlustrati sunt, & quid insigne habeant, paucis perstringemus, iterum à meridie exorsi.

Stocc-

Stocc—hornij igitur iugum in iis montibus, qui Simeam uallem à Septentrione cingunt, altissimū est, ac quanquam montes quibus istud insidet omni propè ex parte peruii sint, tamen ipsum cornu à meridionali plaga tantùm superari potest. A Septentrione, qua parte arduus surgit, Stocc—hornius à pago **Stocken** aditum habet difficilem, qui primùm per syluas densas ducit: inde per pascua **am bach** & **Strüßly**/ ad occasum euntibus cornu ipsum occurrit.

Ab occasu alius ascensus est non minus difficilis, arduus ac præceps, per **Blümenstein**/ qui pagus ab urbe est quinque horarum itinere distans, ad radices montium proximè positus. Inde statim per aspera loca montis iter exiguum, sinuosum serpentis modo huc atque istuc per montis flexum & reflexum sensim ad cacumina subducit, unde arbitror ab incolis nomen ei inditum esse **vber die Not.** Verùm & istud iter ad Meridiem procurrit. A Meridie lato, & sensim subleuante sese dorso herbido ad præceps ipsum cornu producit, quod à Septentrione ita præceps est, ut ne feris quidem ullis, etiam rupicapris, peruium sit.

Loci admiranda est amœnitas: subiecti ab Arcto campi & prata, disiectæ quoque uillarum domus infrà uisuntur.

Verùm ea est altitudo, ut uix talparum tumulos adæquare uideantur. A meridie duo lacus adiacent Stocc—hornio: Prior occiduus circularis & admodū profundus est: aqua ipsa nigricat dira & Stygia facie. Nam à meridie tenues quidam scopuli sylua densa contecti surgunt, ita ut sinus in medio efficiatur quodammodo à natura sic comparata fossa, ut undique ex montibus defluentes aquę contineantur ad aquandum pecus, nulli enim perennes torrentes hosce lacus ingrediuntur, ut uerisimile sit, aut occultis fontium meatibus cōseruari has aquas, aut pluuia undique collecta in subiectam hanc fossam recipi, Et ut Homerus dicit: *Lacus duo.*

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ
Κρουνῶν ἐκ μεγάλων κοίλης ἔντοσθε χαράδρης.

Absorbetur autem hic occiduus lacus ad occasum æstiuum ingenti murmure, unde perpetuas aquas etiam uenis latentibus habere necessum est.

Alter ad orientem magis spectat cordis figura: surgit enim petra in medio ferè lacus, quam aqua undique ambit, excepto Aquilonari latere, qua parte monti cohæret scopulus, ut ad amussim aqua circumfusa cor referat. Habet & is recessum occultum: absorbetur enim per cauernas montis ad meridiem, ut Erlebachii limpidissima effundatur eius aqua. Vtriusque eadem aquarum facies dira & abominabilis: quod fit uel propter profunditatem: aut etiam quia immobilis aqua stat, ac montanis flatibus horridior efficitur. Non alunt pisces, nec aliud uiuens, præter lacertas aquaticas & salamandras. Item ranarum soboles magno capite, cauda longa, quatuor pedibus, quos Græci gyrinos uocant: ranæ tamen omnino nullæ istic comparent. Insident hæ bestiolæ ripam ad solem sese apricantes.

Herbarum etiam multiplex & elegans uarietas toto monte reperitur: quia tamē nihil peculiare habet, quod in Nesso monte non occurrat, herbas hîc commemorare differemus, donec transgressi uallem in Nessum, de ipso loquamur. In præsentia autem quædam de ualle Simea addemus propter tabulas alpinas in quibus loca quædam transposita sunt.

Vallis Simea à montano torrente nomē habet. Nominatur autem is **Simmen** inde uallis **Simmenthal**/ ita enim omnino erat pronunciandum: nec desunt ex incolis qui sic appellent: nostri tamē M. in B. conuerso **Sibenthal** uocant. Tractus uallis obliquus est, & lunam quam Græci ἀμφίκυρτον uocant exprimit. Nam à summis montibus Vallesianis ab oriente progreditur, **von der Lenck**/ sensim occasum petit. Inde recurrit in orientem uersus lacum Thunensem, imam uallem irrigat fluuiolus Simma, qui oritur in remotissima ualle apud Lenkios supra pagum **am obren riedt**: monticulus nominatur **der Ratzlisberg.** Emergit autem septenis fontibus intra lapidis iactum, ac statim collectus in unum alueum, nominatur Sima *Vallis Simea.*

maior, **die grössere Simmen**/ & ab incolis **Das landtwasser** usq; ad Dissimium, qui pagus est elegans & populosus in media propè ualle: ita dictus propterea quòd infra ipsum duo torrentes Simmæ concurrant.

Itaq; maior Simma ab orientali latere Lenckiorum affluit, cui infra iam dictum pagum minor miscetur. Descendit autē hic minor ex meridionali latere qua itur Sanam uersus, **von der Oesch sitten.** Ac uno alueo uterq; riuus hinc per imam uallem perpetuò defertur, aqua perennis & limpida est: æstiuis quidem ardoribus & Fauonii pluuiis mirificè exundat. Vallem egressus miscetur Arulæ nostræ. Ea facies est, & is tractus uallis: unde facilè patet non errare eos qui à fluuio habere nomen dicant, non autem à Septenario numero, nam Septem ex ordine in hoc tractu nominare ualles difficilè esset. Fluuiolum autem à septenario dici certum est. Quandoquidem septenis fontibus scaturit. Deinde satis patet ad hanc uallem non spectare fluuium **Kandel** (uel **Kander**) quo loco tabulæ alpinæ eum reposuerunt: sed fluuiolus **Kandel** ex altera ualle Cinerea effluit, **Durch das Frutiger thal**/ ubi tabulæ nullum habent fluminis nomen, & Simmæ fluuii nomen prorsus ignorant.

Deinde **Erlenbach** non in Cinerea ualle est, sed in hac nostra, & quidem cis fluuium Simmam in radicibus montium septentrionalium.

Præterea Vuimmis non in medio uallis, sed in faucibus, qua fluuius Simma uallem egreditur, positum est. Est autem uilla cum castro imposito ad radices montis Nessi trans fluuium Simmam. Et ut apparet nomen habet à uentorum flatibus quasi dicas **Windmitz**/ nam ab occasu per uallem perpetuò spirant Zephyri, ab Aquilone Boreas, & à lacu orientales uenti, ac quia angustę fauces sunt in ingressu uallis, perpetuò istic cōflictantur uenti acerrimè: Inde nomen loco inditum est. Hęc de iis locis & ualle, quæ descendentibus à iugo Stocc—hornii Erlenbachium elegantissimè ante oculos posita sunt, ac multis quidem locis descensus patet, mitiore nunc monte hac parte quàm sit à Septentrione, compendiosior tamen est descensus, quanquam et difficilior, **vber das Chunne**/ quo & nos usi sumus: ac ea quidem nocte Erlenbachii quieuimus.

Sequenti die Nessum conscendimus: supererat autem multū tum laboris tum etiam itineris: eius enim diei uespera apud Recortauillanos conuenturi ad cœnam, prius S. Beati Solitudines eramus ingressuri. Cæterum satis itineris superesse uidebatur, uel per imam uallem, præsertim defessis: & hesterni diei laboribus exhaustis, montis tamen tam uicini celebritas & amœnitas mouebat animos ut putarem non esse negligendam occasionem uicinitatis. proinde summa aurora comite tantùm puero, quò minus esset impedimenti & morę, (quod fieri plerunq; solet cùm plures sunt in ὁδοιπορίᾳ,) ita ad meridiem demùm ad summum cacumen euasimus, tantùm ad casulam pastoritiam exiguum morati. Ab Erlenbachio autem χείμαῤῥος ille Simma transeundus est ponte, ubi magno sonitu per scopulos decurrit, inde prata ad imam syluam sensim perducunt. Mons ipse ad medium fermè densissimis uestitur consuetis arboribus, Piceastro Fago, Acere duorum generum, nec alias conspexi. Inde egressis syluam læta occurrunt pascua. Nam usq; ad uerticem tonsus est, & ab omnibus arboribus nudus mons, propter eximiam ut arbitror altitudinem.

Qui proximè montem habitant nominant eum **Den Stalden**/ præsertim latus occiduum quo ab Erlenbachio scanditur. Alii quibus remotius cognitus est **Den Niesen**/ ab Ellebori alibi, cuius magna est in eo copia, nomine. Non desunt tamen, qui putent nominandū **den Jesen**/ & inde articulo cùm nomine coalescente, pro **Jesen**/ **Niesen** dici cœptum.

Est autem duplex eius nominis Mons, superior & inferior. Superior plus ad meridiem alto uertice surgit: inferior longè est amœnissimus eorum montium, qui ex Vallesianis summis decurrunt, extremum promontorium decurrit in æquabilem planiciem ad Lacum.

Hic

Hic montium tractus uallem Simmeam habet ab occasu, quæ semicirculũ refert, ut supra ostendi.

Ab oriente **den Adelboden**/uallem satis ex nomine cognitam, quasi fundũ Aquilę, aut nobilem dicas. hæc uallis & ipsa recurua est, ut cum Simmea ualle circulum exprimat, cuius diametrum refert hic montium tractus medius, utranq; dirimens. Sed non de toto eo tractu scribemus: operosius enim istud foret quàm pro instituti ratione.

Nesus, procul contemplantibus triquater surgit, uel trigonus. unus angulus oriẽtem spectat, alter nobis Bernæ obuertitur, tertius in occasum dirigit. Hi omnes summo uertice obtuso concurrunt. Cæterùm qui eum ex alto contemplantur, facilè animaduertunt quartũ latus in meridiẽ decurrere: lapidosum ac minus frugiferũ.

Multis locis superari potest longis decurrentibus lateribus in subiectam planiciem, occiduum tamen latus leuem ascensum præbet, ualle quadam interiecta, intercisum. Vertex summus ferini Andreæ nomen habet, **Zům wilden Andres**/quo loco inter scopulos & saxa requiescere solent, qui animi gratia ascendunt. id testantur tituli, rythmi & prouerbia Saxis inscripta unà cum imaginibus & nominibus authorum. Inter alia cuiusdam docti & montium amœnitate capti obseruare licebat illud ὁ τῶν ὀρῶν ἔρως ἄριστ⊕.

Non puto autem facilè reperiri montem amœnitate huic parem, tum propter conspectum, qui longè lateq; patet: tum ob herbarum uarietatem, quæ sanè multiplex eo monte habetur. Nam ad ferinum Andream in scopulo sedentibus ad trigintaParochiæ, hoc est, uillæ uel urbes quæ proprio parocho & templo utuntur occurrunt. Adde his ueteres arces complures, prædia & lacus, præterea flumina, quarum rerum omnium uno intuitu conspectus est longè amœnissimus. Ego ipse ex eo loco numeraui expressè ut ne loco quidem pedem mouerem: Primum **Oberwil**/ secundo **Zům Closter**/**iij. Erlenbach**/**iiij. Diemptingen**/**v. Wimmis**/**vj. Rötigen**/**vij. Zeinigen**/ **viij. Spietz**/**ix. Aeschi**/**x. Richenbach**/**xj. Frutigen**/**xij. Adelboden**/**xiij. Vnderseewen**/**xiiij. Lätsigen**/**xv. Sigrißwil**/**xvj. Hilterfingen**/**xvij. Thun**/**xviij. Stäffisburg**/**xix. Wichdorff**/**xx. Ryssen**/**xxj. Hoffstätten**/**xxij. Anseltingen**/**xxiij. Turnen**/**xxiiij. Rügisperg**/**xxv. Münsigen**/ **xxvj. Thierachren**/**xxvij. Sefftingen**/**xxviij. Kilchdorff**/**xxix. Gertzensee**/ **xxx. Hinderlappen**/**xxxj. Bern.** Ea loca omnia sereno cœlo facillimum est numerare. Ex his ciuitates sunt Berna, **Spietz**/**Vnderseewen**/**Thun.** Valles præterea per circuitum plures amœnissimæ se aperiunt, & quasi ex alto uisui patent. Primùm post Simmeam uallem à latere orientali proximè occurrit uallis **der Adelboden**/Deinde magis uersus ortum **das Frutiger thal.** Hinc **das Krerithal**/Inde Cinerea uallis **Aeschi**/Inde **Luterbrunnen.** Ac post hæc **Grindelwaldt.** Demùm **Haßly.** Flumina etiam decurrunt plura, primùm Arula, extractu ultimo **Haßly.** Deinde **Kander** ex ualle Frutigen, demùm Simma ex sui nominis ualle, quæ cum **Randel** fluuio uno alueo recipitur, **Zům Kapff**, à quo loco breui tractu fluit donec Arulæ misceatur super pagum **Thieracher.** Lacus itidẽ spectantur **Brientzer see**/**Thuner see**/Moretanus lacus, & Neocomensis. Hæc rerum uarietas incredibiliter spectantium oculos reficit, etenim res usqueadeò naturæ discrepantes uno contuitu quasi in tabula profert, idq; uel sedentibus. Verùm de his forsan plus satis nec montis propria. Nũc igitur quid mons Herbarũ habeat inspiciemus.

Elleborus albus à quo mons nomen habet copiosus in eo est, **Germeren** nominant. Est & alia species Ellebori albi illic, & ut arbitror notha: superiori per omnia respondens, nisi quòd foliis minoribus sit prędita, acutę Plantagini similibus: & quòd flores lutei caulem circumdant, singuli propriis insidentes pediculis auiũ instar. *Alisma fortè hæc est, aut cognata.*

Gentiana, triplex: Maior, uulgata. Minor itidem omnibus nota, ignitis floribus, tintinabuli instar. Et tertia huic similis luteis floribus, per omnia minori respõdens,

tantùm colore florum differens. His quarta accedit minima **Bitterwurtzen**, Priores duæ species mediæ erunt.

Anemone alpina, **Küchenschell**, flores sunt cœrulei, quibus cadentibus canities & lanugo prolixior subsequitur. Primo uere hi flores statim emergunt niuibus diffluentibus: pallidior tamen flos est & maior quàm qui eodem nomine ex Gallia adfertur. Nonnulli uocant **Des wilden mans kraut**.

Bitzwurtz, duorum est generum: prior cœruleos habet flores Campanulæ figura, foliis Asclepiadem refert, caulis rubescit. Radix ei subest bifida, lutea, satis longa, amara, semen compressum, & hæc uideri potest Gentianæ species. In aliis locis nominatur **Schelmen kraut**. utuntur ea pastores ad ubera uaccarum, si à muribus araneis aut aliis bestiolis uenenatis læ dantur. Altera species **Bitzwurtzen** radice nigra est, flore albo, quo cadente calix lanugine & canitie horrescit. Folium Ranunculi modo diuisum est, pilosum, albicans. Hæc species Ranunculus aliquis montanus aut Anemones species erit.

Aster Atticus qualem Fuchsius depingit, flore puniceo.

Sedum montanum maius, folio serrato, oblongo caule, erecto, gracili: floribus albis. Sedi minimi uariæ species reperiuntur, Luteum, Igneum, Maculatum.

Wülblümen, flos odoratus est, folio Pilosellæ. circa supernum cauliculum folia multa imparia, candicantia, lanuginosa. medio orbe quinque uel sex flores: inter quos medius plerumque aridus. ex singulis lutei apices emicant. radix arida, parua, summo cespite hærens. Fomenti speciem arbitror.

Satyrii species multæ: inter omnes una præstantissima & odorata præ cæteris, **Brändlin**.

Himmelstengel pusilla herbula est: flores habet cœruleos, radiculas amaras, ut Gentiana minima.

Kelberschis palmum altitudine æquat: flores cœrulei sunt, pallidiores tamen quàm in superiori. uno caule plurimos fert flores, denos interdum, eoque plures: herba tota amara est, superiori congener.

Bistorta minima, in medio caule uno foliolo.

Jegerkraut, herba caustica, flore albo, pusilla. Ranunculus montanus.

Balmenstritten, frutex est ἄκαρπος, nec enim florere, nec fructum ferre dicitur. inter saxa serpit, semper uirescens: etiam hyeme folia retinet, ramos intortos, fractu contumaces, folio Buxi.

Mutrina, huius radix minima digiti crassitiem quandoque æquat, ut plurimùm tamen minor. umbellam gerit, qualis est in Pimpinella rubescente, hac caseos nonnullos, præcipuè recocta, condiunt.

Saxifraga hircina.

Wolffswurtzen, specie triplex, luteum, cœruleum, qualia sunt Aconita apud Bockium. sed tertium quoque reperi purpureum, inuentu rarum.

Flüblümen, uariis coloribus: flore luteo, pallido, purpurascente, rubescente sanguinis modo, cinereo, nec desunt qui atro colore reperiri dicant. priores colores omnes uidi. Cum his emergit alia species Arthriticæ, quæ plurimos flores ex una radice profert, quemlibet autem suo proprio pediculo.

Basthartklee, quasi adulterinum trifolium dicas.

Schaffsuppen septenis constat ut plurimùm foliis, uno pediculo. Heptaphyllum dici potest montanum.

Groß Eberwurtz, cubitum interdũ ferè æquat caulis horridus. & ex uno sinu prodeunt infinita capita.

Waldt glißlin, auriculæ muris (uulgò dictæ) puto speciem esse. Florem globosum, purpureum fert.

Mütterwurtz, flores habet luteos, grandes, Doronico similes. Folia Plantaginem æmulantur. Radices subdulces, longæ ut in Plantagine.

Groß

Groß Spicant/Polypodio similis, Lonchitis altera.
Hirtzwurtz weiß vnd schwartz. Et sub eodem nomine alia herbula pusilla, folio Chamædryn referens, flos ei albus est, qui euanescit in lanuginem, supernè folium uiret, subtus autem albicat, Chamedrys alpina.
Dönij & Drolblůmen/flores lutei sunt, tintinabuli modo rotundi. Ranunculus montanus, causticus si benè memini.
Gemschenwurtz/radicem habet dulcem, nodosam: folium rotundum, flores luteos quales sunt in Doronico domestico. Doronicum Germanicum.
Sigwurtz/Allium redolet, Sibenhemleren & Nünhemleren/ab inuolucris quibus tanquam reticulo inuoluitur radix. Victorialis longa.
Gäle violen/per omnia Violę martiæ respondet, solo colore luteo ab ea differt. Viola lutea.
Bergrosen/alibi Bärenblůst/nonnullis Hůnerlaub: frutex folio Oleę: floribus odoris, purpureis.
Keyserlin/herba pusilla, albicans bellidis minimę forma, oblongioribus foliis. Cauliculus tenuis, in summo plurimos confertos flores purpureos habet. tota herba candicat, & attrita manu puluerem exuit, aspectu elegans. Cęsar inter herbas aut regulus.
Anckenballen/cubitum fermè æquat, folio Plantaginis aut Ellebori albi terna aut quaterna per caulem folia habet, ex quibus erumpit ut in perforata, in summo unus flos, rarò duo: is luteus est, oblongus, luteum oui exprimens, concauus: quem ambiunt apices, seu folia potius, ignita, rutilantia morionum habitus procul contuentibus refert, aut Dæmonum laruas. cadente flore semen in spica (siliqua) continetur. Damasonii aliqua species. *Aliqui Lonchitin primam faciunt.
Christoffels kraut/aliis Wolffswurtzen/ fructus racematim uuarum modo cohæret. flores albi sunt, folium incisum, radix nigra. Aconitum racemosum, uel Christophoriana. *Nullum quidem ei uenenum inesse arbitror.
Guldin kraut/ herba gracilis folio Hysopi, subtus albescente. Polium uidetur montanum, aut eius species.
Bergmüntz/Calamintha montana, & (ut arbitror) uera. Nam quæ ex semine Mompeliensi mihi prouenit, ab hac nihil differt.
Waldtschiben/herba tota folio & floribus Saxifragam albam exprimit, radice tantum ab ea differt, quæ in hac nigra est & pilosa.
Flůbirlin/arbustum est primo uere floret, folio Piri per orbem tenuiter inciso, fructus nigros fert, plures confertim, paruos, quale est Sorbum torminale. Pirafter.
Garlobsstuden/folio Buxi, parum à rosa montana frutice (hoc est Bergrosen differens.
Edeldistel/carduus, inter carduos speciosiss. folia habet mollia, ab una radice, per caulem rara, quæ referunt folia herbæ, quam Moßblůmen nominamus: altitudine cubiti in altum assurgit caulis. Capita in summo sunt singula, interdum bina, cœrulea, quandoq; alba, interdum purpurea. color collucet mixtus uiridi, tum in capitibus, tum in supremis foliolis. Mollis est tota, & etiam spinis, quas æmulatur, nam non pungũt. Radix nigra subest, longa & bifida. Antehac mihi nunquam uisa herba. *Eryngium alpinum.*
Hůtreiff/Croci syluestris seu montani species est. flores quidam cœrulei, alii candidi, nonnulli utroq; mixti. tenuis radix, bulbacea, subdulcis, grata suibus, rubescente lana inuoluta. Herbaceum capillamentum quod foliorum loco habet, in Iura monte præsertim supremo iugo Gestlero Leifrat nominatur.
Wilder senff/herba eius nominis duarũ specierũ reperitur. Prior uno pediculo septena habet folia, supremo caule multi flores purpurei, & partim albi: post quos

cornicula subnascuntur semen continentia minutum, compressum. radix subest alba, alabastri modo splendens, squamea. Altera quinque folia habet uno pediculo, alias superiori non dissimilis, tota substantia utriusque acris est, Sinapi æmulans, aut Raphanum. Ad cubiti altitudinem crescunt: umbrosa loca amant, & latices. primo uere statim emergunt. * Aliqui Pulmonariam hanc uocant.

Hæc in eo monte quantum temporis ratio permittebat obseruaui. Non deerant alia multa, sed partim notiora quàm ut huc referri debeant: partim uerò ita ignota, ut ne pastoribus quidem nomina constarent. Quòd si ociosi diligentius omnia in iis scrutarentur, dubium non est, quin hisce multò plura reperiri possent. Habet inter cæteras quoque Sambucum montanã uua rubescente, Benedictam montanam odoratissimam, &c.

FINIS.

GALANDAE MONTIS LONGE ALTISSIMI, QVI DITIONIS EST *Rhetorum inter Heluetios, Stirpium enumeratio, ex literis clarißimi & doctißimi uiri Ioannis Fabricij, Ecclesiæ ministri Curiæ ad Conradum Gesnerum, datis Curia anno* M. D. LIX. *Iunij die* 26.

SVPERIORibus diebus montem Galandam nomine conscendimus: in comitatu fuerunt Belinus medicus, & Pontisella Ludi literarii rector, uiri doctrina & morum suauitate eximii: & alii quidam, &c. Non sine summa difficultate ad uerticem montis peruenimus. Vtinam Gesnere uel unam aut alteram horam nobiscum fuisses: id certè optauimus omnes. Nihil hoc monte est herbarum feracius.

In medio montis nascebantur hæc ferè.

1. Gentianæ genera diuersa: ea præcipuè quam rubram cognominant.
2. Ranunculus quidam cubitalis, foliis quibus flos Trollius uulgò apud uos dictus, cui etiam cognatus uidetur: floribus albis, mediocriter odoratis. Sed & flos ille Trollius ualdè est in locis illis odoratus.
3. Ranunculus quidam paruus, flore albo. Jägerkraut.
4. Mütterwurtz/ à quibusdam dicta: ueluti Plantago quędam alpina: foliis Plantaginis, leniter hirsutis: flore Doronici, radice aromatica.
5. Lunaria illa nobilis, quam olim ad te misit Belinus, in pratis illic exilit.
6. Lunaria Gręca, quam quidam Flitteren appellant, floribus admodum odoratis, ad latus montis in præcipitio (nostri riß uocant) quodam.
7. Centaurium maius, Rhaponticum uulgò dictum, non procul à iam dicto loco.
8. Phyllitis tam copiosa, ut uel plaustro onerando satis esset.
9. Sanicula alpina guttata, ubique obuia.
10. Viola alpina quædam, nunc primùm florens.
11. Aconitum luteum & cœruleum.
12. Elleborus albus.
13. Lilium purpureum radice lutea: quo pro Asphodelo quidam abutuntur.
14. Conyzis, ut uidetur, cognata herba procera, flore Doronici ferè.
15. Medicę species, ut quidam putant, eadem, ni fallor, uel cognata illi, de qua Dodonæus Iconum Tomo ii. pag. xxxii. Anonymus est (inquit) nec ad cuiusmodi genus referri debeat, certò statui potest. uidetur nonnullis esse Glaux, aliis Onobrychis. seritur in hortis ab herbariæ rei studiosis.
16. Sedi genera quinque, à uulgaribus diuersa.
17. Christophoriana, quæ quò in loco nascitur editiore, tantò est exilior & pressior: ut & reliquæ pleræque omnes herbæ.
18. Caryophyllata montana: & aliæ quædam.

In summo uertice montis.

19. Doronicum: & fruticum genera uaria nobis incognita. Hęc ego obiter tibi Gesnere uolui consignare. Sed quot tu putas conspectum nostrum effugisse, qui inter eundum in hæc incidimus?

FINIS.

HORTI GERMANIAE, authore Conrado Gesnero.

LIBER NVNC PRIMVM EDITVS, IN QVO STIRPIVM QVAS *diligentissimi quique rei herbariæ per Germaniam studiosi suis in hortis educant, tum nomina literarum ordine percensentur, tum natales plerumque, duratio, & ad cultum aliquid, aut alia quædam explicantur.*

Ad Lectorem.

Mensibus hybernis poteris decerpere flores,
Fructusq; hinc uarios, Lector amice, Vale.

CLARISSIMO VIRO STEPHANO LAVRAEO *Amorfortio medico Cæsareo, doctrina & experientia summo, Conr. Gesnerus medicus. S. D.*



IS MENSIBVS HYBERNIS, CLARISSIME LAVRAEE, DE*licias ruris & hortorum natura negante, ut aliquid genio meo indulgerem, non sine aliqua spe oblectationis, etiam & utilitatis ab harum rerum studiosis qui legere hæc uoluerint, percipiendæ: omnes quas meminisse poteram habere me in hortulo meo, aut olim habuisse stirpes, aut quæ in amicorum hortis prouenirent, (quorum aliqui propter missos ad me catalogos à principio libri à me nominantur,) uno uolumine iuxta literarum ordinem complexus sum. Non tamen solùm nomenclaturas posui nudas, ut ab illis acceperam: sed plerumque aliquid, quod uel ad nomina ritè imponenda, uel natales cultúmue faceret, adiunxi: ut qui hortum instruere cogitaret, non quidem uulgarem, sed omni stirpium genere ornatum, exemplum hic & inquirendi occasionem haberet: ac olim, quænam in Germania stirpes nostro seculo cognitæ in hortis plantatæq; fuissent, quæque durare in eis possint & quantum, intelligeret posteritas: deniq; Galli & Itali Germanorum in tam frigido cœlo studium in his colendis, prouentúmque, & nominum ex antiquitate repetitorum cognitionem, admirarentur. Hunc librum quanquam imperfectum (nam specierum infimarum numerus propemodum infinitus mihi uidetur) argumenti tamen hactenus ab alio nemine inchoati, præstantiæ tuæ nuncupandum destinaui: primùm ut amicitiam mutuam fœliciter superioribus annis Augustæ Vindelicorum, cum ad mensam illustris uiri Ioan. Iacobi Fuggeri conuenissemus, inceptam, hoc ceu uinculo inter nos obstringerem: deinde ut in hoc argumento, circa uetera præcipuè stirpium nomina imponenda, tam difficili & periculoso, ac multorum hodie animaduersionibus, censuris, controuersijs, æmulationi, certaminibus, & calumnijs etiam exposito, patronum mihi deligerem, qui his de rebus & rectè iudicare posset: & ueras aut uerisimiles opiniones meas syncerè contra ambitiosos quosdam defendere, in ijs uerò ubi errarem candidè & amicè monere dignaretur. Accipe igitur uir præstantissime hoc meæ erga te beneuolentiæ obseruantiæq; (ut uirtus & doctrina tua meretur: ac propter multa maximáque quibus me obligasti beneficia, gratitudinis ratio postulat) pignus & monumentum, quantumuis exiguum: idq; tam hilari animo, quàm ego & liberrimè offero, & longè maiora me debere libentissimè agnosco. eo enim in te amore & ueneratione ducor, ut si beneficijs æquare te, nedum uincere, conarer, amplitudini tuæ iniuriam aliquam fieri putarem. Quòd si etiam in Cæsareis hortis, aut aliorum principum, quibuscum subinde uersaris uirorum, quicquam in hoc libro nostro uel præteritum, uel melius exprimendum, tibi occurrerit, circa stirpes inprimis raras & peregrinas, quas homines priuati non facilè habere possunt, eius ut me certiorem facias iterum atque iterum peto. Noui clementissimum Cæsarem Ferdinandum, in cuius conspectu quotidie uersaris, harum quoque rerum, ut reliquarum naturalium omnium cognitione tum oblectari, tum eruditissimos quosque de rerum naturis disserendo excellere: nec dubito in hortis maiestatis eius, rara quædam & peregrina naturæ spectacula uisi: & eiusdem doctrinæ exemplo incitatos proceres ac magnificos uiros in hortis etiam exornandis magnificentiam præ se ferre. Itaque si celebriorum quorundam in Austria aut uicinis regionibus hortorum rariores aliquas stirpes mihi nominâris, hoc est, alicui studioso harum rerum iuueni ut id perficiat imposueris, de pristino tuo in me amore nihil dum remisisse te intelligam. Vale Tiguri. Ianuarij die XXV. Anno Domini M. D. LX.*

1. DE HVIVS LIBRI RATIONE.
2. *De hortis in uniuersum, eorumq; laudibus.*
3. *Singuli quidam hortorum cultores præstantiores nominantur.*
4. *Regulæ quædam serendi, colendiq; hortos.*

QVA nam occasione & ratione ad hunc librum describendum accesserim, in epistola nuncupatoria satis explicui: hîc pauca adiiciam. Nomino igitur hoc in libro plantas hortenses propriè dictas seu satiuas, & Germanis quidē notas in primis. Deinde & peregrinas permultas, quæ uel olim, uel nostra memoria, ut pleræq; in hortis seri cœperunt. tertiò syluestrium etiam quænam in hortis uiuere, quomodo & quandiu possint, quæ non, singillatim expono. Non tamen de singulis istis tribus generibus seorsim agere, sed omnia in unum literarum ordinem redigere uolui, ut quæque inuentu quàm facillima essent. Denique cultus ratio aliqua in plerisque exprimitur, quo modo scilicet seri colíue debeant, quo tempore & loco: & hyeme quænam ex eis reponi intra domos, aut in horto saltem contra frigoris iniuriam muniri. Hæc omnia persequi institutum quidem mihi fuit: sed quàm exiguam propositi mei partem sim consecutus facilè animaduerto. Omnia certè complecti infinitum & supra humanam conditionem est: & uoluit fortè Deus Opt. Max. dum rerum naturalium in tantillo mundi centro species nobis innumeras proponit, per hanc ueluti infinitam naturæ uim, qualis quantúsque ipse sit, omnis naturæ elementaris atque cœlestis dominus insinuare. Putabam ego iuuenis adhuc perpaucas superesse stirpes quæ meam notitiam subterfugerent: nunc senex peragratis ab eo tempore aliquot regionibus, & permultis quæ in meis & amicorum hortis satæ excreuerunt cognitis plantis, & maximo ab amicis numero rariorum misso, & perlectis omnium quos habere potui ad hoc tempus huius argumenti libris, Græcè, Latinè, Italicè, Gallicè, Germanicè, Anglicè, Hispanicéque editis, ea quæ noui perexiguam sane partem ignotorum mihi esse uideo. Itaque libenter cedo naturæ: quæ, ut uideo, æqualem sibi creanti in cognoscendo uim, ne nominibus quidem tenus aut numero admittit in illis quorum ipsa parens est. Sed hæc contemplari non est hominis περὶ φύσιν καὶ ὕλην ἀσχολουμένου. Potuissem tamen multò plures enumerare stirpes in hoc libro: imò omnibus quas noui, aut quæ ab aliis describuntur nominatis, ab instituto meo non discessissem. quoniam omnes aut aluntur in hortis, aut ali possunt: aut si non possint, id quoque breuissime indicare licuisset, tum ueluti condimenti, tum admonendi gratia ne quis frustra in accersendis quibusdam aut plantandis laboret: tum obiter nomina quorundam explicandi gratia: neque enim ita multa desunt, quò minus stirpium ferè omnium nomenclatio hîc contineatur. Sed aliis rebus occupatus, satis existimaui in præsentia librum hunc inchoare: quem aliquando diligentiores perficiant. Id autem feci partim lubens, & ut gratificarer harum rerum studiosis: ac eorum qui hortorum suorum catalogos ad me miserunt, nomina celebrarem ut par est. commune enim quoddam hoc bonum est, in patriam stirpes peregrinas inuehere. partim in gratiam Typographi, qui Cordi operibus ante annos ferè xviii. scriptis aliquid recentius accedere cupiebat: & mihi quoque iucundissimum erat hac saltem ratione Cordo meo, quoniam aliter fata non permisere coniungi. Neque uerò est quòd hanc aliquis absolute tanquam curiosam & inutilem cognitionem damnet. talis enim est illis qui diuersum propositum sequuntur: & quanquam medici omnium maxime diligentissiméque hanc naturæ partem excolant, non tamen eis necessarium est tam multa nouisse, cùm intra pauca, certa melioráque remedia tutius se contineant. At Philosophus physicus nullis huiusmodi terminis coërcetur, neque utilitatem aut lucrum quærit: nec ulla in eo rerum naturæ etiam

minutissi-

minutissimarum cognitio curiosa existimari debet. Huius ego hortum liberalis & multiscii uiri, instruere proposui: non olitoris, non Adonidis aut Epicuri, non medici aut pharmacopolæ. Hortenses quidem, urbanæ aut satiuæ plantæ propriè sunt & dicuntur, quæ cibi condimentiue causa in hortis à plerisque seri & educari solent: deinde quæ propter uoluptatem aliquam coluntur, ut quæ uel odore delectant, uel colore, aliáue specie oculos iuuant, sicut pleráque coronarii generis: tertiò quæ ad medicinam faciunt, quæ omnia tum magis propriè hortensia dicentur, si syluestria & suæ spontis uel omninò non reperiuntur, quod nobis constet: uel non in nostris regionibus: uel reperiuntur quidem, sed specie diuersa. Magno certè liber hic utcunque imperfectus, nec adeò magnus, labore mihi constitit. Multitudine & uarietate rerum obrutus, quàm plurima aliis post me dicenda reliqui. Hominem unum nomenclaturas tam multas proferre, & proueniendi modum in tam multis obseruasse, multum est, nimium quidem ad alia utiliora & grauiora festinanti. Itaq; ut os Momis & blateronibus ineptis obstruā, nō quòd multa omiserim, quòd non accuratius quædam obseruârim, neq; diutius librum hunc premere & expolire uoluerim, ueniam ab illis petam, quibus hac in re nihil debeo: sed potius doctiores uiros & maioris iudicii, quòd tam prolixè, ne dicam ambitiosè, in hoc argumento uersatus sim, ut ignoscant, rogabo. trahit sua quenque uoluptas: cui nimium quis non indulget? Prolixitatem hanc tamen excusat ordo, sicut & in plerisq; scriptis nostris, ita institutus, ut quod quis nosse uelit, statim inueniat, cæteris omissis. Breuitatis certè studio multa simpliciter protuli, nec inquisiui in opiniones quorundam quæ mihi parùm probantur: facturus id aliâs in maiori uolumine, quod de Stirpium historia, si Deus uitam & reliquas commoditates largiatur, aliquando edam. Interim hoc ceu progymnasmate præludere, atq; hoc specimine aliarum etiam gentium homines eruditos ad suarum regionum hortos describendos excitare uolui.

Quoniam uerò quot homines tot sententię, & aliquibus fortè hæc minime prolixa, sed breuiora quam uellent uidebuntur, cùm aliâs, tum circa colendi rationem, qua præcipuè accurata in nostris regionibus frigidis opus est, ut stirpes peregrinę è calidioribus locis allatæ conseruentur: illos ad aliorum hac de re libros, aut librorum partes, ueterum atq; recentiorum remiserim. Theophrastus in suis libris De stirpibus, pręcipue quidem etiologicis, plurima huius argumenti diligentissime docuit: ex quo permulta transtulit Plinius. Multa apud rei rusticę scriptores eiusmodi leguntur, Columellam, Palladium, Varronem, Catonem, & illum qui Geoponica græca composuit. Ex recentioribus Petrus Crescentiensis pleráque ex ueteribus repetiit, & insuper suarum obseruationum non pauca ad cultum, plantationem, & curam omnem arboribus aliísque plantis accommodandam pertinentia adiecit. Aristotelis de stirpibus extant quidem libri duo, sed corruptissimi, ut nihil fere utilitatis inde rei hortensis studiosi homines referant: nonnihil uerò è doctissimis Scaligeri in eos libros commentationibus. Problematum quidem Aristotelis sectione xxxvi. leguntur quædam ad hanc rem non inutilia. Circunfertur & Caroli Stephani typographi regii Lutetiæ eruditissimus liber, hoc titulo: Prædium rusticum: in quo cuiusuis soli uel culti, uel inculti plantarum uocabula ac descriptiones, earúmque conserendarum atque excolendarum instrumenta suo ordine describuntur. Eius partes sunt octo: Hortus, Seminarium, Vinetum, Ager, Pratum, Lacus, Arundinetum, Sylua, Frutetum, Collis. Liber est sane utilissimus ad rerum simul acuerborum huius argumenti cognitionem, magna parte ex Ioan. Ruellii Commentariis desumptus. Barthalomæus Maranta Venusinus medicus certè elegantissimus methodi cognoscendorum Simplicium med. libros tres nuper edidit, ex quibus secundi libri cap. xi. totum satis copiose de cultu stirpium pertractat. Vidimus et Gallicum librum Petri Bellonii totius naturę scientissimi uiri, quem de colendis arboribus syluestribus edidit. Hieronymus Cardanus summus philosophus, Operis de uarietate rerum lib. vi. cap. xxiii. de plantarum cura inscripsit, &c. Ex his & aliis fortè olim aliquis Rei hortensis uolumen perfectum nobis concin-

De re hortensi scriptores.

nabit: mihi interim si principii ratione quantulumcunque culturæ stirpium studiosi homines debere se fateantur, Germani præsertim mei, quibus hęc præcipuè scripsi, (utinam uerò etiam aliis prosint,) satis magnam laboris mei mercedē retulisse mihi uidebor. Alius quidem nostro seculo rē hortensem nemo ex professo descripsit: Carolum Stephanū excipio, qui tamē nomina et descriptiones stirpium magis, quam cultum earum docuit. Ego plerunque aliquid ad cultum utile in singulis addidi: & si nihil aliud, saltem natale solum cuique syluestrium peculiare indicaui ut plurimū, ut in hortis plantaturi locum singulis cōmodiorem eligant. Interim animaduertendū natales locos plantis non semper eosdem, sed ut plurimùm conuenire: in quibus uidelicet plures ac lætiores eiusdem generis plantæ prouenire solent. quòd si in diuersis aliquando reperiantur, cogitandum est uel cœli, uel aliam esse causam: rapiuntur enim sæpe à uentis semina, & ab aquis deferuntur. Loca olim humida & rigua, paulatim, aut etiam breui exiccantur, in quibus fortè stirpes humidis locis propriè remanēt. et quę nasci in aquosis solent, possunt plerunque etiam in umbrosis. Quædam tam ualida constant natura, ut ubique fere uiuere queant. nā & extra terram sunt quę aliquandiu uigeant, ut in Bulbaceo genere, et Seda, & Anacampseros, et Aloë. Multæ quidem in nostra regione hortenses tantùm stirpes sunt, alibi syluestres & suæ spontis. & aliquæ nobis montanæ: quæ alibi, ad septentrionem præsertim, fallente sensim terrarū altitudine, in planicie nascuntur. Hęc de stirpium natalibus dixerim: in quibus etsi in uniuersa fere natura, quod ad ortum ac generationem rerum imprimis, nihil necessarium, nihil perpetuū est, nos tamen iis quę frequentius, & ut plurimùm eueniunt, acquiescere par est. Quantū ad G. nominis mei notam, sunt quę non in meis quidem hortis (quos hoc tempore duos colo) sed amicorum uireāt stirpes, quas illic demonstrare possum. Quædā aliās in hortulo habui, nunc careo, inter tot occupationes & tanta soli angustia, prouentū & naturam quorundam semel aut aliquoties obseruasse contentus, ut locus ac tempus etiam aliis suppeterent. Herbæ ex editis montiū atque alpium in hortos translatæ, quædam forte ne apprehendunt quidem: aut caules, flores ac semina non fundunt in hortis nostris. ego Gentianam, Elleborum album, & alia quædam multis annis in horto habui, quę nunquam caules ediderunt. quędā perfecerunt quidem semina, sed annis aliquot interiectis. ex mōtibus etiam ipsis semina habere nobis difficile est: quoniam eo tempore quo sperare maturitatem eorum poteramus, niues plerunque iam ingruerunt, & incolis (qui perpauci, lactarii & rudes quidam homines sunt) sub id tempus ad ualles se recipientibus destituuntur. Hæc ideò scribo, ut si qui uel hac transeuntes, non omnia quę scripsi apud me reperiant, aut semina in alias regiones ad se mitti petentes frustrentur, quod nōn rarò contingit, non mirentur. Nominaui etiam aliqua, in alienis præcipuè hortis, quæ fortè prima tantùm à satu æstate apparuerunt, non duratura per hyemem: aut non nisi summa diligentia ad aliquod tempus conseruanda.

Natales stirpium.

G.

NOMINA QVORVNDAM REI HORTENSIS STVDIOSORVM *hominum, in Germania primùm, deinde Gallia, Italiaque, &c.*

Et primùm de differentijs hortorum in genere.

HORTORVM alii uulgares sunt, utilitatis tantùm gratia consiti: in quibus olera, legumina, uites, fructus qui edendo sint, & gramen, usum homini aut pecori præbent. Alii medicinales, ut Medicorum & Pharmacopolarum: in quibus non hortenses tantùm stirpes, sed etiam syluestres omnis generis, & peregrinæ quoque coluntur, propter remedia quæ ex ipsis earúmue partibus homini fiunt. Alii similes istis, sed magis uarii, in quibus non solùm plantæ remediis nobiles, sed aliæ etiam quæuis rariores præsertim coluntur, propter admirationem & contemplationem naturæ. In aliis nulla utilitas ad cibum aut remedia, neque naturæ inspectatur, sed ornatus tantùm & elegantia: quales sunt matronarum & opulentiorum hominum, præcipue quidem monachorum: qui floribus diuersis conseruntur,

Horti utiles. *Medicinales.* *Varij.* *Elegantes.*

runtur, aliisq; herbis & fruticibus, quorum aliqua in ipsa forma, aut colore odore ue gratia est, aut ad serta & coronas usus: & pergulis, scenis attegiisue, aut labyrinthis apti frutices & arbusta ad inumbrandum, & quæcunq; anno toto uireant, nec frondes amittant: ac omne topiarium genus quod ita necti flectiq; potest, ut certam aliquam figuram præ se ferat: & herbæ fruticesq; tonsiles propter eandem causam, ut Buxi, Myrthi, Hyssopi, & alia. & arbores quarum pulchriores sunt fructus: aut quarum folia latiora, ut Platani, Tiliæ: aut aptæ, ut earum brachia quaqua uersus distendantur, sicut in Quercu, Tilia & Malo diximus. Alii denique magnificentia spectabiles sunt, ut quorundam diuitiis affluentium, & principum uirorum, aut rerum publicarum: quorum & ædificia magnifica sunt, & aquarum spectacula iucunda in stagnis ac fontibus: & colles forte in eis excitati, & nemora adiuncta, & exercitiorum areæ: & arbores quædam peregrinæ, ac huiusmodi quæ magno sumptu indigent. Simplices hæ differentiæ sunt: quarum duæ interdum aut plures coniunguntur. Ex his quas dixi differentiis, (uulgaribus tantùm exceptis,) paucos aliquot mihi cognitos, celebriores tantùm commemorabo. Quòd si copiosos aut nobiles aliquos præteriero, excusabit me ignorantia. optarim enim quàm plurimos nominari à me posse. Quoniam autem genere, ut indicatum est, differunt, comparari inuicem rectè non possunt: & in suo quisq; genere excellere. quamobrem nemo mirabitur, quòd non magnificos tantùm, & elegantiores, sed priuatos etiam angustosque quorundam hortulos hîc prædico. Magnificentia arte & hominum opere constat: cui nos uim & uarietatem naturæ anteponere non dubitamus. potest illa etiam extra hortos ostentari, sicut & elegantia: at hortorum laus ab eo præcipuè est, unde & appellantur, si multa uariaq; in eis oriuntur & terra eduntur. Dicam igitur primùm de hortis Germaniæ quæ circa Rhenum est, à capite eius exorsus: deinde illius quæ longius ab est Septentrionem uersus. Magnifici.

RHENI fontes duo paulò supra Curiam Rhætorum sunt utrinq;. Curia oppidum celebre alpibus proximum est, ubi si quis hortum institueret, stirpium genera quam plurima commodè haberet, cùm aliarum, tum alpinarum & trans alpes nascentium in uallibus Rhætici fœderis, & ex Italia uicina. Est illic Ioannes Fabricius Montanus, ecclesiæ pastor, uir omni literarum genere doctissimus, sicut & Ioannes Pontisella Ludi magister pereruditus, ac medici præstantissimi Hieronymus Brixius & Zacharias Belinus: omnes rei herbariæ non uulgariter periti, quos honoris gratia nominare hîc uolui, inuitante Rheni principio, & simul eorum in me beneficentia, Fabricii mei in primis, qui permultas ad me stirpes ac semina quot annis mittere solet ut hortulum meum locupletet.

Infra Rhætiam Rhenus in lacum Brigantinum diffunditur ad sinistram eius latus cum impetu se immittens: è regione dextro latere Lindauia amœnissimum oppidum in peninsula situm est: cuius ciuis Matthiæ Curtii mercatoris, hortum egregium stirpibus rarioribus non paucis consitum olim spectaui. Aiunt & fratrem eius uirum nobilem non procul Lindauia habitare, & arborum præcipuè genera quamplurima colere. Ad lacum illum maximum oppidum est Constantia, in quo horti aliquot elegantes & ampli non desunt: in quibus tamen hoc tempore nihil rari aut peregrini esse audio.

E Brigantino lacu & altero minore infra Constantiam (Veneto, ut ueteres uocant: nostri à Cella oppido) postquam emersit Rhenus, minora quædam oppidula cum alia præterlabitur, tum Eglisouiam Tigurinorum ditionis: à qua Tigurum patria mea quatuor horarum ferè itinere distat. Fuit autem hortorum apud nos hactenus uulgaris tantùm cura. Primus ego peregrina semina inuexi, & syluestres montanasq; stirpes alere cœpi. Est & Petri Figuli Chirurgi ac lithotomi egregii, hortus uarietate stirpium commendabilis: & apud Iacobum Funccium prætorem, optimum Citri ac Lauri in uasis: & in publico urbis loco

ad limagum fluuium editiore Tiliarum nemus, in quo etiam Larices duæ uisuntur: & proximè infra urbem ad eundem fluuium Tiliæ duæ, brachiis & ramis in attegias supra truncum elegantissimè digestis: quales, aut elegantiores quoque, Scaphusiæ etiam (quod liberum & Helueticum ad Rhenum oppidum est) conformatæ sunt. Incommodum illud regioni nostræ commune, quod ferè de Ascra conqueritur Hesiodus: ἄσκρῃ χεῖμα κακὴ, θέρει ἀργαλέη, οὐδέποτ' ἐσθλή. Propter alpium enim uicinarum iuga, perpetuis operta niuibus, hyemes nobis longissimę, ęstates uerò breues sunt, & qui tepere debebant austri, nobis plerunque frigent, frigore ab eisdem, quas pertranseunt, niuibus contracto. Quamobrem & plantæ peregrinæ uix educari aut durare apud nos possunt: & uina nostra acerbiora sunt, non solùm uicinis illis quæ propius meridiem nascuntur, sed etiam aliis, quæ locis ad Septentrionem paulò remotioribus proueniunt ultima. Longius enim si procedas, nullæ amplius uineæ occurrent: ita ut diei ferè iter ultra Rhenum uineta omnia terminet. Ergo, si montes non impediant, & uina generosiora semper, locis ad meridiem propioribus fiunt, & alii etiam quidam fructus uel noui, uel iidem sed melius feliciusque crescunt, quò magis ad meridiem progredimur: ita ut in Narbonensi tandem Gallia, alibique ad mediterranei maris in Europa limites, uineta & olíueta, & alia quædam, omnium optima habeantur. Itaque frigoris, tempestatum, solique ratione peregrina multa uel non proueniunt nobis, uel certè ad maturitatem nõ perueniunt. Aliquid est tamen, quædam ita prouenire, ut à medicis & pharmacopolis cognosci possint.

Basileæ, quod infimum Heluetiorum oppidum Rhenus interluit, Cælius secundus Curio uir doctissimus & Latina eloquentia summus, hortũ peregrinis aliquot plantis instructum habet, sicut & Conradus Lycosthenes in eadem urbe ecclesiæ minister uaria eruditione clarus: cuius priuignus Theodorus Zuingerus nuper ex Italia reuersus, iuuenis egregius, medicus & philosophus pereruditus, optimi parẽtis hortum seminibus Italicis, quæ secum attulit, parte etiam mihi communicata, ornare & nobilitare perget. In suburbio S. Ioannis, Ioan. Iacobus Lose uir magnificus hortum se dignum colit: in quo Citrorum arborum generis differentias aliquas uidi, ut Arantias, & Limones adultas: & Prunos Vngaricas: & Libanotidis coronariæ plantas pulchrè digestas: & acetosam Gallicam, &c. De Quercu in area seu nemore D. Petri leges Q. litera.

Argentina ciuitas propè Rhenum magna, & multis nominibus excellens, hortos etiam quàm plurimos & amplissimos habet: quorum præcipuus est, quod ad uarias & peregrinas stirpes Didymi Obrechti medici hortus: deinde Hieronymi Massarii medicinæ professoris. Magnificentia quidem & elegantia primas tenet Israëlis Minkelii fodinarum metallicarum quarundam domini hortus in suburbio, quod uocant Steinstraß: cui hortulanum Gallum pręfecit, qui topiario tonsilique artificio herbas & frutices uarios distinguit: et areas herbis floribusque non uulgaribus in literarum aut animalium aliásue figuras graphicè digestis, Cepographiam dixeris, pulcherrimè depingit. Arearum margines, densis ex hyssopo aut saluia ceu sepimentis tonsilibus, aditu per interualla relicto, ad pedis aut cubiti altitudinem cingit. Cœlum certè Argentinæ multò mitius nostro est, & plantis peregrinis educandis aptius.

Infra Argentinam cùm alia oppida nobilia Rheno alluuntur, tum præcipuè Spira, Vuormacia, & Moguntia: è cuius regione Mœnus fluuius Rheno se miscet: & ad iter ferè diei, Francfordia celebre emporium abest: ubi medici quidam & pharmacopolæ hortos uariis & rarissimis plantis instructos colunt: è quibus præcipuè mihi noti ac de me benè meriti sunt, Iacobus Oppenheimius pharmacopola, & Io. Rurpodius Chirurgus.

Reliquorum deinceps ad Rhenum oppidorũ horti mihi prorsus incogniti sunt: non dubito tamen quin & alibi & in primis Coloniæ Agrippinæ egregiè instructi reperiantur. Antuerpia non procul Oceano distans, emporium longè nobilissimum copiosissimumque ad Scaldim flumen, ab altero Rheni ostio inferiore, ut ex tabulis

bulis apparet, unius aut alterius diei itinere abest: in ea urbe ciuis Petrus Condenbergius pharmacopœus percelebris ad insigne Campanæ ueteris, omnium simplicium medicamentorum diligentissimus inquisitor, hortum uariis & raris stirpibus suo studio refertum excolere & augere pergit.

AT IN IIS QVAE LONGIVS A RHENO DISTANT *Germaniæ regionibus.*

IN Heluetiis quidem Bernæ Benedictus Aretius bonarum literarum professor eximius, & in Bernensium agro Sigrisuillæ, Christophorus Piperinus ecclesiastes doctissimus, hortos plantarum uarietate instructos habent.

Augustæ Vindelicorum magnifici horti sunt Fuggerorum, & in eorum plerisque etiam stirpes quędam peregrinę: sicut & aliorum quorundam ciuium opulentiorũ. In eadem urbe clarissimus medicus Adolfus Occo præcipuè peregrinas quasdam & raras stirpes alit.

In Bauaria Monâchi hortus illustrissimi ducis à magnificentia, & peregrinarum quarundam arborum spectaculo laudatur.

Schorndorfii quod oppidum est illustriss. ducis Vuirtenbergensis, ciuis & mercator egregius Ioannes Schmidlappius hortum copia ac raritate stirpium insignem possidet. Ibidem hortum arci adiunctum magnificum, & plantis raris, inter aliâs etiam piperis, spectabilem esse audio.

Esslinga ciuitas est Imperialis, quanquam in Vuirtenbergensis ducis regione sita: cuius ciuis Ioan. Volmanus pharmacopœus, diligentissimus simplicium medicamentorum indagator, hortum egregiè colit.

Norinbergæ celeberrimus est Ge. Ollingeri felicis memoriæ hortus.

Vratislauię in Silesia clarissimi ciuis Vuoisseli, qui præstantissimi medici Sigismundi pater est, hortus copia, uarietate, elegantia & raritate stirpium omnis generis summè commendatur.

Apud Misenos Lipsiæ Ioan. Rallæ pharmacopolæ hortus est copiosissimus.

Torgæ uerò Ioachimi Kreichii pharmacopolę longè refertissimus stirpiũ uario genere, ordine etiam & structura elegantissimus: cuius picturam hîc addidissem, quam ipse ad me mittere dignatus est, nisi pars eius in itinere, nescio quorum negligentia aut improbitate, periisset. Ibidem Ioan. Kentmannus medicus artis usu et eruditione summus, raras & peregrinas stirpes non paucas educat: sicut & Misenæ (quod oppidum regioni homonymum est) excellentissimus medicus Christophorus Leuschnerus.

Stolbergæ in Hercynia sylua Ge. Aemylius ecclesiæ pastor & uicinarum inspector, theologus omni literarum genere doctissimus, hortum quàm plurimis & raris etiam stirpibus ornatum possidet.

DE HORTIS GALLIAE.

GALLIAE horti mihi incogniti sunt, paucis quos homines eruditi suis literis celebrarunt exceptis.

Celeberrimus est hortus S. Mauri prope Luteciam, Bellonio teste.

Hortus Renati Bellaii Cenomanensis episcopi, nunquam satis in herbarum & arborum rariorum cultura laudati, nobilissimus est omnium qui hodie tum apud Germanos, tum etiam Italos uisuntur, ut nihil addi possit ad absolutam horti benè exculti, & innumeris uariarum plantarum diuitiis refertissimi curam ac diligentiam, ut scribit Carolus Stephanus in horto & in Seminario. Puto autem hortum illum Luteciæ esse: in qua urbe laudatur etiam hortus ædi diuæ Mariæ adiunctus, propter peregrinas quasdam stirpes: & pharmacopolæ cuiusdam à Car. Stephano celebrati, cuius nome[illegible]iam non occurrit. A Cardano de rerum uarietate libro 13. capite. 66. describi[illegible]r hortus magnificus Ioannis Baptistæ mercatoris Florentini Luteciæ. Pe[illegible]us Bellonius Cenomanus medicus, ex longinquis peregrina-

tionibus semina uaria congessit, omnis stirpium generis, ex quibus Luteciæ satis, uariæ ei stirpes prouenerunt: non solùm uerò paucas singulorum generum, præsertim arborum, quæ Luteciæ nasci ante hac non solebant, educare contentus est, sed etiam syluas quarundam, quod ei felix faustumq; sit, meditatur.

DE HORTIS ITALIAE.

ITALIAE horti plures instructioresq; proculdubio sunt, quàm ullius alterius regionis hoc tempore. nam & solum eius fertilissimum est, & aër temperatus: & diuitiis affluentes, uoluptatumq; studiosi homines: & magnus rei medicæ usus. Ego paucos aliquot nominabo.

Caspar à Gabrielis uir inter nobiles Patauinos longè nobilissimus, omnibus animi atq; ingenii dotibus excellit. Cui præter omnium bonarum ac liberalium artiũ perfectam cognitionem, hoc etiam laudis & gloriæ accessit, quòd omnes facultates suas (quibus inter cæteros contentissimus uiuit, nihil ut amplius expetat præter id quod habet) in hortuli sui diligentissima cura insumat, &c. Carolus Stephanus in Horto. Ibidem Priulanus hortus magnificus, plantis uariis & raris è Syria etiã accersitis admirationi est. Omnes uerò omnium, ni fallor, hortorum magnificentia simul, & stirpium in eo uariarum omnis generis, è Creta etiam & aliunde peregrinarum, numero laudes facilè uincit publicus ille Patauii in medicorum gratiam inclyti Senatus Veneti liberalitate institutus hortus, cui hoc tempore Aloisius Anguillara Romanus, uir in stirpium historia nostro seculo exercitatissimus atq; peritissimus omnium, magna cum laude præest.

Venetiis Murrhani nobilissimus est hortus senatoris Hieronymi Cornelii, uiri illustris, qui Cypri insulæ præfecturam gessit: ex qua, ut etiam Creta, Alexandria, aliisq; regionibus, multa pulcherrima rarissimaq; Venetias sibi adferri curauit. In eadem ciuitate prædicatur etiam summopere Maphei de Mapheis medicis hortus: & Pasqualini, & Petri Antonii Michaelis Patricii in uico S. Georgii: & cœnobitarum quorundam, præcipuè Franciscanorum, ni fallor.

Illustrissimi ducis Florentini hortus magnificentia structuræ, & stirpium peregrinitate excellit.

Arimini uisendus est Iunii Moderati pharmacopolæ hortus excultissimus.

Romæ in cœnobio quod Aram cœli uocant, hortus est plurimis & egregiis plantis consitus, præcipuè ab Angelo Palea & Bartolòmæo ab Vrbeueterum cœnobitis, qui de medicamentorum compositione librum Mesuæi interpretati sunt. In eâdem urbe ciuis Scipio ad S. Apostolum hortum nobilem possidet, ut in Rhabarbarici mentione indicauimus. Ioan. Vincētius Pinellus uir genere & doctrina clarissimus, cui Bartolomæus Maranta Venusinus medicus eruditissimè scriptã nuper cognoscendorum Simplicium medic. Methodum nuncupauit, Neapoli (ni fallor) in suis hortis quam plurimas plantas ex uariis remotisq; regionibus, magno impendio aduectas (ut ipse Maranta scribit) perpulchrè alit.

TVRCAS hodie rei hortensis per quam studiosos esse refert Bellonius Singularium 2.51. ubi raras etiam aliquot stirpes quæ coli ab eis solent, recenset.

DE HORTIS QVIBVSDAM APVD VETERES nobilibus.

DE Hesperidum, Adonidis, Alcinoi, Epicuri & aliorum quorundam hortis factam à ueteribus mentionem, ne sim longior, prætereo.

Horti pensiles Babylonii describuntur à Q. Curtio lib. v.

In Syria fuisse duos paradisos in quibus solis Balsamum coleretur, idq; nusquam agreste nasci, Theophrastus tradit historiæ 9. 6. & eiusdem libri cap. 4. Arbores (inquit) thuris ac myrrhæ, aliæ in monte quodam Arabiæ editissimo sponte nascuntur:

ſcuntur: aliæ cultu adhibito ἐν ταῖς ἰδίαις γεωργίαις ὑπὸ τὴν ὑπώρειαν.

De Theophraſti horto, & Ant. Caſtoris quem Plinius uidit, in ſequentibus dicemus.

De hortorum laude & utilitate.

CVRA cultusq́ hortorum, non modò honeſtam ſecum uoluptatem, ſed etiam utilitatem, cùm ad opſonia, condimenta, cibos, tum ad ſanitatis tutelam & morborum depulſionem, adfert. Seruntur enim, aluntur, & ſeruantur in hortis uaria fruticum, ſuffruticũ, arborum, herbarumq́ genera, quarum alia per ſe ſunt edendo, alia acetariis aut condimentis idonea, alia remediis tantùm adhibentur. Eſt ſanè hortus, in quo ſtirpes eiuſmodi oriuntur, ueluti penus quoddam: è quo ad uſum noſtrum quoties libet depromimus radices, olera, ſemina, fructus, herbas & huiuſmodi: quę cùm in promptu ex hortis ſuppetant, nõ opus eſt longius è rure, agris, mõtibus aut ſyluis petere, nec emere aliunde, quòd non modò ſumptuoſum eſt, ſed etiã ſępe inutile aut noxiũ, cùm falſa pro ueris, & uenena interdum pro remediis, inueterata quidem pro recentibus ſępenumero ueneant. Horti (inquit Plinius) maximè placebant priſcis; quia non egerent igni, parcerentq́ ligno, expedita res & parata ſemper: unde & acetaria appellantur, *(ab accipiendo nimirum, quòd ex ipſis hortis herbæ ſemper in uſum noſtrum accipi poßint,)* facilia concoqui, nec oneratura ſenſum cibo, & quæ minimè accendant deſiderium panis. Quamobrem ſit aliquis & his honos, neue autoritatẽ rebus uilitas adimat, cùm præſertim etiam cognomina procerum inde nata uideamus: Lacticinosq́ in Valeria familia nõ puduiſſe appellari. Antiquitas nihil prius mirata eſt quàm Heſperidum hortos, ac regum Adonidis & Alcinoi: itemq́ penſiles, ſiue illos Semiramis, ſiue Aſſyriæ rex Cyrus fecit. Romani quidem reges ipſi coluere. Iam quidam hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros uillasq́ poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus, hortorũ magiſter. Vſq; ad eum moris nõ fuerat in oppidis haberi rura. Romæ quidẽ per ſe hortus ager pauperis erat. Ex horto plebei macellũ, quantò innocentiore uictu. Hęc Plinius. Epicurũ quidẽ Athenis primũ ad uoluptatẽ & delectationẽ hortos intra mœnia inſtituiſſe, meminit etiã Cicero in libris De natura deorũ. Cyrus minor ex hortis, quos purpuratus ipſe et gemmis ornatus, ſua manu cõſeuiſſet, gloriam magnã cùm apud omnes Gręcos, tũ apud Lyſandrum Lacedęmoniũ, cùm is in Lydiam ad eum ueniſſet, adeptus eſt, ut Xenophon & Aelianus tradunt. Theophraſti Ereſii qui Ariſtotelẽ audiuit, hortum fuiſſe ampliſſimum ex teſtamento eius conſtat, in quo ſic ferè legimus. Hortum & circumiectam ambulationem, & omnes ei adiectas domos, do & relinquo amicorum in hoc teſtamento nominatorũ illis, quibuſcunq́ in eo uerſari, ſimulq́ philoſophari libuerit, ita ut cõmuni ſtudio colendũ & cuſtodiendũ curent, neq; uel alienare, uel uendicare ſibi illum quiſquam poſſit, &c. In hoc nimirum prędio ille multa ac diuerſa ſtirpium genera tum uernacula tum peregrina coli curauerat, ut eruditos illos & accuratos, qui etiamnũ doctorum manibus teruntur, Plantarũ hiſtoriæ cauſarũq́ libros conſcriberet. Antonii Caſtoris hortũ Plinius celebrat in quo plurimas herbas uiderit. Huic (inquit) ſumma autoritas erat in ea arte (cognitione herbarũ) noſtro ęuo, uiſendo hortulo eius in quo plurimas alebat, cẽteſimũ ętatis annũ excedẽs, nullũ corporis malũ expertus, ac ne ętate quidẽ, memoria aut uigore concuſſus. Columella autor eſt cultũ hortorũ inſigniter neglectũ fuiſſe ueteribus agricolis, ſuo autẽ tempore quã celeberrimũ. Ego apud Gręcos ſemper quã Latinos celebriorẽ fuiſſe puto, quàm diu libera fuit Gręcia. quàm plurimos enim ſcriptores Georgica & Cepurica (hoc eſt, De re ruſtica, deq́ hortenſi re) libros condidiſſe conſtat: & rerum, pręſertim ſtirpiũ nomina, quorũ maximam partem à Græcis mutuati ſunt Latini, idẽ fatentur. Poſt Gręcos uerò Latinis pręcipuũ fuit hortorũ culturę ſtudium. Lib. 19. cap. 4.

Germanis omniũ minimè: partim quòd armis semper magis dediti fuerint: partim quòd soli natura durior, et cœli tẽperies inclementior, in locis Septentrioni expositis, hortorum cultui non parũ incõmodet. Quò magis institutũ illorũ laudandum est, qui in nostris regionibus nulla rei difficultate territi, hortos instruunt: idq; non tã ad uoluptatẽ priuatã, quàm ad utilitatẽ publicã faciũt, ut & remedia in promptu habeãtur, sicut dixi: & multa hactenus ipsis etiã summis medicis ignota certius cognoscantur: & optimi quiq; ueterũ libri, cũ fructu simul et uoluptate legantur atq; intelligãtur.

OBSERVATIONES QVAEDAM ET REGVLAE AD *hortorum cultum in Germania utiles Primum quæ consideranda sint ante plantationem aut sationem: deinde quæ in ipsa plantatione: demum, quæ postea.*

PARS I.

Locorum differentiæ et natales. SI in horto sint plures differentiæ locorum, (ut collis, saxa, riuus, stagnum, arena, &c.) multa crescere & durare poterunt, suis plantata locis: quæ aliter aut non crescunt, aut non durant.

Quòd singulæ plantæ terram propriam, cœlique accommodatam temperiem quærant, eo sane manifestum est: quòd quædam in quibusdam locis proueniunt: in quibus alia quędam nec sponte nec sata facilè exeunt. et quanquam apprehenderint, fructum nullatenus pariunt, (ut de Palma & Moro Aegyptia, aliisq; quibusdam retulimus:) & neq; augentur, neq; fructificant, sed uitiata (malignè) omninò proueniunt, Theophrast. hist. 4.1.

Vt aquaticæ & humido riguoq; solo assuctæ plantæ non facilè in hortis siccioribus uiuunt, nec diu durant: nisi in umbroso loco, qui humido similis est: quem tamẽ uentis expositum esse uelim, & sæpius rigari: humidus enim locus si non perfletur, putredini & bestiolarum generationi obnoxius est. Sic & montanæ stirpes, humiliori ac pingui solo, locis umbrosis, & uento minus perflatis, uix nascuntur: aut certè fructum nõ perficiunt. Sic & maritimæ ut Soldanella, Ben rubrum, in hortulo meo facilè quidem natæ sunt, sed flores & semina nunquam protulerunt.

In diuersis plantis plurimùm referunt sol aut umbra: locus altus, aut humilis: siccus aut aquosus, pinguis aut macer, perflatus aut non perflatus.

Solis calor augetur reflexione radiorum eius ad parietem. sic Ficus apud nos melius ac citius maturescunt.

Ad parietes quædam plantare prodest, uel propter soli reflexionẽ, uel ut loco saxoso sint, uel ut innitantur: ut Ficum, Ribes uulgò dictũ fruticẽ, & Iasminũ. Ficus quidẽ uel circa Cracouiam maturescere audio, tali nimirũ situ plantatis arboribus.

Plantæ uicinæ sæpe impediunt, cùm uel inumbrant, uel aërem auferunt: uel premunt, aut se circumuoluunt, siue superficie, siue radicibus reptando: aut succum ac alimentum terræ præripiendo.

Carbonum puluis & partes minutiores à fabris ferrariis, terræ siccæ & duræ nimium misceantur in hortis.

Solum uere obserendum, præparari prius autumno debet, fodi scilicet, arari aut pastinari & stercorari. sin conserendum est autumno, præparetur uere.

Vasa. Semina peregrina pleraq; uasis cõmittenda sunt: in quibus etsi omnia nascantur minora, certius tamẽ proueniunt, et melius tutiusq; seruantur, ne cõculcentur, uel aliter lędantur: tempestatibus etiam subtrahi possunt, et uel sub tectũ inferri, uel offerri pro cõmoditate, & uel ad umbram, uel solẽ transferri ut doliũ Diogenis. Minus etiam ab animalculis infestantur, ut pulicibus, pediculis, cochleis & erucis: quę germina & folia teneriora erodunt. Cochleę quidẽ etiam Februarii initio apud nos aliquando germina, cymas, et rudimẽta aut spem florũ subitò uorant. Sphondylos cũ aliàs noxios radicibus, tũ Augusto mense præcipuè animaduerti: cùm enim subitò egregiæ quædã plantæ mihi perirent, nec ulla esset manifesta causa, solo modicè effosso, latrunculos illos circa radices deprehendi. Nocẽt etiã mures quidam rizophagi, tum uoracitate sua, tum cauis excitatis, per quæ uel nimius calor penetrans, aut humor aut frigus radices lædit: quo nomine etiam talpæ noxiæ sunt, quæ non

radices

radices sed lumbricos sectantur: & ipsi similiter lumbrici, dum terram circa paruas ac teneriores plantas multipliciter perforant. Hæc omnia ferè in uasis uitantur.

In uasis sata quędam, ubi adoleuerint, uere aut ęstate transferentur in aream, idq; confractis uasis, si aliter curari non possit, ne terra à radicibus discedat: uel unà cum uase in terram imponentur, præsertim sub magnos æstus, perfracto fundo, aut in eo foramine dilatato, ut subeunte humore uaporeq; terræ, radices humectari & refrigerari queant.

Plantæ omnes quæ ab hominibus coluntur, alicubi sua sponte oriri uidentur: nã & hordeum in Scotia sponte nasci aiunt. Quæ in frigidis regionibus coluntur: ea in calidioribus ferè syluestria sunt: & contrà.

Ad plantationem uel sationem pertinentia quædam.

Ex peregrinis seminibus plurimis uariisq;, plerunq; uix perpauca nobis proueniunt; nisi & cœlum faueat, & cultoris studium singulare sit. Aestate superiori: quæ solito calidior sicciorq; fuit, amicus quidam (Francfordię ad Mœnum ciuis) è semi num generibus ducentis ac uiginti duobus, uix uiginti genera sibi prouenisse mihi conquestus est: sicut & alii aliâs, quamuis non in simili siccitate. Mihi etiam non rarò è decem generibus satis uix unum prouenit: & eorum quæ prouenerunt multa breui, uel eodem, uel anno sequente interierunt.

Semina omnia crescente Luna tepidisq; diebus sunt serenda, Cardano teste. aliqui è uulgò, Luna ascendente, ea putant serenda, quorum superficiem, (ut caulem, folia, fructus,) maiorem optauerint: contrà, descendẽte, quorum radices auctiores.

A satu quædam citius, ut intra tres aut quatuor dies, germinant: alia tardius. Batis ferè post quadragesimum diem apparet: alia fortè post menses aliquot, aut etiam annum. Ex præduris & corneis quędam nasci possunt, ut Asparagi & Xyridis semi na: quædam non possunt, ut Polygonati erecti, (& fortè alterius quoq;) & Lilii con uallium, & alia quædam fortè: quorum radices natura uiuaces sunt & sese propagant. Lithospermi utriusq;, & Lachrymæ Iobi semina, & si lapidea crusta tegantur, facilè prouenire puto.

Semina quædam, præsertim quæ pingui, calido & humido solo gaudent, ut Cucurbitarum, committenda sunt terræ, cui multum stercus bubulum substratum sit, ut uapore pingui subeunte uegetentur: idq; primo ueris initio, ut postquam parum excreuerint, in hortũ deponantur. Sed de Cucurbitarum & Batidis satione, plura & accuratius scripta leges inferius ex epistola Massarii.

Quænam radice seri & transplantari possint, quæ non, leges apud Theophrastũ De causis plantarum 1.4. Ea quidem maximè radicibus commodè seruntur, quorũ radices carnosę sunt, ut bulbacea imprimis: uel geniculatæ, uel nodosę, quæ etiam diutius durant: uel pluribus ceu ab uno principio fibris iisq; neruosis potius quam mollibus. nam quarum singulares aut simpliciores sunt radices, aut lignosæ potius quam carnosæ, non facilè apprehendunt. Mei, quod ursinam radicem uocant nostri, radicum etiam capita rescissa si plantes, facilè nascuntur: sicut & Cymæ radicum quarundam separatæ, ut Inulæ & Raphani maioris.

Quæ coliculis geniculatis repunt, ut Pulegium, Nummularia, Fragaria, Pentaphyllum, ubicunq; terram contingunt, articulis suis radicantur. Quę non facilè apprehendunt, cum cespite suo terra hærente eruenda sunt. Ficus Indica è folio radices emittit: sed folium in ea caulis quoq; ramiq; & surculi uim habet confusam.

Surculis quibusdam plantatis, ut Betonicæ altilis, aliqui grana auenæ addunt. Apiis (inquit Theophrastus de causis 5.6.) cachrylium iungunt: quia calidum densumq; est, & ad alimentum trahendum iuuat.

Cùm radix plantatur, aut surculus taleàue pangitur, terra circum quaq; ab ima radice paulatim ad summam, & demum etiam superficies terrę, diligenter condensetur, ut minimè laxa solutàue sit: lapidibus etiam eam ob causam proximè impressis. sic apprehendet citius, minus à uentis mouebitur, minus ab animalculis infesta-

bitur:et pluuia minus subibit, quam subire non prodest, donec apprehenderint: nisi aquatica aliqua planta sit: ad cuius radicem nihilominus stipanda est terra, aqua uerò per caua bacillis infixis & extractis excitata, admitti potest.

Folia omnia à terra liberentur, quasi obruas, ea putrescunt, & uitium forte ad germen serpit, & paululùm prominentes radices ab initio relinquantur: post aliquot dies terra aggeratur quantùm satis est.

Semina eligantur matura, plena, & potius è caule quàm ramis aut surculis nata. In Cucurbitarum genere, quæ de collo sumuntur, fructus longiores producere putant: quæ de uentre, maiores & crassiores.

Florum multiplicium semina non omnia (sed pleniora tantùm puto) eandem naturam retinent.

Florum multiplicium alii semina producunt: alii nõ, omni succo natali in florum folia insumpto.

Seminum quæ maiuscula sunt, & partem alteram magis mucronatam habent, ea ipsa pars in terra sursum tendat.

Semina quædam ante sationem lacte aut aqua præmaceranda sunt, ut citius in germen erumpant: quorum scilicet durior est cortex, ut Cucurbitarum, Cucumerum, & huiusmodi. Amygdalarum ossa octo diebus in aqua præmacerari iubet. Nonnulla in dulciore succo aut liquore pręmacerata, fructus dulciores producunt, ut Cucumerum genera. Quæ lignis uel ossibus duris continentur semina, integra cum illis serantur: nam ossibus suis aut crustis nudata, uix prouenient.

Argentinæ (ubi longè maxima hortulanorum tribus est) in eodẽ agro anno uno tria seminum genera serunt, quorum tertium sequente demum anno maturescit: ita ut intra bienniũ, quinq; genera deinceps sata perficiantur. primò forte ceparũ radices pangunt, **setz—zübel**, circa Cal. Februarii: deinde olera, uel Cannabim aut rapa. tertiò triticum, aut hordeum hyemale. uel primò radices ceparum aliis cepis interserunt, circa Cal. Ianuarii. & simul Anisum serunt, Brassicam capitatam, Petroselinum uulgò dictum, Spinaciam. deinde Rapa, aut Cannabim, aut Hordeũ album, deniq; triticum. Aliquando Rapa aut Raphanos primò serunt, **frü Retich vnnd frü Rüben.** habent enim Raphanos quatuor generum, breues, longos, orbiculatos, & quos præcoces appellant. item Pisorum genera quatuor, alba, ruffa, fusca: & quæ **Heiraterbs** uel **Zylerbs** uocant. Fabarum genera tria. Linum aliud ęstiuum, aliud hyemale: & Cannabim similiter. Est quando primò pangunt radicum Raphani maioris Cymas, uel Betam serunt: & Cnicum aut Papauer interserunt. Serunt & Pastinacas, tum cæteras, tum maiores: & Fœniculum, Anethum. Coriandrum, Fœnogræcum, Cicer, **Mörenkorn**, etc. quę omnia uidentur ad secundam sationem pertinere: Fœniculum fortè ad tertiam. quoniam altero demum anno commune nostrum Fœniculũ semina fert, dulce primò. Hæc etsi ad agrũ ferè magis quàm hortũ pertineant: proponere tamẽ ut olim accepi, uolui, quanuis nõ satis distinctè forsan.

Semina ad duos aut tres annos, ut plurimùm bona sunt, quarto inutilia. Rapæ ueteris in Brassicam transire, & contrà, Plinius author est.

Serentur quædam felicius quàm eruta transferantur. translata enim aliqua uix aut malignè crescunt.

Rapis infixi surculi arborum inserendi, commodè ad alienas regiones transferuntur, ut Plinius alicubi tradit, si benè memini. aliqui in argillam immittunt partem sectam: uel in arundinem magnam cum argilla, &c.

Terra pro uasis quibus semina mandentur, pinguis & pura sit à uermibus, lapidibus & omni aliena materia purgata: aliqui à talpis effossam probant. pinguis est, nec urit tamen, quæ à solo haris subiecto demitur.

Postquam prognatæ sint uel apprehenderint stirpes, earum cura & duratio.

Herbæ quidem peregrinæ complures apud nos proficiunt: frutices & arbores, quæ maiori calore ad perfectionẽ indigent, nõ item: quanquam diligenti cura adhibita in uasis educari quædã possint ad quatuor cubitos aut quinq; ad summũ, quod ego hactenus uiderim, ita ut florem proferant: sicuti genera Citri & Laurus. in qua magnitudine postea consistũt per annos aliquot, uel donec pereant. Cu-

Cucumeres & cucurbitas si quis paruos absconderit, plurimùm augentur: quòd ita nulla pars alimenti à sole detrahatur, nec flatibus resiccetur. His illi quoq; respõdent, qui in ferula uel tubo fictili (*ut racemi apud nos aliquando phialis uitreis*) includuntur. crescunt uerò in longitudinem, & quia nutrimentũ facilius recto tramite fluit, & quia nihil est quod auocet aduerseturq;. Ratio similis facit ut uirides quoq; ualeant perdurare, si quis apud puteum serat; cunq; tempestiui iam sunt, demissos in puteũ benè operiat. Quod si quis postquam fructificarunt germina decidat, & radices terra tutè operiat atq; conculcet, rursus ex eisdem radicibus cucumeres depromentur, & multò maturius quàm qui semine ueniant. Argumentum hoc quoq; euidentissimum, quòd si quis hyberno tempore semina cucumeris serat in calathis, rigetq; aqua tepida, & soli exponat, & igni admoueat: ac postea cũ tempus seminandi fuerit, totos cophinos demittat in terra, præcoques admodum faciet. Hęc Theophrastus, ex cuius libris multa alia huiusmodi harum rerum aliquis studiosus colliget.

Si quæ interiisse prima fronte uidentur, non statim eruenda uel abiicienda sunt. Reuirescunt enim quædam aliquanto post, præsertim in lignoso genere, in quibus forsan radix adhuc uegeta est, etsi superficies omnis perierit.

Quę ex areis autumno in uasa transplantantur, nõ statim sub tectũ referantur: sed transplantata maturius, aliquãdiu adhuc sub dio detineantur, donec urgeat hyems.

Hyeme cellis in quibus plantæ sunt, aër tepidior aliquando admittendus est: & aliquando niuis aliquid adponendum, qua paulatim liquescente rigentur radices. hoc enim faciunt aliquando in uasis Libanotidẽ coronariam continentibus. Citrorum arbores bis ferè per mensem hyeme rigant aqua. Ea quarũ folia succo abundant copioso, ut Sedũ maius uerum, Aloën & Ficum Indicam, rigatione per hyemẽ perire aiunt. Mihi dũ hęc scribo circa octauũ Februarii diẽ folia Indicæ ficus meæ, quęcunq; ęstate superiore prognata fuerant, deciderũt; quod & superiori anno contigit. causam esse puto siccitatẽ quę foliorũ iuncturis accidit, & magis quidem recentiorũ. Hac hyeme nunquã rigaui: superiori semel modicè. Fortè & cõcussio in causa est. uas enim locatũ est prope ianuã, quę non sine concussione aliqua claudi potest.

Principes & prædiuites quidã, arboribus aliisq; peregrinis stirpibus hyeme conseruandis zetas construunt: in ipso horto extructis aliquot pro eius magnitudine fornacibus, qualibus in diętis suis seu hypocaustis uulgò dictis Germani utuntur: & tabulatis parietibus circumiectis, &c. Talem Augustæ uidi.

Quędam si per hyemes terra obruantur, ut ficus minores adhuc, & rursus medio uere eruantur, ne frigore pereant, cauetur: idq; felicius, quàm paleis aut alia materia circum aggesta. Herbæ etiam quędam, uel totæ, uel parte circa radicem, cõmodè terra, aut uinaceis, aut coriorum ramentis proteguntur. Cinis & lixiuium quibusdam appositus prodesse uidetur, ut absinthio: & sal fortassis circumpositus nonnullis, ut audio: sed nondũ satis mihi cõstat. animalcula fortè is repulerit, aut maritimis quibusdam plantis profuerit. Ficus Indicę foliis terrę proximis, arenam ad palmi altitudinẽ aggerendam quidam putabat, quamuis in uase intra cellam tepidam. Lauri & calidioribus extra Germaniam locis etiam citri, ramis uno aut altero è funibus circulo uersus truncum adductis, hyemem superare poterunt uel dolio super eas inuerso.

Annuę herbę, alię semestres sunt quę uere serũtur aut spõte crescunt, & ante hyemẽ eiusdem anni pereũt: **Sumerkreütter.** Alię in fine ęstatis uel autumno serũtur aut spõte nascuntur: & per hyemẽ durant, ita ut anno sequente demũ floreant, idq; citius, & perficiantur, &c. **Winterkreütter.**

Herbę quędã in calidioribus regionibus nasci solitę sua sponte, eodẽ anno perficiuntur, & floribus seminibusq; editis, emoriũtur. apud nos uerò plerũq; (nisi & benè aprico loco, & maturè, & anno calidiore solito serãtur) cũ ante hyemẽ perfici nequeãt, hyberno frigore pereũt in hortis. At si in uasis serãtur, quãuis Aprili aut Maio demũ id fiat, & in fine autumni, in locũ subterraneũ, aut cellã contra frigus munitã condantur: sequentis anni (siue in areas translata, siue in uasis relicta) æstate optimè perficiẽtur, et semina mature edẽt: q; ego circa cucumerẽ syluestrem & alia quæ-

dam obseruaui. Forsan & circa Cal. Septembris quædam recte serentur, in uasis præsertim, aut etiam in areis hortorum, si terra bona & locus apricus fuerit.

Est quando eorum quæ secundo anno florere debebant, quædam præueniunt, & florent primò, semine nullo fere aut inutili.

Hyeme aliquando cum cœlo tepidiore terra regelatur, eleuatis radicibus herbæ suspenduntur: & facile pereunt. quamobrem retrusæ operiendæ sunt terra, uel alia materia.

Aloén in Cypro sub hyemem eruunt, (ut nostri Cepas, & tertio quoque anno Croci bulbos,) ac suspendunt, uere iterum plantant.

Syluestria quædam in hortos translata facillimè crescunt, & cultu gaudent, fructificant, durant. alia uerò breui intereunt. Sunt quæ cultum omnem aspernentur: ut Gentiana minima, quæ in alpium iugis crescit. Alia crescunt quidem, sed foliis tantùm, cùm neque caules, nec flores edant, ut Ben rubrum maritimum. Quędam caulescunt quidem, sed absque flore. alia florent, sed absque semine. Ruscus iam plurimis annis in hortulo meo uirens, flores aliquoties, & germina noua quotannis, semina nunquam ostendit. Sunt quæ prorsus degenerent. Rosa syluestris minor, cuius frutex totus suauissimè olet, odorem cultu amittit: sed forte tum solùm, cum humidiore umbrosioreque et parum perflato loco plantatur, ut mihi contigit.

Rigari conuenit uesperi potius quàm mane aut in Sole: & quædam guttatim, ferè rorantibus guttis. itaque fasciolum panni in uas aqua plenum imponunt, ut aqua parte panni prominente paulatim extillet. Talis rigatio Cucurbitis maxime conuenit. Vide infrà in epistola Massarii.

Rigatio sæpius fiat, sed modice, cum clepsydra aut aspergillo: non rarò & copiosius: nullo impetu è uase aut manu fundendæ aquæ, ne eius ictibus plantæ teneriores lædantur: aut terræ superficies nimis denfetur. Herbæ aut aliæ stirpes cum plantantur, scrobe excitata, primum aquam infundunt. aliqui et auenam subiiciunt: deinde plantæ immissæ terram aggerunt, & rursus aquam affundunt ut terra distribuatur & unà cum aqua ad radicum partes & fibras confluat: demum complanant & comprimunt superficiem soli.

Satis quibusdam contra iniuriam animalculorum inspergitur fuligo camini, aut potius circunquaque. nos sale circunsperso à cochleis interdum uindicauimus plantas.

Vrina arborum radicibus affusa utilis est.

Fimus bubulus urit plantas: suillus non item.

Syluestrium quæ locis aquosis proueniunt, quædam in siccis etiam hortis, mediocriter umbrosis, plurimum durant, ut Eupatorium Auicennæ dictum: & Lilium flauum: alia breui pereunt, ut Gratiola, & ipsa nimirum duratura, si loco aquoso plantaretur.

Hyeme quædam omninò intereunt, ut herbæ annuæ, ex quibus & umbelliferæ quædam sunt. Nam umbelliferæ quædam generis ferulacei sunt: quibus caules tantum hyeme pereunt, herba uerò & folia circa solum seu radicem manent, ut Fœniculo, Fabæ inuersę, & aliis quibusdam.

Sphondyli subterranei uermes, **Inger** uel **Enger** à Germanis quasi ἔγγειοι dicti, quos anno sequente semper in scarabeos Maii, ut uocãt, mutari aiunt, rhizophagi sunt, & radices quaslibet, etiam fruticum & arbuscularum arrodunt perniciosissime: ita ut subitò herbę totæ, aut folia saltem flaccescant: quod cum apparet, terra circa radices eruenda est, ut extrahantur. Aprili mense & Maio plurimum nobis nocent: sed Iulio & Augusto reperiuntur.

Florum folia arte cultuque multiplicantur, nimirum si primis annis florere prohibeas, duobus aut tribus. Dodonæus scribit Ocimoides nostrum (Lychnidem syluestrem ipse uocat) si frequenter plantetur, folia multiplicare.

De

DE BALSAMINAE, BATIDIS, ET CVCVRBITARVM *satione, ex epistola Hier. Massarij.*

SEMINA] Balsaminæ, ac Crithmi, seu Batidis, quam primum acceperis, terræ committas, non quidem in horto, sed in uase aliquo, in quo pingue sit solum: diligenterq; animaduertas ne gelu corripiantur, & uas quàm maximè poteris soli per diem exponito: nec per noctem extra tectum manere patiaris, nisi dū hyems omnino præterierit. facillimè enim à gelu corrumpuntur hæc semina. Per diem præterea poteris aliquando leuiter uas ipsum aqua perfundere, ne solum nimis arescat. de his te admonui, scio enim quanta cum difficultate, etiam Italiæ multæ partes huiusmodi plantas alant: et in Italia è terra non apparent nisi post 40 diem. Hinc cōiectari licet, huiusmodi semina tardiorem habitura ortum in frigidioribus regionibus. Cucurbitarum autem semina optimo solo ac admodum pingui committito, donec germen proferant & ex terra cum duobus foliis appareant, & dum sex uel septem dies sic steterint, robusteq; aliquantulùm factæ fuerint: singulas plantas ex loco illo unà cum terra quæ radicibus annexa est educito: & fossulas in loco aliquo spatioso conficito, quę ad unius palmi mensuram profundæ sint, & tantundem latæ: has foueas terra pingui impleto: optima illa est terra qua ouiū fimus cōmixta est, & optimè trita et cōminuta. In singulis fossulis singulas plantas collocabis. si in loco qui soli expositus mediocriter sit collocaueris, bonum erit: in harum plantarum custodia duo hæc curabis, si pulchros fructus habere optas: primùm ut plantæ in terra defigantur usq; ad folia ipsa, unaq; curabis ut semper terra folia ipsa ferè attingat: secundum ut terra ipsa perpetuò madefacta sit. Referam tibi modum quo nos in Italia utimur in huiusmodi cucurbitis irrigandis: Cùm plantas ipsas in suis fossulis collocauimus iuxta plantas ipsas uasculū aliquod ponimus, quod perpetuò aqua plenū seruamus, accipimus pręterea ligulam unā ex panno laneo quę ex ipsius panni transuerso concisa sit, hanc longā ad mensuram unius palmi cū dimidio accipimus, eiusdemq; caput unū in uase locamus, alterū uerò ipsi plantę circumuoluimus, ita ut & plantam & terram attingat; hac enim ratione fit ut semper terra madida sit. Cum uerò fructus aliquantulùm grandes erunt, tunc singulis diebus, manibus plantas optimè irrigare conuenit. quòd si tum auferatur uas illud, quod eas panni auxilio irrigabat, nihil refert. sicq; certò scias te optimas cucurbitas habiturum, (si tamen aqua optimus cibus dici potest,) ac notabilis magnitudinis, sicut & nos anno pręterito habuimus, ità ut omnes mirati sint.

FINIS.

HORTI GERMANIAE.

HOC EST STIRPIVM HORTENSIVM, QVAE IN HOR*tis quibusdam Germaniæ reperiuntur*, Enumeratio *iuxta ordinem literarum.*

NOMINA *illorum, qui in Germania Hortos Stirpibus raris excultos habent, (quorum catalogos accepimus,) literis initialibus plerunq; tantùm à nobis designantur: quod idcirco fecimus, ut & laude dignum hoc eorum studiū prædicetur: et ubi, uel apud quos Stirpes quæq; hoc tempore inueniantur, non sit obscurum. Sunt autem hæc.*

A. Benedictus Aretius Bernensis Gymnasii professor.

AE. Georgius AEmylius doctor Theologiæ, Ecclesiæ Stolbergensis pastor, & uicinarum inspector.

C. Petrus Condenbergius pharmacopœus Antuerpianus, ad insigne Campanæ ueteris. Is in Catalogo suo, ut omnia mihi clariora essent, Dodonæi nomenclaturas & sententias de plantis singulis sequi uoluit.

D. Didymus Obrecht Argentinensis medicinæ doctor.

F. Franciscus Follietus Sabaudus pharmacopola: quanquam is non in Germania, sed uicino Heluetiis Germanis Sabaudię oppido Viueaco ad lacum Lemmannum degit: nisi iam inde in patriam Clusium migrarit, ut audio.

G. Con. Gesnerus: cuius hortulus quidem perangustus est, sed uariis plantis refertus: & omnia ei cum amicis ac ciuibus suis, Petro Figulo chirurgo & lithotomo, & Io. Iacobo Clausero pharmacopola (quorum maiores sunt horti) cōmunia. Clauserus noster hæc dum conderem, uitam hanc mortalē magno pioq; animo reliquit.

K. Ioachimus Kreichius Torgensis pharmacopola.

O Ge. Ollingerus pię memoriæ, Norimbergensis Simplicium medicamentorum mercator: qui & ipse multo tempore magnoq; studio hortum coluit, & iconibus stirpium uariarum elegantissimè pictis, uolumen sibi confecit, & filios (ut audio) eruditos reliquit: qui pulcherrimum hoc optimi parentis propositum doctrina sua peregrinationibus confirmata, Deo fauente, illustrabunt.

R. Io. Ralla Lipsensis pharmacopola.

Vu. Vuoysselus Silesius ciuis Vratislauiæ: cuius filius Sigismundus, dum hæc scriberem, Bononię publico & illustri testimonio artis medicæ insignia perhonorificè accepit.

Hæc nomina quia sæpissimè repetuntur, literis notauimus: alia nonnulla quæ rarius occurrunt, integra scripsimus: ut Rurpodii nomen, qui Francfordiæ ad Mœnum nunc habitat medicus, chirurgus insignis: & cum Iacobo Oppenheimio pharmacopola præclaro hortum autē in eo stirpes aliquot rarissimas communes habet: & Christophori Piperini Sigrisuillæ in agro Bernensium Heluetiorum ecclesiastæ doctissimi: deniq; Christophori Leuschneri medici Misenæ pereruditi: & aliorum fortè paucorum.

IN Catalogis quibusdam inuenta Stirpium nomina reliquimus: etsi in aliquibus an rectè posita sint, dubitari possit. est ubi censuram nostram breuissimè addidimus. Singula quidem examinare nec ocium suppetebat, nec instituti huius erat. Plantis quibusdam minus raris non omnium qui alerent nomina addidimus: sed unum aut alterum, admonendi tantùm gratia qui hortum instructurus esset.

A.

ABIES, G. Hac arbore passim pleriq; omnes Heluetiorum montes syluęq; scatent. Facilè autem nouellæ Abietes plantatę crescunt: quamuis Theophrastus Histor. 1.5. cultu deteriorem reddi scribit, sicut & Pinastrum.

Abrotonum (uel ut Grammatici subtiliores scribunt, Habrotonum) mas, G. R. Fœmina, R. G. Vtrumq; auulsis aut fractis ramulis pangitur, & facillimè comprehendit. Neutrum hactenus suę spōtis inueni. Mas plerisq; hortis communior est. Nuper in Sueuiæ parte ad Hercyniam syluam non procul Roteuilla, maris speciem alteram inueni, per omnia similem uulgari nostro, sed candidiorem, foliis latiusculis, minus efficacem: unde ueram fœminam esse existimo. eam in hortulo nostro plantaui. Fœmina à Cordo existimata (Absinthii genus potius, odore Chamæcyparissi) in nostris regionibus hactenus ferè ignota fuit: quam tamen in aliis Germaniæ regionibus syluestrem inueniri audio. Radiculis serpit & se propagat. Abrotonum radice aut auulsione potius quàm semine germinat. semine enim difficulter exit: & hoc testis primùm commisso, Theophrastus.

Absinthium commune. Hoc etiam sponte nascitur (quod ad remedia utilius est) locis aliquot Heluetiæ arenosis, ut circa Rhenum superiorem: & saxosis montium, ut supra Riuarium lacum Vuallestadii alibiq;. item in altis quibusdam montibus Bernensium, sed multò minus, frigore aut alimenti inopia, ita ut species diuersa uideri possit: sicuti & aliæ multæ herbæ in montibus altis natæ, iis quæ humilius nascuntur, minores solidioresq;, & crassiusculis foliis sunt, ut Violę nigrę, Bechium, &c.

Absin-

Absinthium alpinum, de quo iam dixi, non ultra palmi altitudinem, in hortulo meo iam per aliquot menses, non satis bene, uiret potius quàm crescit.

Absinthium Mesuæ, R.

Absinthium Romanum, & alia Absinthii genera, Patauii in horto medicorum semina producere negant, siue quòd à tyronibus rei medicæ subinde carpantur, siue aliam ob causam.

Absinthium Seriphium, R. K.

Absinthii genus quod in Vallesia (Heluetiorum regione, inter Rhodani ortum & Lemannum lacum) in collibus apricis circa Sedunum (herbæ albæ nomine uulgari notum) nascitur, caphuræ quodam odore. Id ex semine hoc anno facilè & pulchrè mihi peruenit. Floret eodem anno, sed seró: nempe autumno, si uere seratur. unde herbam annuam esse suspicatus sum: sed hęc dùm scriberem in Iunii mensis fine anno superioris uere satæ plantæ nondum florebant: ut illas quæ primo autumno floruerunt, præcoces & præproperos flores edidisse existimem. Sata in fine ueris, ad florem non peruenit. Absinthium seriphium fœminam hoc appellârim, uel mediterraneum: nam color albus, & uis aliquantò minor quàm maritimi, alioqui similis odore saporéque, fœminam mihi designare uidentur. Huius quod sciam hactenus mentionem nemo fecit. multis quidem modis in re medica felicem eius usum esse posse experiundo didici. Hyemes nostras quamuis asperas benè fert in hortis.

Absinthium Romanum, & genus aliud supinum, C. Is in epistola ad me. Absinthii Romani (inquit) ramulum, dedi olim Guil. Turnero: qui Anglico suo herbario eius imaginem inseruit: sed periit mihi tum planta absque semine, Hyemis iniuria, nec id deinceps quauis diligentia licuit recuperare. Forma tota cum uulgato Absinthio conueniebat, foliis tantum paulò minoribus. Roma semen acceperam. Verùm aliud genus in horto meo uiret hodie, hyemis quoque impatiens, nec in rectum assurgens, sed in obliquum super terram sese extendens: ab eo quòd Romanum officinis dicitur, diuersum. Hoc enim supinum summo cespite radices spargit: illud Romanum minimè. estque aromaticum admodum, amaritudinis moderatæ: cuius ramulum mitto. Vidi præterea (inquit idem Coudenbergius) aliquando in alieno horto Absinthium, uulgato tota facie ac colore adeò simile undiquaque ut ouum ouo, planè tamen insipidum. At uerum illud Absinthium Ponticum ueterum, ægrotis tam salutarem herbam, hactenus desidero. Sunt qui pro eo uulgare nostrum horridæ amaritudinis, & astrictionis manifestæ nullius, accipiunt: alii uerò Romanum. Hæc C. Ego diligentiorem Absinthii generum considerationem in aliud tempus differo. Supinum quidem illud minutis foliis, & flore Chamæmali ferè, si benè memini, Basileæ etiam in horto Ioan. Bauhini medici & chirurgi pręstantissimi uidi.

Abs. supinum.

Abs. insipidum.

Ac

Acanthus satiuus, id est, Brancha ursina uulgò dicta O. C. Idem in nostro hortulo aliquoties satus prouenit, in caulem tamen nunquam excreuit: & quamuis duos aut tres annos duraret, æstatis tamen bona parte occultatus sub terra, autumno fere redibat. Sic & Cyclaminus, Mandragoras, Centaurium maius, & Asphodelus, postquam aliquandiu foliis & superficie tota amissis, (ut periisse uideantur) latuère, rursus exilire in hortulo nostro obseruauimus: quod an omnibus istis secundum naturam ita accidat, quærendum est. Cyclamino quidem naturale id esse constat. Norimbergæ in hortis Acanthum & Asphodelum bene prouenire, & flores fructusq; maturare accepi. Leuschnerus medicus superiore anno fœcundissimum habuit Misenæ. hoc etiam anno Bernæ Aretio floruit.

Aceris species tres apud nos inueniuntur in syluis ac montibus. inter eas etiam Zygia à Theophrasto nominatur: Carpinum Gaza uertit nescio quàm re-

cte. Bellonius Luteciæ inter alias arbores Zygiam montanam sibi prouenisse ait.

Aceris species duæ, maior & minor, quam Opulum & Rumpotinũ appello, G. Expecto & tertiam speciem acutioribus foliis è Clarona mittendam. Ruellius Acer montanum quoddam pro Sychomoro descripsit.

Achillea alba, R.

Aconitum primum siue Pardalianches, G. sic autem uoco non illud quod Leonardus Fuchsius pinxit, neque Doronicum, ut quidam, neque depictam à Matthiolo herbam: de qua dubitamus, etiamnum an in rerum natura extet; & si extat, an rectè ab eo pingatur, nullis penitus in radice fibris: quod ego in nullam plantam cadere dico. ipse uerò & qui eius sententiam tuentur, in suis ad me epistolis radices eiusmodi aliquas inueniri aiunt, sed non ostendunt, ut nec Aconitum suum. Quòd si & extare, & quale pingitur conuicerit (hoc est, ostenderit) Matthiolus, restabit ei adhuc probandum ueneni uim eandem ei esse quam ueteres Aconito primo tribuerunt. Ego Aconitum primum Toram uulgò dictam á Valdensibus, ut semper & quidem primus existimaui: ita magis ac magis in ea sententia confirmor: idque primo quoque ocio multis ac ualidis argumentis astruam. Scio & alias quasdam herbas diuersis in locis Toræ nomine uocari, ut in Italia alicubi Napellum. Ego de Tora siue Toxico Valdensium loquor, quo circa Taurinum & alibi utuntur: quam in nostro De Lunariis libello depinximus, folio circinato ferè, & aspero, non hirsuto, ut Plinius malè transtulit, &c. Nascitur sponte in montibus quibusdam Sabaudiæ, & Vallesiæ nostræ. unde nuper Caspar Collinus eruditus & diligens pharmacopœus Seduni plantas eius aliquot recentes (unà cum aliis quibusdam) ad me misit: quæ per hyemem benè durarunt, amissis tamen foliis: & nuper principio æstatis flores Ranunculo similes: deinde etiam semina protulerunt: radiculis cùm recentes sunt, omnium candidissimis, Scorpionum specie, præsertim caudæ, in quibusdam manifesta. Folium aliis plantis singulare est, aliis bina, terna, quaterna, aut etiam quina ab una radice, ut nunc quotidie in hortulo meo uidere est. Non enim uerum est quod scribit Matthiolus folium ei semper singulare esse, &c. Habeo & folium è Generoso monte Insubriæ, magnitudine & figura ferè Cucumeris folii. Genera duo sunt maius & minus.

Aconiti secundi uel Lycoctoni duæ species, utráque cubitos quatuor alta, G. tres, O C. Nostri Lupi radicem uocant speciem illam cui flores lutei sunt, ceu efficaciorem. Alteram cui cœruleus flos est, **Kappenblümen**/ quidam **Eysenhütle**: Itali quidam Toram, alii Napellum. hæc etiam purpureo flore inuenitur. Sueui aliiq; Germani speciem utramq; **Wolffwurtz**/ id est, Lupi radicem nominant. Matthiolus Aconitis adnumerat eam quoque herbam, quæ propter elegantes florum luteorum globos à nostris colitur in hortis, **Trollblümen** nomine: nam **Trollen** nobis est in orbem uoluere. Ea sponte nascitur abundè in montibus nostris, cùm alibi tum circa Eremum Diuæ uirginis. à pecore non attingitur: uenenatam tamen esse non puto. Viuacissima est, flore in altis montibus suaue olenti. Vide inter Anemonas.

Aconitum cœruleum aliud, luteo illi quod nostri priuatim Lupariam uocant, cognatum, in montibus quibusdam Bernensium ditionis **Grosse bergritterspoten**. A. In nostro etiam hortulo nunc floret circa medium Iunii. Radix ei amara est sicut Antitoræ, & uiribus, uti conicio, eiusdem, non ita uenenosa ut cætera Aconita.

Aconitum salutiferum, quod Antoram uel Antitoram uocant, radice semper gemina, amara, &c. in montibus non procul Geneua nascitur: unde ab amicis recens mittendum expecto. Vide infra in Antora.

Aconitum secundum, flore albo. Napellus albus in horto ciuis cuiusdam nostri.

Aconito cognata uidetur etiã herba, quã in montibus Heluetii alicubi Schneeblůmen appellant, flore albo Ranunculi, radice ut in Lycoctono dissecta: cuius hoc anno à me plantata radix interiit.

Acorus falsa, G. id est Lilium aquaticum, flore luteo. Diutissimè in hortis durat, quamuis non humido loco, quòd radix ei solida & geniculata sit.

Ad

Adiantum nigrum, ut aliqui putant: G. Ruta parietum uulgò dicta: quòd in muris, parietibus & saxis ubiq; apud nos proueniat.

Ae

Aegilops O. intelligit autem, ni fallor, graminis genus, quod floribus & fructu suo subinde tremulum mouetur: unde & Zydern à Germanis quibusdam uocatur. Hanc enim Aegylopem Plinii & Diosc. Tragus appellauit. Nos Matthiolo assentimur Aegylopem ueram esse, quã ipse depingit ac describit, Italis alicubi Squalam uulgò dictam, frequentẽ inter Hordeum et Zeam. Fit enim Hordei uitio, sicut Lolium Tritici, nimia uligine, aristis longis & capillaceis: Dodonæus Aegilopem aliam facit, similem tamen, ut ex pictura uidetur herbam, aristis breuissimis, & ferè nullis: Dort Germanicè dictam: quam libro 2. imaginum pro Lolio pingit: circa finem uerò eius libri, emendans, Aegilopem nuncupat, & pestẽ secalis esse dicit hanc herbam, sicut Lolium Tritici pestis est. Eandem herbam Tragus tertio inter Lolia (sic enim appellat omnia frugum uitia, & Germanice Dort) loco describit, & Germanice Quecken nominat, spica multiplici multifariámque diuisa, & ueram Galeni Aegilopem esse putat, ac simul etiam Lolium uerum uel priuatim dictum: eiusq; picturam primo inter alia quę Lolia uocat loco, exhibet. Ad remedia forte, præsertim extra corpus, Aegilopẽ pro Lolio ponas, an contra, parum interest. Videtur enim ex æquo fere calefacere utrunq;. Lolium uerum Matthiolus pingit, &c.

Aethiopis O. R. Ae. C. G. Rurpodius. Dodonæus eandem depingit quam & Matthiolus, nec alibi quàm in hortis apud inferiores Germanos reperiri tradit. Semen è Creta in Italiam allatum audio.

Ag

Ageratum, (uulgò Italis herba Iulia, à mense quo florere incipit,) K. C. Ae. G. Hanc aliqui Eupatorium Mesuæ faciunt: alii aliud. Facile crescit, & bene fert hyemem. Anno secundo (ni fallor) caulem & flores fundit, in Germania nusquam sua sponte nata, quod sciam, inuenitur. Omnino cognata est Costo hortensi siue Mentæ Græcæ uulgò dictæ, odore, sapore, tota specie, sed minor.

Agnum castum, ut uulgò uocant: id est, Viticem, peregrinam Germaniæ arborem, ex semine natum iam biennio fere in horto habet: longitudine supra cubitum, caule quadrangulo, recto, rubente: foliis est quinis, tanquam in digitos digestis ab uno pediculo: qualia fere sunt in Trifolio ceruino aquatico, quod Fuchsius Eupatorium adulterinum uocat. Hyeme in locum hypogęon cum uase deponit. Hoc anno 1559 flores in ea se uisurum sperabat. Idem prouenit Ae. C.

Al

Albutilon Auicennæ O. G. K. C. Theophrasti Althæa uidetur, flore melino: facillime nascitur & mature eadem æstate fructum perficit. Peregrina Germanis, nec nisi in hortis quorundam quærenda.

Alcæa G. prouenit ea quidem passim ruri, locis siccis & apricis.

Alcæa peregrina uocari potest, quam pro Hypecoo Matthiolus non recte pinxit. herba æstiua est. Aliqui Alcæam seu Maluam Venetam nominãt: G. placet florum suorum specie & colore, quodque eos in meridie tantùm aperit. Semen tempestiue maturat.

Alcali maritima planta, pinguissima, foliis oblongis, carnosis, teretibus, Hieronymus Massarius medicus Argentinæ in horto alit, aliud quàm Matthiolus

pinxit ac descripsit in Atriplice. Est autem Kali Arabicę linguę uocabulum, et cum articulo Alcali. Aliqui Anthyllidem secundam Dioscoridis esse putant: quibus contradicit Matthiolus. Nascitur Kali etiam in horto K. & sponte è semine quotannis ei propagatur. Vide Anthyllis. Mihi etiam hac æstate prodiit, seminibus à Massario communicatis, foliis tres digitos aut quatuor longis, teretibus, nisi obstaret canaliculus, qui medium folium carinat, albidus & translucidus, sapore Betę ferè, &c.

Alcali minus, AE.

Alisma (seu Damasonium) bifolium, Ophrys Fuchsii. uno alteróue anno in hortis durat: sicut & Testiculorum genera quibus cognatum uidetur. Sponte crescit in syluosis, pinguibus & opacis locis. G.

Alismatis species, ut quidam putant, Calceolus diuæ uirginis uulgò dictus, à floris forma, quæ oui testam aliqua ex parte apertam refert, ut de arbuti flore Theophrastus scribit. G. AE. diu durat. nititur enim radix multis fibris. Aliqui hanc Lōchitin primā putant. Nascitur locis montanis apud nos, solo opaco & pingui, ut in Albio monte nostro.

Alismatis pulchra species, flore ferrugineo, (fortè luteo,) uulgò **Frawēschůh**/K.

Alisma C. uidetur autem de Alismate Dodonæi sentire: qui Saponariam uulgò dictam, sic nominat. Vide in Saponaria.

Alisma alpinum fortè nominari meretur, herba à prædictis omnibus diuersa, foliis plantaginis, flore Doronici, sternutamenta mouēte, &c. G. **Mûterwurtz**.

Alliastrum uel Alliaris recentiorum O. G. Exilit sponte locis umbrosis & circa sæpes, foliis uiolæ nigræ ferè, &c.

Allium satiuum in hortis olitoriis nullis non halat.

Allium syluestre foliis angustis, floribus puniceis, G.

Allium montanum, Petroscorodon dixeris, G. radice oblonga, &c. in saxis collium circa Badam nostram nascitur. in hortum translatum prouenit mihi quidem, sed non durauit, nec floruit.

Allium syluestre bifolium, quod locis umbrosis & circa sæpes, apud nos copiosum reperitur, G. **Ramseren** uulgò uocant. Viuax in hortis, ut & alia pleraq; syluestria quæ bulbos propriè dictos habent. De Scorodopraso leges infrà.

Allium alpinum uoco, foliis ferè Ellebori albi, radice lōga, pulcherrimè reticulata, &c. Christoph. Piperinus & G. Vulgò **Sigwurtz**/id est, Victoriæ radicem superstitione quadam nominant. Hoc quanquam non nisi in altissimis alpium iugis inueniatur, facillimè tamen in hortis crescit, & plurimis annis durat: sed rarò floret. Mihi quidem toto septennio bis floruit, & semen maturauit. Vide in Gladiolo.

Allium Hispanicum R.

Allium porcinum R.

Allium Vlpicum Lausannæ in horto habui.

Allium ursinum hodie nonnullis dictum (hoc est, Arctoscorodon,) K. **Ramseren**/quod locis umbrosis circa syluas & sæpes nascitur.

Aloë (Indica herba) C. & O. stirpes tres. Facilè crescere audio: (neq; mirum, cùm extra terram etiam nuda plurimis annis duret uiridis & succulenta:) caulem emittere tanquam Asphodeli, flores luteos: pangendam esse radicē, uel potius herbam cum radice. Franciscus Follietus etiam Viueaci, ad lacum Lemannum, in horto alit aut aluit Aloën. Hyeme rigari non debet. In Cypro sub hyemem eruunt eam, & suspendunt: uere iterum plantant. Eadem Venetiis in horto Maphæi floruit.

Alsine, morsus gallinæ uulgò, in omnibus ferè hortis: & passim locis cultis nascitur. Differentiæ eius plures sunt: læuem & candidiorem dixerim fœminam: hirsutam & nigriorem, marem, &c.

Althæa, ibiscus, in plerisq; hortis uiuacissima est: magnæ enim eius & glutinoso humore plenæ sunt radices.

Althæa Theoprasti. Vide Albutilon.

Althæa

Althæa crispa & maior O. uidetur autẽ Maluam crispam hortensem intelligere.

Alyssos C. intelligit autem puto eam herbam, quæ à Dodonæo Alysson Dioscoridis uocatur: quã aliqui Lunariæ maioris speciem faciunt, propter siliquas fere similes, minores, asperas, &c. quæ in meo etiam hortulo nascitur (uide inter Lunarias) sicut & alia quædam herbula, Alyssos à quibusdam putata. & Rubia syluatica illa, quam Dodonæus Alysson Plinii uocat: & aliis nominibus Asperulam cordialem, Spergulam odoratam, Hepaticam: nostri **Waldmeister.**

Am

Amara dulcis. Quære inter genera Solani.

Amaracus, ueteribus Græcis tum Sampsuchum, id est, Maioranam: tum Parthenium significat: utrunque in omnibus ferè hortis frequens. Tonderi gaudet Sampsuchum, & facilè regerminat, etiam ter æstate una. Seritur surculo & semine, præsertim è Gallia Italiáue misso.

Amaracus syluestris, Sampsuchum syluestre, G. Ae. etsi apud nos syluestris non est hæc herba, sed hortensis tantùm, maior & ignauior Amaraco simpliciter dicto, cuius ceu nobilioris comparatione syluestris cognominatur à nostris mulierculis. Videtur autem Origano cognata herba. **Wilder Maieron.**

Amarantus Plinii maior & minor, G. O. R. **Kölble/Samat blůmen.** Gelosiam Galli uocant, Cardanus Italus Galesam.

Amaranti species alia, maxima, oblongis florum paniculis, semine albo. Hæc forte est Pennachia Italis dicta, G. K. Ae. arborescentem aliqui cognominant. Huic simile est Blitum maculosum, foliis, eorumq; colore: flore dissimile.

Ambrosia Dioscoridis uera, A. Alia, à quibusdam Ambrosia dicta, Artemisiæ forsan species, aliquibus Conyza Hippocratis, K. G. Recentiores aliqui Ambrosiam uocant eam herbam, quam nos Scordium maius Plinii: quæ & ipsa in hortulo nostro uiret.

Ammi maioribus & serratis foliis, semine Apii, G. perfacile nascitur, & restibili fœcunditate in hortis seipsum propagat.

Ammi uerum, cuius semen aromaticum est, & acre, K.

Ammi Fuchsii, Vu. Ammi Venetiis habent ex Alexandria, nomine Amomi, Aniso simile, Amatus Lusitanus. Prouenit & Patauii, ut audio, Ammi uerum ex Aegpyto allatum.

Ammeos genera tria, O.

Ammi paruum. Vide Sison.

Amomum, Vu. suspicor autem pro Amomo eum habere genus quoddam Solani, cubitale (aut maius:) quod in Italia quidam Amomum Plinii nominant, mihi quoq; hoc anno è semine natum, acinis (ut audio: meum enim nondum adoleuit) rubentibus, Cerasorum instar, flosculis albis, paruis: foliis oblongis: odore & sapore fere & acinis, quos siccos uidi, ac semine Solanorum. Vide inter Solana.

Amomum falsum, Pseudamomum, G. aliqui Piper nominant, (Ruellius etiam pro Pipere describit: folio Ribes fruticis.) Nascitur apud nos circa margines fossarum quarundam aquas continentium.

Ampeloprasum, G. non diu durat. Nascitur in uniuersa Hetruria (inquit Matthiolus) non solum in uinetis, sed etiam frequens admodum in agrorum marginibus, & in amœnis collium locis. Rura nostra ipsum uulgò appellant Porrandello, estur à rusticis in acetariis crudum, recentis Allii uice: quanquam mansu durius, & gustu acrius.

Amygdalus ciuibus quibusdam nostris fructum maturat. Eadem in hortis K. & Lindauiæ Matthiæ Curtii egregii mercatoris uiuit, & Vratislauiæ Vu. Circa Argentinam complures sunt.

Amygdalus nuces rotundas ferens: & alia Persico insita, Lindauiæ in horto Matthiæ Curtii.

Anacampseros, uulgò Faba inuersa, Telephiũ quibusdam, G. Bellonio species umbilici Veneris. Sponte etiam locis quibusdam saxosis, circa uites & lacum, non deest nobis.

Anagallis utraq;, G.

Anagyris, quæ & Anagyrus & Onogyrus, G. C. AE. Mea hoc anno primùm è semine prognata pedem æquat. amico cuidam meo per annos duos durauit: hyeme periit superficies, quæ uere repullulauit. Basileæ cuidam ciui ad mediocrem proceritatem peruenit, & siliquas maturauit. Eadẽ uiget in hortis, Rurpodii, A.K. Anno 1552. (inquit Aretius in epistola ad me) cum Valesiam peragrarem, redibam inde domum per montem Sanetsch/is Sanenses separat à Valesiis, in eo primùm reperi plures eius arbores, partim scapo adhuc dependulo, partim siliquis, nec non (opinor prioris anni) maturo semine. Inde in horto meo alo, sed admodũ tardè semen enatum est. nam ante triennium primùm apparuit: & iam duos ferè cubitos æquat. Primùm iudicabam Laburnum esse: sed rustici uim illi esse purgatoriam aiebant, uomitum mirificè concitare, & per aluum purgare certo experimento. Ligno materies est æterna: nam inde palos, & quicquid diuturnum cupiunt, conficiunt. Cætera etiam quæ de Anagyri à Dioscoride & Plinio traduntur, cõueniunt: Sic ille. Sed Laburnum etiam Anagyris species uidetur esse minor, & eadem ferè omnia præstare. Natales certè in alpibus, materia durissima & palis conueniens, natura apibus inimica, quæ tria nemo Anagyro, quod sciam, Laburno autẽ attribuit Plinius, hodieq; de hac arbore à rusticis & montium incolis prædicantur, Laburnũ hãc arborem esse testantur: quàm & Anagyrin alpinam rectè uocari posse, crediderim. Laburnum igitur hanc esse ut primus olim scripsi, ita in sententia persto, & facilè suo loco cuiusdam contra me partim argumenta, partim calumnias dissoluam. Trifolia arbor (inquit Val. Cordus) sentit autem de Laburno nostro, transfertur à quibusdam, propter florum decoram speciem in hortos, præsertim Oenipon ti, & Francoforti ad Mœnum fluuium siti.

Laburnũ.

Anagyris prope Arelaten locis paludosis gignitur, Matthiolo ignota, ut qui pro ea Laburnum duplex ostenderit, ubiuis in montibus nostris frequens. Iac. Dalechampius in epistola ad me. Ego Anagyrin in hortulo alo, folio fœtido & mãdenti uiscoso: & aliam eius speciem, quam Laburnum existimo, folio non fœtente, nec ingrato sapore, sed trifolii pratensis ferè.

Anchusa K. in Gallia Narbonensi & circa Monspelium sponte exeunt Anchusæ quædam, in Germania uix puto.

Androsæmon, ut quidam putant, & Matthiolus pingit, herba Hyperico similis & cognata, passim crescit, at Bellonius Sicilianã uel Cecilianam, Italis uulgò dictã, Androsæmum interpretatur: sponte natum in Ponto sibi uisam scribens. In Italia memini in hortis uidere.

Anemone R. Anemones apud Italos multæ sunt differentiæ: omnes à florum figura & colore laudantur, non ab odore: medicis nullo in usu. Commune autem aliquid uidentur habere pleræq; cum batrachiis hortensibus, florum scilicet speciem. Cum stamina in medio lutea, aut apices saltem, folia latiuscula ambiant: & seminum congeries aspera relinquatur. folia etiam herbæ ferè similia uidentur, in plerisq; speciebus. Flores colore differũt, & quòd alii simplices, alii multiplices sint: aliqui benè magni. radix in plerisq; crassa, & tuberosa. Hæc ad picturas quas Kentmannus misit in Italia depictas notaui: nam ipsas uiuas nondum uidi. Putârim autem facilè in nostro etiam cœlo prouenire ac durare posse. Audio & saporem plerisq; acrem esse ut Ranunculis.

Anemones genera semina non proferre (fortè in horto Patauino) amicus quidam Patauio ad me scripsit.

Anemonis adnumerãdus uidetur Ranunculus ille phragmites, hoc est, qui passim inter sæpes crescit, radice transuersa, paruus, flore albo, uel roseo: audio & luteo inueniri. Dodonæus quartum hoc Ranunculi generis facit. G. Kentmannus inter

Ane-

Anemonas genus unum flore rubro phragmitis istis simillimum, depictum nobis communicauit.

Anemone quædam uideri potest etiam illa herba, quam Itali uulgò Pulsatillum nominant: Germani Kuchenschell. Matthiolus diuersi omnino generis facit. Dodonæus Ranunculum secundum, uel herbam Sardoam. C. Christoph. Piperinus. G. Nascitur sponte in collibus siccis & apricis: ut ultra Schaphusiam in Rando monte. Heluetii quidam Bizwurtz/ id est radicem contra morsus uenenatos utilẽ appellant: & similes ei plantas, quæ in montibus altioribus Valesiæ albiq; nascuntur, propter globos cana lanugine insignes, quibus semen subest, Grawe Bergmännle: Græce ὀρειγέροντας dixeris: horum alii albo, alii luteo colore inueniuntur.

Anemone montana quædam forsan & illa fuerit, luteo & in globum collecto flore, quam Aconitis à quibusdam annumerari (immeritò nimirum) suprà diximus, &c. Caret huius flos calyce, ut in plerisq; aliis Anemonis, ni fallor.

Anemone quædam, aut uerius Chamæmalum rubrum. Vide Chamæmalum Eranthemum.

Anemone limonia Theophrasti, Narcissis uulgò dictis cognata uidetur: ea nimirum aut similis, quam nostri Lilia diuæ Viginis uocant: Vnser Frawen Gilgen. G. Sponte natam inueniri puto in pratis quibusdam montanis. Olim etiã Leontopetalum, aliqui Anemonem uocabant: uide infrà.

Anethum G.

Angelica uulgò apud Germanos dicta: Laser Gallicum quibusdam, Silphio ueterum cognata planta. R. G. In hortis diuersis Germaniæ colitur: sed nusquam copiosius & felicius quàm in hortis monachorum quorundam Friburgi. Sponte nascitur in Pomerania, ut audio, & aliis quibusdam oris, Germaniæ aut Scandiæ, non procul Oceano. Seritur hoc modo: Semen per noctem in aqua pura præmaceratum, bono & nigro solo cõmittatur, ita ut digiti crassamento terra occulatur, idq; circa sancti Martini diem. sic satum uerno tempore emicabit apii satiui similitudine. has plantas in nouilunio Maii mensis euulsas ordine panges, ita ut distent undiquaq; pedẽ aut sesquipedem. sub annum quartum, id est exacto triennio (nã quarti anni æstate caulem, flores & semina producit, & postea lignescit) radicem exemptam lauato aqua pura, & in hypocausto diligenter sicca: secus enim facilè situm trahit, utpote crassa: & loco sicco repone: sic diu seruatur.

Angelica aquatica, ferulacea herba, hortensi similis, G. circa riuos sponte crescit, & restibili fœcunditate durat.

Anguria uera, O. Cardanus Melopeponem interpretatur. Vide in M.

Anisum G. R.

Anthyllis pulchra & rara, lanuginoso folio, K. Vide Alcali.

Anthirrini species quædam, G. floribus aliæ luteis, aliæ albis, rubris, roseis, O. K. AE. Maius & minus, utrumq; flore purpureo. Vu. Quædam istarum apud nos sponte proueniunt.

Anthirrinum minus, Germanis Orant/O. sed aliud est Orant Hieronymi Tragi.

Antonianæ, uel S. Antonii herbæ: aliqui filios ante patrem uocant, alii Lychnides. G. Species sunt tres aut quatuor, quarum minorà nostris Schoßkraut uocatur: quoniam impetus dolorũ, præsertim dentium, sedare creditur. alia maior est, hirsuta herba, alba, & inuentu rarior & rursus alia maior, læuis ut etiam reliquæ, leuiter odorata. His similis est maxima, non omnino tamen eiusdem generis, foliis Rododaphnen referens, &c. Omnes apud nos ad riuorum aut fossarum aquas continentium, margines crescunt. omnes etiam in hortis facilè: sed cæteræ breuius, maxima diutissimè durat, & longo quotannis tempore perpulchrè floret. G.

Antora, uel herba trinitatis, AE. Lege inter Violas. Itali aliam trinitatis herbam uocant, quam alii Hepaticam nobilem, à folio trifido. Antora etiam,

uel potius Antitora, uera, diuersa est herba, quæ in alpibus Sabaudiæ Italiæq; fodi tur: Aconitis cognata, radicibus bulbosis, aut exiguorum Naporum specie, amaris: flore Aconiti Lycoctoni specie & figura, colore etiam luteo, foliis minoribus & mi nutius sectis. pingit eam Matthiolus Antoræ & Napelli Moysi nomine. Vide superius inter Aconita.

Ap.

Aphaca, quære in Vicia.

Apios uera, folio rutæ, AE.

Apium commune, uel mas Plinii, ut quidam coniiciunt, quod uulgò non rectè Petroselinum uocant, uix ulli usquam horto deest.

Apii etiam communis uitium, quod à nitore Glyssen appellāt nostri, uulgarius est areis hortorum, quàm olitores uellent: cùm & inutilis herba, & fœtida sit, & fortè non sine ueneno, quo ad Cicutam, accedere uidetur.

Apium palustre, circa paludes maritimas Monspelii alibiq; frequens: pharmacopœis hactenus simpliciter pro Apio in usu fuit: eoq; in hortos translatum nusquam deest, & restibili fœcunditate seipsum multiplicat. Hoc aliqui apium fœminam Plinii esse putant.

Apium montanum, id est, Oreoselinum, petroselino uulgari persimile specie sa poreq;, nascitur in colle primo iuxta Rhenum, horæ ferè supra Basileam itinere ad sinistram, superficie simillimum illi quam uocant Ceruariam radicem nigram Germani: (quam, si libet, Oreoselinum nigrum uocemus, donec antiquum eius nomen reuocetur) sed hæc lacte caret, Oreoselinum lacteo liquore manat. Nascitur inter collem quem dixi, & Rhenum, in radice collis ad uiam. Reperi & alibi locis asperis, lapidosis, montanis, apricis: non multis tamen. Hoc nondum in hortum transtuli.

Apii montani genus aliud amarum, ex Legerio monte ad Badam nostrā, G. A. Radix una multis annis durat. Ad remedia quidem, & pro Oreoselino ueterum, prædicto uti malim.

Oreoselina duo priora, enopa, quòd liquore resinoso imbuta sint: hoc anopum, quòd eodem careat, si libet, nuncupemus: sicut ἔγχυλου & ἄχυλου Græci dicunt: etsi ἔνοπου & ἄνοπου in usu non sunt.

Apocynum, K. Vide in Asclepiade.

Apocynum Itali Lupinum caninum uocant, & Hispani similiter sua lingua, ut scribit Amatus Lusitanus: sed uir quidam eruditus Apocyni semina in Italia non reperiri ad me scripsit.

Aq.

Aquifolium R. Ilicis aquifoliæ genus intelligo, quod nostri Palmam aculeatam uocant, Stechender palmen. Ea passim nobis in syluis nascitur, fruticosa plerunq;, aliquando arborescens, margine folii spinoso. Est & alia species læui folio, extremitate solùm acuminata: procerior, siue natura, siue cultu, aut temporis diuturnitate. Hanc in cœnobiis aliquot uidi: Luteciæ ad D. Genouefam: & Basileę in suburbio D. Ioannis, &c. iusta arboris magnitudine. Extat etiam Curiæ in cœnobio quod fuit Dominicanorum, pedes alta circiter triginta: trunco ad medium arboris uel ultrà, tereti, enodi, planeq; læui: crassamento trium dodrantum. Hoc etiam genus syluestre non procul Lucerna apud nos reperiri audio.

Aquileia uulgò dicta, fortè quasi Aquilina, à floribus in mucrones aduncos, quales aquilini ungues sunt exeuntibus. sponte hæc nascitur in collibus apricis, flore cœruleo, & species alia spadicis colore. Inde in hortos translatæ, multiplici flore passim à mulierculis aluntur: & insuper tertia flore albo, quam syluestrem nondum uidimus. In montibus altis memini speciem unam flore duplo maiore reperisse. G. Vu. De hac sensisse Columellā suspicor in Horto, — & hiantes sęua leonis Ora feri. Græcè Leontostomium dixeris. In Italia, ni fallor, alicubi hodieq; à quadam cū hiante Leonis rictu similitudine denominant.

Arachus,

Ar.

Arachus. Vide in Vicia.

Aralda. Quære Digitalis.

Arbor Iudæ, C.K. Galli Gueynier appellant, uel Geinier. Pingitur hæc à Dodonæo. Videtur autem (inquit is) uel Laburnum, uel eius species. Sunt qui sentiant Theophrasti Colyteam esse. sic ille. Ego quanquam siliquata hæc arbor est, Laburno tamen Colyteaq; plurimùm differre censeo, an uerò sit Cercis Theophrasti, considerandũ. Sponte prouenit, ut audio, in Gallia Narbonensi, & circa Monspeliũ, siliqua punicea, folio ferè Populi. Mihi etiã hoc anno è semine prognata est. Eadem est fortè de qua Ruellius scribit his uerbis: Ostenditur apud nos in corticibus arbor Sycomori (ut aiunt) nomine, frondosa, Moro nõ dissimilis, conspectu, folio, magnitudine, sed neq; germinibus, neq; ramis quicquã prouenire deprehendimus: nisi quippiam ineunte uere cum parturit, ueluti nucamentum prælongum. Fructum foliacea siliqua, inflexu ferè falcato, gerit. Sed scalptu uulnerata nihil remittit lactis, cùm uera Sycomorus ęstate multa lactea scateat saliua. Sic ille. Sed hęc fortè, ut quidam putant, Aceris species est. Arbor Iudæ, ni fallor, plerumq; siliquas rectas fert, non falcatas: nec nucamentum, sed, ut Dodonæus pingit, florem quasi leguminis, uel ut Anagyris. quamobrem accuratius hæc perpendent, qui arbores istas Luteciæ uiderint. Carolus Stephanus in Seminario suo: Visa est (inquit) nobis Sycomorus Parisiis in horto Gotofredi cuiusdam pharmacopolæ, diligentissimi herbarum & arborum, quæ apud nos rariores sunt, indagatoris & cultoris. Sed forsan hic etiam non de uera (quę Hierosolymis, uulgò ficus Pharaonis appellatur) sed uulgò illic dicta Sycomoro loquitur. Aliam Itali uulgò Sycomorum uocant: de qua dicemus intrà in Azadaracht. Arbor Iudæ, Cucuuaia in Obseruationibus Bellonii. Ceratia syluestris quibusdam hodie. Gaynera (Gainier uel Guainier) Gallis, à similitudine uaginæ. Carobaria Italis, quanquam idem nomen puto Ceratonius magis propriè tribuunt. Nascitur circa Bononiam copiosè: floribus rubris, ut audio, pulcherrimis. Semina eius uix maturescunt. Videtur autem Cercis Theophrasti esse. Arbuscula syluestris Cerasi foliis, fructu uirgæ sanguineę ferè: floribus multis, oblongo ceu racemo dependentibus. foliis ferè Persici foliorum sapor est. G. nomine ne Germanico quidem nota uulgò, quanquam non procul urbe nostra iuxta Silura torrentem & ad sæpes aliquas proueniat, sui omnino generis. Arborem uitæ à quibusdam uocari, Lutecia reuertens nuper amicus quidam mihi retulit: cuius ramulũ ostendebat, ex America translatam dicens: & in horto quodam Luteciæ à Petro Bellonio sibi demonstratam, quatuor cubitorum longitudine. Sabinæ genus, quã quidã Bruton esse uolunt, simillima Cupresso: sed baccã fert dissimilem, odoratam tamen ac nigriorem, folia saluiam olent, &c. Meminit Cardanus lib. 6. de uarietate.

Arbutus C. frutex qui fructus fragis simillimos producit, syluestris in Germania nullus: syluis Galliæ Narbonensis & Italiæ familiaris.

Argemone altera, uulgò Potentilla, Genserich/G. Sponte passim obuia est.

Argentaria petræa, è saxis uel locis saxosis montium nostrorum in hortũ translata, quouis loco facillimè diutissimeq; uiret. Videtur autem species herbę Stellæ à quibusdam dictæ ob radiatam foliorum speciem, Bergsinnaw/Steinsinnaw/ color foliorum argenteus est, corymbi flosculorum lutei. G.

Arisari duæ species, K. Hoc aliqui Aron minus uocant.

Aristolochiæ diuersæ sunt. Rotunda, A. Longa & rotunda, K. R. C. Vu. & Leuschnerus. Pistolochia C. D. Nascuntur tres istæ species in Gallia Narbonensi incultæ: Germanis omnes, ni fallor, peregrinæ. ego omnium semina aliquoties frustra seui. Clematiti tantùm in hortis nostris uisitur: quæ & sua sponte, ut audio, nascitur in uineis Alsatiæ: ubi longa etiam an reperiatur inquirendum est.

Aristolochiæ rotundæ uulgaris, (quam uulgò radicem cauam nuncupant, **Hol wurtz**: quamuis & altera eius species solida reperitur) genus unum flore purpureo alterum albo, G. Faciunt hanc aliqui Capnium, id est, Fumariam phragmiten Aetii: & alteram quoq; eius speciem ostendunt radice oblonga, quæ Capnus uel Pedes gallinacei Plinii sit.

Aron uel Arum, G. R. nascitur passim locis umbrosis & pinguibus, ut circa sæpes. Maius & minus, O. Vide Arisarum.

Aron palustre. C. est autem opinor, Dracunculus Plinii tertius à Fuchsio exhibitus.

Aron Aegyptium eruditiores quidam, ut Guilandinus & Maranta, esse docent: quod aliqui nuper pro Colocasia habuerunt. Hæc in Aegypto, nec non in Sicilia (ut audio, inquit Maranta) perfectissimè crescit. in Italia uerò neq; semen, neque florem, neq; etiam caulem unquam (quamuis diuersis locis consita à multis sit) uel certè raro proferre est uisa. est autem omnino species Ari, quòd ex foliis constat, & (magis) flore: qui præter magnitudinem, nullam ab Ari flore dissimilitudinem habet. Hæc ille. Dioscorides Aron, à Cypriis Colocasion dici tradit. Hanc plantam Augustæ dum hæc conderemus, amplissimus uir Vdalricus Fuggerus in magnifico horto suo Augustæ habebat. Facilè quidem è semine prouenire aiunt. Matthiolus, qui hanc fabam Aegyptiam existimauit, facilè (inquit) in quibusdam hortis Venetiis & Neapoli crescit, quamuis non in aqua.

Artemisia G. Species eius duæ, F. Passim apud nos in agris (in aquosis, incultis asperisq; locis, ut Fuchsius scribit) Artemisia nascitur, frutice una candido: altera rubicundo, quæ à medicis præfertur. Vide supra in Ambrosia, & infrà in Erigeronte fœtido. His diebus uidi matronam quandam carbones circa radicem Artemisiæ legere, pridie festi diui Ioannis in ipso undecimæ horæ signo, in meridie: prius enim & posterius nullos aut minutissimos reperiri aiebat, comitialis morbi amuletum. Superstitio.

Artemisia Leptophyllos quædam, circa Basileam sponte nascens. G.

Arthritica, Primula ueris, herba ad Paralysin, herba Petri Nicolao Myrepso, **Schlüsselblümle** uulgò. Species eius diuersæ in horto mihi proueniunt. Vna, quæ in fine hyemis erumpit, pallidior, minus odorata, alia uerò, magis colorata & odoratior, quę uère floret. huius etiam genus dasypodium, seu densi folium habeo, quod semen non fert. Vtraq; in pratis humidis circa urbem nostram abundat, & diu in hortis manet. Minor uerò illa quæ cœruleis flosculis in pratis multò humidioribus reperitur, breui in hortis euanescit. Arthriticam aliqui Verbasculum odoratum uocant, nescio quam rectè. Genus eius odoratum flore multiplici & florе uirenti C. alit. Circa Curiam Rhętorum nascitur species peculiaris, flore singulari, non in corymbis: quā Ioan. Fabricius Ecclesiæ illic minister doctissimus ad me misit cū aliis plantis multis & raris.

Arthriticę pręterea genus est alpinum, quod Sabaudi quidam Lunariam nominant: nostri à rupibus flores petręos, **Flůblůmle**/ suauissimi odoris, & uiuacissimum in hortis. aliqui hanc Saniculam alpinam, alii Auriculam ursi nominant. Eiusdem species alia, minor, floribus purpureis, altius in alpibus nascitur: eam hoc anno plantaui, ut quantum duret experiar. conicio autem minus duraturam, utpote altiori cœlo assuetam. Inueniuntur & aliæ florum in montibus differentiæ. Arthriticæ alpinæ stirpes floribus diuersis, A. candidis, pallidis, rubeis, luteis, aurei coloris, cœruleis, diuersi coloris, guttatis, fuscis seu cinereis, Christoph Piperinus. Vidi huius generis flores etiam albos (inquit Aretius in epistola ad me) & aquei diluti coloris, sanguineos: in luteis magna est differentia, prout magis soli expositi sunt, uel à niue conteguntur.

Arūdo (uel Harūdo) magna textoribus expetita, A. Radix una (inquit) ad me missa,

ſa, diffundit ſe in multiplices arundines. Lauſannę alibiq; in hortis Sabaudiæ colitur: gemmis ſeu tuberculis radicum auulſis plantari ſolet.

Arundo alia in aquaticis tantùm naſcitur, ut Donax: ſed multùm præfertur quæ in ſiccis prouenerit. Plinius. Lege Canna.

Arundo humilis. Vide Copia.

As.

Aſarum uiuaciſſimum eſt in hortis, G. Sponte prouenit in locis quibuſdam opacis, in collibus non procul Baſilea, & ſupra Tigurinum lacum, non procul Limago fluuio, alibiq;. Speciem eius diuerſam, maiorem (ſi benè memini) circa Eremum diuæ Virginis in agro Suitenſium reperiri aiunt quidam, neſcio quàm uerè. Aſari altera ſpecies.

Aſclepias, id eſt, Hirundinaria uulgò dicta, ut pleriq; exiſtimant, R. G C. Locis aſperis, circa pedes montium præſertim, ſponte abundat. Cognata herba apocyno: hoc aliqui in Italia colunt, ex Aegypto (ubi hodieq; Amphocynon uocant) allatum, ſiliquis, & in eis lanugine, perſimile Hirundinariæ, rotundioribus foliis.

Aſcyroides, Androſæmon maius, G. Collibus & pratis ſua ſponte familiare, ſiccioribus præſertim: uel, ut Dodonæus ſcribit, locis aſperis, circa ſæpes & ſyluas.

Aſpalathus. Aretio ex enatis è ſemine plantis duabus, una in horto relicta, hyeme periit; altera in hypogeo ſeruata eſt, & poſtea floruit. In Gallia Narbonenſi ſpõte naſcitur. Matthiolus hunc fruticem pro Acacia ſecunda pinxit: ſed uidetur potius Aſpalathus ſecundus, ut doctiſſimus Maranta monet. Paſſim (inquit) Neapoli & Puteolis uiſitur ueris initio luteum florem geniſtæ ſimilem proferre, ſiliquis piloſis aurei coloris, ſplendentibus. & uulgò quidem Spalatrone dicitur, ſicut & in Græcia hodieq; Spalatro.

Aſparagus G. R. Maior & minor, O.

Aſphodelus, Haſtula regia, herba Germanię peregrina, R. Vu. G. Satus à me, aliquot tantùm folia emiſit intra biennium: nunc tertio anno quamuis multa folia habeat, caulem nondum oſtendit. Occulit ſe aliquando, ſub Cane præſertim, ut interiiſſe uideatur. Vide ſuprà in Acantho. Aſphodeli floribus diuerſi: albus & luteus: luteus, in horto Zuuinggeri Baſileę. O.K.C. Aſpodelus annuus, C. Aſphodeli omnes propriè dicti Germaniæ hactenus peregrini fuerunt. In Prouincia Galliæ, & Italia ſua ſponte abundant.

Aſphodelus fœmina C. Hunc eſſe puto quem Dodonæus pingit, radice una, bulboſa, &c. qui fortè Bulbus potius fuerit.

Aſphodeli ſpecies (ni fallor) duæ peregrinæ, foliis diuerſis, multis ſimiliter ab una radice: quæ in una ſpecie lutea & oblonga eſt, in altera breuior, fibrata inferius, &c G.

Aſplenus, Ceterach uulgò, K. G. A. K. AE. & Rurpodius. Duobus aut tribus annis in horto mihi durauit, in muri fiſſura plantatum. Sponte in Sabaudia naſcens uidi: reperitur & in Valleſia non procul Seduno: &, ut audio, alicubi ad Rhenum Germaniæ flumen, in montibus & muris pagorum.

Aſter Atticus uerus, flore luteo, foliis circa ipſum in aculeos exeuntibus, Vu. Monſpelii ſponte natus abundat.

Aſter Atticus, (Fuchſii nimirum,) AE. Naſcitur paſſim locis ſiccis, aſperis, & apricis.

Aſtragalus duplex, AE.

Aſtrantia uulgò dicta, uel imperatoria, **Aſtrentz/Meiſterwurtz.** Laſerpitium Gallicum quibuſdam, G. Viuaciſſima in hortis: in alpium noſtrorum atris & præruptis locis ſpontanea.

Aſtrantia nigra uulgò dicta, **Schwartz Aſtrentz oder Mûterwurtz.** radice nigra, Aſtrãcię ſimpliciter dictę cognata figura & liquore luteo G. Fuchſius Saniculam fœm. facit, quod non laudo. In montibus ſponte prouenit: in hortis benè durat. Dodonæus hunc uerum Elleborum nigrum Dioſcoridis eſſe putat: ſed fallitur.

Atractylis media, K. Cardui quoddam genus collibus siccis & apricis apud nos nascitur, quod multi Atractylidem putarunt. ea pingitur à Fuchsio: qui etiam Carduum benedictum uulgò nominatum, Atractylidem hirsutiorem appellat.

Atriplex alba & rubra, G.

Atriplex syluestris exilit apud nos passim ad uias et parietes, sicut Basileę alibiq́; etiam altera species impudico uel putris gari odore insignis, Garosmen dixeris.

Auellanæ, id est, Coryli fructus, syluestres in sæpibus & syluis præsertim humidioribus locis, copiose nobis nascuntur: minores, albiores, rotundioresq́;. Vrbanæ oblongæ & rubicundæ sunt, Lombardicas aliqui cognominant, G. Vu. Vrbanas & rotundas etiam satis magnas in Sabaudia uidi, ut Lausannæ, in arboribus etiam proceris nascentes. Circa Lugdunum hoc genus abundat, fructu duplo ad syluestrem. Coryli urbanę attegiis & scenis opere topiario texendis, & in altum etiam eleuandis conueniunt: tales in Gallia, Biturigibus præcipuè, construunt. Corylus Macedonica describitur à Cordo, cuius nuces in grandem racemum congerantur.

Az.

Azadaracht Auicennæ, Ae. C. Meminit arboris hoc nomine Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 17. & rursus cap. 750. ubi Zerindaracht nominat: ab aliis arborem Myrobalanorum uocari scribit: cámque magnam esse: fructum uenenosum esse suspicatur, similem Nabach: in Syria Nabach uel Alnabac uocatur fructus magnitudine Sebesten, uel paulò minor: sapore pontico, dulci, ut tradit Bellunensis. Hanc arborem hodie in multis Italiæ hortis, Monachi præsertim serunt & falsò Sycomorum nominant, ut Bellunensis docet. Porrò Sedar Arabicè Lotus arbor est, apud Serapionem, Auicennam & Rasim, cuius fructum Nabach appellant, ut Monachi Mesuæi interpretes coniiciunt. addúntque sibi uideri eam arborem esse, quæ aliter Faba Græca, uel (ut Seruius habet) Syriaca dicatur, uulgò autem Romæ Pulsaraca, quasi Puls Syriaca, uel (ut Hermolaus docet) Bacca Syriaca, in Sicilia uerò Faba inuersa. Ergo si Zedar Lotus est, Azadaracht autem similem ei fructum habet, sic fortè dicta fuerit quasi Zedaracht, i. Zedarago, uel Lotaster. Loti quidẽ arbores diuersę sunt, &c. Azadaracht arborem Bellonius Siliquam nominat, quod mireris, cùm baccas, non siliquas ferat. Lignum in eius fructu durissimum est, sexangulum (si benè memini) ut Myrobalani Belliricæ, in eo semina aliquot continentur. Eruditi quidam Sebastum, seu Myxum albam nuncupant: alii, ut audio, Laurum Græcam Plinii. Hæc & mihi & A. è semine prodiit: sed meam iam dodrantalem, Sphondyli erosa radice, perdiderunt. Argentinę in Obrechti medici horto duos aut tres pedes longam uidi. Hyeme reponi debet sub tectum. Bellonii cura Luteciæ, aliquot huius arboris plantæ spectari nuper cœperunt. Germanicè, si libet, appelletur, **ein Pater noster baum**: quoniã & mulierculæ in Italia sic nominant, eò quòd ossa fructuum ad preces numerandas filo traiiciantur. Alia est quæ in Galliæ hortis uulgò Sycomorus dicitur: de qua diximus supra in arbore Iudæ.

Ba.

Baccharis Monspelii existimata falsó, A. Est autem Conyzis cognata herba. Primo anno (inquit A) diffunditur in folia: altero demum caulem & flores profert. inde tota planta perit. hyemem facilè fert. Folium Verbasci habet, multis adnatis et appendicibus. Caulis est cubitalis. Floribus & radice, immò undiq́; odorata est.

Balsamine uulgò dicta, peregrina planta, & nuper cognita, nescio undè allata primùm: foliis oblongis, Salicis fere, simplicibus, crenatis, herbæ Noli me tangere cognata, ut suspicor. Hanc nuper Basileæ & Argentinę Iulii initio in hortis aliquot pulchre florentem uidi, flore rubro in calcar fere desinente. Aliqui Balsaminũ hanc genere neutro uocant: & fœminam cognominant, ut eam quæ sequitur, marem: quod non admodum probo, cùm toto genere differant. Hoc anno mihi etiam copiose nascitur. Herba est annua, succi plena, & facillime prouenit.

Balsamine alia, quę Garancia quasi Charancia, uulgò Gallis dicitur, ab aliis mirabile Pomum, Hierosolymitanum Hetruscis, Italis Viticella, Momordica, Garanza, foliis Bryoniæ, pomo flauescente, amplexicaule, &c. C. G. sed difficulter nobis prouenit, & uix maturescit. Balsamine utraq; Basileæ in horto Cælii Curionis perleganti & benè instructo. Balsamine quomodo colenda sit, leges infrà in epistola Massarii ad me. Fert poma admodum egregia & uisum oblectantia: quæ dum matura sunt, sese miraculo quodam naturæ aperiunt: ostenduntq; semina, ueluti preciosissimis quibusdam smaragdis similia. Carolus Stephanus.

Barba caprina ab Hieron. Trago dicta, G. frutex (uel potius herba fruticosa) æstiuus: hyeme enim superficiem amittit, radice magna, ualida. annis quàm plurimis durat in hortulo meo. Luxuriatur in syluis nostris passim. Vide in Christophoriana. Tragus etiam Vlmariam quorundam Barbam capræ nominat. Alia est Barba caprina minor inferioribus Germanis, nempe Saxifraga lutea aliorum. hanc enim (Christophorianam dico) Barbam cap. maiorem, & Reginam prati uocitant.

Barba hircina. Vide Tragopogon.

Barba Iouis Plinii, G. arbuscula Terebintho cognata. Sponte circa Verbanum nascitur, coriariis in usu. fortè Coccygria Theophr.

S. Barbaræ herba, Carpentaria Gallis uulgò dicta, aliquibus Scopa regia, nostris Räbkreßich. G. Crescit quidem & sponte sua inter uineas, & locis arenosis circa aquas.

Basilicum. Lege Ocimum.

Batis quære Crithmus.

Be.

Been album O. nimirum Polemonium nostrum intelligens, quod passim apud nos nascitur. Lege Ocimoides.

Been rubrum, herba maritima, Limonio seu Bistortę cognata, G. iam quinto aut sexto anno in horto meo durant plantę duæ è semine natæ, sed neutra in caulē exiit, nec florem edidit: maris fortè afflatum desiderant. Haud scio idémne hoc an aliud Been rubrum O. in horto sibi natum intelligat. Vide Ocimoides.

Belle uidere, (Bel uedere) uulgò Italis dicta herba, quòd bellè densissimeq; fruticet, uireatq; per æstatem, non solùm in hortis & uiridariis sata, sed etiam in fictilibus, ornandi fenestras gratia, ut scribit Matthiolus. Aliqui Scopariam uocant, (alii herbam studiosorum) & Osyrin esse existimant: sed obstat illis multitudo foliorũ: & quòd amara non sit. Osyridi enim amaritudinem tribuit Galenus, &c. G. Germani inferiores quidam Campanulam cœruleam (de qua infrà) Belle uidere nuncupant.

Bellis (Consolida recentioribus, nimis communi nomine) syluestris: maior, quæ in pratis emicat: media, circa syluas, cæteris rarior: minor, in collibus & alibi passim. Eadem minor in hortis colitur floribus multipliciter densis, albis, uel rubris, uel mixti coloris, G.

Benedicta. Quære Geum.

Berberis G. R. Erbselen. Passim circa syluas nostras abundat.

Betæ quatuor species, nimirum alba, nigra, seu rubra duplex & flaua: qui colores ad radices præcipuè pertinent. O. G. Roter/weisser/vnnd gälber Mangolt/vnnd Beyersche rüble/oder rote Salat wurtzen. Postremam hanc Seutlostaphylinum dixerim, Rübenmangolt. In Syriæ hortis appellatur Suandar: & ab Ebenbitar numeratur in specie raporum, &c: Eadem, sicut relatum est à fide dignis, oritur in Macedonia circa ciuitates Durachii & Alexii, in locis campestribus, &c. Bellunensis in glossis Auicennæ in Siclæ nigræ mentionem facit.

Betonica, quæ sponte circa syluas uiret, in hortis etiam benè durat. G.

Betonica Aeginetæ, secundum Guil. Turnerum. Locis ferè cultis, ut areis hortorum, sponte prouenit, pulegio similis, sed insipida & inodora, G.

Betonica diuersi generis, cuius flores ab odore uulgò Cariophyllos nominant. Vetonicæ nomine dicetur in V.

Bl.

Blattaria cum Verbascis est.

Blitum syluestre & satiuum, utrumque tum album tum rubrum.

Blitum maculosum, foliis ceu Amaranti maioris, C.G.

Blitum peregrinum Corchoro cognatum dixerim. Sunt qui Theombrotium Plinii uocent.

Bliti syluestris alia species, foliis subrotundis, in summo retusis, Corchorus fortè, G. Hoc etiam sua sponte locis cultis apud nos inuenitur.

Blitum Indicum uel Topiarium. Nuper ex Indiis allata est planta, cui à similitudine foliorum Blitum Topiarium nomen imposuimus. Nullo enim nomine eam accepimus. Habet hæc folia Betæ, siue, quod idem est, Bliti, (confundunt) sed ualde rubentia, planè ut Beta rubra. Caules emittit plures, pollicis crassitudine, teretes, cocci seu rubro colore, quindecim aut amplius cubitorum longitudine, ut in nostro Aræ cœli conuentu uidimus. Semen producit in racemulis Coriandro noto simile, obnigrum, &c. Sapore & odore etiam æmulatur Blitum, Monachi Romani interpretes Mesuæi.

Bo.

Borrago floribus cœruleis nusquam deest in hortis, R. etiam albis floribus habetur; quam ego quoque Argentinæ uidisse memini.

Botrys, quæ semine maturo ferè myrrham redolet, R.G. facillimè crescit, & restibili fœcunditate seipsam proseminat.

Br.

Brassica candida, rubra, crispa, capitata, G.

Brassica marina, uulgò Soldanella, K.O.A.G. hyemem apud nos asperiorem nō bene fert: duum aut trium annorum in meo horto plantę nondum floruerunt. Hyeme fere perit, nisi in uasis seruetur. Nascitur in litore maris, tum mediterranei, tum Oceani, in ora Selandiæ & Flandriæ abundè. **Meerwinde**: maritima, non marina.

Brassicarum differentiæ nobis notæ sunt hæ: Alba, nigra, crispa, thyrsuta, & rubra, quæ non multum differt à nigra, ita ut sæpius una in alteram mutetur, quod olitores testantur. Item capitata. Et genus quod è Syria defertur, Canabit seu Canauit uulgò dictum, à Pandectario Caulis imperialis, Monachi Romani in Mesuen. Puto autem eos Thyrsutam (sic ipsi loquuntur) appellare, genus illud cuius meminit Matthiolus tanquam ueteribus ignoti, cuius caulis (inquit) rapi in morem extuberat, manditurque subinde medulla, pingui iure incocta, Raporum modo. Sed nec illius, inquit, uidentur meminisse ueteres quæ foliis admodum per ambitum laciniatis minutimque intercisis assurgit. Caulorapum uidimus, hoc est Cinnum duplicis naturæ, ex caule, id est Brassica & Rapo. Sed Brassicæ radix sub terra condita fuit: Rapum supra terram in stipite turgescebat, Scaliger. Brassica hortensis ubi nam sponte nascatur, nescio. ea quidem quę à medicis dicitur syluestris, succum asperum habet & aluum purgat, ut scribit Theophrastus. Marina etiam toto genere differt, nec aliud quàm nomen commune habet.

Britannica. Vide in Cochlearia.

Bryonia. Quære Vitis alba.

Bulborach. Quære Lanaria.

Buglossus minor, uel communis: & Italica, uel Gallica, maior, R.G.Ae.

Buglossus uera, O.

Bulbine, flore cœruleo, pulchro: **Blawe Meien ryßle**/G.K. Aliqui Hyacinthis adnumerant, ut Tragus Hyacinthum uernum exiguum nominans.

Bulbocastani è Chio radicem misit ad me Patauio Melchior Guilandinus: quę cùm terræ mandata à me folia pauca, exilia & multifida ostendisset, paulò post interiit. Vide Bunium.

Bulbus

Bulbus, F.

Bulbus syluestris quidam, bifolius, cœruleis flosculis, Hyacinthi species, ut multi putant, G. Alius bifolius, flosculis luteis, stellatis, radice grata & suaui, nascitur circa Kiburgum arcem agri Tigurini, G. Vterq; æstate se occultat.

Bunium Dodonæi, uerius Bulbocastanum, de quo proximè diximus, C. Crescit multis in locis Hollandiæ & Selandiæ inter segetes, & iuxta uias. Abundat etiam Anglis. Brabanti quidam in hortis colunt, Dodonæus. Mihi etiam iam per duos aut tres annos in horto floruit, incognitum, donec fortè erutam radicem globosam uidi. Nunc media æstate latet, tanquam interierit.

Buphthalmus uera: flore ut Bellis maior, sed toto semine peramaro, G. Eiusdem altera species, flore partim candido, partim luteo, nullo alio discrimine, G. Vtriusq; semina Monspelio accepimus, ubi sponte proueniunt. Herbæ sunt annuæ. Dodonæus non rectè Buphthalmum facit herbam illam, qua pro Elleboro nigro quidam utũtur, C. G. Vide infrà in Elleboro nigro. Chrysanthemum Dioscoridis eandem esse Buphthalmo demonstrabimus infrà.

Bupleurum Dodonæi utrúmque, C. Maius quod aliqui Elaphoboscum faciunt, Galli uulgò Gratiam Dei uocant: & minus, magnitudine tantùm (ni fallor) differens. Maius circa Basileam sponte nascitur.

Bursa pastoris, Teschlekraut, maior & minor, adeò ubiq; abundant & calcantur, ut in horto serere nemo dignetur. Vide Thlaspi.

Buxus in plerisque lautioribus hortis alitur: tonderi ac topiario operi facilis, & perpetua uiriditate amœna. syluestris in Sabaudia passim ad uias et sæpes occurrit.

Ca.

Cachrys, K. Intelligit autem puto Libanotidis speciem, cuius semen ueteres Cachryn appellabant.

Calamintha montana, O. G. Hæc cæteris acrior, collibus saxosis & apricis prouenit. In hortulo meo iuxta murum plantata uersus meridiem commodè crescit: ad tres annos durare puto.

Calamintha Italica Pulegii odore, acris. Patauii sponte nascentem uidi, foliis subrotundis pilosis modicè & leuiter crenatis, mollibus.

Calamintha aruensis è noualibus, G.

Calamintha fluuialis, rara, G. Circa Silum torrentem nostrum uno tantùm loco inuenta.

Calaminthæ species, ut quidam putant, herba Cati uulgò dicta, Italis alicubi Nepeta, G. Ad tria uel quatuor miliaria supra Argentinam, locis incultis crescit.

Calathianæ uiolæ autumnales, duorum aut trium generum in pratis montium: cultum detrectare mihi uidentur. Ex his quæ amaræ sunt & humidioribus pratis exeunt, ad Gentianæ genus pertinent, una profundioribus radiculis, cœrulei coloris saturati flore. alia minor undiquaque, flore nonnihil dilutior est: radice inutili. Tertia etiam inutili radice, calathis florum puniceis, multis confertisq; ad uias in collibus asperis exilit, subacris, &c.

Calathiana uerna dici potest uiolæ genus, quod equinum cognominant Sueui, Hippion Cordi. In pratis humidis nascitur, herba annua ut puto. In hortis non facilè nascitur aut durat. Cum cespite plantata uere per æstatem forte durabit, G. Vide in Gentiana. potest autem Gentianula dulcis uocari.

Calendula uulgò dicta, flore simplici, & alia multiplici, G. Caltha hortensis. Circa Monspelium suæ spontis.

Caltha Africana. Vide flos Indicus.

Caltha palustris, ut sic appellem quæ à nostris Moßblůmen, id est, Flos palustris dicitur, floribus densis, G. Palustribus quidem locis simplici flore nascitur: aliqui Ferrariam uocant, forte quòd folium ferream equi soleam uideatur referre.

Caltha alpina uocatur, herba radice acri & aromatica, flore Calthæ aureo, sternutamenta ciente, foliis Plantaginis. Nascitur in summis montium pratis copiose. Aliqui Doronicis non recte adnumerant. Müterwurtz

Campana Lazura Italis dicta. Vide Conuoluulus cœruleus.

Campanula cœrulea C. ſic autem uocat Rapi ſylueſtris, quod Rapunculum uulgò dicunt, ſpeciem minorem, eamq́ in alias duas ſpecies ſubdiuidit, unam hortenſem, quam aliqui Belle uidere nominant: aliam agreſtem, iuxta ſępes & in marginibus agrorum naſcentem.

Canna Indica, Baſileæ in horto Theodori Zuuinggeri medici, mihi ſata nō prouenit.

Capnus Plinii C. ea nimirum quam Dodonæus pingit libro 1. Iconum ſuarum pag. 21. mihi adhuc incognita. Vide Fumaria.

Capparis, Rurpodius.

Caprifolium. Vide Periclymenum.

Capſicum. Lege Piper.

Caput monachi in Gallia dictum: quod Fuchſius & alii Solanum ueſicarium peregrinum uocant, G. mihi Solani genus non uidetur, cùm acinos nullos gerat, nam Acinos ferre Solani generibus commune eſſe puto.

Cardamomum Arabicum. Lege Piper.

Cardopatium uulgò dictum (uel Carlina) nonnullis herbariis, genus eſt Cardui, qui & ſponte in mōtibus collibusq́ noſtris prouenit: Eberwurtz. G. R. Eius differentiæ quædam ſunt: à magnitudine, & floris colore, in aliis albo, aliis purpureo. Item caule, quo aliæ carent, aliæ habent. Ex his Chamæleo albus uidetur, cui flos purpureus, caulis nullus. Silybus uerò cui latior albiorq́ ſpina (ſeu flos ſpinoſus) eſt: isq́ rurſus uel cum caule, uel ſine caule. In Baldo monte Italiæ flore maximo pilei inſtar naſci audio. Ex eodem genere eſſe audio Ixinen ſpinam, quæ maſtichen in radice fundat, Hiſpanis cognitam, Spaniſche Eberwurtz. Huius floris calycem, tum recentem, tum etiam ſiccum, noctu claudi, ad ſolem uerò aperiri, nuper in hortulo meo miratus ſum.

Carduus Benedictus G. in plurimis apud nos hortis ad remedia colitur. Hyemē benè fert, ſi autumni principio (ni fallor) ſeratur: & lætior ita prouenit, quam uere ſatus. Vide in Atractylide.

Carduus hortēſis, Scolymus, Cactus, uel Cinara, uulgò Artiſchau: duplex, unus foliis ſpinoſis, alter ſine ſpinis, ut Tragus & Dodonæus pinxére, C. Vu. O. G. Carduos ſine ſpinis naſcituros pollicentur, ſi cacumina ſeminum confringantur. Id olim fabuloſum exiſtimabam: ſed poſtquam Luteciæ et in Scotia carduos omnes fermè ſine ſpinis eſſe cernebam, non dubitaui fieri hoc poſſe. uerùm ſunt multò aculeatis inſipidiores. Addunt, ſaporem ſemina in carduis ipſis quem combiberint, multum referre, Cardanus.

Carduus Mariæ uulgò dictus, foliis latis, maculis lacteis, G. naſcitur autem ſponte ubiq́. aliqui Silybum ueterum putant, à quibus ego diſſentio.

Carduus pratenſis Tragi, qui paſſim in pratis humidis naſcitur, G. fortè Limonia Theophraſti 6.2. ubi Gaza non rectè Betam ſylueſtrem uertit.

Carlina. Vide Cardopatium.

Carus, Caros, uulgò Carui, in omnibus ferè pratis apud nos copioſè creſcit.

Caryophyllata. Vide Geum.

Caryophyllus Indicus uulgò dictus, flos, non aroma. Vide Flos Ind.

Caſſiæ fiſtulæ ſeu nigræ, Alexandrinæ, arbuſculæ quinq́ è ſeminibus mihi emicuerunt in uaſe hoc anno 1559. ſed uix ultra digitum prouectæ, interierunt, fortè quòd tardius ſeminârim. Initio hyemis ſemina in uaſis domi terræ committenda putârim, &c. Eſt & in horto Leuſchneri hæc arbor Miſenæ, aut fuit, neſcio quandudum aut quandiu iam. Siliqua Inda ſeu Caſſia noſtra iuxta aquas prouenit, aut aquam ſubeſſe indicat, Cardanus.

Caſſytas Plinii uel Theophraſti, O. Ego Cuſcutam uulgò dictam, Caſſytam uel Lino deſmon nomino, herbam ubiq́ uulgarē, & quæ cùm radice careat, ſeri coliq́ non poſſit.

Caſtanea,

Castanea, Vu. Ea prouenit syluestris, nemoroso & saxoso solo, ut circa lacum Verbanum Italiæ, & Lemanum Sabaudiæ, & alibi. Apud nos perpaucæ habentur, plantatæ nimirum olim. Mihi hoc anno arbuscula maioris Castanearum generis è glande prouenit.

Catanance Dodonæi, herba mihi ignota, C.

Caucalis Dodonæi, C. uidetur autem herba quædam aruensis, & uulgaris ubique, Daucorum generi cognata, seminibus magnis & hirsutis admodum: floribus albis, & similibus Caucalidi Bellonii, nempe in ambitu maioribus.

Caucalis, G. quæ in Hellesponto hodie uulgò Græcis Cascalitra dicitur, quasi Caucalida ut Bellonius scribit, & herbam quoque pingit: cui sanè conuenit descriptio Dioscoridis, nisi quòd folia eius extrema non sunt Fœniculi modo multifida. Itali quidam corrupto nomine Cazalopra uocãt. Cruda in acetariis estur. Qui hoc Seseli Creticum putant, aut Tordylium ut Dodonæus, propter semen duplex clypeorum instar, falli putarim. Herba est annua, facillimè sata prouenit, & semen citò maturat in umbellis, margine eleganter crispo, &c.

Caules de Rapa, O. intelligens opinor Brassicæ aliquam speciem, uel ex Brassicę & Rapi natura mixtam plantam. Vide in Brassica.

Ceanothus spina Theophrasto memorata, hoc est, Vua crispa uulgò dicta, (ut mihi quidem uidetur) passim apud nos obuia est, sepibus hortorum inprimis commoda: facillimè enim nascitur, densè fruticat & propagat seipsum: & spinis suis trãsitum prohibet: & acinis iucundi saporis placet. Huic cognatus est, tanquam altera eiusdem generis species, qui uulgò perperam Ribes appellatur frutex. is quia spinis caret, Ceanothus leuis dicatur, ille asper. Retulit nobis quidam Florentiæ se uidisse Ribes uulgò dictũ, acinis Auellana maioribus, acidissimi saporis: et alius quidam, se hunc fruticem tum rubris tum nigris acinis obseruasse. Ceanothum asperum nostrum Cardanus de uarietate rerum libro sexto Rocellam (malim Roncellam, ceu diminutiuum à Ronce Gallico nomine Rubum significante) uocat. Rocella (inquit) humile arbustum est, folio angusto (mihi angustum non uidetur) ac tenui quasi uitis, spinosa, baccam ferens, quæ cùm maturescit, uiridis & subflaua est, rotunda admodum, magnitudine Lupini, gustu ex dulci adstringente. Huius plantam uidi Diepæ in Gallia, quæ in arbusculam euaserat, & fructum Cerasi magnitudine ferebat. hæc cùm ramosa atque frondosa esset, circunduxerant illi rete, atque ita auiculas in ea pulchro spectaculo nutriebant. Gaudet hic frutex regionibus frigidis, ideò plurimus in Gallia, éstque uirens, salubris et gratus uisui. Ceanothi leuis genus syluestre, proceritate sesquicubiti, circa syluas quasdam ditionis Bernensium Heluetiorum prouenit. Rustici Keozbeer uocant, quòd tussi medeantur, G.

Cedrus minor, Cedrula uel Oxycedrus, Iunipero similis, sed maioribus et rubentibus baccis, in callidis Galliæ Italiæq́ tractibus sponte nascitur. at Cedrus arbor conifera, in Libano monte Syriæ nascens, in Europam, opinor, nondum transiuit. Oxycedrum Bellonius aliter Phœniceam Cedrum nominat, eiusq́ speciem alteram in Gargano monte Calabriæ nasci scribit: Lyciam uerò Cedrum pumilam, cui obtusa sint folia, circa Massiliam affatim.

Centaurium maius, uulgò Rhaponticum, G. R. Et Rurpodius. Hoc duorum aut etiam plurium est generum: nam humilibus etiam locis & collibus, minores quædam eius species nascuntur, ut laceæ uulgò dictæ, in nullo ferè usu, quòd radices minores, aut potius aridiores sint, &c. Pratensis species minor est, & simplicibus foliis: collina maior, foliis dissectis. quædam in muris & asperis locis nascitur, ut circa Basileam: Montana uerò genera, & quæ Rhapontici nomine uulgus agnoscit, duo sunt: unum maioribus foliis, Lapathi aut Inulæ ferè. Hoc in montibus nostris, altioribus duntaxat, pingui solo luxuriatur, ut supra Glaronam. ubi suæ spontis est, semen maturat, quan-

quam frigidissimo cœlo, & æstate breuissima: in hortis nostris durat quidem aliquantisper, & hoc etiam tempore in hortulo meo uiret, foliis ab una radice circiter uiginti, non ab uno tamen principio, sed triplici, subamaris, hircum olentibus, parte supina candidis, margine eminentibus punctis ruffis leuissime denticulato: sed caulem non fundit, tantùm abest ut flores aut semen producat aut perficiat, K.G. Alterum foliis minoribus, iuglandis ferè, binis, inuicem oppositis, quod ex Italico semine in hortulo mihi exortum, semel aut iterum occultatum rediit, & biennio (ni fallor) expleto, periit. Nascitur in Italiæ montibus, ut Baldo circa Bergomum: & in Apulia, ubi in hortis etiam plantari solet, ut audio. hoc Dioscoridis descriptioni, quòd ad folia magis conuenit: & radicem pingui durabilíq; succo imbutam habet: qui in nostro aquosus est, quamobrē breui siccata radix, exucca, rigida & baculi instar redditur. Nascitur hoc etiam Basileæ nunc in horto Zuuinggeri. Centaurium si in bonam ac pinguem terram sedatur, & compluatur rigetúrque, qualitatem naturalem perdit, & uim suam amittit. Gaudet enim squalore, Plutarchus in libro De facie apparente in orbe Lunæ. uidetur autem sentire non quidem de Centaurio minore, quod locis humidis gaudet, sed maiore. Hoc enim in hortis plantare aliqui student, &c.

Centi morbia. Lege Nummularia.

Centonia, R. Santonicum Absinthii genus fortè intelligens: aut Centunculum, id est, Gnaphalium: uel potius Chamæcyparissum; quam Galli quidam, ni fallor, Centoniam uocant.

Cepę rubrę et albę G. Albarū semē nescio an peculiare, ex Italia quidā accersunt.

Cepa Marsica simplex à rusticis Vnio nominatur, Barbarus.

Cepæ nostris olitoribus et culinis (Coloniæ) quatuor speciebus distinguuntur. Optimæ habentur albissimæ & rotundæ, omnis mordacitatis expertes: mox oblongæ, cortice ruffo, uulgò **Spanisch Vlch**, siue **Aiuyn**, aut **Zwibel**, quasi Hispanicam dicas. Acerrimæ experiuntur rubræ, rotundæ. Est & quarta, cuius radices supra terram extuberant, candidæ, magnæ, dulces, caule procero: per cuius fastigium semen in orbem colligitur, paucis hortis familiaris. Bern. Dessennius.

Cepa sterilis, fissilis, uel Ascalonia quorundam, uulgò **Eschlauch**, in plerisque hortis apud nos reperitur.

Cerasia communia, rubra, nigra, albicantia: magna, Italica: duracina, uisula, laurea, G. Vngarica magna, dura, dulcia, figura cordis, Vu. Alba: & Italica, magna, Matth. Curtius Lindauiæ. Cerasus humilis, C. ualdè humilis, frutex potius quàm arbor, K. Ea nimirum Chamæcerasus, uel Macedonica Cerasus Plinii (15.25.) est. Alia est Chamæcerasus montana, ueteribus indicta: quæ in montibus nostris nascitur, cubitalis: fructu Cerasi, magnitudine, figura, colore rubro, & petiolo simili: sed amariore. Hanc non semel frustra in hortulo meo serere conatus sum. Alia etiam Chamæcerasus montis Generosi Insubriæ: alia deniq;, quam Punicè Mahaleb uocant, sponte apud Vallesios circa Sedunum crescens arbuscula.

Cerifolium, R.G.

Ceratia agrestis. Vide arbor Iudæ.

Ceratonia, id est, Siliqua arbor, **S. Johans Brot**/O.R. Vidi & ego hanc arborem ex semine natam apud ciuē quendam nostrum: quæ ad breuem altitudinem cùm peruenisset, interiit. Longè alia est, Ceronia Theophrasti, Syriaca arbor, &c.

Cerinthe. Vide Cynoglossus montana.

Ceterach. Vide Asplenos.

Cercis Theophrasti. Vide arbor Iudę.

Ceruaria uocari potest, (quoniam Germanice **Hirtzen blůmle** nominatur,) Chamædrys alpina à quibusdam dicta, etsi Chamædryn ueram sola foliorum similitudine refert. Chr. Piperinus. Floribus albis, semine in globo pappaceo: radice oblonga, lignosa, amara, cortice ruffo.

Chamæcyparissus suffrutex hortensis odoratus, G. flores luteos profert sed non

quotannis

quotannis. agrestis ubi nascatur, nondum resciui, G.

Chamæcerasus Plinii: item nostra uel montana. Vide in Ceraso.

Chamædrys, O. G. R. Loco nimis umbroso mihi consita, flore albescit. Nasci tur passim apud Heluetios, locis saxosis et apricis. nusquam prope Tigurum nostrum, nisi circa lacum forte, duarum horarum itinere ab urbe.

Chamædrys falsa, insipida, flosculis cœruleis, Schaff kraut. G. Aliqui Teucrion uocãt. suæ spontis est ubiq;. Pseudochamędrys eius etiam altera species in sylvis & montibus nascitur.

Chamæleon albus, R. Vide suprà Cardopatium.

Chamæleon niger, O. fortè quem Tragus pingit: aut Carlina cum caule. Sed neuter uidetur uerus Chamæleo niger: uerus ex Apulia, K.

Chamæmalum, uel Anthemis, R. G. Magna eius in aruis passim apud nos copia est, illius dico cui flos albus: quam equidem uerum Chamæmelum esse non dubito: quamuis Dodonæus, Chamæmelum syluestre hoc uocet. hortense autem duplex facit, unum Leucanthemum, hoc est, albo flore: alterum Chrysanthemum, hoc est, luteo: utrûmque odore præstantius quàm syluestre, et ex Hispania primùm allatum ad Germanos: quorum pauci in hortis duo hæc genera colunt, solo (ni fallor) floris colore differentia. Aliqui Camomillam Romanam hanc uocant, & albæ luteæue discrimen adiiciunt. De Chrysanthemo plura leges inferius suo ordine.

Chamæmelum odoratum uel nobile, ut Tragus cognominat, hortense illud de quo iam diximus, in hortis alunt, Ae. K. & Basileę Cælius Secundus, & Argentinę Massarius medicus: sed illud albo flore duntaxat puto. Suauissimè hæc herba olet, unguenti alicuius preciosi instar. Sapore autem amaro est. A radice statim (ut Massarius ad me scripsit Argentina) multos coliculos emittit, qui per terram repere uidentur, præsertim si quis eos secundo aut tertio quoq; die manibus aut pedibus premat. Hyeme tota mihi uiret in horto: ab Anglis ad nos aduecta est. Semina uere seres, lato aliquo spacio, ne inter se compressæ herbæ putrescant, ut mihi aliquando contigit.

Chamæmelum eranthemum, (flore purpureo,) K. C hanc puto aliqui hactenus non rectè Anemones generi attribuerunt. Pingitur à Trago inter Anemonas. Nascitur, inquit, inter triticeas aut speltaceas segetes, flore minii colore, interdum candido, foliis quaternis constante, &c. Aliqui Adoniũ uocant. circa Monspelium etiam in aruis emicatur.

Chamæpitys species una, O. G. R. Hæc in aruis quibusdam, non procul à Rheno fluuio ut Basileæ, & apud nos circa forum Tiberii prope Rhenum alibiq; sponte nascitur: etsi Fuchsius in Germania sponte nasci ignorauit. Nunc (inquit) in hortis plantari cœpit. Plinius tertiam speciem in petris nasci tradit, nescio quàm rectè. Hanc etiam Fuchsius pingit, ex horto nimirum aliquo nactus. Vidi ego aliam quoque speciem è Monspelio allatam.

Chamæsyce, K. Hanc in Germania sponte ortam nondum memini uidere.

Chamelæa, A. C. Vu. circa Monspelium in agro nascitur. Aliqui non recte Chamelæam uocant herbam quam Germani Zyland, Itali Piper montanum. Vide in Pipere.

Chelidonium minus, G. O. In pratis humidioribus passim primo uere exilit & floret, Maio mense rursus se occulit.

Chelidonium maius ubique uiret, præcipuè circa muros & sæpes hortorum.

Chondrilla, C.

Chondrilla prima, G. quæ & sponte nobis oritur in collibus alibiq;, & super muris aliquando.

Christophoriana (ab Italis, ni fallor, uulgò dicta, ab aliquibus Costus niger)

frondibus ferè similis est Barbę caprinę uulgò dictæ, acinos nigros racematim cõditos profert Iulio mense, &c. G. Nascitur apud nos circa syluas mõtanas, & in hortis benè diuq; durat. Sed Patauii alibiq; in Italia, Christophorianã ęquius, utpote proceriorem multò uocari audio herbam illam, quam Hier. Tragus lib. 2. ca. 95. Barbam caprinam syluestrem nominat, Waldgeißbart/ & pingit: eiusq; asparagos, id est, coliculos teneros elixos, in acetariis edi: uulgò Christophonariã dici, uel Barba de becco. Vide supra in Barba Caprina. Alii etiam aliam Christophorianam faciunt, (ut Ruellius meminit) quæ alio nomine Oculus consulis, & Filius ante patrem uocetur: flore luteo, ceu conyzæ, foliis rorismarini, latioribus, breuioribus.

Chrysanthemi duę species K. tres O. uerũ ex Italia G. R. A. Chrysanthemon quidem ab aureo flore cognominatur etiã species una Chamęmeli, ut paulò antè dictũ est: & forsitan eadem herba fuerit. Chamæmalũ enim Leucanthemũ tantùm Dioscorides describit: ac si cætera solo colore floris differant. Chrysanthemum quidem & Buphthalmum Dioscoridis, unam eandemq; herbam esse, minimè dubito, capite utroq; collato, &c. Itaq; Galenus & Aegineta Chrysanthemi non meminerunt, sed Buphthalmi tantùm: cui Galenus flores Chamæmali (nimirum Leucanthemi) sed multò maiores acrioresq; tribuit, & uim discutiendi tantam, ut sclerias etiam (id est duritias, uel steatomata, ut Dioscorides habet) discutiat.

Ci.

Cicer satiuum arietinum, C. G. Cicer syluestre doctissimus Lugduni medicus Iacobus Dalechampius ad me misit.

Cichorium satiuum R. G. Vide Intybum. Hoc olus ut hyeme tota albis & carnosis foliis suis in acetaria ueniat, sapore gratissimo, coli sic debet. Circa finem Iunii seres, non admodum angustè: deinde cum ad duos palmos (seu digitos octo) excreuerit, tempestate sicca, euelles cautè, ita ut manu radicem inferius, id est, remotius à capite apprehendas: & simul corrupta folia si quæ sunt, separabis: & rursus plantabis, ita ut undiquaq; duobus palmis minimùm inuicem distent: et folia etiam principio sui nonnihil in terram mergantur. Postea initio hyemis, antequam nix ingruat, rursus euulsas plantas in cella uinaria seruabis, hoc modo: Soli aliquot spacium ad duos digitos terra recenti operies: huic plantas Cichorii impones, duabus aut tribus cum suis radicibus coniunctis: donec spacium istud repleueris: tum rursus eas terra operies, & sic alternis. Aliqui in uili aliquo uase ligneo, cum terra ut dictum est alternis instrata seruant in hypogeo. Galli & Itali in hortis terra obruere & seruare solent: sed apud nos in hortis & gelatur facilè & pluuiis deinde putrescit.

Cici, Ricinus, Croton, Cataputia maior uulgò, Wunderbaum/ G. R. Planta est annua: & formæ totius raritate admirabilis: & ad remedia utilis. Circa Mediolanum agri eo conseruntur, ut oleum è seminibus exprimatur ad lucernas.

Cicuta uera, herba grauis & fœtidi odoris, coloris ferè cinerei, &c. G. Sponte nascitur & abundat circa forum Tiberii alibiq; ad Rhenum, circa oppida & pagos.

Cicutaria, similis cicutæ herba, innoxia, ubiq; in pratis & hortis abunde nascitur. Imperiti eam pro Cicuta accipiunt.

Cicuta aquatica, herba uenenosa, Bartzenkraut Saxonibus, G. Circa paludes & in paludum marginibus sponte oritur, ut ad lacum Felium agri Tigurini. plantare si quis uelit, in aqua aut loco palustri pangatur oportet.

Cicutam & forma aliqua ex parte & ueneno ferè referre uidetur herba, quam Glyssen nostri appellant. Vide inter Apia. Tragus Apii genus degener esse iudicat.

Cirsium Matthioli, Vu.

Cistus C. fœmina AE. Mas & fœmina, K. Vu. Rurpodius. Valerius Cordus etiam prognatum sibi è semine Cistum memorat. Benedicto Aretio tertio à satu anno floruit: sed semine non perfecto tota planta interiit.

Citrullus. Quære Cucumis.

Citri arbusculæ aliquot. Vu.

Citria & aurea mala K.

Citrei generis arbores in Germania octauo ferè anno fructificant: qui post solstitium prouenerint surculi, autumno sub hyemem refringi debent, hyemem enim non ferunt: & arescentes fortè etiam cæteris partibus uitium adferrent. Rigari debent, non recenti & tenui aqua: sed crassa, pingui, putrida, ut è fossis, & circa sterquilinia. Fimo equino optimè resoluto & in terram ferè conuerso gaudent. Hyeme in cubicula tepida, ut hypocaustis contigua, transferantur in uasis suis. In regionibus minus frigidis (in Germania quidem nusquam puto) relinqui possunt in hortis, si ramis fune in angustius spaciũ religatis, cupa lignea obtegantur. Funccius uir illustris, prætor in urbe nostra, in hortulo pensili iam per quindecim annos Arantias & Limones aliquot alit, quinq; cubitorum nunc longitudine: proceriores fortè futuras, si locum commodiorem & magis apricum habuisset, utq; singulis annis collucaret seu disraràret, operam dedisset. Sexto à satu anno flores in eis primùm apparuisse ait. Habet eas in uasis terra repletis, cubitalis tantùm altitudinis: præstaret autem triũ dodrantum altitudinẽ esse. Fructus ei ferunt, non tamen quotannis, tales tantosq;, quales quantiq; ex Italia nobis mittũtur. Autumno antequam pruina ulla ingruat, in cellã tepidam eas reponit: & per hyemẽ bis ferè per mensem, aquã non nimis frigidã radicibus affundit. Sub dio rursus exponit Aprili medio, aut potius initio Maii. De citrorum cultu Iouinianus Pontanus libros 2. carmine condidit.

Citrum Romanum, O.

Limonum (ut uocant) arbusculæ aliquot, Vu.

Arantiorum arborum, ut uocant, arbusculæ aliquot, Vu.

Arantia poma Basileæ in uno alteróue horto numerosos fructus ferunt, Limones uerò nullos.

Citrus (inquit Nic. Monardus Hispalensis medicus in libello De Aurantiis) humilis est arbor, (uel potius arbustũ,) omni tempore pomifera, semper prægnans fœcundaq;, ut trium annorum fructum habeat. flores emittit iucundissimos, pomum oblongum, interdum rotundum, aliquantulùm rugosum, colore aureũ, odore gratum. Foliũ ei lauri, aculei acuti & rigidi. apud Medos & Persas imprimis frequens: deinde Palladii diligentia in Italiam translata fuit. Postea uerò in Hispania in usum deuenit, ut nemora & campos occuparet. Magna hominum cura ex acri (acido) dulcem cibum fieri docuit. Huius pomis olim non uescebantur, sed propter odorẽ tantùm & medicamenta erat in usu: inculta nimirum adhuc arbore peramaros & acetosos fructus proferente. Postea (ut Constantinus Cęsar tradit) hominũ cura, ouillo lacte semina, priusquã ponerentur, maduerũt: & sic ad dulcedinem mutata est pars interior edulis, cortex amaritudinẽ suam retinuit. Insitionis etiam causa ad diuersas formas peruenit. nam in Malo Punica inserta, ut agricultores docent, in rubrum colorem & diuersam formam abit. Videntur enatę Aurantię, &c. siue ab auri colore dictæ, siue Arantiæ ab oppido. Sic & alia citriorum genera insitione multiplicata sunt, unde reperias tot genera limonum, & alia, quæ nec citro, nec limonibus conueniunt: quemadmodũ Zamboas, Torongas, Limas, Limones, (Nebrissensis uocat Cidras, Naranias, Toronias, Limas, Limones,) quæ omnia nec prisci cognouerunt. Sic magnificato insitionis usu Aurantiarũ plura sunt genera: nam aliquę sic habent corticẽ dulcem, ut totę comedi possint: alię autem in uno pomo duo genera botrorum (acinorũ) habent, alię uerò absq; semine sunt. quanta autem diuersitas saporum in eis degustetur, cõmuni relinquo iudicio. Citrus arbor in Aurantio insertaad magnam proceritatem prouenit: Aurantius uerò in Citro, in tam humilem formam, ut magnitudinem unius cubiti Aurantius non excedat. Concludimus igitur Aurantias insitione ad nos deuenisse, ueteribus ignotas: nisi fortè commemorati ab Auicenna citranguli in Commentario De uirtutibus cordis, & libro primo de urinis, & libro 5. de antidotis, (sicut & à Mesue in oleo de pomis citranguli,) Aurantiæ fuerint. Hæc Monardus. Citrium in nostris regionibus

ad pondus librarum decem quandoq; peruenit, licet raro, Cardanus Mediolanensis.

Citrago. Lege Melissa.

Citrullus. Vide Cucumis.

Cl.

Clematis Flammula quibusdam, in Galliæ Narbonensis Italiæq; sepibus ubiq; obuia, uiti syluestri causticæ apud nos nascenti omnino cognata. AE. Duas eius species habet C. unam albo, alteram rubro flore.

Clematis Aegyptia, syluestris flore cœruleo passim: hortensis purpureo, G. transtuli autem purpureum e Sabaudiæ circa Lausannam hortis Tigurum. Vulgo Vinca peruinca. **Stryt.**

Clinopodium uel Polycnemum, cognata Origano herba, floribus per uerticillos digestis, ita ut in summo etiam uerticillus unus, tanquam rotundum in lecti pede (seu fulcro) capitulum extet, G. Sponte circa sæpes & fruteta nascitur, herba odorata, sed minus quam Origanum, magis uero astringens, oblongior, &c. Alii pulegii petræi speciem quandam, Clinopodium faciunt.

Clinopodium Dodonæi: quod aliqui Marum existimarunt, herba est Sampsucho cognata, nobis ignota: alibi etiam peregrina, & in hortis tantum uisa, iisq; perpaucis.

Clymenum utrunq;, G. **Braunwurtz oder Nachtschatt/weiß vnd Braun.** Alterum nodos ceu scrophulas in radice habet, quod marem dixerim: alterum iis caret, & semper in aquosis nascitur: idq; fœmina uidetur. Sed alii aliud Clymenum faciunt. Vide Rhus Plinii. Clymenum siue Siciliana Plinii K.

Cn.

Cnecus uel Cnicus, uulgo Cartamus, G. R. Argentinæ puto & alibi agri pleni conseruntur, propter florem tincturis aptum.

Cnecus uel Atractylis syluestris, ut quidam uocant, Carduus benedictus, in plerisq; apud nos hortis colitur, propter magnum & multiplicem eius in remediis usum, ne uulgo quidem incognitum. Incultus ubi nascatur, nescio.

Co.

Coccygria, forte Barba Iouis Plinii. Vide supra in B.

Cochlearia uulgo dicta herba, **Löffelkraut**/ (ut scribit Dodonæus) habet initio folia lata & spissa, modice caua instar parui cochlearis, & interdum angulosa instar rumicis minoris, quẽ Romanum cognominant, dura. Caules dodrantales. Flosculi albi in summis coliculis secundum longitudinem eorum nascuntur. semen paruum, rubicundum, in siliquis paruis. radix fibrosa. Crescit in multis locis Hollandiæ, Frisiæ & finitimarum regionum prope sæpes & in pratis. Brabanti in hortis serunt. Videtur autem esse Britannica Plinio memorata: aliis Telephiũ. uires quidem utriusq; repræsentat. Calida & sicca est herba, sapore acri ut nasturtium fere. Magnus ipsius ad stomacaccen usus est apud Hollandos & Frisios. Hæc ille.

Codianum uel Codiaminũ, bulbus syluester quidam, flore Codii C. id est, Campanulæ, calathi ue specie, magno, luteo, cauo, oblongo. **Gäl Mertzenblümen.** G. Martio mense in lætioribus pratis splendet apud nos uulgaris.

Colchicum, Hermodactylus Arabum, quo prata humida nusquam non abundant, autumno florem croci producit nudum, & nullis omnino foliis: quæ per æstatem, sicut & semen in folliculis, habuerat.

Colocasia. Vide Aron Aegyptium.

Colus Iouis, O. Apud Dioscoridem tum alteri Verbenacæ, tum Polycnemo, hæc nomenclatura tribuitur: nam Colus rustica, Atractylis est.

Colutea Theophrasti secundum aliquos: Sena syluestris quibusdam, non recte. arbusti genus, foliis ut Pelecinus fere: semine in folliculis inanibus: unde Germanice quidam **Verbrüte küchle** nuncupant. O. G. R. Vu. C. Facile e semine prouenit, & cœlum nostrũ bene fert: quatuor aut quinq; cubitos altã uidi.

Con.

Consiligo, Enneaphyllon, Diapyron, Pulmonaria Vegetii, Ellebori nigri species, **Leüßkraut/Fürkraut/Teüffelskraut/Wolffszan.** Itali quidam non rectè Elleborinen uocant. O.G.K. circa Basileam & alibi sponte nascitur, locis apricis ac lapidosis. Tres aut quatuor annos stirpē unam durare puto, flores & fructus ferre secundo. Prosemi nat sese sponte. Matthioli de Consiligine coniectura uana est.

Consolida regalis. Vide Delphinium.

Conuoluulus maior. G. Nascitur circa sæpes & frutices, ubi aqua subest.

Conuoluulus minor, Helxine cissampelus, ubiq; in aruis nascitur: radiculis quā longissimè uagantibus sicut in litoribus Brassica marina, cui cognata uidetur.

Conuoluulum peregrinum uel cœruleum uocarim granum Nil Arabum, ut eru diti quidam uiri in Italia nuncupant, Auicennæ: qui tamen Isatidem quoq; Nil appellat, O.G.AE. Itali quidam uulgò Campanulam lasuram uocant, ni fallor. inuenio enim hoc nomen in Catalogo horti C. & aliud, Campanula cœrulea, de qua superius diximus. Genus hoc conuoluuli peregrinum, non floris tantùm colore, sed aliter etiam à nostro differre uidetur: folia enim alterius figuræ, & hirsuta habet: lactis nihil. semen longè uehementius sapore, tanquam cyclamini, si benè recordor. Hoc anno à me satum uariè prouenit. In uasis plantæ aliquot, cùm quatuor aut quinque folia protulissent, periére, frigore ut conicio. aliæ infra palmi altitudinem constiterunt, ac floruerunt tamen: aliæ altius excreuerunt. Vna in area ad cubitos ferè nouem perticæ se circumuoluit: & semen initio autumni maturauit. Flores ephemeri sunt: noctu enim se apperiunt (unde florem noctis uulgò quidam in Italia nominant) postridie ui solis pereunt. Radix subest parua, fibrata.

Conuoluulo similis herba, sed minimo flore, semine triquetro, gustu subacido & glutinoso, G. est & suæ spontis passim in agris. **Schwartz winden**/id est Conuoluulus niger uulgò à Germanis dicitur. quidam non rectè Orobanchen putant.

Conyza maior locis lapidosis & in muris mœnium aut fossarum urbis nostræ nobis prouenit: fœtidior & inelegantior, quàm ut hortis eam dignemur.

Conyzæ species tertia, aquatica. G. non diu uiuit in hortis siccis.

Conyza Hippocratis, ut quidā nomināt. Vide Ambrosia suprà, & Cotula infrā.

Conyzæ alpinæ species, foliis oblongis, serratis, G. **Böni/Goldblům auff den alpen.** uaccis intacta.

Conyzæ aquaticæ species, foliis oblongis, serratis, G. Stirps una iam quinto (ni fallor) anno. in horto mihi durat, loco umbroso.

Copia Elegia O. Videtur autem Copia uocabulum esse corruptum, pro quo fortè legendum Canna, id est Arundo. Sic enim Plinius lib. 16. cap. 36. Est & obliqua harundo (inquit) non in excelsitatem nascens, sed iuxta terram fruticis modo se spargens, suauissima in teneritate animalibus. Vocatur à quibusdam Elegia. Sic ille. posset & Chamæcalamus appellari, sicut Chamæbatum dicimus.

Cor.

Corchorus quibusdam, Apii genus uitiosum, radicibus repens, areas hortorum passim replet. cacoselinon quoddam (ut ita dicam) non Corchorus ueterum, quanquam & ipse Ocimi ferè folio (sed serrato & oblōgiore) inter olera nascitur: sicut & Anagallis, quàm aliqui ueterum etiam Corchorum nominabant. Lege suprà in Bliti syluestris mentione.

Coriandrum rusticæ quædam mulierculæ apud nos serunt, ad condimentorum usum. Argentinæ agros eo plenos seminari puto. Semina maiora in calidioribus locis fert. Propter fœtorem certè agros magis quàm hortos decet. Syluestre reperiri Plinius negat. Amatus Lusitanus uerò in aruis & campis circa Anconem sua sponte nasci colligiq; scribit.

Coris A.K. sponte in Italia crescit, Matthiolo teste.

Cornus mas, Vu. A quibusdā etiā apud nos plantatur. Frequēs est in dumetis inter Metensiū et Treuirorū urbes. at in locis ad Mosellā et Rhenū fluuios sitis, et per

Alsatiam in hortis seritur uel semine uel surculo auulso, Tragus.

Cornus fœmina. Quære Sanguinea uirga.

Coronopus uerus, qui Cornu Cerui nonnullis dicitur, O.G. Italis uulgò herba Stella, plerisq; Italiæ hortis uulgaris, propter usum eius in acetariis. Huius & syluestris species reperitur, foliis multum differentibus, Serpentina quibusdam dicta. Vtranq; pingit Matthiolus. Leonicenus graminis speciem, quæ Capriola uulgò dicitur (de qua leges infrà in G.) non rectè Coronopum putauit. Herba stella Matthioli in Germania inferiore passim circa uias nascitur: sicut & Coronopus Ruellii. Vterq; pingitur à Dodonæo.

Coronopus uulgaris: & alter Theophrasti, puniceo colore, semen continens in spinosis capitulis, alii hanc plantam ad secundam speciem Atractylidis referunt, K.

Coronopus quorundam ranunculo specie similis: syluestris, alba; & alia lutea, quæ pauperibus etiam inter olera recipitur. Hortensis, flore multiplici, luteo, albo, nam simplici utraq; syluestris reperitur, ut alia etiam omnia quæ multiplici in hortis flore placent, simplici reperiuntur syluestria.

Corylus. Vide Auellana.

Costus hortensis recentiorum quorundam, uel Menta Græca (aliis Romana, Saracenica,) seu corymbifera. Frawenkraut/unser Frawen Müntz/Zam Heydnisch wundkraut. Viuacissima est in hortis. G. Alicubi circa Martiam syluam, ut non procul Lenzkilcho, in agris compascuis, syluestrem nasci aiunt.

Cotinus Plinii, AE.

Cotonea. Vide Mala Cydonia.

Cotula. Vide Parthenium.

Cotula (fortè Conyza) fœtida Hippocratis, nescio in cuius horti Catalogo reperi. Ea aut cognata, Senecioni ferè similis, pinguis tactu, (Artemisiis, ut quidā cōiiciunt, adnumeranda: ego potius Conyzis adscripserim,) in sylua Vuettingensi prope Badam nostram abundè nascitur.

Cotyledon C.

Cr.

Crithmus uel Batis, AE. C. Vu. Non facilè nec diu nostrum cœlum fert: facilè in hortis Italiæ, quanquam nobis & alpibus uicinæ, ut Lucarni alibiq;, in multos annos durans. debet autem sub hyemem fimo equino aliòue tegi. De cultu eius plura leges in epistola Hier. Massarii ad me, huic libello præfixa. Batis hortensiana uocatur à Plinio.

Crithmus marinus, C. & Rurpodius, in uase G. non maturuit. Crescit copiosè in litoribus Hispaniæ, Galliæ & Angliæ, Dodonæo teste.

Crocus R. G. Optimus colitur apud Vallesianos nostros circa Sedunum, et uenditur uicinis. Bulbi eius pangi debent circa diui Bartolomæi diem, trium digitorum interuallo. Tertio quoq; anno Martio mense, plantæ integrę euulsæ reponuntur usq; ad diui Bartolomæi diem, ut mediocriter siccentur: & tum rursus terræ mādentur, atq; ita deinceps. Folia per æstatem latent, hyeme apparent.

Crocus syluestris, flore candido, pulchro, prosiliente sub finem Februarii. K.

Crocus montanus siue alpinus A. Floret (inquit A.) in horto meo, sed nulla unquam protulit semina, quæ ubi sponte nascitur in montibus profert. Leffrat quidam alpium incolæ nominant. Triplex est, coloris tantùm differentia: cādidus, puniceus, & ex utroq; mixtus. Viret etiam in meo horto, è montibus circa Curiam à Ioanne Fabricio uiro doctissimo hoc anno primùm ad me missus, foliis graminis, angustioribus.

Croci Zizania, bulbus quidam nuper cum croco è Vallesia ad me missus. superficies, ut etiam croci, magnis interuallis latet, & redit, G.

Cruciata R. Gentianæ puto speciem intelligens, nam & alia Galio cognata, passim communis herba, eodem nomine dicitur.

Cucumis, G. Lege Melopepones, & Pepones.

Cucumeres albi, Vu.

Cucumis citrullus uel citreolus, Vu. Apud nos uix maturescit: difficilius opinor quàm Cucumis.

Cucumis erraticus uel asininus, O.G.R. Facile nascitur durâtque in nostro etiam cœlo: & sparsis per maturitatem seminibus, quæ rupto pericarpio eiaculari solet, sese restaurat.

Cucurbita, G. Syluestris hæc species non reperitur, quod sciam: nam Colocynthis dicta, Cucurbita syluestris (nescio ubi sponte nascens, nisi in Græcia forte) est, ui & specie plurimùm differens.

Cucurbitæ, quam Zucca marina Itali uocant, species, O. hanc esse puto quam Indicam aliqui cognominant, quæ in nostris etiam hortis pulchre prouenit. De tribus Cucurbitarum generibus, oblonga, marina & syluestri, lege Cardanum De uarietate lib. 6. cap. 23.

Cuminum syluestre, quære in Delphinio:

Cupressus. Vide Cypressus.

Cy.

Cyanus cœruleus, puniceus, albus, (qui in aruis passim emicat, sed cœruleus tantùm) G. & in plerisque regionis nostræ hortis. Annua est herba, & restibili fœcunditate seipsam propagans.

Cyanus exoticus, pulcher, K. sentiens nimirum de Cyano montano nostro.

Cyanus montanus uel syluaticus G. Ae. In Albio monte nobis imminente syluestris exilit. in hortos translatus longo tempore perennat. Apud Germanos quidem inferiores solet in hortis seri.

Cyclaminus nascitur copiose montanis locis, iuxta pedes montium prope Riuarium lacum, in saxis etiam: ut circa Vuesam, Vuallestadium, Feldekircum, & locis arenosis Curiam uersus circa Rhenũ, et alibi. Ea species foliis est subrotundis. In hortis plantata diutissime durat, uere & autumno florens suauissimi odoris purpureis seu colossinis floribus. Audio & albo flore circa Neocomũ Sabaudię reperiri.

Cyclamini species duæ, prædicta, & alia foliis angulosis, cucumeraceis fere, F. Amicus quidam in Italia Cyclaminum folio quadrato sibi uisam nobis retulit. Radicum aliæ breues, & mâlum, id est, orbem radicis, prope superficiem habent: aliæ oblongæ malo in fine adnexo: quę itidem species in Italia reperitur.

Cyclamini speciem habeo, radice instar capitis arietis, C.

Cydonia mala, require in M.

Cynoglossus Italica, O. & Basileę in horto Zuuinggeri. Vulgaris quidem circa urbem nostram locis fere arenosis non deest.

Cynoglossus mõtana à quibusdam nominatur: Telephium ab eruditis nõnullis existimatum: floribus oblongis, luteis, cauis, &c. Romæ frequens esse audio, à Græcis edi. Aliqui (ni fallor) pro Cerinthe ostendunt. Magna & oblonga folia habet antequam caulescat. Hanc in horto alit Chr. Piperinus meus in agro Bernensi, è montibus circa Dunum (puto) allatam. Nascitur & Romæ in monte Palatino: item in mõtibus inter Dresdam & Misenã. Eruditi quidã Telephiũ Diosc. interpretantur.

Cynorrhodon lilium. Lege inter Lilia.

Cyperella Cordi, G. passim in pratis humidis & circa fossas exilit: Pseudocyperi species pumila, foliis hirsutis: flosculis luteolis. Itali quidam Luciolam hanc uocant, alii forte aliam.

Cyperus longus, O.G. Hunc sponte natũ reperiri audio in pratis humidioribus circa Rappersuillam oppidum ad lacum Tigurinum nostrum. Flos Agalochũ fere olet. Iam diu in hortulo meo durat. Semen nullũ aut inutile habere puto. Longus et rotundus (qui rarior est, ex Italia puto allatus,) O.R.K.C. Pseudocyperus uerũ undiquaque æmulatur, sed odore caret, nusquam non in aquaticis apud nos obuius.

Cypressus uel Cupressus, A. Vu. C. Rurpodius. E semine mihi quoque orta, ad dodrantalem longitudinem, hyeme quanquam in uase in cella uinaria reposito, inte-

riit. Lutecię in hortis quibusdam, Bellonii cura, uiuit.

Cytisus suffrutex lignosus, uel Cytisus minor (nam maior in Italia nascitur) è colle prope Scaphusiam (id oppidum illustre Heluetiorum est ad Rhenum) mihi transplantatus hoc anno, pulchre uiret. Idem è semine mihi prouenit, quod Petrus Bellonius misit, & in uase per hyemem seruatus, altero iam anno durat: nostrate candidior, hirsutiorq́;, & (ut apparet) procerior futurus. Hyeme folia amittit.

Da.

Damasonium. Lege Alisma.

Daphnoides K.

Daphnoides Dodonæi, quæ circa Lemanum lacum sponte nascitur, foliis Lauri fere, minoribus, crassis, C.

Daucus Creticus R. F. In Italia monte Baldo sponte nasci audio.

Daucus quidam palustris, liquore lacteo resinoso turgens, radice amara, G. In pratis quibusdam palustribus suæ spontis est, ut circa lacum Felium apud nos. alibi uidere non memini.

De.

Delphinii tres species, O. sic autem eum uocare puto (sicut & Cordus primùm, deinde Dodonæus, & alii quidam uocarunt) Consolidam regalem uulgò dictam, quam Cuminum syluestre alterum Dioscoridis putârim. cuius apud nos in hortis genera quatuor reperiuntur, syluestre, scilicet uulgare, quod in aruis nascitur, cœruleo flore: & alterum rarius, candido: tertium, roseo: & quartum undiquaque maius, procerum, magnis floribus, in magna & oblonga quasi spica. Ritter sporen uulgò nominant. Aconiti etiam genus floribus cœruleis, simile alioqui Lycoctono luteo, Bernenses nostri uocant groß Bergritterſporen.

Dentelaria nostra, quę dentium dolori medetur: flores habet subcœruleos, qui ilicò in pappos soluuntur. herbæ sapor est acris, G. Sponte collibus siccis, saxosis & apricis emicat. Conyzoides quædam herba est, quam pinxi & descripsi inter quinque istas stirpes, Cordi Descriptionibus plantarũ subnexas. Dentelaria autẽ Monspelii dicta, et alio nomine Flammula, à ui cauterii, alia quędã est (Flammulas quidẽ alii alias herbas appellant) quã nõ ipsis dentibus, sed carpo admouẽt, ut audio. Huius coliculũ dũ hæc scriberẽ, digitos octo altum uidi, aridũ, sex per interualla foliis, simplicib. digitũ latis, tres longis, sapore dulci cũ acrimonia. Habeo & semen longiusculũ, tunica fusca tectũ, intus subruffũ, una parte acuminatũ, nullo eximio sapore.

Dentelaria alia, (Irio quibusdam seu Erysimon putata) in Italia ut audio, sic dicta, quòd siliquulas ferè dentibus similes toto caule emittat, modicè inflexas, G. Pedalis aut cubitalis est herba, annua, foliis diffectis, flosculis luteis, gustu acerrimo, sinapi cognata.

Di.

Dictamnus uera seritur in Italiæ hortis, seminibus è Creta allatis.

Dictamni loco usurpata hactenus planta, Pseudodictamni, Fraxinella Italis: hoc enim nomen magis ei quàm Lilio couallium cõuenit.) R. G. K. C Rurpodius Chamæmeliam, hoc est, Fraxinum pumilam, Græcè dixerim. Hanc aliquoties è semine (quod rotundum, atrum, splendidumq́; habet) frustrà prodituram expectaui: immaturiore forsan. hoc anno enim plantæ quatuor è semine mihi prognatæ, uiuunt. Diu & pertinaciter radix in hortis durat, etiã neglecta & nuda aliqua ex parte. Vidi Argentinæ in horto quodã ante annos quatuordecim, ubi etiamnũ durat eadem planta, & flores fructusq́; fert. Nascitur in collibus quibusdam saxosis prope Scaphusiam (ubi & Cytisus) inde in hortum meum transtuli. Weyſſer diptam.

Digitalis Fuchsii, floribus luteis uel pallidis, maior & minor. Maiori quidẽ flos minor est, & magis albicans: minori, maior, magisq́; luteus, G. Eadẽ purpureo flore O. G. Aralda Bononiæ uocatur, cum eulogio chi tutte piage salda. i. quæ omnes plagas consolidat. Vulgò Spitz wundkraut. Locis saxosis & montanis nascuntur: purpurea nobis suæ spontis deest, circa Coloniam (ut ferunt) abundat.

Diospyros dicta ab eruditis quibusdam arbuscula, locis montanis ad nos prouenit, ut in Albio è regione statim urbis nostræ: foliis ferme Rosæ, uenosis, fructu rubente, umbilicato, magnitudine & figura Cerasi, per maturitatem ad subcœruleum

leum

ruleum primùm, deinde nigrum colorem tendente: floribus albis: cubitos alta quatuor aut quinque, quanquam etiam ad octo cubitos proceram uidi, trunco non crassiore baculo. Circa Riuarium lacũ Pyra S. Ioannis uocant, Bernenses Flůbiren, quòd locis saxosis gaudeat. Hanc euulsam aliquando in horto plantare frustrà conatus sum. E semine aut teneriore planta forsan melius succedet. Species duæ sunt, una foliis obtusis, altera acuminatis. Vtraque in hortulo nuper mihi plantata spem aliquam suæ durationis facit. Vide infrà in Sorbis. Videtur enim ad Sorborum aut Mespilorum genus pertinere.

Dipsacus satiuus, aculeis echinorum sursum uersis, G. Huius qui lanas expoliunt alicubi agros plenos serunt. Syluestris, cuius capitulorum aculei deorsum spectant, passim obuius est: sicut & species minor paruis globosisque echinis.

Do.

Doria, si bene memini, uulgò dicta in prouincia, D. Vide Panaces chironium.

Doronicũ, R. K. G. Ae. Hoc è summis alpibus bis aut ter in hortulum transtuli, ubi per duos aut tres annos plantatũ uixit & floruit. Circa Monspeliũ memini etiã in planicie repetire, nescio an omninò idem, an potius Romanũ cognominatum.

Doronicum Romanum, F. duplex, A. prædictum scilicet, & tertium quoddam à Romano diuersum, foliis angulosis, radice ad scorpii similitudinem accedente, magis quàm in aliis duabus speciebus. non tamen idcircò Aconitum esse potest, ut quidam putauerunt, uel hæc uel alia Doronici species: cùm radices omnium longe dulcissimæ, & homini saluberrimę sint. Alpino quidem etiam rupicaprę suauissime uescuntur: unde & nomen apud Heluetios Gemsenwurtz. Nuper speciem Doronici pulcherrimam, plurimis in radice per interualla ceu scorpionibus admirabilem Franciscus Calceolarius totius rei herbariæ longè peritissimus, Veronæ ad Campanam auream pharmacopola, depictam ad me misit: eamque in horto se alere scripsit.

Dorycnium à quibusdam falsò dictum, circa Monspelium in litore nascitur, flosculis albis, suffrutex astringens, &c. G. Eius planta una duos aut tres annos in hortulo nostro durauit, & semina probè maturauit. Benè fert hyemes. Argentinę etiam in horto D. pulchrè prouenit.

Dorycnium O di falsum, Ae. Aliqui suffruticem quendam montanum (uitis Idęę speciem puto) pro Dorycnio habent: Cordus Halicaccabum peregrinum à nonnullis dictum: neutrum probo.

Dr.

Draba uel Arabis Dodonęi, Thlaspi creticũ quibusdam, C. Lege etiã Tarchon.

Draco hortensis seu acetarius, Vide Tarchon.

Dracunculus, Dracontiũ, Serpentaria, O. C. G. Species duæ, F. In Germania syluestrem inueniri non puto. Species altera, Venetiis in horto Maphei de Mapheis medici.

Dryopteris, Adianto ferè cognata herba, G. In colle lapidoso ad Badam nostram sponte prouenit.

Dulcichini siue Trasi, K. G. Leuschnerus. Flores non ferunt, neque caulẽ: sed folia tantùm Caricis, seu Calamagrostis: radices geniculatæ, & ceu paruulę quędam nuces (nucleo et crusta constantes molliori) ac seminũ loco sunt: eæque seruntur in Italia, ut circa Veronam. loco arenoso et ubi humoris aliquid subest, lętius crescere putârim. Minores & suę spontis in Africa proueniũt, ubi Hab alzelim uocantur. Aliqui in Italia Iuncum auellanam uocant: quem Amatus Lusitanus Venetiis uendi scribit ex Aethiopia aduectum. Græcè Schœnocaryon nomen finxerim, &c.

Dulcis radix communis, Glycyrrhiza, R. Ae. Nascitur & in nostro hortulo: in quo duobus aut tribus annis absque flore & fructu caulem edidit tricubitalem ferè, quarto primùm anno flosculos & siliquas ostendit. Hæc cùm scriberem ad cubitos quatuor excreuerat, decẽ aut pluribus (aliquot enim resecueram) ab una radice caulibus, sub finem Iunii mensis. neque dum tamen flores ostendebat. Prouenit autem primùm plantata radice, quæ inter alias à mercatoribus allatas, ceu uegetior electa

fuerat. Folia tactu glutinosa sunt, & leuiter subolent nescio quid aromatici, Calami fere, sub noctem præsertim: quo tempore folia omnia demittuntur, interdiu uerò surriguntur. Glycyrrhiza (inquit Fuchsius) multa, nec ignaua, aliquot Germaniæ nostræ locis, Pabenbergensi præsertim agro, producitur. Et hodie nusquā ferè non seritur in hortis. his quæ semel comprehenderit tam pertinaci fertilitate cohæret, ut uix unquam possit radicitus extirpari, tam restibili fœcunditate regerminat. Audio & Fullaci in Carinthia prouenire: & illic etiam ut in Franconia Bambergæ, in agris coli: tertio aut quarto quoque anno effodi, hoc modo: sulcus longus, nempe per totum agrum ducitur, duos ferè pedes latus: profundus tres aut quatuor dodrantes. sic maiores radices eximunt, relinquunt minores. Glycyrrhiza Italica, ad Dioscoridis descriptionem melius accedens, O. & C. à quo etiam aridam cū fructu echinato missam accepi. Glycyrrhiza syluestris, Ae. ea herba puto, quā Dodonæus libro 2. pagina 36. iconum suarum pro Hedysaro pingit: quæ apud nos suæ spontis reperitur herba. aliud quidem, idque uerum Hedysarum, eiusdem libri pag. 367 exhibet.

Ec.

Echinopus, G. A. Didymus Obrecht. Sic autem appello genus Cardui, quem aliqui Spinam albam, alii Crocodilium uocant, ni fallor: flore cœruleo in globū collecto & echini instar rotundo aculeatoq; capitulo, &c. Aliqui Germanice **Junckfrawen distel** appellant. Bellonius alium, ut uidetur, echinopodem, in Græcia hodieq; dictum, nouit.

Echium, R. Circa urbem nostram in sabulosis abunde nascitur.

Egani uel Thani arbores (ut Montanus appellat) similes ligno Guaiaco: septem uel octo in horto Vu. sentit autem forte de Laburno nostro.

El

Elaphoboscum. Vide Bupleurum.

Elleborine O. R. C. qui omnes puto Consiliginē nostrā hoc nomine intelligūt, quā Dodonæus Pseudoelleborū uocat. Vide supra Consiligo. In catalogo quidem horti, K. Elleborinen aliam à Consiligine inuenio: quam & Sesamoides nuncupat.

Ellebori quatuor species, F.

Elleborus albus, R. O. G. K. Vide infrà in Gentiana.

Elleborus niger uulgaris, (in collibus & mōtibus nostris sponte,) O. G. Est qui circa Larium lacū in collibus nascitur, flore magno, purpureo, &c. foliis albioribus quā noster sit, ut fœmina uideri possit, nam et minus uehemēs est: noster uerò, mas. Is cum Dioscoridis descriptione conuenientem Venetiis in horto uidisse memini. Is nimirum est Elleborus niger uerus in horto, K. At qui à Dodonæo uerus creditur Elleborus niger, de quo dixi suprà Astrantiæ nigræ nomine, toto genere ab Elleboris omnibus differt.

Ellebori nigri species (ut aliquibus placet, propter radicis in figura simul & uiribus similitudinem. nam folia Abrotoni sunt, flos Ranunculi, sed multò maior) ueteribus indicta: quanquam aliqui Sesamoides faciunt, G. Est qui Consiliginem esse somniet. Vide supra in Buphthalmo. Quidam pro Sesamoide accipiunt, ne illi quidem rectè. Nos Elleborastrum nigrum appellabimus, donec aptius aut uerius nomen indicauerit alius. In hortis diutissime durat: floret Martio. Sponte nascitur in Vallesia inter S. Mauricii oppidum & Sedunum: propius quidem illud.

Elleborastrum nigrum.

Endiuia. Vide Intybum.

Ephemerum R. Colchicum nimirum, quo prata nostra humidiora abundant: nisi Lilium conuallium intelligat, de quo leges infrà.

Er

Erino cognata herba, ut uidetur, uel Lactoridi, Militariue: Esula dulcis Trago, G. Reperitur circa pedes montium locis humidis: radicibus geniculatis, ideoq; uiuacissimis.

Eruca, O. propriè dicta flore albo, quæ perit quotannis, & altera luteo flore, uiuax in hortis, angustioribus foliis, Erysimon hortense puto, G. Syluestris Eruca ab horten-

hortensi genere differre uidetur; Erysimō non itē. Crescit hoc Bernę circa urbis muros, & in ruderibus, (& Luteciæ similiter.) diuersum ab Erysimo Tragi uel Dodonæi, qui Verbenam fœminam à quibusdam non rectè dictam, cum sinapis syluestris potius genus sit, pro Erysimo exhibent: item à Matthioli Erysimo, qui herbā S. Barbaræ uulgò dictam, pro eo pingere uidetur.

Eruca agrestis passim in nostris uitibus crescit, folio satiuæ simili, strictiore tamē & minore, flore luteo, quæ prǽsertim circa Calendas Iunii erumpere uidetur è terra; nam alio tempore uix reperitur: eius enim semē diutissimè in terra asseruatur priusquam germinet, Carolus Stephanus.

Eruum. Lege Orobus.

Eryngii duo genera, R. C. quorum alterum marinum esse coniicio: alterum mediterraneum, hoc est, procul à mari nasci solitum, quod circa Basileam plano & aspero solo abundat.

Eryngium Aëtii, AE.

Eryngium cœruleum O. marinum flore cœruleo, O. K. D.

Eryngium alpinum, in montibus ditionis Bernensium Heluetiorum, foliis ferè rotundis, serrato ambitu, non aculeatis: flore ceu Cardui pulcherrimè cœruleo. Edler distel. Huius ad me allatas radices aliquas plantaui in horto: quæ primo anno folia tantùm produxere: secundo, etiam caulem cum flore, sed imperfectè. In horto A. semen maturarunt. Tertio mihi perierunt.

Erysimum. Lege Eruca.

Erythrodanum. Vide Rubia.

Es.

Esula dulcis. Lege in Erino.

Esula maior R. foliis oleæ ferè, maioribus. duos aut tres annos durat, G. in collibus quibusdam asperis, ut circa Scaphusiam & Basileam crescit.

Eu.

Euonymus illa quę passim in sepibus apud nos crescit, pecori tamen & capris nō letalis ut audio, G. C. Aliam eius speciem propè Genuam nasci, quę ad Dioscoridis descriptionem magis accedat, Pet. Bellonius mihi retulit.

Eupatorium Dioscoridis & aliorum Græcorum, hoc est, Agrimonia uulgò dicta, ut passim circa nemora nascitur, ita in hortos transfertur facilè: sed nō diu durat.

Eupatorium Mesuæ, O. R. puto autem eos Gratiolam Italis dictam intelligere, ex Val. Cordi sententia. Eam nos quoq; è palustribus ripis expatiantis lacus nostri in hortum transtulimus semel atq; iterum: sed parum durauit, quòd aquam subesse desideret. Alii Eupatorium Mesuę interpretantur herbam quandam odoratam, Costo hortensi cognatam. Vide in Agerato.

Eupatorium Auicennæ, ut quidam cognominant, nescio quam rectè: locis aquosis prouenit, fruticosum. idem in hortis quanquam sicco solo plantatum, aliquot annis durat.

Fa.

Fabæ albæ, rubeæ, R.

Faba inuersa. Vide Anacampseros.

Fabago arbor, Bellonii cura Lutecię iam crescit. sic autem nominat Lotum fortè, quæ alio nomine Faba Syriaca dicitur.

Fagus G.

Fagus sepium à Germanis dicta, Vlmo opinor quā Fago magis cognata: Carpinus (ni fallor) ab Italis uulgò. nam Plinii Carpinus species est Aceris.

Fe.

Ferrum equinum, Italis uulgò, Ferro de Cauallo, C. Rurpodius. Sic Itali uocant herbam, cuius semen seu siliqua soleam equi ferream præ se fert. Medicę speciem esse putant aliqui.

Ferula C. A. K. Semen ex Italia adfertur, ubi sponte nasci puto in montibus, prę-

ſertim Apuliæ. Herba ſimilis eſt Libanotidi à quibuſdam eruditis exiſtimatæ, foliis ſimiliter multifidis, &c. ſed minor, & ſapore foliorum differt: nec non odore radicis, quo Libanotis planè thus refert, ut Argentinæ mihi affirmauit Maſſarius. Plurimis annis in hortis durat. G. Argentinæ quidem in horto quodam ultra annũ quartumdecimum nunc uiuit huius generis herba: quæ ferulá ne ſit, an Libanotis, aut eius ſpecies, inquirendum diligentius. Ego Libanotidem potius quam Ferulam eſſe puto, quæ Argentinæ & noſtro in horto naſcitur. Libanotidis quidem ferulaceæ ſpecies duæ à Dioſcoride traduntur: nec dubito quin etiam plures ſint.

Ferulago ab Italis quibuſdam dicta, ex ſemine nuper apparere mihi cœpit.

Fi.

Ficus, G ad quadraginta, Vu. Pereunt apud nos hyeme non rarò, præſertim minores adhuc, nec quatuor aut quinq; cubitis proceriores. has in fine autumni in ſcrobe iuxta radicem facta, obrui terra tutius eſt: ſic enim & contra frigus muniuntur, & plures maioresq; fructus ferent. Verno tempore rurſus attolluntur, initio Aprilis maximè in noſtro cœlo. Sic curata ficus mea quanquam loco umbroſo, multos tamen grandes & ſucci plenos fructus partim Auguſto, partim Septembri protulit: deinde tranſplantata, deterius iam habet. Initio cùm nõ obruiſſem terra, ſuperficiem perdidit. Argentinæ in quibuſdam hortis paulò poſt ſolſtitium fructificare incipiunt, perguntq; uſq; ad autumnum. audio & biferas ibidem eſſe interdũ, ita ut & media æſtate, & rurſus autumno maturent fructus: interdum alterius duntaxat temporis fructũ perficiant. Groſſi uel primi fructus apud nos decidere ſolent: ſequentes uerò matureſcere. Ficus è ſemine nunquam aut uix oriri uidetur, Scaligero teſte.

Ficus Indica, quam aliqui ridiculè Opuntiam nominant. G K. Rurpodius. Mihi quidem è foliis tribus uno ad mediam, uel amplius, partem terræ inſerto in uaſe, mox foliis aucta eſt. Vuoiſſelo Vratislauiæ è ſeminie prodiit, anno ſecundo demũ ut audio: alius è ſemine facilè naſci mihi narrauit. Folia tria ex Italia mihi attulerat Anſo Korſtam uir bonus et ſimplicium medicamentorum peritiſſimus. ex his intra menſem ferè, alia plura enata ſunt, Maio menſe. hæc poſtea uaſe in cellam tepidam (hypocauſtum non calefieri ſolitum, ſed calido contiguum) repoſito, ſub finem hyemis æruginoſis quibuſdam maculis notari, & putreſcere (uel potius contabeſcere, & in aquam ceu hydropica, nullo ut putrida ſolent fœtore) cœperunt: fortè quia ſemel ac iterum aqua aſperſa fuerant. Partibus autem tabidis à me reciſis, reliqua remanſerunt: & noua pullularunt. At hyeme altera, cùm ſeptendecim foliis conſtaret, deciderunt omnia, infimo tantùm relicto: cuius itidẽ pars tabeſcere incipiebat: qua reſecta, Maio menſe demùm nuper quatuor alia folia eruperunt: quæ unà cum infimo, iam infirmato, ne proxima hyeme mihi pereant, metuo. Non ſolùm quidem folia, ſed etiam partes eorum terræ mandatas comprehendere atq; creſcere, dimidio uno (cuius partem mediam putreſcentem reſecueram) plantato, didici. In Italia & calidioribus Galliæ locis felicius creſcit, & hyeme etiam in hortis ſub dio relinquitur: ſed undiq; ſtupis inuolutam induunt, et rigatione abſtinent. In Gallia Ciſalpina nõ fructificat, ut audio, ne Patauii quidem aut Ferrariæ. Calidioribus uerò locis, Romæ, alibiq;, & in Græcia, fructum perficit: quem aiunt longum eſſe digitos fermè octo, graui quodam odore. Mandragoræ ferè: non edi, & ſi edatur, urinam cruentam ducere. dulcem eſſe puto, & inde Ficus nomen impoſitum. Folio diſſecto multus & tenaciſſimus humor emanat, inſtar albi liquoris oui: quem ulceribus antiquis utiliter adhiberi aiunt. Ineptè alqui Carduum Indicum uocant, propter ſpinularum in foliis ceu penicillos. Hyeme ſuperiori cum diuerſis in locis Germaniæ hanc plantam ſeruare aliqui conarentur in cellis uinariis nimirum, omnibus (ut audio) periit. Arboreſcit tandem: in Italia ad quinq; cubitos altam ſe uidiſſe aliqui mihi retulerunt & folium infimum femoris ferè craſſitudine. Tota enim planta foliis conſtat, ita ut è ſingulis ſingula binaúe naſcantur: idq; è margine duntaxat, ſiue ſummo, ſiue ad latus. Retulit mihi quidam uiſam ſibi Monſpelii hanc plantam tres cubitos

cubitos altam, cum fructu maturo, quẽ de foliis promat ex aliquo penicillorũ mea-tu. Septimo aut octauo anno fructum profert, qui maturescit autumno dodrantalis ferè, uerrucosus ut Cucumis uel Pomum mirabile: cui etiam colore ferè similis est in maturitate, ut scribit Carolus Clusius: qui coniicit hoc esse Euphorbium quod Io. Leo in descriptione Africę describit: id quod cõsiderandum est diligentius. Cardanus De uarietate lib. 13, cap. 67. Ficum Indicam (inquit) Mexicani, apud quos frequens est, uocant Nuchtli, arborem nopal. Indi autem insulę Hispanæ arborem uocant & fructum Tunas. aliqui etiam Pithaiam huic generi (ceu speciem alteram) adnumerant. Granorum quæ fructibus illis continentur, ad sericum tingendum usus est. Refrigerant hi fructus: succo quoq; foliorum pro aqua utuntur, &c.

Filipendula, Oenanthe. G. O. Pratis humidis gaudet. In hortis ad biennium durare puto singulas plantas, sed sparsis seminibus restaurare se nisi in riguis non facilè potest. φιλιπένδυλα etiam à Nic. Myrepso scribitur. Speciẽ aliam, foliis ferè Apii hortensis, circa Monspelium in nemore uidi.

Filix fœmina G. quæ multis à radice statim foliis (errant enim qui hanc marem faciunt) passim in syluis abundat. Marem plantare nondum conatus sum: quæ similiter ubiq; syluis, & neglectis innascitur agris.

Filicis genus rarius, latiore folio, & floribus insigne, ab Hier. Trago depictum, Argentinæ in Sebaldi Hauuenreuteri medici eximii horto uidi.

Filicis genus minus & aquaticum, quod circa lacum Felium (qui ab urbe nostra duarum ferè horarum itinere distat) palustribus pratis luxuriatur, G. Diu uiuit in siccis etiam hortis.

Fl.

Flamma uel Flammula Iouis, seu Lychnis coronaria, ut quidam uolunt, nos florem Iouis potius uocamus ex Theophrasto. AE. O. K. Himmelblümle. Flammula (Phlox uel Phlogion Theophrasti nimirum) Scaligero est flos ab odore Caryophyllus dictus.

Flammulæ nomen alii aliis plantis urentibus attribuunt. pleriq; Clematidi, de qua dictum est suprà.

Flos uel Caryophyllus Indicus uulgò dictus, herba Tanacetum refert: floris uerò species Caryophyllum florem altilem uulgò dictum, Indianisch blümen/ Indianische nägelin. Hunc florem primum ad nos allatũ ex Africa, cùm Carolus V. Tunetum traiecisset, Remb. Dodonæus author est: unde Thunisbloemen apud inferiores Germanos uocatur. Punica lingua Pedua uocatur, si bene memini. Species duæ sunt apud nos, una minor, uix cubitalis, & in solstitio aut prius florens: altera ad iii. aut iiij. cubitos assurgit, fruticosa admodũ. Augusto florere incipit, ad hyemis initium, quod cum primùm senserit, aut pruinam aliquam, interit: semine non maturato, nisi & primo uere seratur, & æstas calida sit. Vtriusq; speciei flos tum simplex, tum multiplex reperitur: sed minor multiplex, apud nos rarus est. Maior aliquando ad pugni magnitudinem crescit & in globum colligitur. Ex eiusdem plantæ semine, flores tum simplices tum multiplices oriri puto: hos, si nihil impediat, & semina uegetiora sint, & fortè de mediis præcipuè floribus, nõ iis qui ad latera sunt collecti, & solum pingue, illos, si quid impediat. Sic ex una Cucurbita, multũ referre aiunt, è collo an parte inferiore semen detrahatur. Herba utraq; tenera est, caloribus flaccescit, rigatione gaudet: ita ut ubi syluestres proueniũt, humidis riguisq; locis tãtùm nasci existimẽ. Flores & in ipsis plantis diutissimè durant, & decerpti cũ petiolis suis in uase aqua pleno, subinde renouãda, uidi ita ad tres aut quatuor mẽses durare integros. Medio autumno uasa, in quibus sati fuerint, loco tepidiore sub tecto reponãtur, aut in cellã uinariã, ita ad brumã ferè (id est breuissimũ diem) durabunt. Sunt qui odorẽ huius fruticis damnẽt, ceu insalubrẽ admodũ: quod mihi sæpissimè circa eũ uersato, nondũ est compertũ. Memini etiã sępe folia sine noxa me mandendo triuisse, nõ deglutisse tamẽ. Rẽbertus Dodonęus uim uenenosã et cicutæ similẽ ei tribuit: quòd in puero qui gustârat, labia & os inflata uiderit: & felẽ cui flores benè tritos cũ caseo recenti dederat, mox ualdè inflatam esse, & paulò post mortuam.

Violæ Indicæ, aliæ purpureę, alię aureæ, Vu. de his fortè floribus intelligens: quorum maiores aurei seu lutei sunt: minores, foris quidem eodem colore, intus uerò croceo, siue è luteo rubente. Cognomen ab India non probo, cùm ex Africæ ora ad mediterraneum mare allati sint: quare Caltham Africanam potius appellauero. Amatus Lusitanus tradit hos flores inueniri croceos, & melleos & albos.

Fœ.

Fœniculum commune nullis ferè hortis deest, & annis aliquot durat: eadē prorsus species (ni fallor) circa Monspelium syluestris nascitur.

Fœniculum dulce, uel Florentinum, G. hoc æstiuum est, & nusquam puto suæ spontis, sed artis & cultus.

Fœniculum marinum, Myuros Aëtii aliquibus dictum, K. Myurus quidem Aëtii Alinti folia habet, ac ueluti corymbos in summo oblongos, per terram sternitur: hydropicis urinas educit.

Fœnogræcum facilè in cœlo nostro prouenit & maturat semina. Argentinæ agros plenos conseri puto. Syluestre nunquam uidi. nam Ruta capraria Italorum, quam aliqui Fœnogræcum syluestre uocant, toto genere differre mihi uidetur.

Forbesina Bononiæ uulgò dicta, Conyza palustris quidam, G. Morauis & Silesiis Stuppars. Sponte nobis abundat locis aquosis.

Fr.

Fraxini circa urbem nostram frequentes sunt, in syluis & montibus frequentiores. non omnes nec ubiq; fructificant. Magna & fructifera est in horto Vu. In montibus nostris iuxta Vuallestadium plurimę sunt fructiferę. Semina earum auis linguas medici quidam uocant.

Frutex coronarius quidam, C.

Fragaria fructu, quem fragum uocant, rubente: & alia albo. G. Vberrime in collibus & montibus nostris proueniunt fraga: eò odoratiora plerunq;, quò altius nascuntur. Species earum minor, partim rubra partim candida sunt, herba hispidiore, unde Haarbeer appellant aliqui, ut scribit Tragus. Species alia sterilis. Alba audio circa Badam syluestria nasci in Legerio monte & alibi.

Frumenti Turcici uulgò dicti genera (quædam,) R. Discrimen forte in colore tantùm fuerit. intelligo autē barbatum illud foliis magnis, arundineis, flore in summo caule inutili, cum fructus è culmo enascatur. Nos etiam in horto aliquando & flauum & ruffum habuimus. Panicum opinor rectius, quàm frumentum uocabitur, cognomento peregrinum. Cordus Triticum Bactrianum nominat. Facile crescit, et maturescit maturè. Triticum Turcicum uel Indicum, rubrum & album, Vu.

Fructus quidam ex Guinea, Guanabanus forsan Scaligeri, C. Arborem hoc nomine Pini stipite, procera, fructu Melonis magnitudine, &c. describit Scaliger De subtilitate, exercitatione 181. partic. 6.

Fumaria, Capnium, Capnus, passim in aruis & locis cultis reperitur. De Capno Plinii uide suprà in C. Est et Fumaria quædam montana, (quam ab Illyriis Splet uel Split appellari audio: quod nomen funem significat, ab intorta similiter radice oblonga,) magnis & admirandis facultatibus nobilis herba, nondum satis mihi cognita: Italis, ut audio, notissima, eius species una flores luteos fert, quæ in monte Baldi ad Veronam reperitur, cuius loci incolæ eam nominant Chelidoniam, altera cādidos flores habet, ac reperitur in mōte S. Iuliani in Hetruria prope Lucam urbem: nec aliter inter se differunt. quæ tamen in Sclauonia nascitur, foliis constat aliquantulùm pinguioribus, quàm quæ in Italia habetur, ut Aloisius Anguillara nos docuit. Videtur autem Capnus uel Chelidonia Phragmites Aëtii esse, & cognata Aristolochiæ rotundæ uulgò hactenus ab imperitis in Germania medicis existimatæ. Forma quidem foliorū & sapore à fumaria uulgari, ut audio, parum differt. Iconem eius inter Ioan. Kentmanni, picturas reperi. Alium Capnon Plinii uel Phragmiten Dodonæus pingit, herbam mihi incognitam, capreolis nitentem: quam in Germania inferiore in marginibus agrorum, & circa ueteres muros nasci scribit, pharmacopolis incognitam.

Ga.

Galega. Vide Ruta capraria.
Gallæ, O. in Quercu aliqua nimirum.
Genista, R. K.
Genista humilis, C. Flos tinctorius Tragi. nascitur nobis syluestris in collibus siccis & apricis, circa Badam & alibi, Pfingstenblümen.
Genista iuncea seritur apud nos à quibusdam in hortis: sicut & in Italiæ aliquot locis, spectandi tantùm gratia, Val. Cordus. Hæc mihi etiam hoc anno è semine prouenit, estq; nobis peregrina. Vide Spartus.
Genista uel Genistella spinosa, C. Hac etiam colles quidam aprici apud nos abundant, ut & alia quadam minima in Genistarum genere, caulibus angulosis & peculiari quodam modo foliatis, Chamæspartium dixeris. Hæ duæ species, & tertia quam Genistam humilem nominauimus, simul crescunt in colle iuxta Limagum fl. infra Vuettingam monasterium proximè.
Gentiana, C. O. Species eius quatuor, magnitudine & florum colore præcipuè differentes, G. sed uidentur pleræq; aspernari cultum, præsertim quę altius nascuntur in montibus, neq; enim caulescentes in hortis unquam uidi, neque florem aut semen emittere: ut neq; Elleborum album, Rhaponticum uulgò dictum, & alias quasdam, in nostris quidem regionibus. Facilè tamen in hortis crescit & floret genus unum mediæ magnitudinis, foliis ferè Hirundinarię. Flore ex cœruleo purpurascente de qua paulò pòst. Norimbergæ in hortis Elleborum album & Gentianam benè prouenire, floresq; & semina proferre audio. Ego hortuli mei solum umbrosius, aridius, & non satis pingue esse puto ad plantas quasdam perficiendas.
Gentiana cruciata, cuius radix crucis ferè instar dissecta est, Modelgeht/ Ae. Ea passim apud nos in collibus siccis apricisq; & asperis crescit: radice plerunq; inter lapides sub terra latentes descendente, alba, peramara. In hortis uix apprehendit effossa radix, & aspernatur cultũ: semine puto in solo sibi conueniente melius nasceretur.
Gentiana foliis Hirundinariæ seu Asclepiadis quorundam, Gifftwurtz/ Schelmenkraut/ C. Piperinus, G. Copiosa ubiq; apud nos locis montanis, circa semitas alibiq; apparet. Effossa radix, & in hortos translata, apprehendit, durat, & caulẽ, flores ac semina profert unà in hoc genere facillimè. Causam esse puto, quoniam radix non singularis est, ut in plerisq; aliis, sed multiplex. Flores multos, confertos & eleganter cœruleos extrema æstate fert.
Gentianæ species pulchra, Picris dicta, K. Picridis nomen forte recentior aliquis ei confinxit: nam ueteres Græci, ut Theophrastus, Cichorium syluestre Picridem uocabant. Intelligit autem forte, K. Gentianæ speciem paruam in pratis humidioribus autumno floribus cœruleo colore saturato insignem: quæ Plinii Calathiana, aut eius species uidetur. Hæc aliquoties in hortulo mihi plantata, paulò pòst interijt: quanuis enim radix ei non simplex sit, locum tamen desiderat palustrem. Sic & Gentianidem seu Gentianulam alpinam, nunquam retinere diu potui, iugis montium, aëri gelidissimo, & uentis niuosis assuetam. Sed neq; Violam Hippion à Cordo cognominatam, quę & ipsa ueluti Gentiana perexigua uideri potest, in humidis pratis, præsertim montanis apud nos, proueniens: sed cùm amaritudine careat, diuersi generis fuerit. Gentianidem alpinam autumno superiore cũ cespite plantaui: quæ nunc etiam æstate pulchrè uiret: florem quidem producendum uix spero.

Gentianella in hortis non retinetur.

Geranii species quędam, G. una uulgaris circa urbem nostram, locis planis et arenosis præcipue emicans, folio Maluæ. Altera maior, montana, radicibus rubris, astringentibus, Blůtwurtz appellant, hoc est, Ischæmon à facultate: (nam alia Plinii Ischæmos est:) uiuacissima in hortis: & flore perpulchro, è purpura subcœruleo. Tertia fere similis montanæ, maioribus & latioribus foliis: quibus Aconitum luteum repræsentat. nascitur in humidioribus pratis, in quibus ferè Bistorta etiam uulgò dicta, flore rubente: hæc iam secunda æstate in horto mihi durat.
Geranium illud cui subrotundam radicem Dioscorides tribuit, in Illyria nasci-

tur, superficie iam dicto simile: ab Aloysio Anguillara primùm ex Illyria allatum superiore anno.

Geum Plinii, ut uidetur, herba quam uulgò Caryophyllatam à radicis odore uocant, aliqui Benedictam. Huius genera tria in horto mihi uirent. Primum, quod urbanum dixerim, radice odoratiore cæteris: hoc circa urbem nostram iuxta sepes alibiq; in umbrosis abundat. Secundum, riuale: nascitur enim iuxta riuos: & in hortis quoq; aliquandiu perdurat. Tertium, alpinum: pila lanuginosa postquam defloruit, maiore. Proximo autumno primùm à me in hortulum translata, nescio quā uiuax futura. Quòd si Geum fortè alicui potius uideatur species Iaceæ, non cōtendam. Scaliger Getiam appellat, quasi ad Geum alludens. Getia nigra (inquit) uulgaris est, & ad scoparum usum quæsita: sed radice spirante Cinnamomum, aut uerius Nardum, &c.

Gith. Quære Melanthium.

Gl.

Gladiolus uerus, G. è montibus Curiæ Rhætorum ad me missus & plantatus, primis duobus annis folia quidem habuit, sed sine caule & flore: tertio & quarto floruit, & semen perfecit. Eundem in suis hortis alunt, Ae. Vu. C. A. Fert in uno caule modò duodenos flores, modò quinq; aut circiter. Aliqui Victorialem rotundam appellant: ut Allium alpinum, herbam toto genere diuersam, Victorialem longam: propter similem radicis formam, multis ueluti loricis armatæ.

Glaucium Papaueri corniculato simillimum, radice succo luteo prægnanti: floribus ex nigro, luteo rubroq; permixtis, (aliàs, floribus purpureis,) Patauii in horto Priulano, è Syria. [Vide Memitha & Papauer Cornic.] Nunc etiam Basileæ nasci audio in horto Theodori Zuuinggeri medici, angustioribus & pilosioribus foliis quā corniculatum Papauer: cuius fortè species est.

Glaux uel Onobrychis Dodonæo (Tomo 2. Iconum, pag. 32.) existimata herba apud inferiores Germanos in hortis tantùm colitur. Eadem, uel cognata ei, circa Curiam in pratis abundat, fructu echinato seu aspero, subrotundo, pecoris pabulo lactiq; augendo celebrata. Caules cubitales, fungosi, multi ab una radice surgunt: foliola Lentis ferè sunt, & in acumen exeunt, subtus hirsuta albicant: bina plerunque, octona uel nouena utrinq;, in summo terna: satis coniuncta, sed recentius nata multùm distant: insipida, &c. G.

Glycyrrhiza. Lege Dulcis radix.

Gn.

Gnaphalium. Vide Impia.

Gnaphalium marinum, (uel potius maritimum,) Vu.

Gr.

Gralega. Vide Ruta capraria.

Graminis species Capriola uulgò Italis, Sanguinaria Auicennæ, O. G. In areis hortorum, alibiq; sua sponte exilit: ut & Dioscoridis gramen passim locis arenosis, geniculatis suis radiculis reptat: Cannaria Plinii ut uidetur. Nusquam non nascitur, abundant eo cœmeteria. At Theophrasti Cynops, quam Gaza Canariam uertit, Psyllium est.

Gramen album seu hirsutum, fibris radicum candidis, passim areis innascitur, inuisum mulierculis, quòd alimentum aliis herbis subtrahat. Hoc etiam aliqui Dentem canis Gallicè nominant: cùm id nomen gramini Dioscoridis potius debeatur. De hoc Matthiolum sentire puto, cùm scribit: Ex illo graminis genere, quo pueriles dentes sanguinem è naribus eliciunt, Sclaui Carniolæ incolæ, item Goritienses, semen colligunt, deglubuntq; in pilis, & Milii uel Panici modo in carnium iure decoquunt, granulis oblongiusculis, Panico minoribus, gustui nō ingratis, adeò ut Germani Himmeldaw uocent, hoc est, cœlestem mannam. Hanc herbam Sclaui Cornicis pedem uocant: Leonicenus Coronopum Dioscoridis putauit.

Gramen alpinū quoddam, Rabinum cognominant lactarii, i. præcipuum, foliis breuibus

breuibus, carnosis, (non apparentibus neruis,) circa radicem radiatis in orbem pluribus, G. florem nondum uidi. pecori eius pabulo lactis copiam plurimùm augeri aiunt.

Gramen Parnassi C. intelligit autem illam quam Poloni Enneadynamin uocãt, Germani quidam florem Hepaticum, **Leberblümle**: in palustribus pratis nascentem herbam, & in hortis non facilè durantem. Sed uerum Parnassi gramen à nemine adhuc demonstratum puto, nostro seculo.

Gramen à Fuchsio exhibitum, pulchris flosculis, candidis, & non indignum hortis, circa Tubingam passim iuxta uias & sepes Aprili mense florere uidi: apud nos non prouenit.

Gramen alpinum quoddam, breuibus, solidis & mucronatis foliis, quod uulgò in Bernensium aut Vallesiorum montibus Rabinum uocant, ceu principale puto: quod præcipuum hoc uaccis ad copiam lactis augendam pabulum sit: hoc nuper in hortulum transtuli.

Gratia Dei C. intelligit autem uulnerariam illam herbam quam Tragus ficto nomine **Heiden hyssop** appellat: quę circa syluas & in collibus siccis, apricisq́;, sub fruticibus, passim apud nos obuia est, cultũ non facilè ferens. ea, si libet, uulneraria hyssopoides appelletur. Nostri aliam Gratiam Dei uocant, illam Sideritidis speciem, quam alii herbam Roperti. Galli quoq; aliam, quam Elaphoboscon aliqui putarũt: Tragus uulnerariæ herbæ nomine descripsit lib. 1. cap. 143.

Gu.

Guaiacum C. Puto autem ipsum sentire de arbore illa, quæ Patauii etiam hoc nomine in horto medicorum ostenditur: quam audio nasci in montibus circa Veronam: & è ramis eius aqua maceratis, rusticos uiscum parare: atq; ideo Viscaginẽ ab eruditis quibusdam ficto nomine uocari: quoniam Guaiacum non est: fructus eius immaturos, astringere: maturos uerò ita dulces esse, ut ferè nauseam moueant.

Guanabanus. Vide Fructus.

Ha.

Halicaccabus, R. G. in Sabaudia alicubi uidi in campis nascentem, locis humilibus & humidis. Solanum uesicarium. **Judenkriese**.

Halicaccabus peregrinus à Fuchsio dictus, Caput monachi uulgò Gallis quibusdam, G. Non reperitur in Europa quòd sciam, præterquam in hortis. Toto genere à Solano halicaccabo differt.

Harmel, Harmala, K. C. foliis oblongis, flore albo: Ruta syluestris quædã, Vu. Vide in Ruta syluestri.

Hastula regia alia Asphodelus est, de quo diximus: alia in genere Maluarum, de qua leges infrà.

He.

Hedera arborea, R. ea nimirum, quæ baccis nigris insignis passim arbores aut muros scandere & exedere uidetur. Eiusdem species luteis baccis est in horto K. Syluestre genus illud quod semper humi reptat, ubiq; obuium est.

Hedysarum. Lege Pelecinus.

Helenium. Vide Inula.

Helenium alterum Dioscoridis, Theophrasto simpliciter Helenium, hodie non satis cognitum, olim in hortis cultum apparet, sicut Serpyllum quoq; & Sisymbriũ. Lege Theophrastum Historiæ lib. 6. cap. 7.

Heliochrysus uerus, Italicus: planta rara, pulchra & odorata, K.

Heliotropium maius, AE. Vu. C. G. aliqui herbam Cancri uocant. Nascitur in aruis, flosculis candidis, scapo eorum inflexo instar caudæ Scorpionis, unde Scorpioides album dici poterit.

Eiusdem species altera, locis humidis gaudens, flosculis cœruleis: quam Scorpioides cœruleum dixeris.

Heliotropium minus, quod & tricoccum cognominant, siccũ aliquoties uidi: ter

ræ uerò hærens, nunquam. dignum certè quod in hortos recipiatur & specie sua, & uiribus medicis, quas commendari audiui, præsertim aduersus febres. Circa Monspelium sponte nasci audio, solo humili, arenoso & aquatico. Patauii seritur in hortis, seminibus è Creta missis.

Helxine quæ uulgò Parietaria dicitur, nusquam deest, omnibus ubiq; medicis & pharmacopolis notissima: humidis & umbrosis circa parietes locis uiret.

Eiusdem species altera Cissampelus cognomine, in Conuoluulo dicta est.

Hemerocallis, C. Dodonæi nimirum, qui Lilium syluestre purpureum à Fuchsio cognominatū pro Hemerocallide pingit. Hemerocallis uera, O. K. & alia quædam eius species K. Matthiolus pro Hemerocallide Lilium syluestre pingit, quod in Italia passim inter segetes, in aruis, in pratis, montibus & uallibus reperiri scribit, flore aurei coloris: & alteram eius speciem, quam Fuchsius Lilium rubens uel croceū nominauit. Quòd ad uires, parùm interest: utriq; enim Lilii (candidi) uires esse puto: quas & Hemerocallidi tribuit Galenus. Itaq; non errauerit (opinor) qui Hemerocallides, omnes istas appellauerit, adiecta aliqua differentia: ut sunt, alpina, aruensis, purpurea. Alii Hemerocallidem aliam esse putarunt, Bulbū scilicet litoralem Theophrasti, quod Monspelii Pancratium interpretantur, & pharmacopolæ uulgò pro Squilla minore habent. Hos fortè decepit Lilii marini nomenclatura, quæ apud Dioscoridem Hemerocallidi tribuitur. Cæterùm aliud est Hemerocallis Theophrasti, toto genere diuersum.

Hemionitis Germaniæ peregrina est: in hortis quidem nostris translatum cespitem facilè duraturum sperarem; quandoquidem Phyllitidi nostræ tam facilè diuq; duranti cognata uidetur.

Hepatica aurea, (herba trinitatis Italis, à folio nimirum tripartito: Germani aliam hoc nomine uocitant,) O. Nascitur in syluis, locis humidis & umbrosis: unde in hortos translata, diutissimè uiuit: & ueris initio, aut potius ante uer, Februario mense, pulcherrimis cœruleis floribus tempus uernum nobis prænunciat. Rarior est flore albo. Vtraq; hortulum meum ornat.

Heptaphyllum, O. nimirum Tormentilla uulgò dicta: quæ nusquam non apud nos collibus humidis emicat. in hortis non diu durat, uel Quinquefolium palustre: quod aliquos Heptaphyllum uocare uideo. Nascitur id circa Lacum Felium apud nos dictum, floribus purpureis.

Herba scala, O. nescio quæ.

Herba serrata, C. nescio quæ.

Herba trinitatis alia uocatur Italis, nempe Hepatica aurea ut iam diximus: alia Germanis, de qua inter Violas dicemus.

Herba uenti Monspelii dicta, Vu. Ἀνεμοχόρτη in compositione Marciati unguenti magni nominatur apud N. Mirepsum: ubi Fuchsius: Herbam uenti (inquit) sunt qui Vmbilicem Veneris esse dicant: alii Helxinem seu Parietariam: nonnulli Consolidam minorem uocatam.

Hermodactylus Mesuæ, folio maculoso, K. Circa Bononiam, ubi sponte abūdat, Dentem canis uocant. aliqui non rectè pro Satyrio Erythraico ostendunt hanc aut similem quandam.

Herniaria à Gallis dicta, à nonnullis (ni fallor) Millegrania. in agro Monspeliensi ubique in aruis crescit. Tragus Empetron uocat, Germanicè Harnkraut. In ripis Rheni infra Brisacum etiam uidi, G. æstiua est herbula: & seipsam proseminat.

Hi.

Hieracium maius Creticum, satiuum, Patauio nobis missum, G. A. Ae.

Hieraciū minus, agrestis herba, Hedypnois aliter dicta Plinio herba passim obuia, circa urbes præsertim & in hortis, maximo (ut puto) post Tragopogonem papporum globo, Rölinkraut. Matthiolus cum Intybis & Cichoriis hanc herbam pingit, Dentem leonis, aliisq; nominibus, recentioribus tantū nuncupans. Pro Hieracio

racio autem minori, herbam aliam minorẽ, Sonchis puto cognatam, exhibet. quòd ad uires, parùm interesse arbitror.

Hippion Cordi. Vide Calathiana uerna.

Hippoglossus, (melius Hypoglossus) seu Vuularia uulgò dicta, Zepflinkraut/ K. Itali Bonifaciam uocant. Patauini quidam in hortis colunt. In Germania non puto nasci sponte. Adfertur ex Vngaria: ubi reperiri audio in ripis fluuiorum, solem occidentem uersus plerunq;, locis non humidis. In hortis satum prouenit quidem, ut audio, sed pumilum manet, neq; fructificat. Radix quidem satis crassa, carnosa, & geniculata cùm sit, herbam uiuacem ostendit.

Hippomanes. Vide nux Methel.

Hippomarathrum, K.

Hipposelinum. Lege Olusatrum.

Hirundinaria. Vide Asclepias.

Ho.

Hordeo obseruntur agri. Nascitur & quod Nudum uocant, in Italia.

Horminum, O. Sclarea nimirum uulgò dicta: cuius species una hortensis est, floribus ex albo subcœruleis: altera syluestris, nusquam non in pratis obuia, flore cœruleo ut plurimùm, rarior albo: utraq; in hortulo nostro duos aut tres annos durauit. Hormini pulchra species, K. Aliqui Orminum sine aspiratione scribunt, Galenus Phormium.

Hy.

Hyacinthus, O.R. Vide Bulbine, & Bulbus syluestris. Hyacinthorum multæ species, Vu. Primus & secundus Fuchsii, Ae. Hyacinthi tres species, C. qui & Pancratium à quibusdam existimatum pro Hyacintho accipit. Hyac. orientalis, K. Varii, Leuschnerus. Autumnalis, C.

Hyoscyamus uulgaris, circa urbẽ nostram nascitur, loco plano & ruderato: Matthiolus unum duntaxat Hyoscyami genus sibi cognitum scribit: flore aureo, & semine subflauo potius quàm nigro: atque hic est uulgaris noster Bilsensamen/ qui ab ipso & Fuchsio pingitur. Dodonæus officinis familiarem esse scribit, & nigrum nominat, tanquam à floris colore potius quàm seminis: sicut album quoq; & luteum à se uocatos. Hier. Tragus & Dodonæus Hyoscyamum album quoq; pingunt atque describunt, qui in hortis Germaniæ inferioris seratur.

Hyoscyamus albus & luteus, æstiuæ herbæ, C. Fatetur autem se dubitare an uerè Hyoscyami sint. luteus quidem peregrina illa herba est, quam aliqui è Syria allatam aiunt, sapore acri: floribus Hyoscyami, luteis. Monspelii quidam Priapeiam uocant à forma fructus. Hyoscyamum nec sapore, ut dictum est, nec odore refert: nec aliter puto quàm flore, calyce ac semine. Satus apud nos probe crescit, & facile maturat semen. Hyoscyami tertia species Pataiii in hortis seritur: semine, quod nuper misit amicus ad me, exili, subruffo è fusco, allato è Creta.

Hypecoum, K.C. & alterum spurium, (à Matthiolo nimirum pro Hypeceo pictum, quod Maluæ & Alcææ species est,) C.

Hypoglossus. Lege Hippoglossus.

Hyssopus uulgaris, nulli fere horto deest. Ramulus auulsus facile radicatur. Syluestrem nasci puto in Narbonensi Gallia: sed & apud Vallesios nostros sponte oriri audio.

Hyssopus Crispa, C.

Hyssopus de Moschata, Rurpodius, C.G. Peregrina hæc seu Cilissa Hyssopus à Dodonæo describitur: & cum iconibus Stirpium primi Tomi Fuchsii Antuerpiæ excusis cum nominibus & descriptionibus Hispanicis, sub libri finem depingitur: facile crescit sata.

Ia.

Iaceæ syluestres herbæ, flores habent uiolacei coloris, unde & nomen forsan illis impositum est. Ia enim Græcis Violæ sunt, quanquam Iacææ nomen uetus non est. Scaliger alicubi Getiam pro Iacea scribit, tanquam à Geo facto nomine: nimirum

quòd nigra cognominata in hoc genere, radices ut Geum Plinianum, odoratissimas habeat: ut ipse scribit, ego hactenus odorem illum non inueni, cum tres aut quatuor species norim, omnes Centaurio maiori cognatas: quædam in pratis, aliæ parietibus, aliæ collibus siccis nascuntur. Hortis quidem dignissima fuerit species illa, si inueniatur, quę Scaligero Cinnamomum aut Nardum olet, ueluti Baccharis quędam. Vide suprà in Geo. Iaceam quoq; aliqui uocant herbã à prædictis longè diuersam, Violæ nigræ cognatam: de qua inter Violas.

Iasme, uel (ut alii scribunt) Iasminum, Ieseminum, Gelsiminum, floribus albis, suauissimi odoris, G. facilè nascitur, etiam ramulis & taleolis: & propagatione breui multiplicatur: semine non item, ut puto. Iuxta parietes plantari debet, & opere topiario digeri. bene fert hyemes, ut mirer apud nos tam nobilem fruticem neglectum hactenus fuisse. Copiosum & procerum Lindauiæ uidi in cauædio domus Matthiæ Curtii. Idem alunt partim candido, partim etiam luteo flore C.K. Rurpodius. Arabum uernacula lingua (inquit Matthiolus) Zambach siue Sambach uocitatur. nec diu est, quòd in Italiam allatum est, quamuis nunc ubiq; horti opere topiario tum albis, tum luteis, tum etiam cœruleis Gelsiminis ornentur.

Iberis (sic enim scribendum sine aspiratione) à Matthiolo picta, G. semen ex Italia habui. facillimè prouenit, nasturtio syluestri cognata herba, fruticosa, multis, longis lentisq; ramulis: anno altero in caulem effunditur, & semina profert, quorum restibili fœcunditate durat. hyemes contemnit, nec folia amittit quæ iuxta radicem sunt. Dodonæus aliam quoq; Iberidẽ nominare uoluit, nasturtiũ pratense quoddam, frequentissimum in pratis nostris, foliis ferè rotundis **Gauchblům.**

Ieseminum. Vide Iasme.

Ilex aquifolia. Lege Aquifolium.

Im.

Imperatoria. Quære Astrantia.

Impia Plinii, ut Matthiolus interpretatur: Gnaphalium quibusdam (ut Fuchsio) existimatum, **Ruhrkraut**/G. Collibus terrenis & apricis passim abundat.

In.

Intybum (Endiuia uulgò) Italicum O. Verum, & alterum uulgare, R. Angusti folium, quod Scariolam aliqui uocant: & latifolium, quòd ad acetaria hyemis terra obruitur, (ut dictum est suprà in Cichorio,) G. Agreste sua sponte passim circa uias abundat. Vide Seres.

Inula, uulgò Enula, R.O.G. Hæc alibi puto in campis & pratis, sponte nascitur: unde campanam medici cognominant, hortensi nimirum prę ferentes. at quæ apud nos reperitur in hortis, & pratis circa domos urbi uicinas, omnis puto plantata est. Vide Helenium.

Iouis flos Theophrasti, nostris uulgò Cœli flos, **Himmel rößle**/Lychnis aliquibus, ut Matthiolo: qui genus etiam syluestre eius apud Ananienses inueniri tradit.

Ir.

Iris communis, G. hæc semina non fert: quòd si hæc ipsa alibi syluestris reperitur, ut puto, Iris syluestris maior fuerit. Non solùm autem in uno flore unius speciei colores diuersi reperiuntur, sed etiam in diuersis diuersarum specierum floribus totidem ferè iidemq;, ni fallor, qui in arcu cœlesti. Iris albo flore, F. Ea, Matthiolo teste, è genere hortensium est, cuius radix odoris fragrantia & uirium robore Illyricam ferè ęquat. Ex epistola amici ad me: Lacuna uult omnes Iridis (siue arcus cœl.) colores in uno flore spectari, ex Dioscoridis sententia. Cornarius autem diuersos flores diuersis coloribus tinctos, ex sua uersione, (qua Græca Dioscoridis uerba prorsus sequitur,) sensisse uideri potest. Vidimus quidem nos Iridis flores totos albos, & totos cœruleos: alius fortè rubros: noui ego qui & melinos uiderit.

Iris Florentina, Rurpodius. huius radices uegetiores sunt, & solidiores, siccatęq; non corrugantur ut nostræ, gustu minus feruidæ, fœminam dixeris. Puto autem hortensem esse.

Iris

Iris Illyrica, Ae. K. O. Iris syluestris, Hermolao Barbaro Illyrica dicta, K. crescit sponte locis mediterraneis Illyriæ.

Iris tenuifolia, Ae. Hæc puto est, quæ in pratis humidis quibusdam apud nos crescit copiose: & semina quoque profert, Illyricæ similis, ut audio; communi urbana undiquaque minor. Eadem in hortulo meo iam aliquot annos durat. Ab hac differre puto duas syluestres à Matthiolo exhibitas, in mõtibus & collibus saxosis nascẽtes.

Iris Arabica (si recte legi, & non potius Illyrica legendum est, ut coniicio:) & altera cœlestis, (nimirum communis,) R.

Iris Matthiolo alia est satiua: eáque uel cœruleis, uel niueis floribus: Alia syluestris, foliis reliquísque partibus, satiuæ similis, paulò minoribus tamen. Ex hac satiua originem duxisse uidetur cultu uegetior grandiórque effecta. Sic ille. Sed cùm & satiua & syluestris in hortis reperiantur, neque hæc opinor in illam cultu degeneret, specie eas differre existimandum est. Est & altera syluestris, inquit, foliis Gladioli, longioribus, radice tenui, lignosa, geniculata, subrufa, inodoráque: caule breui, flore cæteris longè minori, odore Armeniaci mali, &c. Sunt qui hanc legitimam Illyricam putent, Illyricam ab Italica differre existimantes. ego uerò Illyricam non uel genere uel specie à nostrate differre dico. sed quòd cœli solóque illius conuenientia præstantioribus polleat facultatibus. At cùm fateatur Illyricam esse syluestrem, Italicæ autem syluestris species duas ipse proponat, existimandum est Illyricam uel alterutram ex illis esse, uel tertium genus syluestre ab ea constitui. itaque indistincte loquitur qui simpliciter ab Italica nihil eam differre dixerit. Errant qui Iridem domesticam nullam esse, aut saltem à ueteribus non memoratam putant, quoniam Theophrastus dixerit Iridi nullum cultum accommodari. At Theophrastus de Illyrica tantùm locutus est. neque de cultu hortensi dixit: sed Græce ἐργασία δὲ περὶ αὐτὴν οὐδεμία, πλὴν τὸ περικαθήραντα ἀναξηρᾶναι. quæ uerba si Græcè legisset aut intellexisset Matthiolus, commodius illorum opinionem retudisset. non aliud enim sentit Theophrastus, quàm Iridis illius radicem, ut suauiter odorata uæneat, non aliter præparari, quàm ut circunquaque purgata ac rasa, siccetur. Hęc prolixius, sed ab hortorum cultu non aliena.

Is.

Isatis satiua, Glastum. **Weid**/O. G. facillimè nascitur: altero anno, si bene memini, caulem, flores & semina perficit. Alicubi agri hac herba conseruntur in usum tinctorum. Syluestre genus eius apud Vuallesios nostros extat, & alibi.

Isopyron, C. id nimirum quod Dodonæus exhibet, quod Germani superiores **Biber klee** uocant, inferiores **Bocyboonen**, id est, Fabam hircinam. Ternis enim foliis, fabaceis ferè, locis palustribus reperitur: radice longa, geniculata, &c. Hoc ille Isopyron putauit, quoniam alio nomine Phasiolus à Dioscoride dicitur. Phasiolum autem interpretatur Fabam communem, cui planta hæc similia habet folia. At Isopyron Dioscoridis Aniso simili folio constat, cuius extremitas in capreolum torquetur Phasioli instar, &c. hodie, quod sciam, ignotum.

Iu.

Iuam aliqui Chamæpityn uocant, de qua dictum est suprà. Iua arthritica & moschata, F. Moschatam puto alii aliam cognominant. Rhæti Insubriæ finitimi, sic uocant herbulam montanam, Tanaceto cognatam, &c. aromatico odore insignem: quam autumno superiore in hortulo plantaui: & nunc etiam in fine Iunii pulchrè mihi uiret: florem nondum ostendit, siue quòd nondum tempestiuum sit: siue quòd loco umbroso plantata est, & æstas huius anni 1560. humidior frigidiórque solito.

Iuiuba. Vide Ziziphus.

Iuniperus, R. Ea colles & montes nostri abundant, tum humili, quæ baccas maiores fert: tum arborescente, quæ minores. Minima est quæ in Alpibus nascitur: quæ aliquando plantata mihi, non apprehendit.

Ke.

Keiri uel Cheiri. Vide Leucoia.

La.

Laburnum Plinii, K. Ae. C. Quære Anagyris.

Lachryma Christi uel Iobi, O. K. Hanc aliqui Lithospermi speciem faciunt: probè quidem si seminis substantiam respicias: modò Dioscoridis Lithospermum genere toto differre intelligamus. hæc enim Arundineæ naturæ est, quæ in hortulo nostro aliquando sata, antè florem interiit. Monspelii in hortis frequentem uidi. Arundo Lithospermos forte nominari poterit, quanuis radix ei nō est ut Arundini geniculata, sed in multas statim ab uno principio fibras diuisa. Itali uulgò Lachrymam Iob uocant, nullo eius, usu nisi quòd mulierculę seminibus istis filo traiectis suas preces numerant.

Lactoris. Vide in Erino.

Lactuca alba, nigra, crispa, G. Est autem crispa, ni fallor, eadem quæ sessilis & capitata: excaulis, Pytagoricis Eunuchion, mulieribus astytis, (sic enim legendum,) Cilicia aliquibus & Latifolia, crispa, latiorq́ꝫ Cappadocia, admodum probata. Capitatæ quidem genus minus, in hortis nostris est: maius Basileæ, præsertim apud Cælium Secundum.

Lactucæ syluestres quædam, elegantes herbæ, in syluis alibiq́ꝫ apud nos inueniuntur: una purpureo flore, aliæ luteo: in hortos transferri dignæ. flos omnium pappescit. Ex his quæ in syluis humidis crescit ad quatuor aut quinq́ꝫ cubitos, Sonchus arborescens Dioscoridis est forte. Species una ex illis, folio oblongo, subdulci & grato gustu, anguloso: floribus luteis, &c. in horto multis mihi annis durauit.

Ladanum. Vide Ledon.

Lamium. Vide in Vrticis.

Lantana, uulgò Italis dictus frutex, quòd Viminum instar lenti eius ramuli sint: pictus à Trago lib. 3. cap. 25. Kleiner Malbaum: in plerisq́ꝫ sepibus nostris arbusti instar excrescit. Aliqui Viburnum hoc putant.

Lanaria, O. Saponariam uulgò dictam intelligens, ni fallor.

Lancea Christi. Vide Ophioglossum. Aliqui Sideritim primam Matthioli in aquaticis nascentem sic uocant.

Lanceolam montanam, uocare libet herbam quandam in Albio nostro nascentem, locis argillosis, rarissimam: foliis Plantaginis minoris, oblongioribus: radice oblonga, simplici, foris nigra: &, si uratur, odorata. Hæc in hortulo meo plantata, paulò post interiit. Alibi uidere non memini.

Lapathum hortense in Sabaudia tantùm uidi, circa Lausannam, & alibi, ubi Lampe uocatur uulgò. Huic simile est Lapathum syluestre, quod & Oxylapathum uocant, à foliorum figura acutiore (quàm nonnullis, non quidem omnibus) Lapathis, nusquam non obuium. Hoc circa Friburgum Heluetiorum ut audio, foliis ferè rotundis inuenitur. Maximum est, quod aliqui apud nos in hortis serunt, Rhabarbarum monachorum dictum: quod idem aut omninò proximum Hippolapatho (in palustribus locis, aut montanis nascenti) uidetur. Minima est coxalis, ab acido sapore dicta: una maior, pratensis, longioribus foliis: altera minor, quæ circa Glaronam nostram locis siccis & lapidosis ad pedes montium circa ripam Limagi nostri nascitur: eademq́ꝫ, aut cognata, rotundioribus foliis, quam Galli & Sabaudi in hortis serunt, propter succum eius acidum, embammatis præcipuè utilem. Acetosam Gallicam aliqui uocant. Est & aliud Lapathi genus syluestre, quod circa lacus nostri ripas nascitur, in ipsa etiam aqua. deniq́ꝫ Persicaria uulgò dicta, in humidis nascens, maculis nigris, Lapathum quoddam uidetur. Postremò Rhabarbaricum, Lapathis omninò affine est.

Lapathis etiam, (Oxylapatho pręsertim,) adnumeranda est herba illa, quam Sanguinem draconis uocant, propter colorem in foliis & caule rubicundum, semine simili, foliis minoribus, gustu astrigenti, Ae. G.

Lapsana. Vide Rapistrum.

Larix alpina arbor in altissimis Rhætorum & Vallesiorum montibus nascitur. Scaliger Græciæ ignotam esse prodidit. In colle urbis nostræ Tiliis consito Larices duæ spectantur: & Bernæ iuxta templum. Plantaueram & ego paruulas in prædio meo Larices: quæ non prouenerunt, diutius opinor in uia retentæ.

Laserpitium Gallicum. Vide Angelica & Astrantia.

Lathyris in plerisque hortis apud nos, suis ipsa seminibus sparsis se prosemi- nat.

Lauandula uulgò dicta, Stichadi ueterum cognata, sicuti & Nardus uulgaris: in Liguria (unde & in Africam uehitur) suæ spontis: &, nisi fallor, circa Monspelium quoque: in plerisque apud nos hortis colitur.

Laureola seu Daphnoides, F. Sponte quidem circa lacum Lemannum nascitur, foliis ferè Lauri, angustioribus, solidis, gustu feruidis, &c. Vide Piper mont.

Lauri aliquot, K. Ae. G. Iam quatuor fortè annorum quædam & cubitales è baccis prognatæ. Ante hyemem in uasa transfero, sub tecto reponendas. Vere rursus in hortum, scrobibus in area excitatis. Iacobus Funccius, prætor urbis nostræ, annis iam quindecim ferè, Lauros iam quatuor cubitos altas habet: quæ tamen hactenus nondum ei floruerunt, (alteri cuidam ciui nostro, proxima æstate floruit sua, nescio quot iam annorum Laurus.) Curam eandem adhibet, quam supra Citris ab eo adhiberi diximus.

Laurus syluestris. Vide Tinus.

Laurum Græcam Plinii interpretantur aliqui arborem uulgò ab Italis dictam Sycomorum: de qua diximus in Azadaracht. Seritur Laurus etiam ramo, teste Plinio, de quo ueteres dubitauerant. Laurus uulgaris, quæ Baccalia tempore Plinii dicebatur, à baccarum fertilitate. Idem meminit Spadoniæ, mira opacitatis & umbræ patientia insignis, ea forte facilius in Germania, quàm alia Lauri genera duraret.

Laurus Alexandrina, C. Interpretatur autem Hippoglossum, de qua superius dictum est.

Le.

Lens maior, G.

Ledon, alterum Cisti genus (frutex è quo Ladanum fit) mas et fœmina, A.

Lentiscus, Rurpodius.

Leontopetali, quod Matthiolus pictum exhibuit, radicem recentem uir quidam eruditus, superiori æstate ad me misit: pugni crassitudine: quę nescio quomodo mihi euanuit. Semina eius in Italia non reperiri audio.

Lepidium Aeginetæ, Lauri folio, maiore, G. In plerisque ciuium nostrorum hortis commune, à Sinapis sapore **Senff kraut** dictum. Sponte nascitur Romæ intra & extra urbem, Crapinella uulgò dicta.

Leucacantha, id est, Alba spina, C. Intelligens puto Carlinam uulgò dictam, (de qua suprà,) ex Dodonæi sententia.

Leucoium proprie Violam albam significat, (ut Melanium nigrum, Theophrasto,) sed eodem nomine cuiuscunque coloris eiusdem generis flores appellantur. Sunt enim Dioscoridi Leucoii flores cœrulei, albi, purpurei, aut lutei. Mihi cæteri inter se omninò cognati uidentur, ut in solo colore differentia sit. (**Straß burger nägele**, nostris.) Lutei uerò nobis cogniti, qui Keiri Arabice uocantur, sui sunt generis: odore, sapore, specie tota, & duratione differentes: propter similitudinem tamen ad eiusdem nominis communionem asciti sunt. **Gäle nägele.** Leucoia propriè dicta, alba dico, purpurea & cœrulea (uel potius uiolacea, cœruleo purpureóque colore mixtis,) In hortis tantùm apud nos uisuntur, & hyemem non ferunt, nisi sub tecto loco tepido reponantur. Reperitur huius generis syluestre in litore maris circa Monspelium. Lutea uerò hyemem facilè ferunt: & syluestria in muris ac mœniis oppidorum, multis in locis, Galliæ præsertim habentur. Hæc

ante alia florent, initio ueris si loco aprico sint. Eorundem genus syluestre minus, Argentinæ circa uias & sepes in suburbiis Iulii, principio florens reperi. Viola alba, et species maior, flores multos singulis caulibus sustinens, C Leucoii (inquit Dodonæus) duo genera sunt, unum quod à satione anno altero, & deinde aliquot sequentibus, primo uere floret: alterum priori simile, minus tantùm & tenerius: quod uere satum, mense Augusto ut plurimùm flores profert. Vtriusque flores aut sunt rubei, aut ex purpureo in puniceum inclinantes, aut albi, aut cineri candidiori colore proximi.

Leucoia hortensia, quæ prædiximus, in plerisque omnibus mediocriter instructis hortis reperiuntur apud nos, & alibi.

Leucoium marinum purpureum, Vu.

Leucoium bulbosum Theophrasti, Ae. G. **Wyß Hornungs blümen.** In syluis quibusdam apud nos circa Glattum fluuium nascitur.

Li.

Libanotis prima ex Asia, Ae.

Libanotis prima Dioscoridis, quam Ferulaceam cognominârim: ab eruditis quibusdam in Italia creditur, quæ à nonnullis uulgò Ferula existimatur ut audio: suæ spontis in montibus Italiæ quibusdam. Vide in Ferula.

Libanotis (ferulacea) nigra Dodonæi, **Schwartz Hirtzwurtz:** & alba eiusdem, **Weyß Hirtzwurtz:** Fuchsius hanc Seseli Aethiopicum facit, (ut & Matthiolus:) illam Peloponnesiacum. In hortos non facilè transferuntur radicibus: è seminibus puto felicius exorturæ. In collibus terrenis apud nos reperiuntur: alba quidem apricis, illa potius umbrosis in Albio monte.

Libanotis coronaria. Vide Rosmarinus.

Libanotis Theophrasti, C.

Ligusticum, uel Leuisticum, uulgò dictum, **Lybstickel**, R. G. de ueteri eius nomine nondum constat. Matthiolus Hipposelinon esse putat. In Africa audio plantam Silphii huic persimilem esse.

Ligusticum, seu Lybisticum uerum siue ueterum, C. Ae. Sic autem uocat Ae. Siler montanum uulgò dictum plerisque pharmacopolis: quod quidem si Sil, uel Seseli aliquod non est, Petroselinum fortè fuerit: utpote acrimonia, & amaritudine insigne, &c. Matthioli Ligusticum uidetur herba quædam ferulacea, aut fœniculacea, quæ in pratis riguis apud nos crescit, radice nigra: (quam Cordus fortè Pastinacæ nigræ syluestris nomine descripsit:) quòd si non est eadem, species certe proxima fuerit, sola forsan magnitudine differens. Idem quod Matthiolus, pinxit etiam Dodonæus.

Ligustrum, **Kerngerten**, circa urbem nostram copiose nascitur: frutex aptus sepimentis, propter lenta & flexibilia uimina.

Lilium album in plerisque hortis cernitur: syluestre ubi nascatur, nescio. Plinius seminum eius meminit: quæ in nostro nulla sunt.

Lilia rubra diuersa sunt: omnia, ni fallor, syluestria: præter illa quæ artificio hunc colorem contrahunt, ut meminit Plinius lib. 21. cap. 5.

Lilium purpureum à Fuchsio & Trago dictum, Italis Martagon, in syluis et montibus nostris abundat: uulgò **Goldtwurtz** à flauo radicis colore uocant. Species eius duas notaui, sexu (ut uidetur) distinctas: fœminæ folia uiridiora: mari, qui rarius occurrit, nigriora. Hemerocallidem purpuream hanc dixerim. Translatum in hortos diu durat.

Lilium rubens uel croceum montanum: nascitur in saxis montium nostrorum, terra contectis: caule oblongis augustisque foliis comato, bulbis radicum albis, suprà infràque fibratis. Flore Lilii candidi, sed paulò minore. Rarius superiore. Pingitur à Matthiolo pro Hemerocallide altera. In hortis hoc etiam diu uiuit. Bulborum particulæ separatæ etiam germinant: sed aliquot annis florem uel non producunt,

producunt, uel exiguum quoddam floris rudimentum candidum: donec augeatur & multiplicetur bulbus. **Rot berg gilgen.** Hoc an Cynorrhodum Plinii sit, quærendum: aut aliud ex illis quæ hîc memoramus Liliis rubris. De hoc puto sensit, K. cùm in catalogo suo mihi nominauit Lilia rubra, humili cauliculo, siue semine.

Lilium rubens uel Croceum alterum, Hemerocallis Matthiolo, quod Italicum cognomino. **Rot wild Welsch gilgen.** Hoc in Italia ubique prouenire scribit Matthiolus, inter segetes, in montibus, & uallibus, aureo colore. Describitur & à Marcello Vergilio. Florum eius extrema non reflectuntur, ut in Liliis plerisque aliis. Hæc Lilia esse coniicio, quorum in catalogo horti, K. mentio fit, his uerbis: Lilia pulcherrima floribus rubris, qui tanquam in corymbo confercti complicantur, duodecim ferè, uel octodecim, uel plures. His circa singula folia, singula semina collocata proueniunt: quibus in terram sparsis, intra annum recẽtes bulbi germinant. Item in catalogo horti Ae. Lilium rubens seminiferum, denique, R. Lilia crocea, quæ semina in caule habent.

Lilii rubentis genus, uidetur etiam Tulipa Turcarum, cuius picturam cùm ad uirum quendam doctissimum misissem, is Cynorrhodum Plinii (uel ut ipse legere mauult, Crinorrhodum) esse putauit. Sed ita dictum à Plinio Lilium in Italia quoque nascitur: Tulipa uerò ista (nam & alia quædam hoc nomine uocatur herba, luteo flore, &c.) Italiæ (ni fallor) prorsus peregrina est, nisi in horto fortè aliquo conspiciatur. Mihi Augustæ in horto magnifici uiri Ioannis Heinrichi Heruuarti florentem uidere contigit unicam plantam, Byzantio (ut aiebant) allatam: Eam exhibui & descripsi in hoc uolumine in fine Quatuor librorum Cordi de Stirpium descriptionibus. Cynorrhodi quidem Lilii Hyacintho similis, Hesychius etiam meminit.

Lilium rubens arundinaceum Turcarum hortis frequens esse, meminit Bellonius: foliis Cannæ seu arundinis Elogiæ, radice graminis illius quod Dentem canis appellant Galli, sed multò crassiore. Hoc si quis à radicis forma Cynorrhodum uocare uoluerit: aut à foliis Cannorhodum, non absurdè fecerit.

Lilia montana cœrulea, quæ & candida reperiuntur, Chr. Piperinus: de Iride sine an Lilii propriè dicti specie aliqua sentiens, nescio.

Lilium conuallium uulgò dictum, **Meienryß.** Viuacissimum in hortis: propagat & multiplicat seipsum radiculis geniculatis reptantibus. Semine puto non cresceret: quod ei corneum & amarissimum est in acinis rubentibus. In collibus, uallibus, & syluis proximis abundat nobis hic flos, locis umbrosis, quod mireris, omniũ odoratissimus: & pulchro nomine dignissimus, quod à ueteribus impositum dum quærimus, interim, si libet Callionymum appellemus, iustiori ratione quàm Anonymum olim quidam ignoto sibi nomine plantam uocitarunt: uel Chamęcytinum. Est enim Cytinus flos satiuæ Punicæ, ut Balaustium syluestris. habet autem hæc herba florem Matthiolo teste, Balaustii uel Arbuti effigie.

Limonium, hoc est, Bistorta, diu in hortis durat, G. In pratis quibusdam humidis, à quibus & nomen tulit, copiosè nascitur, montanis præsertim. Eius species duę uidentur esse, magnitudine differentes.

Limonium Monspeliensium Didymus Obrecht Argentinæ: foliis ferè Polemonii, flosculis luteis, confercti s, exilibus, oblongis, &c. Mihi quidem cum Limonio nihil commune habere uidetur: & suspicor propter uocum uicinitatem Limonium aliquem pro Polemonio protulisse, &c. Pingitur à Dodonæo tanquam altera Polemonii species. Crescit (inquit Dodonæus) ut & primùm Polemonium, locis asperis, lapidosis, montanis. Apud nos (in Germania inferiore) plantatur in hortis.

Linaria uulgò dicta, (Osyris quibusdam: mihi non uidetur:) & in hortis aliquandiu durat, & sponte passim nascitur locis siccis & apricis: floribus luteis. Est et species quædam eius alpina, minor, flosculis cœruleis perelegans, G.

Lithospermum commune, uulgò ineptè Milium solis. Mauritani Milium Soler appellant: quoniam in montibus Soler frequens nascatur, G. O. Prouenit apud nos

ſponte paſſim, prope Silum torrentem iuxta oppidum noſtrum, ſolo ferè arenoſo. Hortenſe cultum non amat. Lachrymam Iobi ſunt qui Lithoſpermum maius appellent. Vide in Lachryma.

Lithoſpermum fruticoſum, & alterum uirgatum, Ae. uirgati nomine forſan commune intelligens, fruticoſi uerò Lachrymam Iobi.

Lithoſpermum minus, Vu. Id nimirum quod à Matthiolo pingitur, & in aruis ſponte exilit: quod nunc etiam in meo hortulo in fine Iunii ferè defloruit: caule uno, uirgato aut ramoſo ualde, ſeſquicubitali.

Lo.

Locuſta à quibuſdam dicta, Nüßlekraut, G. eſtur in acetariis per hyemem: reperitur enim in aruis hyeme tota uirens lætiſſimè, foliis fere Oleæ, ceu Oliuella quædam: Oliui etiam ſapore quodammodo, inſipida alioqui. Quòd ſi cũ Dracone hortenſi miſceretur, ipſa olei, ut ille aceti ſaliſq;, ſaporem afferret.

Lonchitis altera, K. Ae. Ea montanis aſſueta locis, non facile in hortis noſtris apprehendit, nec durat. In Germania tamen inferiore, creſcit etiam humilibus locis, in ſyluis & marginibus foſſarũ. Spicant aliqui Germani uocant, fortè quòd radices Indicam Spicam aliquo modo referant. Huius duo genera in horto alit, R.

Lotus ſatiua, G. Ea ſeritur uulgò apud noſtros lactarios preſertim, qui recoctam (ut uocant) herbis condiunt, ex quibus hæc præcipua eſt: unde & nomen ei impoſuere, Zigerkraut/Stundkraut/Sibengezeyt. Hanc olim Lotum ſylueſtrem eſſe putabam: quòd ad facultates quidem nihil intereſt: in forma tantùm aliquid diſcriminis eſt. Oxyn Plinii nunquam ad Lotos pertinere exiſtimaui, ut nuper quidam, memoria nimirum lapſus putauit, &c. Lotum enim utranq; Fœnogræci uires habere ſemper agnoui, Oxyn uerò contrariis eſſe præditam.

Lotus ſylueſtris, G. Ea in Italia ſeri ſolet, ſed etiam ſponte (ni fallor) nata ibidem reperitur. Trifolium odoratum uocant. Viribus (ut dixi) à ſuperiore non differt, quas cum Fœnogræco utraq; communes habet: ut neq; odore & ſapore: ſed flores habet luteos & in ſiliculis ſemina: illa in glumis breuibus.

Lotum pentaphyllum dixerim herbam, qua imperiti quidam pro Meliloto hactenus abuſi ſunt, inodora prorſus. Naſcitur ubiq; in pratis & collibus ſiccis: floribus luteis, ſubnaſcentibus ſiliculis. Gäle Tubenkröpfle. Folia ei quina, quorum tria prominent, bina, cauli uel ramulis hærent. Species eius duæ ſunt: una minor, læuis, ſupina: altera, maior, modice hirſuta, & erecta magis, aſtringenti guſtu, &c. Matthiolus Lotum urbanam nominauit: non probo.

Lotus paluſtris, Vu. ſentit autem forte de illa, quam ternis foliis in paluſtribus locis naſci diximus, ſuprà in Iſopyro.

Lotus arbor, G. Iam plus quàm bicubitalis. Alebat illam in horto Forerus noſter Vitodurenſis medicus pereruditus, quatuor cubitorum iam proceritate: ſed ſuperioris hyemis iniuria ei interiit. Eiuſdem plantæ aliquot uiuunt in horto, Vu. & K. Hanc arborem Itali uulgò nominant Fago, non tanquam Fagum Latinorum, ſed à Lotophagis forte per apocopen. Folia ei fere Vrticæ.

Lu.

Luciola. Vide Ophioglоſſum & Cyperellam.

Lunaria, R. Sentiens puto de illa, quam Græcam cognominant.

Lunaria Græca, G C. Rotunda et longa, O. rotũdam intelligo, cuius ſiliquę ſint rotundę: longã uerò ſiliquis longis. Naſcitur in montibus quibuſdam, cũ alibi, tum Heluetiorũ, circa Glaronam & Curiam. ſpecies duę ſunt: una floribus inodoris: altera odoratis: & hæc quidem, ni fallor, editioribus tantùm locis: nullo alio diſcrimine. Facile è ſemine prodit, durátque in hortis noſtris: & folia (Violæ nigræ fere ſimilia, maiora) per hyemem retinet. Anno ſecundo caulem fundit, (& circunquaq; fruticans, lætiore ſolo ad tres cubitos aſſurgit,) cum floribus & ſiliquis latis compreſſis, læuibus, argentei nitoris cùm maturuerint. In ea læuitate Lunæ faciem noctu repræſentari aiunt, ſicut in lapide etiam Lunari ſeu Aphroſeleno, quem

&

& specularem uocant: inde nomen utrique. Sed lapidi uetus, herbæ nouum. Quo enim ueteres nomine plantam hanc dixerint, nondum constat. Dodonæus Violam latifoliam nuncupat. Herbarii quidam (inquit) uocant Bolbonac, Brabanti Penninckbloemen, uel Paeschbloemen. Alii scribunt Bulbonach, nescio qua dialecto aut significatione. Hessi Flitteren uocant. Græca unde cognominata sit nescio, nisi aut nomẽ aut res è Græcia in Italiam fortè primùm illata sit. Semen latum, compressum, ruffum, & cum aliqua amaritudine acerrimum est: unde ego Thlaspis generibus hanc plantam adnumerârim, & Thlaspi montanum appellauerim: ad indicandum simul formam, siliquæ præsertim ac seminis: facultates, & natales poterit & Lunare cognominari. Accedit sententiæ nostræ Dodonæus, & Thlaspi præsertim Crateuæ, hoc esse putat.

Lunariæ Græcę similes producens siliquas herba, latas scilicet & compressas, sed minores: nec ea læuitate, sed asperas & squarosas: nec eodem colore. Flosculis luteolis, foliis simplicibus, oblongis, asperis, albicantibus, G.K. Semen ex Italia habui: benè prouenit: æstiua herba, si maturius & aprico loco seratur: tardius uel umbroso loco sata, per hyemem durat, & altero anno fructificat. Alysso cognatam suspicor. Semen ex Italia allatum est: ubi in montibus sponte nasci arbitror. Dodonæus Alysson Dioscoridis hanc facit: & ab aliquibus Lunariam maiorem uocari tradit.

Lunaria Arthritica, Flüblümle. Vide in Arthritica.

Lunaria minor, Ac. ea nimirum quæ à Fuchsio eodem nomine depingitur, quæ sponte nascitur in saxis montium. In hortis quidem diu durare posse uix puto.

Lunaria burissa, Ac. sic autẽ herbarii quidã Scorpioides Matth. nominãt, si benè memini. Herbula est flosculis luteolis: siliquis gracilibus, longis, articulatis, inflexis.

Lupini communes, G.R.

Lupini Hispanici flore luteo & cœruleo, K.R.

Lupinus syluestris, O.G. Species eius duæ, floribus cœruleis, C.

Lupus salictarius, uulgò Lupulus. Hopfen. In sepibus nostris passim abundat. Vitis instar colitur à Germanis Septentrionalibus pro condienda eorum ceruisia.

Lutea uel Luteum Vitruuii ab eruditis quibusdã existimatur esse herba, quam Tragus lib. .cap. 113. non rectè Antirrhini nomine pingit ac describit. Orant oder Sterckkraut: foliis simplicibus, angustis, rugosis, oblongis, multis circa radicem: caule duorum aut trium cubitorum, flosculis referto, pallidis, longo deinceps ordine ut Verbascum, &c. Nascitur areis incultis, limitibus agrorum, & secus itinera. Huius planta una ante triennium in hortulo mihi è semine nata, sparsis ab ea cùm maturuisset seminibus, hortum repleuit. Caulem & semina edit secundo anno. Aliqui hanc temerè Struthium appellant. Aliqui Resedam Plinii: sed aliam Resedam doctissimus Aldronandus Bononiensis nobis ostendit, quæ Arimini etiamnum nomen seruat: quam Lucas Ghinus Sesamoides maius uocabat: cui cognatum uidetur quod Monspelii Phyteuma nominant, etsi foliis multùm diuersis.

Ly.

Lychnidis nomine antiquo herbas alii alias ostendunt: pleriq; illam, quam nos Florem Iouis appellauimus: (Vide suprà) Lychnidem satiuam uel coronariam faciunt. Dodonæus Ocimoides nostrum, Lychnidem syluestrem uocat. alii herbam quandam in aruis & circa agros Tritico consitos nascentem, quam nonnulli Perfoliatam rubeam uocitant: aliqui Lychnidem monachorũ, Karthüser blümle. Aestiua est herba. Dodonæus Vaccariam nominat, & Ocimoides esse suspicatur. Lychnides quædam: & species una agrestis, K. Lychnidis species floribus elegantissimis, C.

Lysimachium luteum, quod luteos flores fert, G. in hortis diu durat, & radiculis suis se propagat. Nascitur iuxta riuos & humidis locis sponte: sicut etiam purpureum cognominatum cui flores rubent: non colore solùm, sed specie tota diuersum.

Id minus diu in hortis uiuit. Dodonæus Lysimachiis adnumerare uoluit tertium etiam genus, foliis oblongis, serratis, flosculis cœruleis, &c. quam ego Anagallidis aquaticæ uulgò dictæ speciem esse potius dixerim. Nascitur apud nos in fossis quibusdam, aquam ab expatiante lacu recipientibus.

Ma.

Maizum. Vide Sorgum.

Maiorana. Vide Sampsuchum.

Malacocissum Democritus Aquilex mollibus Hederę foliis depingit caule tenero, sese cuicunq; quod fuerit nactus inuoluente. Subesse aquam ubi reperitur, affirmat. Videtur autem Iasiones siue Asines, seu Conuoluuli species maior, aut Vitis nigra quã Ruellius Cyclaminũ alteram existimat, aut non longè dissimilem. Vtraq; & sponte apud nos crescit: & in hortis à rei herbariæ studiosis colitur.

Malua agrestis maior, locis cultis ferè apud nos sponte prouenit: minor incultis, circa uias passim. Sunt & Alcæa & Ibiscus Maluæ agrestis genera.

Maluæ quatuor genera, R.

Malua Romana quibusdam dicta, Hastula regia Apuleii, (nam alioquin Hastula regia Asphodelus est,) Ernrosen. Differentia ei à floris colore candido, & rubro: & quòd flos uel simplex uel multiplex est. In nostro orbe satiua tantùm habetur, G.

Malua crispa, quam aliqui (non superiorem) Romanam cognominant, foliorum margine crispo & fimbriato eleganter, O.G.K. Hæc etiam in hortis tantùm colitur: ad octo pedes excrescit, flores uerò in Maluarum genere minimos profert, albicantes, modicè roseos: in fine æstatis & autumno floret.

Malua arborescens Dendromalache, O.G. Hanc primùm Argentinæ in horto Herlini uidere mihi contigit, sex aut septem cubitos altam, ramis brachiatam, trunco lignoso. Perit hyeme primis frigoribus si sub dio relinquatur, radicitus. Florere hactenus aut fructificare non uidi.

Malua (uel potius Althæa) Theophrasti. Vide Albutilon.

Malua Veneta Vide Alcæa peregrina.

Malum insanum, C.G. Massarius Melongena uel Melentzana uulgò Græcè: quo nomine etiam Strychnũ appellant. Aliud est Manzinzanion Aëtio, nempe radix Aegyptiæ fabę. Fructus unius speciei puniceus est, alterius albus. Solanum pomiferum dixerim. Agreste enim Græci Agriomelentzana uocant, Zacharia Caliergo teste. Insaniam quidem fructus hic minime facit: sed aliorũ quorundam Strychnorum, quibus hæc herba aliquo modo similis est. uidentur autem Græci recentiores multa uocabula à Latinis mutuati. Fructum apud nos non perficit, nisi maturè admodum seratur. Melensana (inquit Ruellius qui fruticem hunc describit. li. 2. ca. 14.) Galli Amorũ poma nominãt, fortè quia propter elegantiam et pulchritudinē dignum sit amari. Fructus est pomi magnitudine, in orbem circinatus, in quibus cartilago granis intercepta cucumeraceis cõtinetur: quæ edendo sit. Estur uulgò ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum, &c. Eodem gaudet cultu quo Cucumeres & Melones. Est & aliud Pomum amoris ab aliis dictum. Vide infrà in P.

Malorum genera quamplurima optimaq; in hortis & prædiis nostræ regionis proueniunt: præcocia, media, serotina. Horum aliqua durant tribus, quatuor, aut pluribus mensibus, quędam usq; in sequentem annum, donec alia maturescant, commodè reposita. Malorum genera quædam (non quælibet tamen) ramis & brachiis suis in latitudinem diduci ab elegantiæ studiosis solent: ut brachia undiquaq; in superficiem ferè planam extensa, tecti cuiusdam speciem, pedamentis in orbem digestis sustentata, præ se ferant. Eiusmodi non paucæ apud nos priuatis publicisq; locis uisuntur.

Mala Apiola dicta Italis, dulcia illa quidem, tam iucundè fragrant, ut uniuersas Indias sua superent suauitate, Scaliger.

Mali humiles duorũ generum: una, cuius fructus poma Adami uocant. Vtraq; frutex potius quàm arbor.

Malus nana, (Zwerg öpfel,) Matthias Curtius Lindauiæ. Poma fert Paradiseis uulgò dictis non dissimilia, albicantia: quæ sub finem Iulii maturescunt. Arbustum non supra quatuor cubitos assurgit, fruticans à radice.

Malus quædam ex Italia: cuius poma magna & rugosa in præcio sunt, Pampin appellant. Idem Curtius.

Mala Cydonia siue Cotonea, nullis ferè instructioribus hortis desunt. Cotonea magna, Vu. Pira Cotonea (Struthia Galeni, ut uidetur) pulcherrima & maxima, Vu. Cotonea Piris similia, Matthias Curtius etiam Lindauiæ alit. Persica arbore in malum Cydoniam inserta, Cydonium malum enasci uidemus, Nic. Monardus Hispalensis medicus.

Mala citrea. Vide suprà in Citro.

Malum Armeniacum, uel præcoquum (duracinum) commune, G. Amarellen/ Barillelt.

Mala Armeniaca ex Vngaria, magna & optima, Vu.

Mala Armeniaca candicantia, gustu suauissima, nucleo oblongo, dulci, ut Amygdala uideantur, Vu.

Mala Armeniaca alia, longè maxima, quæ ille existimat esse uera ueterum Armeniaca, Vu.

Malum aureum. Lege Pomum aureum.

Malus Persica. Vide in P.

Malus Punica, C. G. In hortulo quidem meo uix cubitalis nunc est, sed admodum fruticosa, nam ante biennium contra hyemem non munita, superficiem amiserat: sed denuò germinauit à radice. Bicubitalem uidi Argentinæ in horto Massarii: Mali Punicæ ad triginta, Vu.

Mandragoras, R. A. K. Ae. F. G. Vu. Cum fructu quidem adhuc in Germania non uidi. Latet aliquando, ut dixi in Achanto. In Italia alicubi sponte nasci puto. In horto amici quarto postquam satus est anno nuper floruit: fructus autem nullus subsequitur.

Mandragoræ generibus aliqui adnumerant Solani genus, quod Itali Bella donna uocant. Vide inter Solana.

Manna Polonis dicta, alia satiua est, alia syluestris, eaq; melior. Vide in Gramine suprà.

Maron, O. Vide Clinopodium Dodonæi. Mari ueri rarissimę herbæ semen peregrinum in Italiam fertur, nec nisi maxima cura prouenit.

Marrubium album, G. In plerisq; hortis alitur. Agreste nasci cùm alibi, tum circa Argentinam uidi. Nigrum, quod Balloten uocant, nusquam non agreste abundat.

Me.

Medica uera, genus Trifolii procerum, plurimis ab una radice caulibus, siliquis intortis cochlearum instar, floribus subcœruleis, Ae G. R. Aliquot iam annis in hortulò nostro uiuit: flores & semina fert quotannis: alta hoc tempore cubitos quatuor: colligatis ad perticam caulibus, ne supina iaceat. Circa Lutetiam sponte nasci audio. Circa urbem nostram in marginibus agrorum reperitur Trifolii genus, Medicæ per omnia simile, sed floribus luteis, & siliquis non ita intortis.

Medica minor, K. G. Trifolium tortuosum puto à quibusdam dictũ intelligens.

Medicæ species plures, C. Sex numero, Vu. Inter cæteras unam Itali Ferri equini nomine appellant. Vide suprà in Ferro.

Medion, Ae. Bononiæ olim Lucas Ghinus in horto mihi demonstrabat. Rapi syluestris genus maximum, quod Medium appellabat. Dodonæus Violæ Marianæ nomine pinxit. Reperitur in syluis & montibus Italiæ, foliis oblongis, floribus purpureis: et altera species albis. Ego olim an Lonchitis esset hęc herba, dubitabam.

Melanthium. Vide in Nigella.

Melilotus uera nascitur apud nos in aruis, alibique, locis arenosis præcipuè,

flore luteo: & altera species, albo. Vulgus Trifolium aureum appellat. Melilotus Italica quibusdam dicta, uel Trifolium odoratum, quod in hortis seritur, Loti non Meliloti species est, ut suprà indicauimus. Loto pentaphyllo à nobis dicto imperiti aliqui pro Meliloto abutuntur.

Melissophyllon ueterum, uulgò Melissam esse dictam non dubito. Nam & Citrago appellatur ab odore quo Citrum refert: mihi quidem iucundo, etsi quibusdam ingratus, & ueluti cimicum odor is uideatur. Ea nullis ferè hortis deest, & multis annis perdurat. Huius etiam syluestre genus inueniri scribit Matthiolus.

Melissa uera, Rurpodius. De alia fortè quàm uulgari sentiens, Fuchsii nimirum.

Melissa, uel Cedronella, id est, Citrago Turcica à quibusdam cognominata, nuper in hortis ali cœpit, Byzantio, (ut audio) allato semine, O. Ae. Vu. G. Odore multò grauiore & magis ad cimices accedente est, quàm uulgaris: angustioribus & oblongioribus foliis, herba æstiua, floribus purpureis.

Melissophyllon quod pro uero exhibuit Fuchsius, G. copiose in syluis nostris nascitur: & in hortos translatum aliquot annis manet. Lamium syluaticum dixeris, quanquam à cæteris Lamiis nonnihil differt: à Melissa quidem uulgò dicta, toto genere distat. Tertium Melissæ genus copiose in Bauaria iuxta Ingolstadium prouenit, odore suo planè Citrum referens, præsertim quum aridum est. Hoc Selapsiæ Ingolstadianæ pro Melissa utuntur, Fuchsius lib. 1. De compositione medicamentorum: de hac ipsa (opinor) sentiens, quam pictam dedit.

Melopepones uel Melones, R. Pulcherrimi & uarii generis, K. Melo spinosus, O. Fructus maximi sunt Anguria, quam Melopeponem ob id Galenus uocat, quòd non distincta sit canalibus ut Pepon, sed rotunda ut malum. Odorem quidem & saporem Melonis refert, manditúrque cum interiore parte, quod in Peponibus non fit. Sapor eis insipidus, substantia frigidissima, &c. Cardanus.

Memitha, C. Papaueris cornuti speciem puto intelligens, floris colore differentem. Talem enim herbam pro Glaucio (quod Arabum Memithe est) in Italia ostendunt.

Mentha hortensis trium generum, G. Prima communis & maior omnibus ferè hortis. Altera nobilior, rotundioribus, & rugosis seu crispis foliis. Tertia minima, rubicunda, suaui admodum odore, ad Sisymbrium & Ocymum accedens: hyeme etiam uiret: & surculo inflexo propagatur. Hanc Tragus Sisymbrium hortense uocat: Matthiolus uerò alteram, nempe crispam. Mentha seritur surculo, non semine, ut Theophrastus scribit. Solet quidem radiculis reptantibus se propagare. Mentha syluestris, quam Mentastrum uocant, ubiq; in aquaticis prouenit.

Mentha Græca uel Romana, uel Saracenica à nonnullis dicta, toto genere à Menthis propriè dictis differt. Vide suprà in Costo hortensi.

Mercurialis mas & fœmina, locis ferè cultis omnibus circa Vites & in areis hortorum copiose nascuntur plerisque regionibus. Tiguri deerat: sed è Bada oppido proximo planta una atq; altera in hortulum meum ante annos aliquot translata, ab eo tempore abundat: & similiter in hortis amicorum. Agrestis quidem in ruderibus circa urbem nostram maioribus foliis, mas duntaxat, (ni fallor) ubiq; occurrit. In syluis etiam nostris abundat species alia, quam pro Cynocrambe quidam accipiunt: quæ in hortis etiam annis aliquot durare solet, & radiculis suis transuersis se propagare. Itali Castagnariam, uel Castrangulam uocant, quòd folia quodammodo castaneæ habeat. Superiores æstiuæ sunt, G. Hæc in cibo oleris modo sumptam gratior quàm communis uidetur, & aluum bene soluit.

Mespili arbores satis uulgares hîc & alibi in Germania sunt. Aronia uerò Mespilus siue Tricoccus, cui folia Oxyacanthæ sunt: in Germaniã nondum peruenit, quod sciam.

Meum uel Meon, O. G. Ae. Nostri Bärwurtz dictam pro Meo non temere usurpant. Ea facile nascitur in hortis etiam de solis capitibus radicis resectæ, plantata, & multis durat annis. Fuchsius hanc herbam Seseli Creticum uel Tordylium

appel-

appellat: pro Meo tamen usurpari posse concedit. Vide mox in Muttelina.

Milium uulgare in agris seritur. Indicum uerò uel Saracenicum à Fuchsio dictum, uulgò Sorgi, à nostris etiam in hortis, propter raritatem: & culmorum comæque usum ad scopas, &c.

Millefoliũ uulgò dictũ, Garbe, passim in agris & collibus obuiũ est, frequẽtius albo flore, rarius rubro. In hortis etiã satis diu durat: & radicibus suis se propagat.

Millefolium Strathiotes, herbula teneris foliis, minutissimis, semine etiam minimo, odore suauissimo, Vu. Non aliud uidetur Millefoliũ nobile ab Hie. Trago dictum, lib. 1. cap. 160. Quod cùm alibi reperitur, rarum tamen: tum Basileæ prope urbem, qua Birsa fluuiolus ingreditur: & forsan idem quoq; quod peregrinum uel odoratum in horto suo uocat, D.

Millefoliũ luteis floribus, D. Pingitur hoc à Dodon. qui rarũ inuẽtu esse scribit.

Mo.

Morsus diaboli uulgo dictus à radice ueluti præmorsa, unde Succisæ nomen Fuchsius finxit, nota ubiq; in pratis humidis herba, G. in hortis parum durat.

Moly Plinii secundum Dodonæum, C. Phalangium nostrũ, ut ex pictura & descriptione coniicio. Pseudomoly Dodonæi, C. Graminis species, in litoribus maris proueniens.

Morus arbor fructu nigro, in Heluetia passim habetur, præsertim in hortis, G. In Italiæ & Sabaudiæ (ut circa Lemanum lacum) uicinis regionibus alba etiam Morus colitur. Quo modo ex trunci aut ramorum maiorum, serra dissectis partibus, Mori serantur, ut multæ citóque proueniant, Rei rusticæ authores tradunt.

Mu.

Muris auricula. Vide Pulmonaria Plinii.

Muttelina uulgò in alpibus dicta, à nostris Muttri, caros alpinus quidam uidetur: radicibus Mei ferè figura & sapore, sed infirmioribus. Autumno superiore aliquot eius radices in horto plantaui: quę nunc etiam in fine Iunii pulchrè germinant: sed nondum florent. Eius pabulo in montibus uaccæ plurimũ & optimum lac reddunt: sicut & Mei pabulo in Apulia: unde caseum caballinum dictum cõfici audio.

My.

Myrica, uulgò Tamariscus, G. Rurpodius. Hanc aliquoties frustra plantare conatus sum in hortulo meo siccaneo. Hoc anno demum in prædio ad riuulum mihi plantata benè prouenit, & floruit Iulio mense: translata è Sili torrentis iuxta urbem ripis: ubi copiose prouenit, cùm alibi, tum paulò superius quàm misceatur Limago. Alterius generis esse puto quam circa Monspelium uidi, trunco satis crasso, etc. nam nostræ truncus pollicis magnitudinem parum excedit.

Myrrhis, O.G.C.Ae. Rurpodius. Aliqui Italicam cognominant, alii Cerifolium Hispanicum, Spanisch Kürbel. Planta una ante triennium ex semine eius prælongo mihi prouenit, foliis dulcibus, necdum in caulem assurgit.

Myrtus, Rurpodius. Myrti plantæ decem, Vu.

Myxus alba quorundam, Sycomorus uulgò Italis. Quære in S.

Na.

Napellus. Vide in Aconito. Scaphusiæ in horto quodam & apud nos quoque flore albo inuenitur.

Napi natura inter Napum & Brassicam esse uidentur. In agris, non hortis seruntur. Rari apud nos: commendantur ex agro Vlmensi.

Narcissi uarii, Leuschnerus Misenæ. Tres species, C.

Narcissus Italicus, flore candido, odoratissimo, K. Hunc puto esse qui à nostris Lilium D. uirginis nominatur: qui flos in montibus supra Curiam syluestris, ut audio reperitur, G.

Narcissus alius, candido flore, pulchro, odorato, K.R.O.

Narcissus luteus, odoratus, qui initio Martii floret, K.R.C.O.Ae. alius luteus, K.

Narcissus purpureus & luteus, Vu.

Nardus Celtica uel Gallica, K. Nos etiam ex altis Vallesiorum montibus à Caspare Collino nostro missos, aliquot eius cespites proximo autumno plantauimus: & rudimenta floris iam uidimus, ipsi sua lingua **Selliga**, quasi Saliuncam uocant. Et profecto non alia est Saliunca, quàm Celtica Nardus: eademq; Phu herbę, id est Valerianæ, prorsus cognata. Viret etiamnum in hortulo meo, sed malè, ut alpinum cœlum desiderare uideatur.

Nardus Indica, (nisi Gallica scribendum sit potius,) Ae. R.

Nardus uulgò dicta, in hortis nostris plerisq; cultu, in agro circa Monspelium sponte abundat. Cum Nardis quidem propriè dictis ab antiquis nihil commune habet, ut neq; Lauandula, quæ in hoc genere ceu fœmina est: à Fuchsio Pseudonardi appellantur, hæc fœmina, illa mas cognomine. Mihi ad Stichadis naturam, specie, odore (caphurato ferè) saporeq; accedere uidentur, propius quidem quàm ullius alterius ex illis quas nouimus plantis. Surculo fœlicius quàm semine prouenit. Vide etiam in Spica.

Nasturtium maius, album: & minus nigrum, G. Syluestre persimile hortensi, puto me in altis quibusdam montibus olim reperisse. Genus illud syluestre quod **Welsamen** uocant, à Fuchsio & Trago depictum, sponte apud nos non reperitur. In Sabaudia circa muros & rudera frequens uidi, ut in regione ducis Vuirtenbergensis quoq;. Dodonæus Thalictrum facit. Inferiores Germani quidam Sophiam nominant. Apud nos pratense quoddam syluestre est, **Gauchblůmen**: & aliud riuale, circa saxa riuorum, **Steinkreßich**: aliud deniq; palustre, floribus luteis: Sinapi forte adnumerandū. Hæc omnia ab hortensi genere aut potius specie differūt. Nascitur & in uineis quod **Râbkreßich** appellant, foliosum, acre, Febrario florēs, &c.

Nerium. Vide Rhododaphne.

Ni.

Nigella (aliâs Melanthium, Gith) Damascena, semine nigro: sicut & alia uulgaris, G. Vulgaris nostræ species altera semen subflauum habet, & odoratius. Syluestris etiam in aruis nascitur, ut circa Liechstalam Basiliensium oppidum uidi. Hanc aliqui (ut Cordus quoq;) non rectè pro Cumino syluestri accipiunt. Damascenæ hoc peculiare, quòd capitulorum eius calices inferius pulchrè coronantur foliis.

Nil Arabum. Vide Conuoluulus cœruleus.

Noli me tangere, G. Tragus hanc herbam Esulis seu Tithymalis adnumerat: nō rectè: nam neq; lacteum liquorem habet, nec uiribus nec specie cum illis conuenit. Siliquæ eius maturæ, tactu dissiliunt. Vide suprà in Balsamine. In horto meo circa sepem abundat, æstiua herba, & è semine suo quotannis resurgens. Vidi sæpe in in montibus, locis asperis, lapidosis & humidis. Flos colore & forma aconitum luteum refert. Veneno forte non caret. Gustata fauces rodit. **Judenhůtlin** quidam Germanicè uocant. Non desunt qui Scorpioides existimarint.

Nu.

Numularia à Fuchsio dicta, G. Nascitur passim circa sepes et alibi, locis humidis: eius species alia est, quam syluaticam à natalibus aut marem dixerim, minorem, acutioribus foliis, & erectam ferè. Superiorem fœminam aut supinam nominemus. Aliqui Centimorbiam & Delphaticam uocant.

Nuces iuglandes in agro Tigurino abundant, hortis inutiles: primùm quia non solùm uasta magnitudine sua nimiùm inumbrant cætera: sed homini etiam noxia umbra earum existimatur: deinde quia cùm profundissimę earum radices sint, quanta fere superficies (ut uulgò creditur) exhauriūt & emaciant solum, succo pinguiore omni ad se attracto.

Nuces iuglandes, tum saporis præstantissimi, tum corticis adeò tenuis, ut leuissimo digitorum compressu frangantur.

Nux Auellana, Corylus. Vide in Auellanis.

Nux Methel Auicennæ, Stramonia Fuchsio. Aliis Pomū spinosum, Turcis Tatoula, Græcis hodie Paracoccalon, uel Barycoccalon, quasi nux grauans, torpore et

somnum

somnum inducens: quibusdam Corona regia, Melospinus Venetiis, Gallis Pomme de Perou, G.K.C. Vu. Nux quidem impropriè dicitur, cùm durum foris nihil habeat, pomum uerius quàm nux. Flos ei tanquam Conuoluuli in sepibus, sed multò maior, odore graui quidem, sed aromatico ferè, nec sine gratia, ut mihi uidetur. Foliorum uerò odor grauis simul & fœtidus, ut plerorumq; frigidorum uenenorũ. Mandragoris annumeranda uideri possit hæc planta, aut sui generis esse, potius quàm Solani cùm poma ferat: sed nos quoq; Solana Pomifera quædam cognominabimus. Bellonius Solanum somniferum nominans (aliud certe Dioscoridis hoc nomine est) in planicie circa Hiericho sponte nasci scribit. Aloisio Anguillarę audio hanc plantam uideri Hippomanes, à Scholiaste Theocriti dictum: & conuenire ei descriptionem, uocabulo uno transposito, ut spinosum scilicet de fructu, nõ de folio dicatur. Ego ut huic opinioni non contradixerim, ita non aliud Lycopersium Galeni existimo, &c. Forsan & idem Dioscoridis Pharicum fuerit. Monspelii Solanum Romanum uocant, ex Hispania ad se allatum dicentes.

Oc.

Ochrus Galeni, O. Leguminis genus Ciceri cognatum.

Ocimastrum uerrucarium libet appellare herbam quandam æstiuam apud nos, Ocimi foliis, flosculis candidis, pulchris, uasculis seminum exiguis, rotundis, hirsutis, quæ paruas ceu uerrucas referunt. Nascitur circa sepes, nullius uel nominis, uel usus apud nos.

Ocimoides (Lychnidis syluestris nomine depingit Dodonæus) album, purpureum uel roseum, rubrum, alpinum, G. Aliqui Been album & rubrũ uocant, ineptè: ut illi etiam qui Polemonium pro Been albo accipiunt. Marem in hoc genere dixerim, cui apices è medio flore prominent: fœmineam, cui nulli: idq; in utroq; colore: nam & mas albus purpureusq; reperitur, & fœmina similiter. Hæc odoratior est, præsertim uesperi, quo tempore rursus aperiri flores et odorem recipere uelutiq; resurgere solet, tanquam Hesperis Theophrasti: nam sole meridiano ita flaccescunt ut mortui uideantur. Anno secundo floret. Durat tres aut quatuor annos, ni fallor. Passim apud nos sponte nascitur locis siccis, circa macerias, sepes & alibi. Genus illud cui flos magis rubet, in alpibus: minus odoratum cæteris, uel potius inodorum prorsus. Dodonæus Ocimoides nostrum Lychnidem syluestrem uocat. Plantatur (inquit) in hortis alba & purpurea, & longo cultu aliquando florum folia multiplicat. Saponaria inferioris Germaniæ pharmacopolis.

Ocimoides peregrinum dixerim, flores quos ab Hierosolymis denominant, croceo colore splendente longè pulcherrimos. Eiusdem species minor reperitur, quę primo anno floret, G. Flores Hierosolymorum appellant uulgò: quanquam non è Syria, sed Dacia allatos audio. Aldrouandus Creticum cognominat. Diu durant in hortis nostris, radice uiuaci. Semina tempestiuè maturant, & facilè ex illis oriuntur. Flos odore caret, & sole nihil afficitur. Aliqui ante fenestras in pensilibus hortis alunt, tanta gratia est florum. Species minor cubitalis est, aut paulò excelsior, rarioribus floribus: maior bicubitalis. Florent anno secundo, durant pluribus.

Ocimum, quod uulgò Basilicum nominant, id est, regium, ab odoris præstantia, diuersorum est generum: quæ apud nos in uasis tantùm & altilibus hortis conseruntur. Herbæ æstiuæ, pruinæ impatientes: ideoq; non prius serendæ quàm cùm nulla amplius pruina expectatur, ne in prima herba intereant, aut perurantur. Ex eis paruum genus, ut crispum & globosum appareat, forfice puto circuntondetur. Idem dum floret cum radice euulsum & in uas uitreum angusti colli aqua plenum impositum, diutissimè uiret, radice in aqua crescente: adeò φίλυδρον est. Maioris aliud Caryophyllatum ab odore dicitur, aliud Citratum, quod maximum est, & Melissophyllum seu Citrum olet, rarius nostris: mihi quidem satum in uasis pulchrè prouenit.

Od.

Odontitis Plinii, K. Hanc Plinius in pratis nasci scribit inter Fœni genera, cauliculis densis ab eadem radice, geniculatis, triangulis, nigris: flore purpureo, pu-

fillo: hordei femine in alis: foliis paruis, Polygono longioribus.

Oenanthe. Lege Filipendula.

Ol.

Oleæ aliquot, Vu. Olea procera, quæ fuperioribus aliquot annis floruit: hoc uerò anno 1558. demum æftate fructum, non prorfus tamen maturum produxit, K. Vidi et ego Oleam cubitalem Auguftæ in horto magnifici D. Ant. Fuggeri. Arborem equidem in noftro cœlo prouenire miror, quum hyems, frigus & uenti plurimùm ei noceant, Theophrafto tefte: florenti etiam imber. Adde quòd tardè admodum crefcit: & afflatum maris defiderare uideatur: quare olim (Plinio tefte) non putabatur nafci nifi intra ccc. ftadia à mari. Plurimæ quidem circa Benacum nafcuntur: multę etiam circa Roboretum apud confœderatos nobis Rhætos, prope fed ultra alpes, Infubriã uerfus. Inde autumno fuperiore allatas mihi arbufculas duas plantaui in uafe, propter inftantem hyemem.

Oleaftri fpecies, ut quidam putant: ut alii, Ziziphus alba, A. Laufannæ alibiq; in Sabaudia quidam in hortis alunt.

Olus atrum, quod Itali uulgò Alexandri uocant, pharmacopolæ Petrofelinum Macedonicum, O. G. Durauit mihi tribus aut quatuor annis in hortulo, loco nimis umbrofo confitum: quo tempore femel tantùm flores & femina protulit: interdum latuit. Heyme germinat ac floret, tefte Cardano. Bernæ in horto Aretii nuper floruit. Græcè Hippofelinum uocant pleriq;. Sed Matthiolus pro Hippofelino Ligufticum uulgare pingit Hippofelinum uerum, K. Rurpodius, Matthioliue an alterum intelligentes, nefcio.

On.

Onobrychis. Vide infrà in Ruta capraria Italorum, & fuprà in Glauce.

Ononis non debet plantari in hortis, ne fiat anonis, hoc eft, inutilis & noxia aliis herbis. Oblongis enim & ualidiffimis radicibus longè lateq; reptat, & fefe propagat. Sponte in aruis alibiq; crefcit, inuifa agricolis quorum fæpe aratra fiftit aut moratur. Leuis eft uere & prima æftatis parte, deinde aculei fuperueniunt. Reperitur, ni fallor, etiam perpetuò læuis. Flores purpurei in uulgari: montanæ, quam uidi in Gemma monte Vallefiorum, lutei.

Onopordum, Bafileę in horto Zuuinggeri.

Op.

Ophioglossus à Fuchfio dicta, Ae. in pratis quibufdam (humidum & pingue folum amare aiunt) apud nos copiofe nafcitur. Maio menfe reperitur, poftea euanefcit. Folio fingulari femper, unde Henophyllum uel Monophyllum dixeris. [nam quæ Germanicè fic uocatur, Einblat, caule edito, altero folio augetur. Tora etiam noftra non femper unifolia eft.] In hortis parum durat: & fortè etiam ruri, ubi fparfis feminibus eam multiplicari puto. Naterzüngle. Itali (ni fallor, Bononiæ præfertim) Serpentinam uocant: aliqui Lanceam Chrifti, uel Luciolam. De ueteri eius nomine non conftat.

Opulus, Aceris fpecies minima: alio nomine Rumpotinus, montibus & collibus apud nos frequens eft. Circa Verbanum lacum maritatur Vitibus.

Or.

Orchis. Quære in Tefticulo.

Origanum uerum montanum, Leufchnerus.

Origanum Creticum, O. Origani Heracleotici uel Hifpanici fpecies, K. G.

Origanum onitis, rara planta, K. Rurpodius.

Orig. fyluestre uulgare, G. Tragoriganũ, Rurpodius. Idem aliquot annis excultum in horto, K. tandem periit. Tragoriganum alterum, C. Illud nimirum quod Dodonæus pingit Serpyllo perfimile Tragorigana (inquit) in hortis tantũ colun tura diligentioribus: eius fpeciẽ alterã aliqui Prafiũ uocant, alii pro Thymo ducũt.

Origanum Haracleoticum (uel Hifpanicum à nonnullis dictum.) Antuerpiæ quod ex Hifpania aduehatur, C. Pingit hoc quoq; Dodonæus: odoratius candidiusq; effe fcribens.

Origano cognata uidetur, quæ uulgò Maiorana maior dicitur.

Orminum. Quære Horminum.

Ornithogalum, K. Nascitur in Brabantia passim in agris & aruis, ut et circa Monspelium.

Ornithopodium Dodonæi, G. Sic autem ei nomen finxit Græcum, quoniam Brabanti similiter nominant **Voghelvoet**, id est, Auis pedem, propter siliquas articulatas extremitate recurua, quinas aut senas, ad exemplum pedis auium. Nascitur passim apud nos in collibus & pratis siccis apricisq;, foliolis è regione binis, multis deinceps, lenticulæ, minoribus. Flosculis in corymbo luteolis, Loti pentaphylli nostri similibus, odore exili, suaui, lactis quodammodo uel Iasmini florum. Verus nomen ignorare se ait, nisi fortè Polygala sit. Ferro equino Italorum (de quo diximus) cognata uidetur.

Ornus, A. G. Semina à Bellonio accepimus: cuius diligentia Lutetiæ etiam Orni iam non paucæ proueniunt, seminibus ex Italia aduectis.

Orobanche uera in agris uel syluis nascitur. Orobanche uerò Ruellii, Gallis Tenia dicta, alia uidetur, quæ cirris suis ceu brachiis legumina obuoluit & strangulat. Helxine Cissampelo, ut coniicio, similis herba: sed flore minuto: quæ passim in nostris etiam hortis & agris inuisa nascitur. Volubilem nigram uocant: gustu glutinoso, subacido: semine triquetro, nigro: radice una, candida, dodrantali: à qua cauliculi plures prodeunt, oblongi, distorti, ramosi, lenti, &c.

Orobus à Græcis dictus, hoc est, Eruum quod ad Theriacæ compositionem requiritur. Legumen est nullis capreolis, siliquis secundum semina interceptis, ita ut in furnis coniuncti panes. Semen foris album est, intus ruffescit, O. Vu. G. Facilè prouenit. Circa Lugdunum (unde semina accersiui) agros eo conseri audio. Inuenitur & syluestris: sed non in Germania quod sciam.

Orobus albus, O. Superforem rubeum uulgò cognominant.

Ou.

Ouariam, uernacula lingua (**Eierkraut**) uocari audio herbam mihi incognitam in Saxoniæ hortis & Francofordię: quæ dissecta aspergatur ouis frixis, propter saporis acrimoniam.

Ox.

Oxyacantha Dioscoridis, Spina alba uulgò dicta arbuscula uidetur, quæ in sepibus nostris abundat. Est enim sepimentis aptissima, propter multas, ualidas acutasq; spinas. Hæc mihi Plinii Spina appendix uidetur: & alibi simpliciter Spina.

Oxyacantha Theophrasti, Ae. Theophrastus Oxyacantham suam perpetuò uirere tradit, incunte uere germinare: semen reddere post occasum Vergiliarum.

Oxys Plinii passim circa sepes, locis umbrosis & muscosis emicat. Itali quidam in hortos transferunt.

Oxytriphyllum, K. nimirum Trifolium Asphaltites: de quo infrà.

Pa.

Pæonia fœmina, K. G. In plerisq; apud nos hortis colitur: in quibus uiuacissima est, ita ut si effossa radice exiguum aliquid relinquatur, inde repullulet. Syluestrem nasci audio in summis supra Glaronam nostram montibus, è quibus Serua fluuius oritur. Reperitur etiam multiplici flore, quod rarissimum est.

Pæonia mas, folio nucis K. G. Curtius Lindauiæ. Rara fuit hactenus in hortis. Syluestrem in Germania nasci non puto. Vtranq; reperiri audio in Generoso dicto monte prope Luganum, quod oppidum est Heluetiorum non procul Lario lacu. Icon eius à nemine hactenus exhibita est, ne à Dodonæo quidem, qui tamen in horto eam habere fertur. Tragus, quem & Dodonæus secutus est, Dictamnum uulgarem, id est, Fraxinellam Italorum, Pæoniam marem esse putabat: sed non conuenit descriptio. Huius radix quidem tragon, id est, hircum olet, non tamen idcirco Tragium est, ut quidam putant: nam Tragium primum, Lentisco ferè per omnia simile est, sed minus. Alterum Scolopendrii foliis insigne.

Pæoniæ ultra prædictas tertia species, minor, C. Quæ mihi etiam nuper ab eo transmissa una cum aliis quibusdam, tam longo itinere, in hortulo uiret. In Catalogo, O. Pæoniæ species quatuor reperio: ex quibus una nimirum fuerit Fraxinella, de qua diximus.

Paliurus nobis incognitus est: nec senserim cum Amato Lusitano, qui Ilicem Aquifoliam nostram (ipse Agrifolium nominat, & ab Aquifolio nō rectè distinguit) Paliurum facit.

Paliurus Africana. Apud nos (inquit Ruellius Gallus) paucis antea annis frutex inuenitur, qui etiam arborescere possit, folia per ambitum laciniatim sinuato, rotundo, molli, ramis Spini, quem Album cognominant, modo aculeatis, baccis rotundis, rubris, myrteis, longè maioribus, gustu iucundo: qui & uinum suauitate sua commendet. Condiuntur & grato ori cibo. Cœpit mea memoria propagari insita, quantùm reor, albo Spino. Qui colunt in hortis, uelut alienigenam & aduenam arborem Myrobalanum appellant. Hanc esse putauerim nullis ferè notis reclamantibus Paliurum Africanam, eam præsertim quæ non siliquetur. Hæc Ruellius. Eadem puto est Connarus Athenæi.

Palma in Europa an usquam fructificet, nescio: de arbore proprio sic dicta loquor. Nam species quædam minores, ut Chamæriphes, & quæ Musas appellatas fructus ferunt, in Italia etiam Hispaniaq; fructus perficiunt: & in Gallia Narbonensi quoque, ni fallor, uel utræq;, uel Chamæriphes Margaridesue saltem. Palmæ arbores circa Monspelium habentur, sed steriles. Audio Monachii (quod oppidum est Bauariæ) in horto principis Palmam exiguam haberi. Ego Indicæ Palmæ folium pedes ferè denos longum, & totidem latum ab altera parte, aridum seruo: missum ad me dono à Ioanne Baptista Hoffstettero pharmacopœo, Augustę Vindelicorum celebri. Eam arborem in Hispania etiam (aut Lusitania) iam prouenire nuper quidam nobis asseruit.

Palmæ species pumila, quæ Musas uocatos fructus fert, &c. Lege quæ proximè retrò scripsimus. In Aegypto circa Memphim plurima nascitur. Propagine seritur. Seritur iam & Neapoli in Italia, inquit Alexander Benedictus: in annum durat. Folia hyeme decidua, uere renascuntur, &c.

Panaces Heracleum, pulcherrima planta, O.K.C. Ex eo colligitur liquor Opopanax dictus Pharmacopolis. Vidi aliquando in hortis Italiæ, aliqua cum Sphondylio nostro similitudine, maius.

Panaces Asclepium Patauii quidam in hortis serunt, nescio quo prouentu.

Panaces Chironium forte fuerit Virga aurea uulgò dicta Italis: uel Doria (si benè memini) in Prouincia uulgò nominata, (alia quàm Virga aurea,) quam in horto D. uidisse me puto.

Pancratium uerum, Vu. Scilla minor. Dodonæus Pancratium interpretatur herbam quam Fuchsius pro Hyacinthi genere exhibuit: quod audio Monspessuli Ophioscorodon existimari à doctis, et uulgò ibidem Allium caninum nominari, radice rubenti & bene acri. Circa Lausannam in aruis reperi. Idem Dodonæus Pancratium alterum nominat Bulbinem nostram.

Panicum legumen uulgare apud nos, agrum non hortum decet.

Panicum Indicum. Vide Sorgo.

Papauer minus, nigro semine, nigrum uel commune, in hortis nostris abundat: alicubi agri eo obseruntur ad exprimendum oleum. est ubi syluestre nascitur.

Papauer album, satiuum, flore & semine candidis, seritur à pharmacopolis nostris. Huius & altera species reperitur, Dodonæo teste, cuius florum folia sunt crenata & dissecta.

Papauer rubrum etiam aliquando seui in hortulo. Huius capita inquit Dodonæus, rotundiora sunt, non longa. Semen subnigrum. Huius quoq;, ut superioris, species reperitur foliis florum crenatis & dissectis.

Papauer erraticum, quod Græci Rhœadem uocant, rubro flore in aruis apud nos

nos ubiq; emicat, altera demum ęstate florens. Huic similem herbam, sed æstiuã, flore luteo, si benè memini, aiunt apud Vallesios alicubi in agris secali consitis reperiri, et Fan appellari ab incolis.

Papaueris rara quædam species, O.

Papauer cornutum uel corniculatum, luteo flore, G.R.K.O.Vu. Facillimè nascitur, & semina in tempore maturat in hortis nostris: & seminibus sparsis sese reparat. Vide sequentia.

Papauer cornutum rubro uel purpureo flore, rarius, in aliquibus hortis, ut Augustæ, alitur, O.K. Vu. Vide Memitha & Glaucium. Papauer corniculatum nascitur in maritimis, floremq; fert croceum. Nos in Hispaniis, præsertim regnis Aragoniæ & Castellæ, longè à mari per multa miliaria, circa uias & arua duas alias species inuenimus: unam flore ualdè rubeo, cætera similem, sapore tamen non ita salso: et alteram minorem per omnia, flore uiolaceo. Semina omnibus nigra: Monachi in in Mesuen. Posterior hæc species à Dodonæo exhibetur Iconum Tomo 2.

Papauer spumeum uidetur genus quoddam Esulæ paruũ, quod Tragus pro Peplo pingit inter Tithymalos Esulam exiguã nominans, radice inutili, locis cultis aliquibus sponte nascens: foliis paruis, angustis, longiusculis. Nihil ei cũ Papaueribus cõmune præter liquorem lacteũ, etc. Plinio Peplos aliâs Syce, uel Mecon aphrodes dicitur: semine minore quàm candidi Papaueris. Inter Vites ferè colligitur, &c. Foliis Rutæ paulò latioribus. Dioscorides tres herbas diuersas facit: nam Chamæsycen aliter Sycen uocat, genere quidem conuenire uidentur. Et Galenus quoque Peplum aliâs Papauer spumeum uocari tradit.

Parthenium, hoc est, Matricaria uulgò dicta: circa muros hortorum & rudera sponte nascitur. Alii Cotulam fœtidam interpretantur, quæ circa uias & limites agrorum ubiq; abundat: item in hortis, locis siccis & lapidosis.

Pastinaca uulgò Carota dicta, O. Tria eius genera apud nos reperiuntur, radicibus luteis, purpureis, albis. Rübli. Inter syluestres herbas Dauci Pastinacis cognati uidentur: & aliæ quædam forsan propius. Carton (accedit uocabulum ad uulgare Cariota) Pastinaca est magna & bene aucta, meliore succo, &c. Athenæus. Hęc fortè est quæ iam sequitur Pastinaca.

Pastinaca uulgò dicta, Pastenein, minus frequens est apud nos: frequentissimũ Basileæ & Argentinæ. Hoc Dodonæus pro Elaphobosco pingit. Reperitur etiam syluestre in pratis obuium. Pe.

Pecten Veneris, siue Scandix, nisi inter segetes nostras abundaret, locum in hortis meretur.

Pelecinus, Securidaca, G.K.R.C. Semen ei in siliquis oblongis ruffum, securis effigie, unde nomen Pelecini: amarissimum, unde & Hedysarum fortè per antiphrasin dicta est. Apud nos inculta non prouenit, alibi in aruis sponte, nusquam tamen in Germania quod sciam. E seminibus suis restibili fœcunditate reparatur, et hyeme etiam uiret.

Pelecinus falsus, C. Pingitur à Dodonæo Tomo 2. Sponte apud nos nascitur locis siccis & apricis quibusdam.

Pentaphyllum, Quinquefolium, ut nusquam non obuium, pinguiori & humidiori solo gaudet, ita in hortis etiam durat, flagellis suis ubi terram attingit per interualla articulata apprehendens, (Fragrariæ modo cui cognata uidetur,) seq; ipsa propagans.

Pentaphylli etiam aliæ quædam species sunt, minus communes apud nos, minores, magisq; syluestres quodammodo: à Trago descriptæ: ex quibus unum etiam depinxit, floribus albis: foliis ferè Lupini, quod etiam in hortulo, Ae. alit. Est & aliud Pentaphyllum album quod Petreum cognominauerim, pulcherrima herba: Id primùm reperi copiosum in mœnibus Vuallestadii oppidum, sed muris nunc reparatis nullum est. Deinde in saxis montis supra Sanamcasam oppidulum, iuxta introitum in fodinam ferri, quæ maxima antiquissimáque illic est. Hanc

speciem superiore autumno in hortulum transtuli. Pentaphyllis deniq; etiam Tormentillam uulgò dictam adnumerârim: quæ in pratis aliisq; locis passim apud nos abundat: in hortis parum durat.

Pepones, R. Dodonæus pingit Peponem latum, & alium rotundum: & tertium magnum, quem & Cucumerem Turcicum uocat.

Perfoliatæ uulgò dicuntur herbæ quædam, Diaphylla Græcè dixeris: quarum caulis transigit & penetrat folia: unde & Germanicum nomen **Durchwas**, hoc est, Diaphyes. Sed una præcipuè, quę à Fuchsio & Trago pingitur, hoc nomen sibi uendicauit. Ea quamuis multis in locis sponte nascatur, solet tamen apud nos etiã in hortis seri, partim propter eius raritatem hîc, partim quòd ad sanandos ramices ac prominentias umbilici, singularis eius uis existimetur. Maiorem hanc cognominat Tragus. Aestiua est herba.

Perfoliata minor, O. Ea nimirum quam Tragus descripsit, similis prædictæ, foliis tamen acutioribus, & crassioribus: & siliquis oblongis quales ferè Brassicæ sunt, cùm superior nuda ferat semina.

Perfoliatam Achilleam appello herbam, quæ in collibus nostris, non frequens tamen reperitur, floribus luteis, Lysimachii ferè, quorum singuli foliis constant octonis. De hac sensisse Plinius uidetur, his uerbis: Aliqui ueram esse Achilleam tradũt, scapo cœruleo, pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter uestitam. Cœruleum quidem colorem non obseruaui: reliqua conueniunt. Aestiua est.

Periclymenum (Caprifolium Latinè quibusdam. Syluaticus Pyxacantham Caprifolium nominat) in syluis Sabaudiæ & circa Argentinam sponte nascitur. Nostri in hortis plantant, ut pergulas uel attegias eo innectant: circumuoluit enim se sua sponte: aut iuxta muros pangunt: facile enim in altum scandit, ad secundum etiam cœnaculum domus: ut & uiriditate ornet fenestras: & specie odoreq; florum suauissimo oblectet, id quod multo tempore facit. Floret enim paulatim. Viuit in hortis annos quàm plurimos. Huic cognatus est syluestris quidam frutex, qui locis saxosis nascitur apud nos passim in sepibus, muris, syluis, acinis rubicundis, gemellis, nõ circumuoluitur, etc **Beinhültzen** uocant nostri, hoc est, Xylosteon, à duritie ligni tanquam ossea. Pingitur & à Dodonæo ceu Periclymeni species. Periclymeni speciem unam reperiri tradit Dodonæus, cuius folia non ut in superiore bina & distincta, sed in medio unita sint, transeunte per medium caule. Hæc nimirũ est quam Matthiolus pinxit.

Persica mala non unius generis, abundant in nostra regione. Maiora & odoratiora nostris circa lacum Verbanum uidi. Persica Vngarica trium generum: quædam magnitudine pugni: alia intus & foris colore aureo: alia intus sanguineo succo, Vu. Postrema apud nos etiam rara non sunt, duracina, & serotina. Persica malo in Cydoniam inserta, Cydonium enascitur: ut suprà scripsi in Malo Cydonia.

Persicorum generis sunt etiam præcocia seu Armeniaca mala. Lege suprà in Malis.

Petasites circa montium radices in pratis humidis apud nos luxuriatur. In hortos translata locis umbrosis uel humidis diu durat. Floret ante folia primo uere. Semen ei nullum, Trago teste.

Petroselinum uulgò dictum, ueteribus simpliciter Apium est. De Petroselino ueterum leges in Seseli.

Peucedanum, K.F.C. Massarius Argentinæ: ubi etiam sponte nascitur prope urbem, in pratis, iuxta Carthusiam, radice ad duos aut tres (ut audio) cubitos longa, succi seu potius liquoris plena, sulfur olente: foliis oblongis, ternis ferè, &c. Hier. Tragus etiam Peucedanum in suis hortis copiose prouenire scribit. Vulgò **Wilden fenchel** uocant, hoc est, Fœniculum agreste: nõ rectè. Aliqui **Schwebelwurtz**, à sulfureo radicis odore. Crescit (teste Trago) in altis, umbrosis, & opacis syluis, ut Hercynia, & Spessarto, & Idaro dictis uulgò: item in Vuasgoia & Monte tonitrui.

Phalan-

Ph.

Phalangitis seu Phalangium herba, G.K. Nascitur sponte in collibus siccis & locis montanis apud nos, floribus Lilii, sed paruis: maiores duplo quàm nostri sint, in montanis Sabaudiæ pratis uidi. Herba, ut quibusdam uidetur, Asphodelo cognata est: quanquam dissimili radice **Graßgilgele**. In hortis probè crescit: annos (ni fallor) tres aut plures durans. Hanc Dodonæus, si bene coniicio, ex pictura & descriptione, pro Moly Plinii exhibuit.

Phalaris, O. G. Semen ab Ollingero accepi. Facillimè crescit. Pingitur à Dodonæo: qui apud inferiores Germanos semen Hispanicum uel Canariense uocari ait, quòd inde allatum sit. Audio speciem unam syluestrem esse, alteram satiuam.

Phasioli, O. Legumen nimirum quod & Phaselum uocant, idem forte Smilaci hortensi. Matthiolus quidem pro Phasiolo in Dioscor. lib. 2. cap. 101. & rursus cap. 140. pro Smilace hortensi, herbam eandem pingere uidetur: nisi quod pictura una inflexa, altera recta est. Alius est Phasiolus, qui & Isopyron, de quo suprà.

Phaselus Turcicus aliquanto maior est nostro: sed admirabili naturæ arte humanam effigiem refert, fronte, oculis, naribus, (si tamen pediculi partem illi annexam relinquas:) ore, quod quasi duobus testibus munitum est, ac mento. Nihil certe humanæ faciei natura similius fecit, Cardanus.

Phaselus syluestris uel niger à Dodon. dictus, aut Faba syluestris, (nã Fabã uulgò dictam, ueterum Phaselum esse putat: ac in duas species, maiorem, & minorem quæ & rotundior sit, diuidit:) similis est satiuæ, nisi quòd capreolos habet, quibus satiua caret: semen globosum, nigrum, non maius Piso, & inter mandendũ ingrato sapore, odoreq; fœtido. In Germania inferiore sponte nata nõ reperitur, sed in hortis quorundam. Hæc forte est, inquit, Cyamus, aut Faba ueterum. Ego neq; syluestrem esse toto genere, neq; sapore ingrato, & odore fœtido, de ueterum Faba dici posse arbitror. An uerò Phaselus eorum sit, perpendendum est accuratius. Nos diuersi generis Pisa nigra interdum in hortis serimus propter raritatem, sapore odoreq; à communibus Pisis nihil distantia.

Phillyrea siue Ligustrum, G. Eadem sepes nostræ abundant, **Kerngerten**. Aliam Phillyream nominat Bellonius, sua primùm cura in hortis Luteciæ consitam: quæ etiam Venetiis in horto Maphei de Mapheis medici cernitur, è locis saxosis et montanis Italiæ, ubi sponte nascitur, translata.

Phu maius & minus, O. Vulgò Valerianam uocant. Nos & hortense genus unum habemus, & syluestria tria: maius commune, minus, & saxatile seu petræum montanum. Omnia facile in hortis proueniunt, durantq;: saxatile quidem diutissime. Vna enim iam planta decimo aut amplius anno mihi uiret in horto. Cognata his herbis omninò etiam Nardus Celtica est: & (ni fallor) Indica quoq;.

Phu peregrinũ, seu, ut à quibusdam hodie uocatur, Valeriana Græca, herba pulchro flore, cœruleo, sed inodoratæ radicis. K. A. Ae. C. Rurpodius. Excrescit interdum ad duos cubitos, (inquit Aretius in epistola ad me:) in summo caule cœrulei multi flores sunt. Viridem nondum uidi: & foliorum specie tantùm puto, non uiribus & natura Phu propriè dictam referre.

Phyllitis, quæ uulgò lingua ceruina dicitur, G. In multis apud nos hortis bene diuq; uiret. Syluestris nascitur cum alibi locis collium saxosis & umbrosis, tum prope Limagum infra Badam nostram: & Glaronæ.

Phyllum, C. Dodonæi nimirum, quod is lib. 2. Iconum pinxit & descripsit, his uerbis: Phyllum, herba semine quidem Mercuriali similis, sed reliquis dissimilis. Tenui enim candidaq; lanugine tota incanescit, ac leniter hirsuta est: folia Oleæ foliis similia, sed latiora paulò. Errare eos hinc manifestum est, qui Phyllon cum Mercuriali confundunt.

Pi.

Picea si est, quam nostri Abietem rubram (à corticis colore) appellant. Abundãt ea syluæ & montes nostri: & in hortos etiam translata arbuscula, breui adolescit, G.

Piceastrum quidem in altissimis montium nostrorum syluis nasci aiunt, materia

longè puriore & politiore. Ego nondum satis consideraui.

Piceastrum esse puto, cui maxima (ni fallor) rigidissimaq́ in Coniferarum genere folia sunt, nostris montibus & collibus, etiam proximis urbi nostræ, frequenti. **Foren/ Kien.** Aliqui ipsam Piceam in altis montium syluis nascentem pro Piceastro accipiunt: **Foren** uerò Tædam interpretantur.

Pimpinella minor syluestris, crescit in collibus siccis, hirsuta modicè. Habetur & satiua læuis, G. Non aliter opinor quàm cultu à syluestri differens, tenerior, & acetariis expetita: in quem usum syluestris adhuc tenera substitui potest. Semina habui è Gallia. Cucumerem olent. πεμπινέλε à Nic. Myrepso scribitur: de ueteri nomine nõdum constat. Pimpinella à Germanis uulgò dicta, aliis populis Saxifraga nominatur, Italis cognomento hircina.

Pimpinella maior, in pratis humidis suæ spontis, G. Durat aliquandiu & floret in hortis.

Pinguicula uel Liparis uocari potest: propter pinguia & tenera folia, semper humida: in humidis quibusdam pratis, præsertim circa syluas et montes nascens herbula, foliis Oleæ ferè: caule nullo. Floribus Violæ nigræ, specie & colore. Viret aliquantisper in hortis, sed perennare (ni fallor) non potest.

Pinus arbor in Germania fortè nulla est, nisi rarissima, ut in hortis, K. R. Vu. apud Italos in hortis colitur propter nucleos Pineos. **ein zamer Zirnen baũ/ an welchem zame Zirbelnussen oder Ziernussen wachsend.** Audio & Geneuæ spectari Pinum in loco quodam publico.

Pinaster, Pinus syluestris in altis mõtibus Rhætorum & Vallesiorum. Nec ulla arborũ (opinor) altius nascitur. **ein wilde Ziern baum**, G. In horto ante annũ è nucleis aliquot mihi exortæ sunt, quæ partim uirent adhuc, partim perierunt. Nuclei quidem eius ut minores, ita gratiores sunt quàm Pini.

Piper uerum, ut quidam existimant, Iac. Oppenheimer pharmacopola Francfordiæ ad Mœnum: qui iconem etiam ad me dedit.

Piper uerum ex India, hactenus non uisum, R. Pseudamomum, quod apud nos spontaneum est, aliqui antehac pro Pipere demonstrabant in Gallia. Idem aut persimile fuerit cuius Matthiolus meminit his uerbis: Piper foliis fruticis Ribes uulgò dicti, sapore & odore Piperi usitato simile, in racemis nascens. Sed aliud se uidisse tradit Neapoli, simile Vitalbæ, Italis uulgò dictæ, id est, Viti syluestri causticæ nostræ. Huius plantas aliquas iam etiã in nonnullis Germaniæ hortis apparere audio, ut Schorndorfii ad arcẽ. Piperis, ut uocabant, arborẽ, uidi Ferrariæ in hortulo Ant. Mariæ Nigrosoli, altitudine bicubitali, foliis ferè Mali punicę, sed pallidioribus.

Piper Indicum uulgò dictum, quod aliqui Capsicum uel Cardamomum Arabicum interpretantur, longum, O. G. Rotundum, O. quod Fuchsius latum cognominat: qui etiam tertium genus exhibet, rubeum & nigrum uocans. Tria eius genera, C. Aestiua est herba, & nisi primo uere apud nos seratur, siliquas suas pulcherrimè rubentes non perficit. Siliquæ aliæ longæ sunt, eæq́ uel crassæ uel graciles: aliæ breues & latæ, in diuersis speciebus. Zinigber caninum Auicennę secundum aliquos: aliis Piper Indicum, Hispanicum, Calecuticum, Bresilicum.

Piper montanum in Italia multi uocant, quod nostri **Zyland**, Fuchsius Daphnoides uulgare, Dodonæus Chamelæam falsam. Nascitur copiose in syluis ac locis mõtanis nostris. In hortos quoq́ translatum, satis diu perdurat, G. C. Eiusdem species alpina minor, superiore autumno hortulo meo commissa, uiret etiamnum: sed flores & fructus non productura uidetur. Vis utriq́ caustica, omnibus partibus, os & palatum non aliter quàm Euphorbium accendens. Aliqui non rectè Laureolas uocant. Facile nascuntur: crassius enim radicis & tenax est cortex. Maior nunc bicubitalis mihi uiret.

Pirolam uulgò dictam, (**Wintergrün** nostris, quòd hyeme etiã uireat: et **Wald mangolt**, quasi Betam syluaticam,) à Piri arboris folio, sæpe frustra in hortulo plantare conatus sum, quamuis cum terra sua erutam. Desiderat enim in syluis suis, solo

duro,

duro, sicco, muscoso, umbroso, & uentis perflato uiuere: ubi radiculis suis geniculatis instar graminis se propagat.

Pirorum differentiæ uariæ apud nos reperiuntur: magnitudine, figura, odore, sapore, colore & tempore quo maturescunt, diuersæ: quas in præsentia persequi prolixum foret.

Pirorum genera diuersa, Matthias Curtius Lindauiæ: è quibus præcipuè commendantur Moschatula cognomine (Muscatbyrle) ab odore, perparua, dulcia. Maturescunt in fine Iulii, (Superba, Chia, Myrapidia, pręcocia) Et alia quędam parua, quæ Virginea cognominant, (Junckfrawenbyrle,) grato & dulci sapore: quæ siccata etiam placent. Et maiora quædam, quæ Regia uel Regulana uocitant (Rägelsbyren) è Curia Rhætorum aduecta. Hæc quidem apud nos etiam rara sunt, maxima post Libralia.

Pira omnium nobis (in Gallia, inquit Car. Stephanus) gratissima sunt, quæ uulgò Bonchrestiana cognominantur: non ob hoc solùm quòd in eximia suauitate liberale pondus ęquent: sed quia tantę sunt teneritudinis, ut gustata statim eliquescant, & perennent, gestatumq; tolerent. Primùm quidem Neapolim usq; delata Carolo octauo ibi res gerente, à fœlici illa Campania. Hæc ille. Sunt & apud nos Libralia quædam, quanquam rara, pondere ad uncias quindecim & amplius quandoq; inæqualia, tuberosa, succi plena: sed hæc diu seruari non possunt.

Pirus Bergamotte, Ae. De Pirorũ generibus qui uoluerit plura, leget apud Cordum nostrum, ac Tragum: item Ruellium, Car. Stephanum, & Herm. Barbarum.

Pisorum genera uaria, K. Ea quidem in agris non hortis seminari decet.

Pisa nigra, G. Moorenerbß. Vide in Phaselo syluestri.

Pisa rubra, Vu. Nescio an de illis sentiens, quæ floridissimo colore rubro, una macula nigra excepta, ex nouo Orbe nuper allata sunt: quæ uidi quidem, an uerò in Orbe nostro sata etiam proueniant, nescio.

Pistacium, C.K. Arbusculæ eius aliquot, Vu. Hanc arborem (inquit Car. Stephanus) uidisse memini Venetiis, permultis in locis: item etiam Parisiis in æde diuæ Mariæ: atq; adeò in horto Renati Bellaii Cenomanensis episcopi, &c.

Pityusa uidetur non alia quàm Esula uulgò dicta: qua rura nostra ubiq; abundant. Sed peritissimus omnium rei herbarię Anguillara horto Patauino pręfectus, Pityusæ cuiusdam è Creta, non uisæ antehac in Italia.

Pl.

Plantago trium generum passim apud nos reperitur, maior, minor, et media. Alia est aquatica, sed impropriè Plantago dicta. Est & maritima, à Dodonæo exhibita.

Platanus in Græcia & alibi forte suæ spontis est: in Italia è semine tantùm. Ego non semel frustrà terræ mandaui. Lutetiæ, ni fallor, à Bellonio sata prouenit. Cardanus alicubi scribit Platanos in Scotia multas esse & bene prouenire: quod equidem miror. Scio deceptos aliquos Aceris genus latifolium pro Platano accepisse.

Po.

Polemonium, quod pharmacopolæ aliqui Been album non rectè nominant, cui pro calyce est folliculus seu utriculus quidam calathi specie, cauus, inanis: flos albus, radix cubitalis, &c. G. Non diu uidetur in hortis durare: sed passim sua spontę nascitur in pratis siccioribus. Vide Been album. Polemonium Monspelii uocant pleriq; herbam, de qua in Ruta capraria dicemus.

Polemonium alterum, C. Videtur autem Been rubrum à pharmacopolis uulgò dictum intelligere. Nam Dodonæus etiam Polemonii speciem id facit: sed nihil ad Polemonium ueterum. Vide etiam suprà in Limono Fontanoni.

Polium primum siue montanum Dioscoridis, K. Vu. C. O. Aliqui recentiores hoc Polium maius cognominant. Hoc nõ semel in uasis uerno temporę mihi satum prouenit, uix ad trium digitorum altitudinem: sed ante autumnum, medio fere Septembri interiit. Argentinæ in horto, O. probè crescit & floret. Sponte nascitur locis siccis & apricis in Italia, & circa Monspelium, grati & aromatici odoris.

Polium alterum, uel minus, fruticosius & infirmius, A.G. In collium & montium locis, præsertim saxosis, sponte apud nos prouenit. Rhæti nobis uicini Herbam auream uocant (Guldinkraut) à præstantia nimirum ad remedia quædam. In horto plantas erutas cũ terra sua aliquoties plantaui, quę intra annum aut citius perierunt, Siccum, saxosum & apricum locũ requirit. E semine felicius prouenturũ sperarem.

Polium (Pulegium fortè) Ceruinum Monspelii dictum, Vu.

Polycnemum. Vide Clinopodium.

Polygonatum, uulgò Sigillum Salomonis, Wyßwurtz. In syluis solo pingui & opaco passim emicat: & in hortos translata annis permultis durat, relictis in radice ueterum caulium uestigiis ceu cicatricibus: ut & aliæ quædam, quarum ætatem inde computaueris.

Polygonaton erectum, quod à Fuchsio pingitur, G. caules nõ obliquos ut prius, sed rectos fert: & quanquam aliquid similitudinis cum præcedenti habeat, genere tamen toto differt. Prouenit apud nos locis montanis, umbrosis, saxosis, ut circa thermas Fabarias: in hortis quoq; uiuacissimum.

Polygala. Vide Ornithopodium.

Polygonus mas, in hortis sponte & passim circa semitas nascitur: fœmina in palustribus.

Polypodium, R.G. Arboribus & saxis innascitur per syluas & montes. In hortis non benè nec diu uiuit, licet iuxta murum aut saxa cum suo cespite plantetur.

Pomum aureum uel amoris dictum, uel de altero mundo, in frutice peregrino, æstiuo, qui Solanis cognatus uidetur, (Solanum pomiferum dixeris, sed alterum, ad Mali insani differentiam) grauis & fœtidi odoris: fructus ferè inodorus est, nec insuauis, nec noxius in cibo, magnitudine mali orbiculati seu parui alicuius: rotũdus: sæpe uerò maior, inæqualis & tuberosus: colore aureo: & in altera specie rubro: in tertia, albo, O.G. Vu.C.K. Facile apud nos prouenit, & fructum maturè perficit. Rigari gaudet, & solo pingui, in areis aut uasis. Malum insanum etiam aliqui Pomum amoris uocant, ut suprà dictum est.

Porrum etiam nostræ mulierculæ alunt, sed minus ac in aliis regionibus copiosum. Etsi magnopere laborent hortorum cultores (inquit Matthiolus) ut eorũ Porri longi, crassi, candidi ac teneri euadant: nesciunt tamen eos capitatos efficere ceparum instar: quamuis ii apud ueteres in frequentissimo usu fuerint, quòd longis qui propriè sectiui appellantur, sapidiores, gustuiq; gratiores haberentur. De his tanquam præstantioribus scripsit Dioscor. non quod à sectiuis genere differrent: è quibus mangonio capitati fiunt, tegula in transplantatione supposita, incisis prius ante medullam foliis, ne adolendi facultas in sublime feratur, nec ad radices, sed in ipso capite consideat: uel sarculo conuelluntur radices, ut delumbatæ alant, neq; distrahant, ut scriptum reliquit Plinius lib. 19. cap. 6. Hæc Matthiolus.

Porrum sectiuum, quod sic uulgò Germani uocant, (Schnittlauch) à superiori et ueterũ sectiuo differens, à Dodonęo Schœnoprasum uocatur, ficto nomine: nam et inferiores Germani Bießloock, (alii Brißlauch,) à Iunco & Porro composito nomine uocant: pro foliis enim Iunci inanes ei sunt. Nos Gethyllidem appellabimus: quam Nicandri Scholiastes Cęparum genus esse dicit: forma autem diminutiua uidetur à Gethyo: ita ut Gethyũ sit species in hoc genere maior: quæ & ipsa apud nos reperitur in hortis, sed rarior: & mitior ad condimenta existimatur. Gethyllidem quidem syluestrem in uno tantùm loco uidi, ad Lauffeburgum oppidũ iuxta Rheni catarrhactã inter saxa. Scio grammaticos Gręcos in Gethyi & Gethyllidis interpretatione uariare: sed inter alia hæc ceu uerisimiliora delegimus. Ampeloprasum, syluestre genus Porri est, à natalibus inter uineas dictum: ut & Scorodoprasum, odore Allii, folio Porri: quod in pratis quibusdam reperitur. Et Porrum petræum, quod in saxis circa Badam nostram nascitur. Nisi id Allio potius cognatum sit. Carolus Stephanus Ruellium secutus Gethyum Theophrasti, interpretatur Porretam uulgò à Gallis dictam & Ciuetam, quasi Porraginem et Cæpulam: hoc est Porrum

rum sectiuum à Germanis uulgò dictum: idq; in agro, id est, inter agrestes herbas. Idem in horto: Bulbi genus (inquit) quod in hortis coma copiosiore uiret, nucleis gracilioribus, uulgus nostrum uocat des Porrettes, uel Oignonnettes, à Porri uel Vnionis tum sapore tum forma. Eadem quoq; grandioris formæ bulbos (de Cepa Ascalonia quibusdam existimata fortè sentiens) donarunt appellatione. Theophrasto Gethyum olus hortense est, capitata seu bulbosa radice: caulis magna pars sub terra est. Semen ei infirmum non multo tempore durat: à satu tardè, nempe decimo aut duodecimo die germinat. Seritur Ianuario: sementis eius per æstatem est. Imbres diligit, uel simpliciter, uel à principio saltem.

Portulaca maior, hortensis, O, G. Apud nos minor, quę & syluestris alibi est, frequentior habetur.

Pr.

Priapea. Vide Hyoscyamus è Syria.

Primulam ueris, alii Arthriticam, alii Bellidem nominant: de utraq; prędictũ est.

Prunus quæ fructus magnos, purpureos & acido sapore fert, Lindauiæ **Hengst** uocãt, nostri **Bockshoden** uel **Pflaumen**, G. His similia etiam cerei coloris, minus frequentia, apud nos reperiuntur.

Pruna parua, serotina, cereola, quæ nostri nescio unde **Zipparten** appellant, G.

Pruna præcociora, parua, uersicoloria, à tempore quo Auena metitur apud nos dicta, **Haberkriechen**, passim nobis abundant.

Pruna Neapolitana oblonga, (dulcia, ni fallor,) quorum species una alba est, altera punicea, Matthias Curtius Lindauiæ.

Pruna Vngarica, quę uulgò Tuuesca uocant, (**Zwetschgen**) duorum generum: maiora & oblongiora: & alia minora, rotundiora, dulciora, Curtius Lindauię. Prioris generis arborem nos quoq; habemus, è nucleo ad quatuor iam cubitos enatam. Ciuis quidam noster adultam habet, sed quæ non bene fructificat. Basileæ in horto Io. Iacobi Loss, probè perficit fructum.

Pruna Vngarica præstantissima, Damascena fortè, Vu. Eiusmodi Venetiis mittuntur aliquando Augustam, magno precio, crassa & carnosa, subacida. Hæc (uel oblonga Neapolitana) aliqui Imperatoria siue Augusta cognominant, quòd iis Imperator Augustus oblectetur. Vna aut altera arbor Augustæ est.

Pruna alia Vngarica aurei uel cerei coloris, magnitudine oui gallinacei, aut etiam anatini, carnosa, gratissimi saporis, Vu. K.

Pruni diuersis arboribus inseruntur, ut Nuci, Malo, Amygdalo.

Prunus syluestris, Spinus in plerisq; sepibus uiuis nascitur.

Ps.

Pseudamomum. Vide Amomum.

Psyllium, R. A. Vu. Aliquando mihi in horto satum pulchre quidem excreuit, sed hyeme præueniente seminis maturitatem non est cõsecutum. Psyllii duo genera, K. tria, O. Semel in horto satum, seipsum proseminare & restaurare scribit Dodonæus.

Ptarmica. Vide Pyretro cognata.

Ptarmica alia Monspelii dicta, uera (ut existimant) hac æstate floruit, A.

Pu.

Pulegium in plerisq; apud nos hortis uiret. Sponte circa Argentinam, & alibi, in pratis humidis luxuriatur. Patauii Calaminthæ genus uidimus, Pulegio specie, odore saporeq; tam simile, nisi quòd rectum nascitur, ut prorsus ei cognatum iudicem. Aquaticum Pulegium, uulgò regale dicitur: montanum uerò, multis Polium, foliis multò antedicto minoribus, flore cœruleo: caule recto, dodrantali, &c. Carolus Stephanus. puto autem Pulegium illud montanum cuius meminit, Monspelii Ceruinum cognominari. Id quidem hoc uere Lugduno ad me missum, pulchre in hortulo meo crescit, coliculis pedalibus, candidis, erectis, ab una radice pluribus: foliis longioribus & angustioribus, Hyssopi fere; odore & sapore omninò Pulegii uulgaris.

Pulegium petrœum uocari poteſt, Germanici nominis (Steinpoley) imitatione, herba aliquibus Clinopodium exiſtimata, quæ ſponte apud nos in muris, et locis ſiccis ſaxoſisq́, & collibus apricis creſcit Hanc puto Calaminthæ montanę nomine non rectè exhiberi à Trago lib. .cap.10. Eadem fortè eſt, de qua Car. Stephanus ſic ſcribit: A quatico Pulegio ſimilis quædam planta in montibus et ſiccis locis creſcere ſolet, quæ Gallis Pouliot ſauuage, quibuſdam Polium montanum appellatur: folio Serpylli, ſed paulò latiore, flore cœruleo: apud eū collem Lutetię uicinum frequens qui Eritius dicitur.

Pulmonaria Plinii, Italis hodieq́ uulgò ſic dicta, ſine maculis apud nos, reperitur in Albio monte, G. gaudetq́ locis humidis & umbroſis. Illa uerò cuius Plinius meminit foliis maculoſis, in Italia tum hortis tum ſponte frequentior eſt, nobis rarior. Audio tamen in montibus quibuſdam Bernenſium reperiri, O.K. Eſt autem omninò Symphyto alteri ſeu Conſolidæ maiori dictæ cognata herba, ſed undiquaq́ minor. Syluium audio hanc Myoſota, id eſt, Muris auriculã Dioſcoridis exiſtimaſſe. Plantatur in Germania inferiore pleriſq́ hortis, non alium ferè in uſum, quàm ut miſceatur ferculis, præſertim placentis ex ouis, Dodonæo teſte.

Pulmonaria eadē quę Vegetii, Conſiligo eſt: quę Pulmonariæ nomine hodieq́ apud Anglos uenit. Vide in C.

Pulmonaria Gallica, Gallis hodie uulgò dicta, ſiccis & lapidoſis locis & in muris circa urbem noſtram multa eſt: necnon in ſyluis, præſertim Fagorum, Büchſpick: olus quoddam ſylueſtre, Lactucarum generi cognatum. Commendatur ad pulmonis uitia, paronychiam & uulnera. Hęc fortè eſt Scopa illa regia (nam & alię eodem nomine ſunt) quę apud Plinium demonſtratur, ramis oblongis, foliis ex interuallo lactucinis, ſed rigentibus & lanuginoſis, flore luteo: radice promiſſa, tenui. Et forſan eadem fuerit Sideritis etiam illa Plinii (nam aliæ ſunt Dioſcor. Sideritides) quæ ſit latiſſimo folio, Scopa regia appellata, uulneribus præcipua: quanquã Ruellius Carpentariã à Gallis dictam (.i. S. Barbaræ herbam) pro Sideritide iſta accipit.

Pulmonariam aliqui (Sabaudi aut eis uicini Bernenſes) uocant herbam illam, quam nos Saxifragam montanam. Vide infrà. Et inter Muſci genera, arboribus adhęrens, quam Pulmonariam recentiores medici nominant. Vulgus noſtrum uernacula lingua Marrubio id nomen tribuit. Alicubi Gentianam quandam pumilam in pratis humidis prouenientem, Lungenblümle, id eſt, Pulmonis floſculos uocitant.

Pulſatilla Italis uulgò dicta, Cauda uulpina Amato Luſitano, ſed alia eſt Alopecurus ueterū. Vide ſuprà Anemone quædam. Alia eſt Polonorum Pulſatilla, nempe Aſtrantia nigra noſtra.

Py.

Pyrethrum, O.R.C. Rurpodius. Huius etiam Argentinæ plantas duas in horto Maſſarii medici primū uidi: foliis ferè Millefolii latius ſe ſpargentibus. Mihi etiam hoc anno è ſeminibus Pyrethri cōplures plantæ enatæ ſunt, radicibus albis etc. Vide Tarchon. Pyrethrum alpinum quoddam paruū in ſummis alpibus, (id eſt, Gothardi monte) reperi.

Pyrethro cognata quædam herba, oblongis ſerratiſq́ foliis. Locis aquoſis naſcitur: circa Luteciam in pratis: & prope Baſileam iuxta fluuiolum qui in oppidum minus intrat. Tarchon aquaticum dixerim. Falluntur qui Ptarmicam putarunt. Hoc in hortulo etiam mihi uiret, ſed minus lætum humiliuſq́ propter ſiccitatem: repit radicibus ſuis.

Que.

Quercus in ſyluis noſtris creſcunt, duorum generum opinor, Eich & Hageich, Quantùm proſit cura arboribus (inquit Cardanus de Varietate rerum lib. 6, ca. 23.) præcipuè oſtendit Quercus Baſileę in diui Petri nemore (area publica Tiliis conſita,) Truncum terni uiri diductis manibus uix ambiunt. Altitudo (trunci) minor quàm hominis. Exerit in uertice ſex aut ſeptem ſtolones (imò ramos magnos & latos,

tos, quos tabulata dixerim) sensim ascendentes, ut imaginem pateræ referant. Inde
crebrioribus ramis, tum & ramusculis ita densatur, ut olim referant Cæsarem Maxi
milianum cœnasse in ea, discubuisseq́. Siquidem ambitum pedes centum continere
hauddubium est, cum numerando illū circumiuerim. Ergo hac diligentia quamuis
sterili (nō est sterile) solo frigidoq́ cœlo, Basilica Quercus cū Lycia Platano iure de
certabit. Et quamuis glorietur Licinius Mutianus, eius prouinciæ legatus, cœnasse
sæpius sub Platano cum octodecim sociis: multò tamē plures Quercus Germanica
suprà excipiet, quàm Platanus illa adumbrauerit. Sed discrimen est quod Mutiani
Platanus 77. pedum altitudinem habuit. Quercus hæc, ut dixi, humillima est.

Quinquefolium. Quære Pentaphyllum.

Ra.

Ranunculi, siue Batrachii multa sunt genera: propriè autem ita dici uidentur
quæ locis aquosis, & ubi ranæ frequentant, nascuntur. Horum unum pinguibus ac
splendidis foliis est: (quod apium risus, uel apium Hemorroidum uocant) id primo
loco Matthiolus pinxit. Alterum simplicia, oblonga & angusta folia habet, Oleæ fe
rè: quòd à Dodonæo oues occidere fertur, qui foliorum marginibus eminentia quę
dam appingit, quod ætatis aut potius speciei alterius proximæ signū est. Nunc ali-
quot mensibus in horto meo uiret. Tertium, minima & multifida habet folia: florē
partim album, partim luteū: humi sternitur. Tria hæc genera, foliorum quidem spe-
cie prorsus differunt: cæteris fere omnibus conueniunt. Omnia caustica sunt, & na-
scuntur palustribus locis apud nos: præsertim ubi lacus expatiatur. Hęc in hortis ni
si aqua subsit, non durant. Alia Ranunculi genera nascuntur in pratis, & collibus,
alibiq́, magnitudine & foliorum hirsutie distincta. Genus illud cui hirsutiora sunt
folia, caulis longior, & pluribus incisuris folia, Sardoum Ranunculum dicemus, u-
rentem & ipsum. Genus id quod per terram magis repit in pratis, & acrimonia ca-
ret (unde & inter olera uulgus recipit,) aliqui Cronopodem uocāt, de quo diximus
in litera C. (Huic cognatus est syluaticus quidam à Trago & Dodonæo descri-
ptus,) Colitur hoc etiam in hortis nostris (sicut & præcedens) flore multiplici, tum
luteo splendente (unde & nomen factū à nostris, Glyßblůmle) tum albo. Diu du-
rant, flagellis suis, ut Pentaphyllum se propagantes. Siccis locis & in collibus nasci-
tur genus quoddam humilius, quod aliqui Flammulam uocant, à præcipua urendi
ui, præsertim in radice, quā globosam habet: unde Apuleius Verticillum nominas
se uidetur. Nostri uulgò Gehößlete glyßblůmle / à calyce florum inuerso. In hortu-
lo aliquoties mihi plantatus non durauit. Est & aruensis quidam æstiuusq́ Ranun
culus à Fuchsio depictus, frequens apud nos, conceptaculis seminum aculeatis, G.
Montanos etiam Ranunculos in Heluetiorum montibus nascentes, albis floribus,
tres noui. Vnus ex his minimus est, caule uix ultra quatuor digitos alto: acerrimus.
Ex eo destillata aqua in Vallesiis quidam propinant Gallico morbo affectis, & mi
rè purgare aiunt. In hortis aliquandiu durat, per duos fortè aut tres annos, Jäger-
kraut, G. In saxis ferè altorum montium terra intectis & musco nascitur. Alius est
magnus, magnis & latis foliis, qui flore etiam multiplici in hortis colitur: genere
ab aliis differens, quod & forma & sapor præ se ferunt. Crescit in montium locis hu
midis & aquosis. In hortis facilè ubiuis & diu uiuit, G. Tertius qui Fidertsche
appellatur in Bernensium montibus: unde, A. noster in hortum transtulit: à quo
etiam descriptionem, picturam & semina eius accepi, & nuper ipsam plantam recen
tem. Floret (inquit) hæc planta in horto nostro: quæ sponte in montium locis um-
brosis accirca Larices crescit: radice alba, rotunda, multis fibris, qualis Ellebori al-
bi ferè est. Caules ab ea multi erumpunt. Florere incipit primo uere floribus
ut Ranunculorum, minoribus, candidis. Folia habet magna, Platani fermè mo-
do incisa. Hæc ille. Chamæplatanum, si libet, uocemus. Vix enim (Rici-
no excepto) folia Platano similiora uidi, tum figura, tum magnitudine fer-
mè pari. Sapor eis subacris & nitrosus: qualis & secundo generi ex albis mon-
tanis.

Ranunculum phragmiten appellauerim, quem Fuchsius tertiam Ranunculi apud Dioscoridem speciem facit, ut similem ei alteram flore lacteo, speciem quartam eiusdem: quoniam passim apud nos in sepibus nascitur, etc. Mertzenblümen. Vide suprà in Anemonis.

Ranunculi Dioscoridis secundam speciem, herbæ Sardoæ nomine, Dodonæus Pulsatillam Italorum facit: de qua leges inter Anemonas.

Ranunculum quartum Matthioli flore albo, (quem depingit, non autem describit, ne uerbo quidem,) foliis Napelli ferè, ut pictura præ se fert, nondum uidi. Inter Ranunculos & Aconita ambigere uidetur herba illa montana, cuius inter Aconita mentio facta est.

Raphani tria genera enumerat Plinius, crispum, leue & campestre: quæ Germania etiam hodie agnoscit, inquit Bern. Dessenius. Sed quod à Plinio Algidense dicitur, longum, succosum ac translucidum, hortis inferioris Germaniæ tam frequens, ut nullum ferè aliud norint: hoc apud Batauophrysios nostros in eam magnitudinem crescit, uti uiderim quòd triginta libras penderet. Quamobrem minime mirandum, in Germania infantium puerorum magnitudinem æquare, Plinium scripsisse. Vulgaris est Raphanus, qui uirilis brachii amplitudinem non excedit. Sunt autem hi translucidi: & adeò fragiles, ut in taleolas absque ferro confringi queant. Multùm ab acredine illa ac saporis uehementia, qua secundum genus pollet, recedunt: & salsugine imbuti, linguam usque adeò non uellicant. Theophrastus quinto de caus. plantarum capite quinto, hyeme cùm maximè uigent, terra radices Raphani obrutas, ut nullum imbrem admittant, ac direptis quibusdam foliis, mira crassitudine distendi docuit. Alterum genus Rapi figura, Syriacum appellatum, in superiori solùm Germania prouenit: uehementissimum & tenerrimum, nec multa humiditate redundans: quapropter parcius editur. Nam qui affatim ingerunt, præter frequentes ructus, rosionis quendam sensum in stomacho experiuntur. Tertium, quod fronde copiosius quàm radice, & plurimum agreste, à Latinis Armoracia, à nostris uoce parum corrupta Raphanus marinus uocatur. Hoc sæpe in pascuis Tubantum circa lacus & stagna crescit, atque in pinguibus Phrysiæ paludibus copiosissimè uidetur. Rheni superioris accolæ in hortis transplantant, meliori quodam cultu & natura. Extremæ planè acredinis est, unde quibusdam radix Piperis appellatur: uulgò Pfefferwurtzeln, & Myrrhettich. Sic ille. Laudatur hodie Argentina cum aliàs fertilitate soli, & nascentibus in eo uariis naturæ (imò Dei per naturam) donis: quæ à maximo illic hortulanorum & olitorum numero feruntur & coluntur: & inter alia Raphanis eximiis. Tragus uulgarem Raphanum & rotundiorem, quem à ueteribus Corinthium & Syriacum dictum putat, Argentoratensi & Spirensi agris familiarem esse tradit: prælongum uerò, dulciorem ac mitiorem Metensi ac Lotharingico. Hunc Algidensem Plinii, Theophrasti Cleonæum facit. Habetur apud nos præter commune genus alterum (ex Italia puto) cuius cortex nigricat: & tertium cuius radicis pars magna supra terram excrescere solet, utrumque communi præstantius, sed rarum. Raphanum maiorem, uel marinum uulgò dictum, nostri in hortis tantùm plantant: diu & probè durat, capitibus radicum resectis plantatur, non semine, quod non fert, Trago teste. In Sabaudia memini aliquando reperisse in pratis, infra Lausannam oppidum: satum forte potius puto quàm sponte natum. Facile enim ubiuis nascitur. Tragus quidem in humidioribus pratis sua sponte nasci scribit, & Theophrasti radicem Thraciam uel Liothalassium esse putat.

Rapistrum passim in aruis nascitur: idem quòd Lapsana uel cognatum, agreste olus.

Rapis arua conseruntur non horti.

Rapa rubra, Vu. Betæ speciem intelligo, de qua dictum est suprà.

Rapi genus minus, exprimendi è seminibus olei causa in agro Metensi seritur. Radix non editur. Id ad Sinapis naturam accedit, Trago teste.

Rapi

Rapi sylvestris multa sunt genera quod Dioscorides simpliciter sic uocat, uide- tur id esse quod nostri uulgò Rapunculum. Eo minus est de quo suprà diximus Campanulæ cœruleæ nomine. Et aliud maius, foliis ferè Vrticæ. Maximum, quod aliqui Medion uocant. Dodonæus Violam Marianam. Sunt & Vuulariæ quibus- dam dictæ in pratis non alterius generis. Et in syluis ac montibus, quarum flores ceu in spica sunt, alii cœrulei, alii pallidi, superiorū floribus, qui calathiformes sunt, dissimiles. Ex his quædam in hortis elegantioribus seruntur, ut Medion, Campa- nula cœrulea, &c.

Reseda. Vide Lutea.

Rh.

Rhabarbaricum uerum nascitur Romæ in horto Scipionis ad S. Apostolum, ubi etiam à se depicti doctissimus Io. Kentmannus cum aliis plurimis iconibus parti cipem me fecit. Is, inquit, (Scipio ciuis Romanus) quatuor radices habebat, et planè affirmabat, in Turcia semen seipsum collegisse, & ex eo semine has radices sibi pro- gnatas. Interdicebatur autem à Paulo III. qui rerum naturalium, & herbarum ama- tor erat, ne uenderetur alicubi propter raritatem. Sic ille. Omnino quidem Lapa- thorum generis uidetur hæc herba.

Rhabarbarum monachorum uulgò dicta herba, ubiq; in cultioribus hortis satā reperitur, R. G. Est autem Hippolapathum, aut eius species.

Rhamnus, Leuschnerus, Rurpodius,

Rhamni secunda species, K. C.

Rhamni tertia species, Matthioli, Vu. C.

Rhaponticum uulgò dictum. Vide in Centaurio maiore, Acantho, & Gentianâ.

Rhodia uulgò dicta radix, Rosen wurtz: è Pannonia (puto, ubi sponte crescit,) primùm allata, Ae. R. K. C. Huius radicem proximo autumno Leonhardus Fuch- sius ad me misit: & uiret mihi etiamnum pulchrè, sed florem nondum protulit.

Rhododaphnē siue Nerion uidi anno superiore Basileę in hortis doctissimi uiri Cælii Curionis & aliorum: item Argentinæ Massarii & D. E semine, aiunt, facilè prouenit. Auulsi eius etiam stolones crescunt. Hyeme sub tecto includi debet. Mi- hi aliquoties satum non prouenit. Nunc stirpem duorum ferè dodrantum à Cęl. Cu rione donatam pulchrè crescentem habeo.

Rhus Plinii existimatus Monspelii suffrutex, C. Verum Clymenum Dioscori- dis. Nunc in meo etiam horto Antuerpiam à C. transmissus nascitur, sed nondum perfectè propter recentē plantationem. Videtur autem facile nasci, sicut & reliquæ herbæ astringentes ferè.

Ri.

Ribes. Vide in Ceanotho.

Ricinus. Lege Cici.

Ro.

Rosę hortenses albę, multiplici, folio passim apud nos in hortis abundāt. Earum frutices proceriores sunt, quàm quæ rubras ferunt.

Rosæ rubræ urbanæ, simplices, uulgares nobis. Item alię ex purpura albicantes, folio multiplici. His diebus in horto amici Rosam uidi dimidia parte candidissi- mam, altera purpuream.

Rosæ Alexandrinæ, uel Persicæ, uel Damascenæ, uulgò Incarnatæ dictæ, ante annos aliquot raræ nobis, nunc satis frequentes. Lybfarb rosen. Harum rosaria (inquit Nicol. Monardus Hispalensis medicus) nostris maiora & uiridiora sunt: foliis amplioribus: aculeis plurimis & acutioribus. Florum numerosam copiam fun dunt: quæ foliis quinis aut senis constant, medio inter album & rubrum colore. Ru deratum amāt locum. Seruntur, inciduntur, cremantur, transferuntur sicuti nostra. Harum Rosarum apud Italos, Gallos, Germanos, diuersasq; gentes nunc est fre- quens usus, quas Damascenas uocant: quoniam ex Damasco nobilissima Syrię ur- be creduntur aduectæ. Apud nos uerò triginta ferè sunt anni, ex quo earū notitiam

attigimus. Apud magnates & nobiles fuit in primis in magna æstimatione, ex his rosis medicamentum, (syrupus ex multiplici earum infusione,) uel mel rosaceum, foliatum, &c. nunc uerò ubiq; habetur, ita ut non sine seplasiariorum iactura perierit usus pharmacorum. Hæc ille. Sed uideo Damascenas uel Alexandrinas rosas diuersas esse, ut differentiæ causa has, Persicas tantùm nominare præstet.

Rosæ citrinæ seu luteæ, C. Rurpodius.

Rosæ moschum fragrantes, luteæ, K. Augustæ luteas alunt in hortis lautiores quidam, quas inodoras esse audio, (& uulpinas cognominari:) frutice tamen odorato, quem uidi illic uirentem iuxta parietes hortorum, odore ferè syluestris Rosæ foliorum, quam à uino nostri denominant. Florem siccum tantùm & inodorum uidi. Nunc plantas duas in horto alo: sed non feliciter germinantes, quòd diutius (opinor) in itinere detentæ sint: & iam circa solstitium odorem etiam amisisse uidentur.

Rosa muscata, (alia à præcedente,) simplex & multiplex, C. Rosæ muscatæ uel Damascenæ, paruæ, simplices, albæ, Curtius Lindauiæ. Flos est quatuor foliorum tantùm, (ut audio) floret in Italia toto ferè anno, Augustæ uix ante autumnum. Aliæ nobiles, densifolio flore, paruo, purpurei coloris diluti, Idem. Harum fruticem Augustæ etiam uidi, in uase, tanquam à frigore ei metuerent ut recondi sub tectum posset. Earum speciem priorem esse puto, de qua Amatus Lusitanus: Sunt præterea (inquit) aliæ Rosæ albæ ad citrinum tendentes, paruæ, pauca (tria quatuórue) folia habentes, ut & syluestres quibus similes sunt: quæ ferè per totum annum in arbore uidentur, quas moscatas ab odore, uel Alexandrinas uulgus appellat: aliqui Damascenas. Hæ uerò odore caput tentant: & potentissimè aluum subducunt, non minus ac Scammonium: ita ut si sex uel octo folia acetario miscueris, totum purgatorium reddas, qua de causa ab illis tanquam pernicioso medicamento naturæ uim inferenti, abstinendum suadeo In Hispania raro uidentur: & ab aliquibus cum incarnatis confunduntur. Hæc ille. Audio easdem marinas à nonnullis uocari, aliqueque iam in hortis monachorum præsertim & ditiorum hominum, circa Verbanum lacum quoque. Sed fortè genus diuersum est. Præstantissimæ rosarum quæ puniceo colore rubent: proxima laus iis quę in rufum (rubrum) candicant, incarnatę uulgò dictæ: uilissimæ albicantes. In quarum tamen genere eæ odoratissimæ excipiuntur, quæ Hetruscis Damascenæ, & aliis Moschette uulgô dicuntur. Siquidem non modò cæteras excellunt, quòd colore admodum suaui fragrent, sed quòd etiam magis aluum subducant, Matthiolus. Monachi interpretes Mesuęi Nesrin uel Nersin Arabicè hunc fruticem uocant, aliâs Rosam Seni: & è syluestrium genere esse putant, sicut & incarnatam uel trentaphyllam uulgò dictam à foliis triginta: & albam, quæ & centifolia dicatur.

Rosæ Indicæ magnæ, coloris aurei, Vu.

Rosæ syluestres, Cynosbati uel Cynorrhodi nomine ueteribus dictæ, passim sepes uiuas apud nos replent.

Rosa syluestris alia, humilior, in collibus siccis & apricis, toto frutice suauissimè odorato nascitur: unde à uino nostri **Winrößle** denominant. Hunc cum aliquando in hortuli mei loco umbroso plantassem, probè quidem excreuit, sed odorem amisit. Ciuis quidam noster partim in ipso muro hortuli sui, partim iuxta, loco aprico, ualde procerum & suauissimi odoris, quem nectareum dixerim, hunc fruticem habet: quem annis quàm plurimis illic uixisse apparet: à quo ego etiam accepi.

Rosa syluestris, à Maio mense denominata uulgò nostris, **Meienrößle**, colitur quidem in hortis etiam ab aliquibus apud nos: crescit uerò sponte ad radicem Albii montis, horæ itinere ab urbe: minor, odoratior & præciosior est Cynorrhodo, in hortis facillime durat. Hæc eadem fuerit Rosa campestris Tragi, quam Germanice uocat **Hanrosen / Haberrosen / Feldtrosen.** Hæc inquit magnitudine tum florum, tum foliorum excedit illam cuius folia fragrant: spinis

spinis non perinde minacibus. Flores seu Rosæ huius fruticis, coloremagis rubro & elegantiore tinguntur, odoris (meo quidem iudicio) inter omnia genera suauissimi, tactu pinguiores. Luxuriat hic frutex plerúmque in humectis ac minimè fertilibus auenaceis agris, aliísque nonnullis dumetis, rarò suprà tres cubitos assurgens. Serpentibus in terra radicibus se propagat, facilèque & nullo negocio plantari potest. Huius species altera (inquit) Rosas prorsus candidas profert: odoris minus iucundi: in siccaneis agrorumq́ limitibus, & iuxta itinera, Iunio ac Iulio mensibus florens.

Rosa alpina dicta ab Heluetiis montium incolis, **Alprosen/Hünerlaub**, &c. Folia Oleæ uel Rhododaphnes habet, ruffa parte supina: florem rosei (rubri uel è rubro albicantis) coloris. Frutex duos pedes altus, totus odoratus est & pinguis. Species eius altera foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ (**Mooßbeere** uocant) foliolis persimilia, nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno proximo mihi allata, & in hortulo plantata: ubi nunc media hyeme egregiè uiret, nec perdit folia: duraturam tamen uix spero, altissimis, siccis, uentosis & apricis frigidisq́ locis assuetam. Species hæc rarissima est. Prior in plerisq́ altis montibus reperitur: quam qui Nerion montanum appellant non laudo: nam neq́ uenenosus est, neq́ siliquatus frutex.

Rosmarinus seu Libanotis coronaria, duplex: unus nobilior, angustiore folio: Cordus tenuifolium seu minorem appellat. Alter ignobilior, Cordus syluestrem uel maiorem nominat. Vterque iam apud nos in hortis colitur. Nobilior siue urbanus noster, flores ex albo cœruleos habet. Audio inueniri speciem, cuius flores omninò albi sint. Syluestris è Sabaudiæ hortis sæpe ad nos adfertur: idem in prouincia Narbonensi, ut circa Monspeliū sponte prouenit: & hyeme pauperū etiā focis uritur. Prouenit tum ex semine, tum ramulis auulsis commodius. Topiaria arte digeri facilè potest, in uarias figuras. Sic pulchrè digestum Basileæ uidimus in horto Ioan. Iacobi Losf: & in cœnobitarum Galliæ Italiæq́ aliquot hortis: Biturigibus scenam siue attegiam Rosmarino procero inflexoq́ supra opertam, ut triclinium caperet.

Rosmarinus ita ut in Gallia, arborescens ferè, Vu.

Ru.

Rubia satiua, à radicis colore dicta, qua ad eundem colorem utuntur tinctores. **Röte**, Ac. O. R. G. Nos cognitionis tantùm gratia, & ad remedia, in hortis plantamus. Alibi ea conseruntur agri in usum tinctorium. In horto meo alta nunc est cubitos fere septem.

Rubia syluestris tam ubiq́ obuia est, ut in hortum transferre nemo dignetur.

Rubia syluatica aspera, **Waldmeister** à nostris dicta, G. Freques occurrit in syluis, pedali aut cubitali cauliculo: locis umbrosis, pinguibus, opacis & syluestribus gaudens, margine foliorum aspero, caule quadrato: flosculis albis, odoratis. Altera foliis est læuibus, caule terete, bicubitali ferè: flosculis albis, inodoris, G. Vtriusque meminit Tragus: priorem depinxit. Huius speciem aliam longioribus & angustioribus foliis in colle iuxta Scaphusiam inuentam sibi nuper quidam ostendit. Sunt & aliæ syluestres huius generis species multò minores: quas circa Bononiam Squinanchicas, aut Herbas uitæ appellant.

Rubus uulgaris passim circa sepes & alibi, mora sua obuiis sponte præbet. Alia eiusdem species, humidioribus præsertim locis, humi reptat, nec unquam assurgit: ita Chamæbatus inter Rubos, ut Chamæcissus inter Hederas.

Rubus alpinus humilis est, sine spinis: quare Idæum dixeris: moris rubris, acidis, quæ paucioribus granis constant. Hunc primùm obseruaui in monte Pilati ultra Lucernam, super saxis terra intectis.

Rubus Idæus à plerisq́ doctis existimatus, moris rubentibus, suauiter odoratis: circa syluas apud nos reperitur, spinis raris & paruis. Hunc Argentinæ in horto uidi, proceriorem quàm sponte nascatur, spinis nullis, si benè memini. **Hindtbeer.**

Ruſcus, R.O.K. Suffrutex in hortis uiuaciſſimus. Plantam unā ante octodecim annos è Sabaudiæ horto mecum attuli, neſcio cuius tum ætatis. A quo tempore hactenus in hortulo meo pulchrè uiret per totum annum. (quamuis bis aut ter in hortos tranſlata diuerſos;) uere germinat, & ueteribus areſcentibus coliculos nouos promit: floret etiam aliquando, & florū rudimenta uel hyeme in mediis foliis oſtendit. Fructum quidem toto hoc tempore nullum ne inchoauit quidem. Radix uidetur talis eſſe, qualis ferè Hypogloſſi & Polygonati: ideoq; tam diuturna. Pedis altitudinem non excedit: non minuitur nec multiplicatur, niſi ut dixi. Refracti fortè à radice coliculi ſeorſim germinarent.

Ruta hortenſis in pleriſq; omnibus hortis. Hæc cura & ætate uidetur propemodum arboreſcere poſſe. Semine uel ſurculo ſeritur. Rutę hortenſis (inquit Tragus) duæ ſpecies ſunt, ſed adeò inuicem conſimiles, ut niſi ſingulari diligentia nemo facilè diſcernat. Quę nobilitate præſtat, ea tenerior, nigrior & longe exilior uulgari exiſtit. Eius folia ex multis aliis rotundis, lenticulamq; imitantibus foliolis conſtant. Hæc rarò florem profert: ferroq; inciſa, facilè inareſcit. Vulgaris autem Ruta per omnia maior, foliis ueſtita latioribus, frequentibus, cæſii colore. Vtraq; florem gerit luteum, &c. Seritur Ruta & ſemine, & ſurculo: idq; multò felicius.

Ruta ſylueſtris per omnia ſimilis hortenſi, ſed undiquaq; minor. Naſcitur circa Monſpelium. Hæc è ſemine aliquando mihi prouenit. Hyeme perit, niſi ſub tecto ſeruetur in cella tepida aut uinaria. Flos ei luteus, Vu. A. Puto autem duplicem eſſe, unā minoribus foliis, de qua iam diximus: alteram maioribus, hortenſi ſimiliorē. Rutæ ſylueſtris iconem depictam clariſſimus hoc tempore Torgæ medicus Ioan. Kentmannus ad me miſit. Foliis, ut icon præ ſe fert, longioribus & anguſtioribus quam hortenſis, floribus partim albis, partim purpuraſcentibus. Caulibus ab una radice ternis. Hanc plantā (inquit) accepi à Pet. Bellonio Cenomano, redeunte ex Aegypto, qui dixit uerū Harmel eſſe: tertium Rutæ genus apud Dioſc. aliâs reperitur in Macedonia & Toleti. Florem habet album, folia non diſſimilia foliis Rutæ: capitella (uaſcula ſeminum rotunda) maiora quàm Ruta hortenſis: pluribus ab una radice cauliculis. Hanc in hortis alunt, Ae. Vu. foliis oblongis, flore albo, etc. Vide Harmel ſuprà.

Ruta pratenſis Lutetiæ uocatur in pratis proximis naſcens herba: cuius flores albi uel purpuraſcentes, nullis foliis, ſolis apicibus aut cincinnis longiuſculis cōſtant. Reperitur & apud nos locis ſaxoſis & umbroſis, circa ſepes ſyluarum alicubi. Folia Aquilinæ uel Aquilegiæ uulgò dictæ, fere ſimilia habet, A. G. Plurimis annis planta una in horto iam mihi durauit, loco umbroſo. Aliqui circa Sabaudiam hanc non recte Rutam caprariam uocant. Cognata huic uidetur Saxifraga lutea, de qua infrà. Simile eſt etiam ei Thalictrum à nonnullis dictum, &c.

Ruta capraria Italorum, alio nomine Galega (quaſi Gallica: nam & Regallicum, & Galeni herba quibuſdam dicitur) uel Gralega, Ae. K. C. Rurpodius. in Germania ſponte naſci non puto: in Italia abundat, præſertim iuxta aquas, uel ubi ſubſit aqua, Cardano teſte. Aliis etiam nominibus diuerſis in diuerſis Italiæ locis appellatur: ut ſunt, Caſtra cane, Lauaneſe, Lauannan, Fœnogræcum ſylueſtre, Thorina uel Taurina, Martanica, Saracena, Capragina, & herba Neſa, Fœnogræco ſatiuo tota perſimillima eſt. Non ſeritur in Italia: ſed locis pinguibus humectiſq; copioſe prouenit, Monachi in Meſuen. Eruditi quidam Onobrychin à ueteribus dictam iudicant. Matthiolus contradicit, ut iis etiam qui Glaucem faciunt. Pingitur Ruta hæc à Dodonæo. Videtur (inquit) nonnullis Polygala eſſe, & nomen Galega à Græco corruptum. Item à Matthiolo in Glauce. Vulgaris eſt adeò in Italia ut ſemina nemo colligat: quare ſæpe fruſtrà petii.

Ruta capraria Gallorum, Monſpelii uulgò ſic dicta: foliis Rutæ, ſed uiridioribus, ex atro tamen, flore luteo, copioſo, Vu. Frutex uel ſuffrutex eſt lignoſus, (foliis fere ternis, floribus ut Iaſme, ſicut in planta arida apparet) acinis nigricantibus, qui ſemina aliquot continent, calidę naturę, &c. E ſemine ſuperiori anno mihi prodiuit,

diuit,& in uase per hyemem durauit sub tecto: nuper Sphondylorum iniuria periit. Enata est etiam Bernæ, A. cui nuper floruit luteo flore: &, O. Massarioq; medicis Argentinæ. Viret nunc etiam hyeme, nec folia amisit in uase, dum hæc scriberem. Eruditi quidam Polemonium Dioscoridis hoc esse multis persuaserunt. Ego aliud demonstraui suprà in P.

Ruta muraria uulgò à Germanis dicta, in muris hortorum & mœnium nobis abundat. Herba Adianto magis cognata quàm Paronychiæ, tantùm abest ut ipsa sit Paronychia, quod quidam putat.

Sa.

Sabina, R.G. Reperitur apud nos in hortis tantùm, in quibus floret quidem: sed fructum rarissimè profert. Semel tantũ memini me fructũ eius reperire in arbuscula huius generis quatuor cubitorum aut amplius, in horto loco sublimi posito, itinere duarũ horarum (si probe memini) è Suitia pago. Putatione adhibita in arbusculam, sed tardissimo incremento, euadit. Gaudet Sabina humo (inquit Tragus) cui è parietibus lateres tusi admixti fuerint. Seritur surculo auulso terræq; immisso, & facilè radicatur: processu temporis in uiridem & elegantem arborem, quæ tamen sese magis in latitudinem effundat, quàm in altũ erigatur, euadens. Cùm in arborem grandiusculam excreuerit, quotannis rotundas & nigras Iuniperiq; simillimas baccas producit. Hæc ille. Ego sæpe auulsos Sabinæ ramulos frustra terræ mandaui. Felicius forte cresceret à matre sua deflexus in terram ramulus, donec apprehenderet, uel per uasculum terra plenum dependens traiectus: quod in Cornis arboribus aliqui faciunt. Idem Tragus lib. 1. cap. 189. Sauinæ syluestris nomine pingit & describit herbulam dodrantalem, Sabinę similem, sed inodoram, luteis in cacumine iulis: fructu nullo quam in arenosis altissimorum nemorum locis nasci scribit: eam etsi nondum uidisse memini, à Sabina tamen toto genere differre dixerim.

Saccharum (siue Sacchari canna, hoc est, Arundo) non in insulis Oceani occidentalis nascitur, sed in Hispania etiam (ni fallor) colitur. Celebris Francofordiæ ad Mœnum pharmacopœus Iacobus Oppenheimer, iconem huius Cannæ qualis in horto suo nascitur ad me dedit: & plantam insuper uiuam (& alia quædam) mihi pollicitus est.

Sagapenum existimatum ferulacea herba, A.F. Rurpodius. Vidi & Augustę in horto præclari medici Adolphi Occonis.

Salicaria, O. Lysimachium puto intelligens. Id enim à Salicis foliorum similitudine Germani **Weyderich** nominant.

Saliunca. Quære in Nardo Celtica.

Salices in hortorum marginibus & circa fossas aut riuos pangendæ sunt. Multa earum genera habemus, satiua & syluestria. Syluestrium quæ minima est, Siler appellatur. Alia lato folio, **Salwyden** nostris: quæ etsi passim sponte nascatur, hortum tamen ornare potest, uere primo præsertim, cum floribus & iulis odoratis uisendam se præbet, &c. Salicem etiam è semine nasci, nec uere frugiperdam esse, ut Homerus putabat, obseruatum est ab Hier. Trago.

Saluia in nullis non hortis toto anno uiret, quanquam rugosis foliis. Frequentior est Latifolia: infrequentior, cui folia angustiora, & candidiora: nobilem cognominant nostri, uel auritam. Rarissima, inter illas media ferè, non aurita: odore cæteris minus grato, G. Saluiis nostræ mulierculæ accumulare solent ramenta de corticibus Piceæ coriariis usitata. Surculo seruntur. Viuacissimæ sunt in hortis: & quidem eò magis, quò minus florere permittuntur, sicut & alia pleraq;.

Saluia syluestris Monspelii dicta, à folii similitudine. Lege in Verbasco. Nostri Horminum, Saluiam syluestrem nominant. Saluiam montanam aliqui uocant Scordium alterum nostrum.

Sambach, uel Zambac. Vide Iasme.

Sambucus gaudet locis humidis & pinguibus. In hortis si colatur, diu uiuit: & in arborem satis crassam proceramq; euadit.

Sambucus montana acinis rubris tanquam in racemo digestis, G. In montibus & syluis quibusdam suæ spontis.

Sambucus palustris uel aquatica Germanice dicta (Wasserholder / Schwelcken) in sepibus, & alibi locis aquosis apud nos non rara: acinos rubros latiusculos in umbella profert. Syluestri flos simplex est. Hortensi multiplex, magnus, albus, in globum coactus, pulcher aspectu, adeò ut fructus nullus sequatur. Aliqui Schönballen/id est, Globos formosos nuncupant. Audio etiam purpurei coloris Basileæ in hortis reperiri. Frutex est: & si curetur, arbuscula fit. Chamæplatanum appellantes hanc arbusculam non laudo. Abundat mihi syluestre genus, nec deest hortensianum floribus globosis.

Sampsuchum. Vide in Amaraco.

Sanguinea uirga Plinio dicta, Italis hodieq; Sanguis uel Sanguaro, passim in sepibus nostris crescit. Rot Kerngeerten. Cornus fœmina secundum aliquos.

Sanguis draconis uulgò dicta herba, inter Lapatha est.

Sanguisorba. Vide Pimpinella.

Saniculæ nomen uulgare apud recentiores chirurgos, Germanos præcipue: à sanandis uulneribus factũ, herbis uariis attribuitur. Vna tamen præcipuè & simpliciter sic appellatur, passim in syluis umbrosis & humidis obuia, folio quinis aut pluribus incisuris diuiso: quã Saniculę maris nomine Fuchsius depinxit. Nos eo in genere fœminam aut differentiam ullam, nondũ obseruauimus. Ea quidem quam Fuchsius Saniculam fœminã cognominauit, genere toto differt. Vide Astrantia nigra. Sanicula simpliciter dicta in hortulo meo iam aliquot annos durat, & hyeme tota uiret.

Sanicula alba, à radice alba, nam flos etiam superiori albus est, dicta: aliis Hessica, quòd apud Hessos fortè sua sponte oriatur: quanquam medicus quidam Hessus à me interrogatus per literas respondit, in Hessia se non reperire. Italis, ni fallor, Dentaria, quòd in radice quidam ceu dentes appareant. Cordus hanc Coralloides uocasse uidetur à radicis figura. Huius enim hoc nomine iconẽ, floribus tamẽ luteis, Hier. Heroldus ad me misit: alias uerò duas Ioan. Kentmannus communicauit, ab illa differentes. Allatam (inquit idem) hanc herbam ex Apulia accepi à Io. Brunstero Norimbergensi medico. Secundam etiam speciem passim in Pannoniis & Marcomanis uidi, radice alba, Alabastri modo splendente: unde aliqui Aconitum pardalianches nominare uoluerunt. Has qui in horto plantarit nondum inueni, dignas certè hortensi cura: & apparet ex crassis nodosisq; radicibus uiuaces in hortis futuras. Germanis uulgaris est herba, quam Saniculam appellant, foliis Pentaphylli maioribus: radice candida, miro naturæ ipsius artificio nodulis ac laciniis quibusdam elaborata, &c. Matthiolus in capite de Symphyto.

Sanicula alpina à quibusdam dicitur Arthriticę genus alpinũ, de quo leges in A.

Sanicula alpina alia, foliis rotundis, hirsutis, Saxifragæ albæ simillimis: floribus lacteis, quorum folia punctis sanguineis asperguntur: crescit in syluis uel locis umbrosis editorum duntaxat montium. In hortum meum translata multis iam annis durauit: digna certè hortensi cura. Semina ei longe minima, & (ni fallor) inutilia. Ex iis enim sponte in horto meo aliquoties sparsis nihil unquam prouenit.

Sanicula lata, R. Nescio quænam herba.

Saponaria uulgò dicta, quę locis arenosis & apricis prope flumina aut torrentes sponte crescit, roseo flore, odorato, G. albo, Ae. Rurpodius. Hanc Dodonæus Alisma interpretatur. Diu durat in hortis. Serpit enim suis radicibus.

Saponaria Italica, Ae.

Satureia, uulgò à medicis dicta, hortensis, condimentaria & æstiua herba, inter olera nascitur: & seminibus quibus abundat sparsis, restibili quotannis fœcunditate sese multiplicat. Hanc aliqui Thymbram hortensem uocant. Alia est Thymbra agrestis, quæ nascitur in prouincia & aliis regionibus calidis sua sponte: quam Dodonæus depingit: & à quibusdam in Germania inferiori satam in hortis Tenderich uocari

uocari scribit: usum eius ad condimenta & remedia eundem esse qui Thymi uel Satureiæ uulgò dictæ. Vide Thymbra.

Satyrium uerum tria folia profert, ad terram infracta, Rumici aut Lilio similia, minora tamen, ac rubra. Colligitur in tractibus sabulosis & arboribus conditis: ex quibus nos olim frequẽter eruimus, ac maxime circiter Herlem, eximiũ Hollandiæ oppidum. Radix una est, bulbosa, mali magnitudine seu forma, fulua, intus ceu ouum candida, gustanti dulcis, & ori non ingrata, Bern. Dessenius. Videtur autem sentire de Bulbo syluestri illo, quem Fuchsius Hyacinthum minorem fœminam uocauit, cuius una species cœruleo, altera candido flore reperitur. Hunc enim Dodonæus quoq; in Annot. Tomi 2. Iconum, Satyrium Triphyllum facit: Erythronium uerò Satyrium, eiusdem generis herbam binis foliis, &c. Crescit utraq; species in syluis umbrosis, inquit Dodonæus, ab herbarum uerò studiosis colitur in hortis.

Satyrium Erythraicum, fortè est Tulipa à Turcis dicta, flore rubro, Lilii instar, foliis etiam Lilii, radice bulbosa, &c. quam uidi Augustæ in horto magnifici uiri Io. Heinrichi Heruuarti: quanquam semen ferre negant. Eam descripsi pluribus, primo loco inter quinq; illas plantas, quarum icones et descriptiones Val. Cordi libris De plantis subieci.

Satyrii species an Orchis herbæ sit, quæ reperitur apud nos bulbo singulari semper, similis alioqui cęteris, sed minor, foliis binis, cõsiderandũ. Monorchin dixeris.

Satyrium basilicum alpinum, flore ex purpura nigro, tanquam adusto, (unde Brendli nomen impositum: odore omnium suauissimo, ceu styracis: quem etiam aridus, & in pollinem tritus, diutissimè retinet, Chr. Piperinus. Nos etiam aliquando plantauimus Lausannæ: sed uix ultra annum puto in hortis durare, & semen inutile esse: sicut reliqua Orchis genera.

Saxifraga alba, C. G. Alba cognominatur à colore florum. Semen ei nullum, aut potius inutile. Radix ex pluribus granis ruffis conglobatur, quorum singula seminum loco sunt: ab iis quidem granatã cognominare licebit. In hortis non diu durat. Nascitur in pratis quibusdam siccis, asperis, macris, circa Scaphusiam, Brugam, Basileam, & alibi: Maio præsertim quærenda. Cæteris enim mensibus æstiuis non apparet. Hyeme uiret, si bene memini: etsi quidam usq; ad annum sequentẽ latere scribit.

Saxifraga aurea, foliis superiori similis fere, unde & nomen ei factum: à similitudine foliorum dico, non à uiribus iisdem. De his enim nondum constat, sui omninò generis, flosculis luteis, C. Rarissima apud nos est: & cũ allatam aliquando plantassem, paulò post periit. Sponte in humidis & aquaticis locis crescit.

Saxifraga hircina, uel simpliciter Saxifraga, maior & minor, floribus albis in umbellis, G. Radix ferè hircum olet, acris admodum. Minor siccis, asperis & saxosis locis, in collibus & circa muros apud nos abundat. Maior uerò locis humidioribus & pinguibus. Huius (maioris dico) etiam in alpibus species una flore rubente inuenitur. Vide in Pimpinella.

Saxifraga lutea, à colore florum uel radicis, G. Thalictrum Dioscoridis aliqui faciunt. Galli circa Monspelium Saxifragam simpliciter nominant: nostra enim hircina uix reperitur illis. Inferiores Germani Pigamum (quasi Rutam Græco nomine: est enim Rutæ pratensi similis tum foliis fere, tum floribus, qui similiter è multis tantùm apicibus constant, sed colore sunt luteo: ut cognata uideatur.) Alii Rhabarbarum spurium, quod siue foliis siue radicibus quoquo modo sumptis uentrẽ soluat. Alii Barbam capræ minorem: (quæ à maiore, de qua suprà diximus) toto genere differt: quòd multis confertisq; floribus, quæ apicibus tantùm ceu pilis constant, spectabilis sit. Dodonæus huic Barbæ caprinæ suæ minori aliam herbam similem in eodem capite cõiungit ac pingit: minorem, solo salso prope mare nascentem: quam Hypecoum esse coniicit: mihi non uidetur. Saxifraga lutea illa, quam Heilblat Germani præsertim Saxones uocant, nascitur apud nos in ripis alicubi prope lacũ. Memini in maceria ripæ inuenisse, & in montibus inter lapides. In horto plantata durauit aliquandiu, sed malignè floruit, & radices luteas non in altum extendit, sed Sisa-

ri instar contraxit, substantia fungosa, pluribus simul cōplicatis. Huius species duę, maior & minor, sunt in hortis, A. & Ae.

Saxifraga montana, siliquas gerit, radice alba, nodosa, quibusdam ceu squamis extantibus, G. Crescit in Albio monte, non procul urbe nostra, solo pingui species una quinis per singulos pediculos foliis. Folia singula ceu Fraxini sunt. Flores purpurei, tanquam Leucoii, maiores, foliis quaternis conditi. Reperi & aliam speciem circa syluas non procul Scaphusia, septenis in uno pediculo foliis, floribus candidis. Herbæ sunt acres: Raphani ferè acrimonia. Vtraq; in hortulo meo per biennium fortè durauit, nō sata, sed translata è montibus: ubi una radix diuturnior mihi uidetur, & ipsa sese propagare. Circa Sabaudiam Pulmonaria uocatur: ab Italis quibusdam puto Dentaria, à squamis denticulatis in radice: sicut & Sanicula alba superius dicta.

Sc.

Scabiosa uulgò dicta trium generum: duæ minores, una scabra hirsutaq;, altera læuis, in pratis siccioribus & collibus apud nos copiose proueniunt. Tertia maior, quam ab ouibus aliqui denominant, (ut Dodonæus, qui hanc magnitudine mediam facit: hirsutam uerò iam dictam, in hoc genere maximam: sed in nostra regione secus se habet,) cuius folia non diuiduntur, locis editioribus, pinguibus, & humidis gaudet. Omnes in hortis bene ac diu durant. Iacea nigra diuersi omninò generis est, contra quam aliqui putarunt.

Scammoniæ frutex, O nobilissimus & eruditus ciuis Patauinus (ut audio) Priulus nomine, Scammoniam è Syria allatam in horto habuit, herbā Conuoluulo cœruleo (quem granum Nil appellant) persimilem: floribus albicantibus, (illis etiam, ni fallor, campanæ seu calathi effigie,) qui priusquam aperiantur, rubicundi apparent: semine etiam simili. Periit ei, nescio an secundo tertióue anno, siue quòd natura non diutius duret forte, siue aliam ob causam. Primæ quidem hyemis iniurias fortiter pertulit: semina etiam an protulerit ignoro. Monspelii aliam quandam Scammoniam ostendunt, floribus exiguis, &c.

Scandix est in Pectine Veneris.

Scilla uel Squilla, A. R. Rurpodio Francofordiæ, etiam florem protulit. Radix mihi olim in horto plantata, folia quidem produxit: sed non apprehendit, nec ultra tres menses durauit. Scilla uera, C. Veræ quidem epitheton ab eo additum puto, propter Pancratium, quod aliqui pro Scilla substituunt.

Scylla Epimenidea cognomine, crescit (ni fallor) in horto Patauino, seminibus è Creta accersitis.

Scolymus. Vide Carduus hortensis.

Scopa regia. Quære Pulmonaria Gallica.

Scoparia uulgò dicta, Italis Beluidere uulgò (quod nomen etiam aliis herbis attribui uideo.) Vide suprà Belle uidere.

Scordium uerum. O R. G. K. A. Ae. Verum dicimus, quoniam superiore seculo cùm hoc ignorarent medici & pharmacopolæ, Allium quoddam syluestre substituebant. Sponte in pratis humidis & palustribus nascitur circa Lemanum lacum non procul Lausanna, circa Norimbergam, & alibi, non multis tamen locis. Hyemem in hortis facilè fert: & coliculis per terram reptantibus propagatur, tum sponte, tum si quis inflexos terra obruat, eminente tantùm extremitate: sed quoniam non profunde hæret, resoluta terra quæ gelu astricta erat, facile eleuatur & perit, ni si terra operias.

Scordium maius Plinii, uel Scordotis, quod Saluiæ syluestris nomine pinxit Tragus lib. 1. cap. 4. de Nepeta inscripto. Dodonæus Sphacelon appellat: aliqui Ambrosianam: Ruellius Polemonium facit. Nascitur locis montosis, macris, asperis & apricis: ut in monte Albio nostro, & in colle imminenti oppido Eglisouiæ. Translatum in hortos non diu durat. Scordio planè cognata est herba, sapore, uiribus, & odore fere: meo quidem iudicio ad remedia Scordio præferenda, quòd odo-

re

re gratior sit, nec ita limum paluſtrem oleat, ut illud, præſertim contritum dum bibitur. **Hindtleuff** quidam Germani uocitant, Ae.G.

Scorodopraſum Dioſcoridi (alius enim quod ſciam nemo meminit, præter Galenum & Aeginetam qui ex Dioſcoride repetiiſſe uidentur) naſcitur quaſi grande Porrum: Allii ſimul & Porri uiribus prędítum, ſed remiſſioribus. Hoc pro ſyluestri olere Car. Stephanus accipit, quòd frequens in pratis creſcat, Allium porrinum officinis dictum. Porri (inquit) folio, ſed odore & ſapore Allii. Adnata non habet, neq; ſpicas: aut ſiquidem habet, rariſſimæ ſunt. Sponte ſua naſcitur (inquit Matthiolus) in compluribus Italię locis: è quibus translatum in hortis & uiridariis depoſitũ, uireſcit: foliis Porraceis: quę digitis attrita, ita Allium & Porrum ſimul reſipiunt, ut illorum effectus præbent. Hæc ille. Nec aliud Scorodopraſum Matthiolus, li.2.ca.68. depingere uidetur: cuius hiſtoriam ſubiungens cap.70. Mediomatrices mulierculę (inquit) in hortis Allii genus quoddam plantare cõſueuerunt, quod radice, foliis, & caule per omnia uulgare Alliũ æmulatur: niſi quòd radix huius nequaquã ut illius multiplici nucleo coagmentatur. Latiora folia & caules grandiores fundit, nigro quotannis ſemine pręgnans in cacumine fiſtuloſi caulis non aliter atque Cepa: ad quam odore etiam accedit, ſapore minus feruenti & acri quàm Allium: quamuis lachrymas eliciat. Germani **Aberknoblauch** dicunt. Poſſet & **Großlauch**/ i. Porrum grande dici. Idẽ Allii genus exiſtimo, quod ueteres Vlpicum, Gallicum & Aphroſcorodum uocarunt, &c. Hoc etiam in Sabaudiæ hortis uidiſſe me memini.

Scorpioides Matthioli, A.D.G.C. ſiliquis inſtar ſcorpii caudæ articulatis & in ſummo reflexis. Vide Lunaria Buriſſa.

Scorpioides aquaticum, floſculis cœruleis, ueluti in ſpica, reflexa in ſummo, G. **Vergiß mein nit**. Sapor ei Borraginis. Paſſim locis paluſtribus prouenit. Huius generis marem & fœminam Dodonæus lib.1. iconum pinxit. Ab herbariis (inquit) paſſim Scorpioides appellatur. Sed alia eſt Scorpioides Dioſcor. In Gallicis quidem eius ſtirpium Commentariis Car. Cluſio interprete, aliud Scorpioides mihi incognitum exhibetur: quod illic etiam (in Germania inferiore) in hortis tantùm ſeri tradit. His ſcriptis reperi ex ſeminibus peregrinis enatam mihi herbulam, Scorpiuroiſti Dodonæi planè congenerem: & hoc fortè ſolo differentem, quòd nullum penè caulem ędat: & caudas ſcorpionum ſingulas à ſingulis petiolis (duos digitos longis) poſtquam floſculi lutei, ipſi etiam ſinguli defluxerunt. Caudę illę inſtar uermis aut erucæ cuiuſdam ſunt, lanugine ruffa, ſuperius hirtę, in ſe reflexę, inq; mucronem perexilem curuum terminantur. Folia ſunt Oleæ: floſculi Meliſoti ferè figura, magnitudine & colore. In Italia quidam Scorpioides uocant herbam illam, quam aliqui uulgò Noli me tangere: de qua diximus in N litera.

Scorpiurus, K. Videtur autẽ Scorpioides intelligere. Veteres Heliotropiũ etiã Scorpiurũ uocabant. Tragus Doſcor. Theoph. et Plinio etiã Scorpius: puſillus frutex, aculeatus, in maritimis naſcens, ſine foliis, &c. uiris doctis in Italia non eſt incognitus. Eius ſemen ab amico expecto, qui id ab Aloiſio Anguillara (doctiſſimo diligentiſſimoq; nouarum ſtirpium indagatore & nomenclatore) accepit, ac ſimul alia quędam.

Scrofularia maior, quę circa ſepes, foſſas & rudera creſcit, folio ferè Vrticæ, odore graui: & altera eius ſpecies in humidis naſcens, caule quadrangulo, nullis radicum ſcrofulis, in hortis etiam durant, ſed prior diutius.

Se.

Sebeſten. Vide Myxus.

Secacul, R. O. Polygonatum puto intelligentes.

Securidaca eſt in Pelecino.

Sedum ſeu Semperuiuũ uulgare maius (quòd eruditi quidam Cotyledonis potius quàm Sedi ſpeciẽ eſſe docent) quanquam ſuper tectis ędium & muris antiquis naſci gaudeat, creſcit tamen in horto etiam facilè. Semperuiuum radice nulla uiuit, & ſemen fert, & ſibi ipſum radix eſt, Scaliger: non quidem radicem ei deeſſe ſentiẽs,

ut coniicio: sed quòd ea sit uiuacitate, ut quanquam non nitatur radice nec apprehenderit, foliis tamen & caule crescat, uel iacens super solo aut tegulis. Dioscorides Stratioten in aquis Semperuiuo similem, sine radice uiuere tradit.

Sedum maius uerum, è Græcia nuper allatum, audio iam aliquos in Italia habere: hyeme si rigetur, perire. Huius iconem à Io. Kentmanno accepi: qui eam sibi uisam scribit Venetiis Murrhani in horto clarissimi Veneti Hier. Cornelii: qui ex Alexandria hanc plantam, ut & multas alias raras ex Candia & Cypro, cuius insulæ præfectus fuerat, afferendas curauit.

Sedum minus Dioscoridis, foliis in mucronem exeuntibus, in Germania non memini uidere: ut neq; Dodonæus, in hortis tantùm apud inferiores Germanos uideri tradens, R. In Sabaudia & Gallia uidere memini. Nascitur Dioscoridi in petris, parietinis, maceriis & scrobibus opacis.

Sedum minus alterum (Crassula minor quorundam) uulgare nobis, passim ueteres muros & mœnia implet, foliis obtusis, floribus albis.

Sedum tertium Dioscoridi, pusillis & crassioribus foliis, flosculis luteis, succo acri & erodente. Illecebra priuatim dictum, prouenit copiose in saxis, muris & locis arenosis apud nos.

Sedum minimum, foliolis breuissimis, latiusculis, acinosis, obtusis, subacidis: binis, alternante positu: flosculis candidis intus, foris roseis. Huius species una maior & candidior est, altera minor & rubicundior, ceu mas & fœmina, G.

Sedorum in saxis montiũ (aliqui Phylla nominãt) uariæ sunt species, magnitudine, figura, coloribus, floribus, &c. inter se differentes. Sunt quædam minimæ, & flosculis tum figura tum colore pulcherrimis egregiæ: quæ in hortis parum durant, ni fallor. Aliæ maiusculæ, ad Sedum maius uulgare nostrum accedunt, et in hortis diutius durant, quamuis in solum areæ defixæ. Horũ species una foliis est minoribus, albicantibus & serratis. Alia similibus quidem foliis, sed margine piloso, non serrato. Floribus quidem multũ differunt. Minoris & gustu dilutioris flores pauci sunt, candidi, punctis sanguineis, minimis, aspersis, nullo penè caule, ut nunc mihi nascuntur: alias enim in caule mediocri mihi natos puto. Maioris & acidioris caulis pedalis, flosculis partim candidis, partim purpureis refertus, & unum in latus struthionis pennæ instar inclinans. Vtrumq; hoc anno mihi floruit. Folia marginibus & asperis branchias piscium referunt. Non laudo qui Phylla nominant.

Semperuiuum. Vide Sedum.

Sena, C. Senę folliculi (inquit Matthiolus) è ramusculis prominent, tenui pediculo appensi: quo fit, ut maturescentes, paruo uentorũ flatu facilè decutiantur. Planta est frigoris impatiens: ob idq; seri uult Maio, nec ultra autumnũ perdurat. Siquidẽ (ut pluries expertus sum) prius sata, facilè frigore deperditur: serius uerò hyemẽ similiter non tolerat. Sic ille. Coniicio autem eũ de Sena communi et uiliori sentire: qua minor & efficacior est Alexandrina, Europę hortis nescio an hactenus cognita.

Senecio, Erigeron, nusquam nõ obuius est, circa oppida pręsertim & loca culta.

Senecio fœtidus appellari potest ab odore herba, maior, pinguioribus foliis, luteo & similiter pappescente flore, &c. D.

Septem fratres. O. Nescio quæ herba.

Seris, idem quòd Intybum suprà dictum. Verrucaria Seridis species, C. Aliqui Verrucariam uulgò dictam, interpretantur Seridis speciem: alii rectius Heliotropium minus.

Serpillum passim locis siccis, asperis & apricis luxuriat: & pro diuersitate locorum ac cœli odorem mutat, ita ut alicubi, Theophrasto teste, Thymum planè redoleat. Serebatur olim in hortis, idq; surculo non semine, ut idem scribit. Inuenimus et quod citrum oleret.

Sesamoides, uel Elleborine, (alia à Consiligine,) K. Vide Elleborine.

Sesamoides alterutrum quidam esse suspicantur herbam Ellebori nigri radicibus uiribusq;, foliis Abrotoni ferè. Vide in Elleboro nigro.

Sesamum

Sesamum uerum, an ullo adhuc in horto Germaniæ aut uicinarum regionum extiterit nondum resciui. Nam qui Schwaden uulgò dictam herbam pro Sesamo accipiunt, decipiuntur: ut illi etiam qui Myagrum Dioscoridis non agnitum, arbitrantur esse Sesamū. Semen eius recens nuper ex Italia missum seminaui, sed nullo prouentu.

Seseli quod uulgò Siler montanum cognominatur, &c. Plantatum mihi aliquando radice, paucis mensibus in horto durauit, nec apprehendit. Aliâs è semine prognatæ plantæ tres, Sphondylorū iniuria in canicularibus interierunt, radicibus erosis. Si cura adhibeatur, non dubito quin duraturum sit, quamuis in montibus non nisi in saxis & inter saxa eorumq; rimis nascatur. Alunt id in hortis, O.K. Rurpodius, Piperinus. Abundat sponte proxime Vuesam oppidum ad lacum Riuarium, alibiq; in Helueticis montibus saxosis, meridiem uersus præcipuè, acrimonia & amaritudine insignis herba: quam uel ipsum Petroselinum ueterum, uel optimū eius antiballomenum esse dixerim: cùm nullo quidem Sesalis apud Dioscoridem genere conueniit. Non desunt qui pro Ligustico accipiant. Vide suprà in L.

Seseli Aethiopicum Fuchsii & Matthioli, Wyß Hirtzwurtz: in montibus nostris nascitur. Id è semine in horto etiam nuper mihi exortum est, nescio quàm diu duraturum. Vide suprà in Libanotide ferulacea Dodonæi. Sed aliud hoc nomine Galli Monspelienses ostendunt, quod à Dodonæo pingitur Tomo 2. iconum: cuius semina hoc uere frustrà seui.

Seseli Creticū, aliter Tordylium, à Fuchsio iudicatur herba illa quam docti plurimi Meum nominant, nostri Berwurtz. Vide suprà. Dodonæus Caucalidem Bellonii pro Seseli Cretico exhibet, quod non probo.

Seseli Massiliense, Rurpodius. Matthiolus hoc nomine herbam quandā depingit, quam in omnibus ferè Tridentinis montibus legi scribit. Dodonæus aliam iconem exhibet. Nuper ab amico Seselis Massiliensis semina accepi, communicata illi ab Anguillara: qui è Creta se habuisse dicit, Fœniculi ferè magnitudine & figura, è fusco subruffa, myrrham ferè (ni fallor) subolentia leuiter. Hæc Basileæ sata hoc uere Zuuinggero prouenerunt.

Seseli Peloponnesiacum, quod Matthiolus pingit, in Italia (ut inquit) sibi repertum: idem mihi uidetur quod in Rhætorum uersus Italiam montibus (circa Pusclauium, ni fallor, præcipuè) crescit. Rhætorum aliqui uulgò herba Pidrie uocant, uel Pantegia, quòd pecori anheloso medeatur, appellant. Radicem eius maximam, aliquando in horto plantaui, sed non apprehendit, quanquam germinauit ad duos formenses. Aliud est Seseli Peloponnesiacū Fuchsii, Schwartz Hirtzwurtz, sponte in collibus apricis apud nos proueniens ferulacea herba, Apio montano (de quo diximus in A litera) similis. Vide suprà in Libanotide ferulacea Dodonæi.

Seseli utrumq;, C. Intelligēs opinor Massiliense & Creticū à Dodonæo exhibita.

Seseleos species quædam, plurimis à radice foliis, tenuibus & multifidis, longis: coliculis teneris, gustu calfaciente, non grato, ex Insubriæ montibus autumno superiore mihi allata, pulchre adhuc uiret: sed nondum caulescit.

Si.

Siciliana (Italis uulgò dicta) siue Clymenum Plinii, K. Quære Clymenum.

Sideritis prima Dioscoridis secundū Fuchsium, Tetrahit uel herba Iudaica quibusdam, Ae. Nascitur asperis, petrosis & incultis locis, circa Badam nostram, & alibi. Alia secundum Matthiolum, Marrubium aquaticum Trago dicta, li. 1. cap. 2. G. Frequens nobis in palustribus locis: cùm Dioscorides Sideritim primam suam in petrosis nasci dicat.

Sideritis tertia Dioscoridis, Gratia Dei nostris uulgò dicta: aliis Herba Roperti: nascitur passim in muris & maceriis hortorum, loca amat umbrosa. Matthiolus aliam quandam pingit, cuius in commentariis ne uerbo quidem meminit.

Sideritis Plinii latissimo folio. Vide Pulmonaria Gallica. Fuchsius quidem herbam S. Barbaræ uulgò dictam pro Sideritide hac accipit, Dodonæus negat.

Sigillum Salomonis, Polygonaton ueterum.

Siliqua arbor, Græcis Ceratonia, Arabicis scriptoribus Carube, C. Rurpodius. Vidi et apud ciuem quendam nostrum, è semine ortam dodrantalem hanc plantam: quæ per hyemem ei interiit. Germani S. Iohannis panem uocant. Alia est quam Bellonius Siliquam nominat: de qua lege suprà in Azadaracht.

Siliqua Inda. Vide Cassia.

Silybus. Lege Cardopatium.

Sinapi in agris potius quàm hortis serendum est. Tria Sinapis genera, inquit Car. Stephanus: syluestris, ubiq; sponte nascens: exilius, quod uulgus (Gallicum) à minori proceritate Sanelam uocat: alia numerosioribus altioribusq; ramulis brachiantur, Rapo similia: sed folio minore & asperiore. Verùm semen euariat: in uno rufescit: in altero candicat.

Sison, C. Dodonæi nimirum: quòd is ab Herbariis scribit paruũ Ammi uocari.

Siser uel Sisarum, Girgele.

Sisymbrium agreste aquaticum, passim in aquaticis exilit. In hortulum meum, qui siccior est, aliquoties translatum, non diu durauit.

Sisymbrium hortense prædicto simile. Seritur surculo potius quàm semine, ut Theophrastus tradit. Vide in Mentha.

Sisymbrium alterum Dioscoridis, Nasturtium aquaticũ aliquibus, uulgò Brunnenkreßich: in fontibus & riuis abundat, & per hyemem pro acetariis legitur: sicut & alterum Nasturtii aquatici genus, siccius duriusq; & acrius: quod Steinkreßich uocamus.

Sium etiam, herba odorata, in aquis nascitur, hortis nõ idoneum. Iuxta Basileam hoc reperire memini in proximo. A nostra urbe longius nascitur, inter Dibedorpham & Vuangam pagos. Sium nõ odoratum recentiores quidam uocarunt Anagallidem uel Portulacam aquaticam ab aliis dictam, Bachbungelen/cui nihil cum Sio commune. Nascitur in aquis & palustribus ubiq;.

Sm.

Smilax hortensis, O. G. Alia species, O. Smilaces, K. Welschbonen. Vide suprà in Phasiolo.

Smilax læuis Fuchsio & Matth. Conuoluulus Plinii est: de quo suprà diximus.

Smilax aspera in Germania non reperitur, nisi lata in hortis quorundam diligentiorum, ut Dodonæus scribit. Nascitur autem tantùm in calidioribus regionibus, ut puto: asperis & petrosis locis: circa Monspelium & alibi. Plinius quidem tradit nasci in aquaticis, incultis, humilibus & umbrosis.

Smyrnium uerum, K. & Basileæ in horto Zuuinggeri medici. Veri semina ego quoq; uidi, nigra (si bene memini) rotunda, & planè odore Myrrhę. Satum apparere puto in horto Patauino. Matthiolus quidem Smyrnium uocat, Olus atrum aliis dictum: Tragus Astrantiam nostram.

So.

Solanorum (indocti Solatra uocant) permulta sunt genera, quamuis à Dioscoride quatuor tantũ memorata. Omnibus acini sunt, iiq; seminibus albis pleni. Pleraq; aliquam in foliis & floribus similitudinem habent: odore graui, ut refrigerante & humectante prædita.

Solanum hortense quoddã olim erat, quod nunc etiam circa hortos ferè nascitur, circa rudera ac uias locis humilibus: sed coli desiit, acinis nigris. Nachtschat.

Solanum rubrum, Ae. Luteum, Rurpodius. Eadem cum uulgari, cui acinos nigros esse diximus, nisi colore differrent.

Solanum uesicarium in Halicaccabo est. Halicaccabus peregrinus à quibusdam dictus, cùm acinis careat, &c. è Solanorum genere non est.

Solanum furiosum, R. Solanum manicum Bern. Dessenius scribit se uidisse Gruningæ in horto Cornelii Bebingii.

Solanum somniferum duplex, Ae.

Solanum

Solanum fruticeſcens, C. Fruticoſum, baccis (acinis) rubris, foliis amygdali, K.
Idem hoc puto, quod Itali quidam pro Amomo Plinii accipiunt, & Indicum cogno
minant: mihi etiam è ſemine ex Italia miſſo ortum, iam altera æſtate duos dodrantes
æquans nondum oſtendit florem, hyeme ſub tecto ſeruatum. Amicus quidam in
Italia ſeſquicubitale uiſum ſibi ait. Quidam Strychnodendri nomen finxerunt. Vi
de in Amomo.

Solanum peregrinum, & aliud ex Prouincia, Rurpodius: qui peregrini nomine
Solanum fruticoſum, aut Halicaccabum peregrinum uidetur intelligere.

Solani genus ſyluaticum, quod noſtri Schlaffbeere & Dollwurtz uocant, G.
baccas aut potius poma Ceraſorũ inſtar, coloris è cœruleo nigricantis fert. Italis Bel
la donna dictũ: ſponte apud nos circa ſyluas alibiq; locis incultis abundat. Aliqui
Morion eſſe ſuſpicantur, uel potius Mandragorã Theoph. Radice eſt craſſa, uiuax
proculdubio in hortis futura: ſed ne pueri fructus ſua ſpecie inuitantes deuorẽt, uitę
periculo, ut in aliis Solanis, ita hoc pręcipuè, cauendũ. Quidã mortale cognominãt.

Solanum ſomniferum, O. Non aliud opinor à ſyluatico iam dicto. Matthiolus
tres ſomniferi icones proponit: primam legitimi Dioſcor. ſomniferi, ut apparet: ter-
tiam ſomniferi noſtri, Belle donne nomine Venetis uſitato: Vulgò (inquit) Herba
rii Solatrum maius uocãt: ſecundam, noſtro quidem ſimilis, ſed longioribus foliis,
etc. Cuius in commentariis ne uerbo quidem meminit: iconi Solatrum ſomniferum
inſcribit: neque de prima aliud, niſi quòd Piſis à Luca Ghino miſſam accepit. Dio-
ſcorides in ſaxis naſci tradit non procul à mari. Noſtrum quidem legitimi, ſicut &
Mandragoræ, omnibus ſui partibus ſuccedaneum eſſe poſſe mihi uidetur.

Solanum quoddam fruticoſum, plurimùm apud nos naſcitur locis dilutis, & a-
quam plerumq; ſubeſſe indicat, ſæpibus aut fruticibus aliis innitens, floribus Sola-
ni cõmunis, cœruleis, luteo per medium apice: acinis rubris, &c. G. R. Aquas amat:
& ramulus in aquam impoſitus, breui radiculas emittit, inſtar Salicis. In terra eitam
putârim ſurculum defixum facile creſcere. Inuenitur & albo flore, ſed rarenter. Atte
giis & topiario operi conueniret, niſi grauior eſſet fruticis odor. Florum quidem &
acinorum ſpecies non uulgaris eſt. Solatrum mortale quidam appellant, mihi inter
Solani genera minime noxium uidetur. Alii rectius perpetuum, quoniam caules in
eo perẽnant: nam folia amittit hyeme. Aliqui Amarodulcem: quòd ſi quis ramulũ
aut corticem mandat, primo ingratus uideatur guſtu, ſed quò diutius manditur eò
inſignior eius dulcedo ſe prodit: unde nomen ei factũ à noſtris Je lenger je lieber.

Solanũ tetraphyllum, G. Sic nomino genus illud Solani quod foliis ut plurimũ
quaternis, rariſſime quinis aut pluribus, in ſyluis noſtris frequens eſt. Quidam non
rectè pro Aconito primo accipiunt. Refrigerat certe inſigniter. Aconitis uerò omni
bus uis eſt ſeptica, erodens, feruida.

Solanum pomiferum, Malum inſanum uulgò dictum. Vide ſuprà in M.

Solani pomiferi genus aliud. Vide Pomum aureum.

Solani pomiferi genus tertium, ſi libet, appelletur, quod uulgò Pomum ſpino-
ſum uocant, &c. Lege in Nuce Methel.

Soldanella. Quære in Braſſica marina.

Sonchus aſper & læuis, uiſitur in hortis, (ſua ſponte nimirum) campis et uineis,
Matthiolo teſte. Cicerbita Italis, noſtris Haſenköl/ Gans diſtel. Lactucæ ſylue-
ſtris quædam ſpecies.

Sonchis cognatũ uidetur etiam olus ſylueſtre illud, quod noſtri à lacte Milchen
uocant: Dodonæus Lapſanam facit.

Sonchus arboreſcens Dioſcoridis. Vide in Lactucis ſylueſtribus: harum quæ-
dam proceriſſima in ſyluis humidis naſcitur, puniceo flore: & alia luteo, circa mœ-
nia, humidis locis, &c.

Sorbus, Ae. Reperitur apud nos in montibus. Sorba, alia rotunda ſunt ut mala,
quæ odore & ſuauitate præcellunt: alia turbinata ut Pira: alia ouata, ut mala quæ-
dam, obnoxia Acori, Germanis Speierling. Generoſiſſima quibus circa pedi

culos tenera folia. Sorbos & Cornos in mitiores arbores sui generis inseri posse quidam crediderunt. Item in Pyro, Pomo, & Cotonea: sed id nunquam uerum esse aut posse iure fieri potui comprehendere. Rectius crediderim inseri posse aut debere in Oxyacantha, quemadmodum & Mespila.

Sorbus torminalis, K. Apud nos syluestris abundat, locis montanis: folio ferè Platani, minore. **Aressel** Trago. Cordo Cratægus Theoph.

Sorbus alpina, uel pilosa Italis dicta, Gallis Tralier: nostris **Elzbirle/ Thelsbirle/ Unser frawen birle:** (aliquibus **Mälbaum**/ quod nomen etiam alii arbori attribuitur.) Ficui Idææ cognata, ut conijcio.

Sorbi tres species, C. Sorbis etiam cognata uidetur, si fructum respicias (nam foliis superiores etiam plurimùm differunt) Diospyros in D litera.

Sorbus torminalis Plinii, Gallis Alisier, G.

Sorgum uulgò dictum, O. Seritur à quibusdam in hortis, apud nos quoque cùm propter raritatem, tum quòd coma scoparum usum præbeat. Sunt qui Milium Indicum aut Saracenicum uocent: alii Panico potius cognatum putant. Maizum aliqui uocant, ut Cardanus, Indico uocabulo.

Sp.

Spartus uel Spartiū, O. A. C. Rurpodius. Spartus mihi prognatus (inquit A. in epistola ad me) uerus esse uidetur: habet enim omninò caulem sine foliis. Vide Genista.

Spartus Hispanicus, Ae. Hunc Theophrasto incognitū fuisse aiunt: carere eum foliis, flore, semine: contexi ex eo sportulas Ficuum.

Spatula fœtida, O. K. A. Rurpodius. Vu. Ae. C. Huius semē sæpe frustra hortulo nostro commisimus. Aretius Bernæ prouenisse sibi scribit: sed nondum perfecisse semen. Eruditi Xyrin appellant. Spatula fœtida, Spatula media, Spatula minima, Schorndorfii in horto Io. Schmidlappii mercatoris.

Sphondylium seu Spondylium nascitur in pratis, pinguibus præsertim uel mediocriter humidis, abundè apud nos: maius quidem in montibus, Panacis Heraclii æmulum: quidam non rectè pro Brancha ursina accipiunt.

Spica Italica odorata, K. Nescio an Nardum Celticam, (quæ tamen alibi in horti eius catalogo nominatur,) intelligens.

Spina ceruina uulgò dicta Italis, **Krützbeere**, G. Sponte apud nos in sepibus abundat. Tragus & Dodonæus inter Rhamni species ponunt. Aliqui solutiuam cognominant.

Spina citrina uel lutea, à floris colore, Vu. D. Sponte nascitur, ni fallor, circa Mōspelium, & aduersus morbum regium cōmendatur, acanacei generis herba æstiua.

Spina solstitialis circa Monspelium ubi sponte nascitur, D. Herba est bicubitalis, æstiua, albicans, lanuginosa: foliis angustis, oblongis, amaris. Caules rigidiusculi sunt, alba medulla referti. Floret solstitio: flos flauus in pappos abit, supra calycem quæ multis, longis, exilibus, pallidisque aculeis riget: nec alibi aculeos habet: cognata fortè Stellariæ à quibusdam dictæ, (quam Cardui stellati nomine Dodonæus exhibuit,) flore etiam simili præterquam colore. Cum eodem in amaritudine cōuenit, &, ni fallor, remedio quoque. Mire enim commendatur ad mouendas urinas & calculos educendos succus huius herbæ, aut aqua destillata, aut contritæ pollen: ut ex clarissimo medico Argentinensi Didymo Obrechto primùm cognoui: qui cùm in horto suo longè instructissimo hanc herbam alat. Carduus uerò stellatus ubique circa urbem Argentinam abundet, sitnè aliqua inter has stirpes, tanquam duarum unius generis specierum cognatio, melius iudicabit. Intuba & solstitiales spinas, è pratis uerò euelli præcipit Columella lib. 2. cap. 1[?].

Spinaceum olus uulgò dictum, **Binetsch**, in omnibus hortis apud nos seritur, cùm alio tempore, tum sub hyemem ante Septembris medium, & per hyemem demetitur. Spinachia manifestum habet sexum, Scaliger. Conijcio autem marem ab eo intelligi illum, cuius semē spinosum est: fœminam, sine spinis. Aliqui Spanaciam nomi-

nominant, tanquã ex recentioribus Grçcis sumpto nomine, ut et Seutlomalachum, quasi dicas maluaceam Betam, inquit Ruellius, nimirum quòd figura & denticulato seminis habitu Betam, & mollitia Maluam mentiretur. Arabes Hispanicum olus appellauere. Sic ille. Sed fortè Seutlolapathum potius, hoc est, mediæ inter Betam ac Rumicem naturæ, quàm Seutlomalachum, appellari meretur.

Spondylium. Lege Sphondylium.

Squilla. Vide Scylla.

St.

Stachys duplex, Ae. Stachys Cordi, O.K.

Staphisagria, K.O.G. Vu.C. In Germania nullibi sponte (quod sciam) nascitur, nisi sata: amat umbrosa loca.

Staphylodendron Plinii, G.K.C. **Pimpernüßle.** Arbor trans alpes, inquit Plinius, simillima Aceri, alba in materia. Fert siliquas, & in iis nucleos sapore nucis Auellanæ. Itali quidam, ut Romæ, uocant Sambucũ ualidam. Crescit apud nos sponte in sepibus, quamuis rara: & uidetur locum humidum amare. Frequentior, ut audio, circa Arouiam.

Stella herba à quibusdã Italis uocatur, quç à nostris **Sinnaw** à quibusdam Pes Leonis uel Achimilla: Matthiolo Stellaria. (Is enim tSellam herbam uulgò alicubi Coronopodem uocari ait.) Crescit nobis affatim in syluis, et montium pratis: in hortos translata, ad duos fortè annos durat.

Stœbe Dioscoridis, O. De Scabiosa fortè sentiens. Alia est Theophrasti.

Stœchas uel Stychas (simpliciter, uel Arabica cognomine,) O.C.G. Vu. Rurpodius: sed in hortulo nostro ad maturitatem non peruenit. Circa Monspelium in siccis & apricis sponte nascitur.

Stœchas citrina uulgò dicta, Vu. Circa Monspelium in muris & petrosis, si benè memini, abundat. Ageraton aliqui interpretantur. Sabulosa, aspera aridaq; terra, pratisq; ac campis soli maximè expositis, præsertim uerò ad tractum Rheni (hinc **Rhein blůmen** appellant) inter Spiram & Vuormaciam, nec non circa Hagenoiam, Nouiburgum, & in Vuasgoia affatim luxuriat, Tragus.

Stramonia Lege Nux Methel.

Sratiotes est in Millefolio. Fluuiatilis Stratiotes, quoniam & in fluuiis & radice nulla crescit, nihil ad hortum.

Struthium quibusdam dictum. Vide in Lutea.

Strychnodendrum. Vide Solanum fruticescens.

Styracem arborem, ad quatuor cubitos enatam, si benè memini, idq; è semine, ni fallor, anno superiore uidi Augustæ in horto doctissimi medici Adolphi Occonis, A.F. qui nuper etiam de ea ad me scripsit, his uerbis: Styracem meam quodammodo bifurcatam in duas partes radicitus diuisi, & ex una arbuscula duas feci, satis insignes. Supererat mihi ex dissectione radix, quam uidendam ad te mitto, ut (si uideatur) terræ committas, quamuis ut pullulet, difficile fore arbitror. Atq; utinam ex ea prouenire posset arbor meæ non dissimilis, quç me præ cæteris mirificè delectat, tũ quòd sciam nullam eius generis reperiri in Germania nostra, præsertim finitimis huic nostræ ciuitati regionibus: tum quia foliorum & florum etiam pulchritudo speciosa uidetur. De fructu tamen in hisce partibus despero propemodum, cùm talis apud nos aëris clementia non sit, quæ fructus eiusmodi ad maturitatem perducere possit. Sic ille. Agitur autem nunc tertius mensis ex quo radicem illam, cum exigua stipitis resecti parte plantaui: quæ nondum quidem pullulauit, cortice tamen adhuc uiret & spem aliquam facit. Venetiis olim in horto monasterii cuiusdam, memini me iustæ magnitudinis hanc arborem uidisse.

Sy.

Sycomorus ueterum, Ficus Pharaonis uulgò in Syria, in Europa (opinor) nõ apparet. Morus Aegyptia Theophrasto, aliis Ficus Aegyptia: quod nomen etiam Ceroniæ arbori attribuitur, sed impropriè, cum in Aegypto nõ proueniat. Morus Ae-

gyptia peregrinari omninò nequit, Theophrastus hist. 4 2 Recentiores Sycomori nomen arboribus diuersis tribuunt, alii aliis. Galli sic uocant Arborem Iudæ, de qua dixi suprà in A. Itali, præsertim monachi, Azadaracht Auicennæ, de qua itidem suprà dictum est. Pet. Crescentiensis arbusculam paruulam, similem sanguineæ uirgæ, &c. Ruellius Sycomorum appellauit Acer montanum, quod Allobroges uocant Plane, ut uir quidam eruditus ad me scripsit.

Ta.

Tanacetum, G. & in plerisque hortis. Nascitur & sponte, nō quidem apud nos: sed circa Argentinam copiose, & alibi, præsertim in aquarum ripis & uinearum aggeribus.

Tanus. Vide Vitis nigra.

Tarchon Auicennæ & Symeonis Sethi: uulgò eruditi Draconem uocant, hortensis uel acetarii cognomine: foliis Hyssopi, sapore Pyrethri, &c. Hoc alunt Curtius, (qui & mihi communicauit,) & K. Aliqui Drabam faciunt: quod non laudo. Sub hyemem fimo equino alióue tegi debet: sic & contra hyemem munietur, & uere citius copiosiusque erumpet: tum quidem pręcipuè placet in acetariis, siue per se, siue aliis potius condimenti gratia additum: nam & salis & aceti ferè saporem repræsentat. Coliculi cùm digitales fuerint uere, propagentur per terram, cacumine tantùm eminente; sic breui multiplicantur. Radix una, discerpi & per diuersas partes plantari potest. Floret hoc quidem, sed semen nullum aut inutile profert. Linum satum in Cepe secto, eam ex se progignere plantam, quam uulgus Draconem uocat, Thuscis olitoribus persuasum est. Cuspidis ei figura folium, serratum ut Betonicæ, sed molliter & obscurè. Surculi uiminacei, flosculus candidus. Saporis acrimonia commendationem attulit ad usum acetariorum. Radix penè nulla, eorum arguit temeritatem, qui Pyrethrum fecere nomen. At mihi non semel Lini semen cùm ita, uti iusserant, seuissem, Draco nullus extitit, Scaliger in li. . Aristotelis De plantis. Ego quoque me semel atque iterum frustrà expertum memini. Sed Tarcho nostro hortensi folium minime serratum est: syluestri modicè.

Tarchon aquaticum Monspelii Serpentina, fruticosa, uel potius ramosa herba, G. Vide Pyrethro cognata.

Taxus arbor crescit in mōtibus nostris, specie quadam Abietis, latioribus foliis, multò humilior: acinis rubris, paruis, umbilicatis, glutinoso humore plenis, &c. O. Facile crescit arbuscula parua transplantata, sicut etiam Abies & Picea. Durare ultra seculum putârim: nam & materia huius arboris in terra maximè omnium durat. Arbores duæ in horto uicini mei eadem proceritate uigēt, qua me puero erant, iam ferè per quadraginta annos. Fructificant rarò, non singulis annis, nescio an similiter in syluis.

Te.

Telephium Anacampseros nostra. Vide suprà in A. Sedi etiam genus minimum et acre, Telephium olim uocabant. Eruditi quidam hodie pro Telephio Dioscoridis accipiunt herbam, quam alii Cerinthen existimant. Vide suprà in Cynoglosso montana & Cochlearia.

Terebinthus in aliquibus Italiæ hortis reperitur, ut Venetiis in Franciscano cœnobio. In Germania nusquam uel sponte nascitur: uel in ullo (quod sciam) horto reperitur. Circa Monspelium abundat: & in montibus prope Veronam, & Tridenti ad eum montem in quo arx Episcopi est, & alibi in Italia.

Testiculus uel Orchis herba, species quàm plurimas complectitur: quas enumerandi locus hîc non est. Nascūtur in pratis, collibus, syluis, montibus, umbrosis, apricis, siccis, humidis, aliæ atque aliæ species. Radices omnium è gemino quasi bulbo constant: qui in aliquibus palmatus seu manus instar & digitatus est. Vide suprà inter Satyria. Reperitur apud nos species una, minor, bulbo singulari. In hortos translatæ uix ultra annum mihi durarunt, aut duos ad summum.

Teucrium uerum, R. R. Ae. C. Id nimirum quod Fuchsius, Matthiolus, & Dodonæus

donæus pingunt. Sponte sua in Germania nusquam prouenit, quod sciam, inquit Fuchsius: satum tamen copiose nascitur. Matthiolus pluribus in locis reperiri ait, Trissagini tã simile, ut sępe ex tempore uisa oculos decipiat, &c. Nascitur hic frutex Basileæ etiam Zuuinggero, seminibus ex Italia allatis: & mihi quoq; etiam nuper exorta est una eius planta. Tragus pro Teucrio pingit Veronicam uulgò dictam **Erenbrÿß**: quæ herba frequens circa syluas nostras (duorum generum) in nostro etiam hortulo uiret.

Thalictrum quorundam. Vide in Saxifraga lutea. Thalictrum Dodonæi est inter Nasturtia syluestria superius.

Thanus. Vide in Egano.

Thapsia, Rurpodius. Vera nascitur in Gargano Apuliæ monte: semine, ni fallor, inter ferulacea latissimo. Eius radice aliqui abutuntur pro Turbit: & à quibusdam uocatur Turbit montis Gargani. Hæc mihi etiam olim è semine prouenit, sed hyeme prima (si benè memini) periit.

Thlaspi uerum, O.G.C. Bursæ pastoris ferè similis est herba, æstiua, acris. Bursam pastoris Thlaspi fatuum dixeris. Hæc nobis passim abundat sponte: illud in Germania non nisi satum, quod sciam.

Thlaspi alterum Dioscoridis fuerit fortè Raphanus maior uel marinus cognominatus, de quo prædiximus.

Thlaspi Creticum, ut quidam uocant, Dodonæus Drabam facit, C.G. Floribus subcœruleis. Diu floret, ad flores propensa herba, æstiua. Cùm in summo semina maturat, ab imo sæpe floret iam sub hyemem: & partibus summis detractis, ab imo regerminat floretq;. Semina è Creta primùm nostra memoria aduecta puto. Acrimonia simul & amaritudine excellit.

Thlaspi montanum uel Lunare. Vide Lunaria Græca.

Thymbra uera, R.K.C. Rurpodius. Vide in Satureia.

Thymelæa uera, K.R. quæ coccum Gnidium fert.

Thymus uulgaris, R.O.G.K. Non benè durat apud nos. Hyeme seruandus in uasis domi. Basileæ & alibi melius. Semen eius (teste Plinio) deprehendi non potest. Flore sato nascitur. Translatum ex Attica Thymum, & uix flore satum prouenit alibi, eodem teste: sed non durauit, afflatum maris requirens: quæ antiqua opinio erat de omni Thymo, ideoq; non nasci in Arcadia. Thymis quidem nunc etiam lapideos campos in Prouincia Narbonensi refertos scimus. Mihi è seminibus nuper plantæ aliquot natæ sunt. Ramuli inflexi radices agunt & propagantur.

Ti.

Tilia minor seu mas, G. **Steinlinden.**

Tiliæ in urbe nostra magnæ procerǫque collem Palatinum, quem uulgò Aulam (**den Hof**) nominant, quàm plurimæ decorant, pulcherrimo Tilieto: & extra urbem passim in fossis circa mœnia, egregiæ spectantur huius generis arbores: ut passim sub eis sedilia in umbra non desint senibus & aliis animi gratia obambulantibus. Harum maxima truncum habet inferius ea crassitie, ut si uiri duo mediocres amplectantur, dodrantes quinque adhuc supersint. Sed præcipue spectabiles sunt duæ illę huius generis arbores, quæ infra urbem statim ad Limagum uisuntur, media inter eas domo, cui planca utrinque iunguntur, in qua conueniunt qui sclopetis exercentur: ita digestæ, ut mensis aliquot in utraq; collocatis maximus conuiuarum numerus, tanquam in cœnaculis et tricliniis capiatur, infrà, suprà et circunquaq;, brachiis & frondibus Tiliarũ ambientibus, &c. Similes aut etiam elegantiores Scaphusiæ ad Rhenum demonstrantur. Omnes quidem sic formandæ arbores, ne trunco cubitos quatuor excedant curandum est, ut quicquid ab ea altitudine superest, totum in tabulata, siue brachia & ramos effundatur, sicut & de Quercu Basiliensi suprà dictum est, impietatis illo genere à quo & Impiam herbam denominauit antiquitas. Tilia utraque quòd in hortis Lutetiæ nunc spectatur, industria Bellonii fecit. Sexu distinguitur apud Theophrastum: ita ut mas sit sterilis, ramosior,

densior, materia flaua, & arida, &c. Fœmina fructum habeat, materia alba, &c. In syluis ac montibus nostris genera duo crescunt, **Linden & Steinlinden**: eadem, ni fallor quorum Theophrastus meminit. Abundat hæc arbor humore natiuo glutinoso: qui facit ut & longæua sit, (quanquam hoc etiam fructui debet, paruo scilicet & sicciori, ita ut minimè exhauriatur:) & in prima ætate flecti digerique facilius queat.

Tinctoria ex Antuerpia, R. Aliam puto quàm Rubiam intelligens: quoniam Rubiæ seorsim in catalogo eius mentio fit.

Tini, semen ex Italia Bellonius delatum mihi communicarat: sed non prouenit mihi. Hanc (inquit Plinius) syluestrem aliqui Laurum intelligunt: nonnulli sui generis arborem. Differt colore. est enim ei cœrulea bacca. Tini (inquit Bellonius in epistola ad me) permultæ mihi in hortis uirent, è semine enatę, hyemem minimè reformidantes: sed diu humi (sub terra) durant, antequam consurgant.

Tithymalus characias cognomine, O.K.C.Ae.G. Quià Fuchsio & Matthiolo pingitur. Nascitur circa Scaphusiam, Basileam, & Badam nostram, asperis apricisque locis. E semine aliquando mihi nata hæc, post biennium, si benè memini, periit. Cyparissias Matthioli, Pityusa aliorum est. Dendroides, Rurpodius. Hanc esse puto, quæ in sylua parum distante Argentina iuxta Carthusiam copiosè nascitur. Memini & supra Basileam in colle saxoso reperisse. Matthioli quoque Dendroides inter saxa nascitur. Helioscopius, C G. Passim in hortis & uinetis emicat ęstiua herba. Myrsinites uel Myrtites, C.Ae.O.K.G.R. Rurpodius. Pingitur à Matthiolo cum nuce, à Dodonæo sine nuce. Paralius, C.G. Rurpodius, qui à Matthiolo & Dodonæo pingitur. (quærendum an hic Cyparissias sit: Matthioli autem Cyparissias, potius Pityusa.) Nascitur frequens in Selandia, solo maritimo & arenoso. Pentaclonus à Cordo cognominatus, Ae. Is passim (ni fallor) sponte nascitur. Characias Tithymalus Matthioli, quem (ueluti rarum) à Luca Ghino se accepisse scribit, à Dodonæo etiam eodem nomine exhibitus: idémne sit, quem Dodonæus pro Pithyusa maiore pingit & Fuchsius, pro Tithymallo platyphillo, considerandum.

To.

Tordylium, O. Non aliud puto quàm Seseli Creticum intelligens, de quo suprà. Tordylium, C. Sentit autem de Tordylio Dodonæi, quod Caucalis Bellonii est. Vide in Caucalide.

Tr.

Tragacanthæ plantula unica, C.

Tragium, C. intelligit autem Dictamnũ uulgò dictam, id est, Fraxinellam, cuius radicem hircum olere aiunt. Sed aliud uidetur Tragium Dioscoridis.

Tragopogon in pratis nostris abunde crescit, duorum generum: uterque luteo flore. **Habermarck.**

Tragopogon puniceus, O. G. In aliis regionibus, Italiæ præsertim, luteus deest, hic abundat. Facilè nascitur, uiretque per hyemem. Aestate secunda flores & semina profert, ac perit.

Tragopogon peregrinus uel Hispanicus dici posse uidetur illa herba, quæ Hispanicè Escorsonera, hoc est Serpentaria dicitur, quòd contra serpentium uenena prosit: depicta in fine Iconum Stirpium Fuchsii cum breuissimis descriptionibus Hispanica lingua editarum nuper Antuerpiæ. Tragopogonis autem genus esse monuit me Petrus Coudenbergius pharmacopœus Antuerpianus percelebris: qui horti etiam sui catalogum misit. In Tarraconensi Hispania (nunc uocant Cataloniam) herba Mauri cuiusdam industria cognita est, quam uocant Escorzoneram, aduersus uenena præstans: quæ etiam strenuè morbis oculorũ auxiliatur. Vulgaris est in prouincia Carthagena, iuxta Darienem. Existimant eandem esse qua olim Ptolemæus liberatus sit, &c. Cardanus lib. 6. de rerum uarietate. His scriptis radices eius aliquot à clarissimo Lugduni medico Iac. Dalechampio accepi aridas ex Hispania ei allatas puto, tàm breui quidẽ tempore, ut, electa ex eis recentior una, in

horto

horto creuerit. Radix est dodrantalis, singularis & simplex, cortice tenui arboris librum referente obducta: quò facilè detracto aridæ, interior superficies fusca est, pars uerò intima albicat, aut etiam subruffa & in medio subflaua est, insipida, subdulcis.

Tragoriganum. Lege in Origano.

Tragus uel Tragium, maritima herba, O.K. & A. cui semina adhuc non protulit. Vide Scorpius.

Tribulus terrestris Dioscoridis, O.G. Facilè crescit, & semina maturè perficit, æstiua herbula. In Germania uix usquam sponte nasci puto. Tribulum terrestrem foliis Portulacę Matthiolus ait se uidisse Venetiis in maris litore, prope diui Nicolai sacellum, ab eo diuersum, quem exhibeo. Lucas Ghinus Pisis ad me misit. Quidam Carduum stellatum uulgò dictum, Tribulum terrestrem non rectè uocant. Aquaticus crescit in aquis profundis, cum alibi tum in lacu nostro superius circa Tungam, ut audio.

Trichomanes, G. Nascitur passim in syluis, locis saxosis & umbrosis: & in ueteribus muris fossarum urbis nostræ.

Trifolium simpliciter, quod & Asphaltites, id est, bituminosum ab odore cognominatur, O.K.G. Vu.C. Circa Monspelium sponte natum reperi. In Germania non nisi satum prouenit. In Area seminatum aliquando eadem ęstate mihi floruit maturè, sed semina ne ostendit quidem, nescio quo uitio: suspicor autem non debuisse tam citò florere: nam aliâs in uasis secunda demum æstate floruit, & semina perfecit: durauitque, ni fallor, tribus annis: cùm illud primò interierit. Folia ei minora rotundioraque sunt ante caulem: quo adulto folia angusta oblongaque in mucronē exeunt: ut Oxytriphyllum tum dici mereatur: quanuis hoc aliqui ueterum (ut Plinius) specie distingunt â duabus aliis unius generis speciebus.

Trifolium odoratum (Italorum,) R. Hoc Lotus syluestris uidetur, de qua dictum est suprà.

Trifolium caballinum, Stundkraut, Lotus satiua esse mihi uidetur.

Trifolium pratense seu uulgare, capitulis florum purpureis, in omnibus ferè pratis luxuriatur, albis per folia maculis. Circa Lugdunum speciem aliam uidere memini, quod Hęmorrhoidum cognominant aliqui, nigris maculis. Est & altera species maior, in collibus & aruis apud nos frequens, acri gustu, ut abscessu tertio calida uideri possit.

Trifolium uulgare albo flore in pratis & collibus nostris obuium durioribus & longioribus foliis albicantibus.

Trifolium pulchrum flore candido, K.

Trifolium marinum (maritimum) quoddam, Ae.

Trinitatis herba. Vide Hepatica aurea.

Triticum ubique in agris seritur.

Triticum Turcicum, Indicum, uel Bactrianum, Lege in Frumento.

Tu.

Tussilago, Vngula caballina uulgò, quanquam arenosa loca amat quibus aqua subest: nasci tamen in hortis etiam, et aliquot annis durare potest, locis umbrosis, G. Floret primo uere.

Va.

Vacaria Dodonæi. Vide in Lychnide.

Valeriana. Vide Phu.

Ve.

Verbena omnibus nota ubique nascitur & calcatur.

Verbenaca supina uidetur, quæ Consolida aurea â nostris dicitur, aliis Britannica. Planta incognita Romæ passim proueniens, aëris, florem cœruleum mense Septembri producens: foliis, floribus & caule ferè Verbenacam repræsentans, K.

Verbasci species diuersæ passim apud nos obuiæ sunt. Ex his Fuchsius pingit

candidum, quod in marem ac fœminam dirimit: & nigrum: & quartum quod syluestre uocat, foliis Saluiæ, &c. quam aliqui Blattariam uocant. Blattaria flore purpureo & citrino, C. Rurpodius. Verbasci nigri species uidetur Blattaria Plinio dicta, Goldknöpfle/Schabenkraut, Dodonæus. Saluia syluestris dicta Monspeliensibus, eruditis quibusdam species Verbasci syluestris, diuersa ab illa Matthioli, licet nõ multùm, Vu.G. Folia ei tanquam Saluiæ hortensis sunt, colore, figura & magnitudine: flores lutei. Hoc anno sata mihi quoque prouenit, & in uase nunc etiam hyeme uiret domi: sed iniuria quadam postea ante florẽ mihi periit. Aliud uidetur Verbascũ syluestre à Dodonæo exhibitũ, cuius folia Saluiæ foliis similia facit, maiora, molliora, &c. In Germania inferiore nusquã nisi in horto quodã instructiore sibi uisum ait: floribus luteis, quibus coliculi summi per interualla, ut in Marrubio, coronantur. Idem habet, C. Verbascũ maius, minus, albũ, O. flore purpureo, K. montanũ, idem. ex Apulia allatum, idem. Syluestre ex Italia, Zuuinggerus Basileæ.

Verbascula quorundam nos Arthriticas uocauimus.

Veronica uulgò dicta quibusdam, Erenbryß. Vide in Teucrio. Quæ propriè sic dicitur, mas uocatur à Fuchsio: fœmina uerò ab eo dicta, toto genere differre uidetur, Elatine quorundam, ni fallor.

Verrucaria, O. Seridis aut Heliotropii species. Quære in Seride.

Vetonica uel Betonica (Græci ferè per t geminatum scribunt.) Alia est supradicta, in B syluestris. Alia toto genere diuersa, altilis, coronaria: quam recentiores Tunici flores (Ocellum, Barbaricam) et Caryophyllos ab odore simili, uocãt. Nägele blümen. Species eius multæ sunt, magnitudine, colore, & foliorũ numero differentes: aut enim maiores, aut minores proferunt flores: eosq́; aut candidos, aut rubentes, aut uiolaceo ferè admixto purpureos, aut Rosæ syluestris colore, aut uarios & guttatos. item flore uel simplici, uel multiplici foliorum numero. Sunt in quibus flores bini iungantur, ita ut unus ex alio medio excrescere uideatur. Basileæ apud doctissimum uirum Con. Lycosthenem uidi in una planta flores triũ generum. Audio & plurium reperiri. Plantantur surculo auulso in uasis: & hyeme in cellas reponuntur. Seminibus seri non solent: ita enim putantur ad agrestem naturam redire: &, si multiplici flore cõstent, ad simplicem. Si florere prohibeantur initio, ita foliorum in floribus numerum multiplicari aiunt, præsertim si stercorentur & rigentur diligenter. Viuacissima est & plurimis annis edurans planta. Turnerus Cantabricã appellare uoluit: eamq́; in urbanam & syluestrem diuidere. Syluestriũ illa species quam uulgò nostri Graßnägele & Friesenegle uocant, ad Altiles proximius accedit, per omnia minor. Plantatur hæc in hortorũ etiam muris, nec metuit hyemem, uiuacissima & diu durans. Alia in petrosis collibus, & asperis, sabulosis apricisq́; locis nascitur: folio latiore, breuiore: Saponariæ simili, floribus permultis simul congestis. Steinnägele. Hanc Lindauiæ in Curtii horto alibiq́; uidi: & è semine natam nunc alo. Floret anno secũdo, pulcherrimis floribus: qui medio ceu orbe perexiguis punctis candidis ornantur. Syluestrem quoq́; reperi, si probè memini, ad ripas Gryphii lacus nostri. Aliqui puto Scarlatam uocant, tanquam à coccino floris colore. Tertia in pratis humidis emicat, folio multipliciter dissecto: unde à Germanis Mütwillen uocatur. Huic etiam similis species in hortis alitur à Dodonæo depicta. In Flammula, quam ab odore Caryophyllum uocant, frequens est apud Italos, ut ex maiore flore prodeat minor flosculus: duplices nominant, Scaliger. Mihi Flamma seu Flammula Theophrasti, genere differre uidetur.

Vesicaria. Vide in Halicaccabo.

Viburnum. Lege Lantana. Sic enim dictum Italis fruticem, aliqui Viburnum interpretantur: alii Vitem syluestrem causticam nostram.

Vicia inter segetes ubiq́; copiose prouenit: minori (angustiori & oblongiori) quàm Aphaca folio, tenuiori caule, flore in purpuram rubescente, siliquis longioribus, gracilioribus: semine non rotundo, sed latiusculo similiter lenti: quæ etiam Aphacæ seminum figura est, Galeno teste. Hæc Matthiolus qui utranq́; pingit. A-

phacen

phacen eius Dodonæus (in posteriori editione) Viciam facit: Viciam uerò ipsius Arachum nominat. Aphaca ubiq; sponte in Italia nascitur, & à multis etiam seritur ad columbarum saginam, Matthiolus.

Victorialis apud recentiores, alia rotunda dicitur, de qua leges in Gladiolo: alia longa, de qua dixi in Allio alpino.

Vinca peruinca. Vide Clematis.

Viola simpliciter dicta, uel nigra cognomine, Martio mense apud nos erumpit circa urbem copiosa, iuxta sepes præcipuè. Theophrastus libro 6. tradit posse eam toto anno florere, sicut & Oenanthen, si certa ratione curetur: qua etiam Dasypodion cognominatum, (Dasyphyllum mallem) hoc est, multiplici flore hoc genus euadit, frequẽtius apud Gallos & Sabaudos, nobis rarius. Ego à Sabaudis primùm huc attuli, nunc multis in hortis habetur: est enim uiuacissima herba, & radicibus sese propagat. Flores diuersis anni partibus edit, semina nunquam. Syluestrior species flore ferè nullius odoris est, minoribus & acutioribus foliis, flore maiusculo & dilutiore, radicibus magnis repẽs & circunquaq; se propagans. Rarior est albo flore, quanquam satis frequens nobis. Rarissima luteolo & minore, in syluis & montibus interdum apparens.

Violæ nigræ persimilis flos, quem aliqui trinitatis cognominant. A colorum numero, nostri septenos ei colores, uulgari nomenclatura Heptachrum appellantes, attribuunt: inodorus, sola colorum elegantia & uarietate placet. Aliqui non rectè Antoram, Dodonęus Violam flammeam: aliqui Iaceam, fortè quòd humi iacere uideatur. Crescit in aruis inter Triticum & alibi, ut in montibus quoq;. Aruensis minor, minusq; pulchris coloribus est: hortensis elegantior, siue cultus ratione, siue quòd species diuersa sit: ex mõtibus fortè translata: montani enim hi flores maiores sunt. & albi quoq; luteiq;, maiori ex parte, syluestres inueniuntur.

Viola alba, Leucoium Græcis dicta. Vide in L.

Viola equina Sueuis dicta. Vide Calathiana uerna.

Violam flammeam Dodonæus, ut dixi, florem trinitatis uel Heptachrum à nobis dictum facit. Aliqui Indicum florem appellatum: neutram sententiam approbo: ut neq; Scaligeri, florem Caryophyllum uulgò dictum interpretantis.

Violæ è Flandria, K. Leucoiorum forte genus aliquod intelligens: Fuchsii Matronales.

Violam fruticosam à se primùm inuentam (in montibus ni fallor) Franc. Calceolarius pharmacopœus Veronæ ad Campanam auream percelebris, nigræ communi per omnia similem, nescio an etiam odore, in horto educat.

Viola Mariana. Vide Medion.

Viola matronalis Fuchsii, (apud Dioscoridem nomen hoc inter Leucoii nomẽclaturas est,) ficto ab eo nomine. Aliqui Violam hyemalem uocant, interpretantes Germanicum nomen **Winter violen**. Brabanti **Mast bloemen**. nostri **Pfinstnägele**, quòd circa Pentecosten floreant. Solerius Gallus Hispanicam Violam. Aliqui Hesperidem ueterum interpretantur. Flores fert anno secundo albos, interdum roseos aut subrubentes quod rarius est. In plerisq; hortis apud nos inuenitur. Inueni & syluestrem si probè memini, olim supra Liechstalam oppidũ Basiliensiũ.

Virga aurea uulgò ab Italis dicta, Solidago Sarracenica Fuchsio. **Heidisch Wundkraut** Germanis, (forte Panaces Chironium cui Lapathi folium tribuitur, &c. nisi id potius Doria circa Monspelium dicta est.) Nascitur passim apud nos locis siccis & apricis circa syluas, & alibi. In hortum quoq; translata, aliquandiu durat. Aliam eius speciem uidi in mõte supra Sanam casam (uulgò Salgansam) oppidũ, in quo fodina ferri est, longioribus & angustioribus foliis: quã Argentinæ etiã in horto Massarius medicus alit. Sunt qui Lysimachiũ luteũ Virgam auream nominent.

Virga sanguinea. Vide Sanguinea.

Viscum nec natura prouenire puto, nec ab homine seri posse. Serunt id aluo imprudentes turdi, ipsi malum sibi.

Vitex est in Agno.

Vitium differentiæ non paucæ sunt apud nos: sed plures in calidioribus regionibus, ubi uuæ melius percoqui possunt, maiore hominum cura ut diuersa & generosa uina nascantur. Nostra ferè omnia acerba sunt, idq; eò magis quò propius ciuitatem nascuntur: paulò remotius enim nascentia, (ubi montes non impediunt & ut prorsus non nascantur in causa sunt,) pleraq; mitiora sunt. Quoniam ciuitas nostra non solùm frigidis Aquilonibus ut finitimi tractus, exposita est: sed Austros etiam natura tepentes, frigidos experitur: quod eis accidit (Austris inquam, ut refrigerentur) dum alpes perpetuis rigentes niuibus perspirant. Apud Vuallesios nostros multa & generosa uinorum genera nascuntur. Ciui cuidam nostro è uinaceis natæ uites aliquot, post annos aliquot bonas uuas protulerunt. Mihi etiam è uinaceis uuarum passarum maiorum quas Cibibas uocant: ac minorum (in quo genere rari sunt acini qui uinacea habeant) prognatæ uites quinto iam anno durant, necdum fructificarunt. Vuæ bonæ uarii generis, præcipuè tamen albæ, magnæ, quas Cibebas uocant, Vu. Muscatellinæ ex Vngaria, Vu. Aliæ ex Vngaria, acinis longis admodum: appellant ab ea figura **Geißdutten**, Vu.

Vitis syluestris quæ Labrusca dicitur, non aliud à satiua differt, quàm quòd cultu destituta est, ut Marcellus Vergilius sentit: sed cùm propter omphacium (quod uulgò agrestam uocant,) à Gallis & Italis colatur, nec tamẽ agrestem suam naturam deponat, specie etiam differre uideri potest. Huius species una fructum non perficit, sed florem duntaxat quem œnanthen uocant. Altera fructum fert acinis exiguis, nigris, astringentibus. Labruscæ flores (inquit Marcellus Vergilius) nunc etiam condiendis & odorandis uinis diligenter leguntur. Audio in Alsatia Labruscam racemiferam sponte nasci: sicut & circa Brugam oppidum ad Arulam flumen, tum albis tum nigris acinis. Apud nos quidem nec sua sponte nascitur, nec colitur à quoquam, quòd uel ex satiuis Vitibus uuæ nostræ satis acerbæ sint, & quanquam annis tepidioribus uina mediocria, interdum etiam optima nascantur: acerba tamen et quæ omphacii instar sint, nunquam desunt à superioribus annis seruata.

Vitis syluestris caustica, (flore enim, semine, cortice & radice uim urendi habet,) passim sepes nostras inuoluit, & in syluis arbores scandit: Clematidi plane cognata: quare à nonnullis recentioribus similiter Flammula nominatur. Sunt qui ueterum Viburnum faciant. Matthiolus, ni fallor, non distinguit.

Vitis alba syluestris Bryonia, R. K. G. Suæ spontis passim inter sepes reptitat, circa Basileam, Brugam, alibiq;: in agro Tigurino, quod sciam, nulla. Semine aliunde misso iam aliquot in hortis luxuriatur. Radix ei prægrandis & uiuacissima.

Vitis nigra syluestris, O. G. si modo est eadẽ quæ Tanus Plinii, quam Matthiolus pingit, quamuis radicem non probè, fructum uerò omittit: & capreolos addit, forsan descriptionem Dioscoridis in hoc non naturam secutus. Ego cum capreolis nunquam uidi, sed uiticulis tantùm suis flagellisq; se circumuoluentem. Aut igitur Dioscorides lapsus fuerit ἕλικας in hac planta nominando: aut non propria significatione usus: aut Vitis nigra Dioscoridis hęc non erit. Accedit quòd fructum eius primò uiridem, in maturitate nigrum facit: cùm Tani acini post uiriditatem semper rubeant. Item quòd Dioscorides minus efficacem huius uitis radicem facit, quàm albæ: cùm Tani radix exulceret, quod meo periculo didici, Vitis albæ non item, aut non adeò. Interim hanc Vitem nigram esse non negabo, aut proximam ei speciem: quoniam non inuenio aliam quæ propius ad descriptionem accedat. Sponte nobis abundat in syluis & mõtibus proximis, **Schmärwurtz** nomine uulgò nota, quod alibi Viti albæ attribuunt. Vbi nascitur, aquam subesse significat ut plurimùm, ni fallor: quamobrem Ruellius Malacocissum Democriti hunc esse coniicit, alibi uerò Cyclaminum alteram Dioscoridis. Tanus, alias Tamus dicitur (Italis hodie uulgò Tamaro) unde & Taminia uua, quanquam ea Celso Staphisagriam herbam significat.

Vitis Idæa, **Heidelbeere** uulgò, ut primus ego obseruaui, & uiros aliquot eruditos consentientes inueni. Aduersatur quidam de re herbaria bene meritus: & Vitem

tem Idæam interpretatur illam quæ Passulas Corinthiacas uulgò dictas ferat. Ego nobilissimum illud uuæ passæ genus non in Ida, nec aliis præaltis niuosisq; montibus nasci putarim: sed uel in planicie uel collibus apricis, magna hominum cura. Vitis Idæa, (inquit Theophrastus Hist.3.17.) est fruticosa: uirgis paruulis & ramulis cubitalibus penè exporrigitur: quibus acini laterales nigri adhærent, magnitudine Fabæ, dulces, uinaceorum instar aliquid (γιγαρτῶδές τι) intus continentes, folium rotundum, indiuiduum paruumq;. Transtulit hunc locum Plinius lib.14. cap.3. sed parum feliciter, & pro Idæa Alexandrinam posuit, &c. Non mirum est autem suffruticem montanum Vitis nomine appellatum: quando & Ficus & Laurus et aliarum arborum nomina suffruticibus propter aliquam similitudinem tribuuntur, &c. Genera huius suffruticis duo reperiuntur, magnitudine tantùm diuersa. Conatus sum aliquoties frustra, tum semine sato, tum frutice translato è syluis, in hortulo meo alere. Anno quidem superiore in horto Petri Figuli Lithotomi amici mei plantatus uiret etiamnum, nescio an duraturus, nōdum flore aut fructu edito. Durum, macrum, editum & uentis expositum solum amat.

Vitis Idææ species altera acinis rubris, foliis similibus, in altis montibus Heluetiorum nascitur: & in horto, C. Ipse in catalogo Vaccinia rubra uocauit. Pinguntur à Dodonæo bis, altera icone meliore.

VI.

VImi perpaucæ apud nos sunt, exiq; paruæ, ex montibus proximis puto translatæ. Videre memini paulò infra Albii nostri cacumen.

Vr.

Vrtica syluestris maior & minor, ubiq; notissima est. Mascula uel Romana, R. O. G. Sponte apud nos non crescit, semina maiora habet, & ueluti cōglobata. Sunt & Vrticæ mortuæ uulgò dictæ, non urentes, nec unius generis, passim obuiæ.

Vu.

Vua crispa. Vide Ceanothus.

Vulneraria appelletur à nobis herba, (uel Consolida aut Sideritis,) cognomine rustica, passim in pratis siccis & collibus crescens, foliis circa radicem Lapathi pratensis ferè figura, minoribus, multis, crassis seu carnosis, trientalibus, subacidis: caule uno & altero, pedali, in cuius medio folia minora, seu multifida sunt, in summo corymbi luteorum flosculorum, qui in quibusdam ceu folliculis mollibus, albicantibus, hirsutis pluribusq; confertis, continentur. Radix subest singularis, alba, capillata. Hanc herbam literis hactenus quod sciam nullis celebratam, multis uerò experimentis apud rusticos nostros nobilem, Vulnerariam (ut ab aliis Consolidis uulgò dictis distinguatur) rusticam nominemus. Quidam Germanicè simpliciter **Wundkraut** uel **klein Wundkraut**, in Bernensium agro **Gachheil** (ut alii Anagallidem) nominant.

Vuularia. Vide in Rapo syluestri.

X.

Xanthium passim circa oppida & in ruderibus reperitur, G.

Xylum, C. hoc & Gossipium uocant, è cuius fructu lana uulgò arborea dicta carpitur. Bononiæ in Lucæ Ghini hortulo uidisse olim memini. Herba est, foliis Vitis, &c.

Xyris. Vide Spatula.

Z.

Zambach. Vide Iasme.

Ziziphus, uulgò Iuiuba (Z in I mutato,) C.

Ziziphus alba in Oleastro est.

FINIS.

AD LECTOREM.

His ferè perscriptis accepi catalogum Stirpium instructissimi horti Ioannis Schmidlappii egregii mercatoris & ciuis Schorndorfi in regione ducis Vuirtembergensis, quem hic subnectere libuit, non omnibus, sed rarioribus tantùm in eo nascentibus commemoratis.

Absinthium Rom.
Acanthus uerus.
Acetosa rotunda.
Aethiopis.
Alcea hortensis.
Alkali herba.
Alyssus Dioscoridis.
Amaranthus Plin. magnus: alius ceu pinnatus, mit langen federn: alius ceu cristatus, pulcherrimus, mit hanen kemmen.
Ammi.
Amomum falsum. Plinij puto iuxta aliquos.
Anagyris minor.
Antirrhinum floribus rubris, albis, roseis, luteis.
Aristolochia rotunda, uera nimirum.
Asphodelus uerus, aliâs marinus.
Atractylis: alia Antuerp.
Balsamina.
Barba hircina purpurea.
Braßica mar. i. Soldanella.
Buphthalmus.
Calendula multiplici flore.
Chamæleo niger.
Caryophylli Turcici rubri, Vetonicæ altilis species ni fallor.
Centaurium maius.
Cerintha Plinij.
Chamæmalum nobile.
Charancia uulgò dicta.
Cistus fœmina.
Citrullus.
Conyza uera odorata, alia maritima.
Coriandrum Venetum.
Coronopus.
Cucumis erraticus.
Cucurbitæ species rara, muschelkürbis oder Schwumkürbsle.
Cyclaminus minor.
Cyperus.
Delphinium purpureum et album.
Dictamnus falsò dicta, id est Fraxinella.
Digitalis Fuchsij maior & minor.
Doronicum.
Elleborus albus.
Elleborus niger uulgaris.
Eringium: aliud marinum: aliud montanum, diuerso ab alpino nostro.
Eupatorium Mesuæ.
Frumentum cum spica grande, surculosum.
Gentiana.
Gladiolus albis floribus.
Gladiolus Indicus.
Gratiola.
Heliotropium minus, Verrucaria.
Hordeum nudum.
Horminum uerum.
Hyacinthus Fuchsij cœruleus & albus. Hornungs blůmen mitt sternlinen blaw vñ weyß.
Hyoscyamus albus.
Hyssopus moschi odore.
Iasminum albis floribus.
Indicus flos communis: eiusdem species maior flore multiplici: & minor similiter.
Iris syluatica parua, flore cœruleo, seminifera.
Lachryma Iodoci uel Iobi.
Lapathum Sabaudicum.
Leucoia alba, punicea, rosea. Welsche sommer veyel.
Linum hyemale.
Lupini syluestres.
Malua crispa.
Marum.
Medica Parisinorum, alia lutea: alia minor.
Medium.
Melansana punicea et alba.
Melilotus Italica.
Melissa maior.
Melones zuccarini.
Melopepones.
Meum.
Milium nigrum.
Narcissus uerus: alius cœruleus.
Nigella Damascena: alia lutea.
Pæonia mas: item fœmina rubra & punicea.
Papauer crispum.
Papauer spumeum falsum.
Petroselinum Macedonicũ.
Phalangium.
Phalaris.
Piperis arbuscula.
Piper Indicum uulgò dictum.
Pisa capitata.
Polium montanum.
Poma amoris lutea, rubra, & tertium genus croci rubore.
Pomum S. Iohannis fortè arbor Ceratia.
Priapeia.
Psyllium uernale.
Pyrethrum: aliud odoratũ.
Rhodia radix.
Rosæ Lugdunenses: aliæ multiplices: aliæ luteæ.
Sanguis draconis Lapathi species.
Satureja alba.
Scarletæ flores. Est autem species Vetonicæ uel herbæ Tunicæ syluestris.
Scolymus spinosus: alius læuis.
Scoparia Studenten kraut.
Scordium.
Sesamoides.
Siciliana.
Smilax (uel potius Conuolulus) cœruleus.
Solanum Indicum.
Spatula fœtida: alia media: alia minima, omnes seminiferæ.
Stachys.
Stichas Arab.
Struthium, nescio quale.
Thlaspi Creticum.
Thymus.
Tithymalus myrtites.
Trifolium aureum uulgò dictum.
Trifolium bituminosum.
Vetonicæ, uel herbæ Tunicæ syluestris species, ut puto, Steinnägele: alia Gesch t winter nägele.
Viola Martia multiplici flore.
Viola matronalis Fuchsij alba & rosea: Winter veyel.

FINIS.

CATA-

CATALOGVS PLANTARVM

HORTI CLARISSIMI VIRI PETRI MICHAELIS ciuis Veneti, in uico S. Geruasii: quem Italicè scriptum ab amico ante annos quatuor ferè accepi.

Acanthus radicis glandiferæ.
Aegolethros Plinij.
Alaternus Plinij.
Alimus Crateuæ.
Alliaria alpina.
Aristolochia radicis crassæ.
Actea Plinij.
Aspalatus uerus.
Asphodeli species aliquæ.
Balanus Myrepsica.
Batrachium, Ranunculi species.
Bellio Plinij.
Canellæ, seu Cinnamomi uulgò dicti, folia.
Carduus nobilis.
Carus.
Caryophyllorum ex Oriente folia.
Cedroncella, species Nigellæ.
Cepæa.
Chersium (fortè Corsium, quod est radix Loti Aegyptiæ) Theophrasti.
Chondrilla Plinij.
Chrysogonum.
Corniola, Lutea Plinij.
Colocynthidis duo genera.
Daucus Creticus.
Dictamnus marinus.
Elatinæ secunda.
Epimedum.
Eupatorium Mesuæ è Syria.
Faba Aegyptia.
Faseolus purpureus Indicus.
Ficus Aegyptia.
Fœnogræcum recentiorum.
Folium, Dioscoridis nimirum.
Galeti, si rectè lego, nescio quid.
Gingidium Plinij, si rectè lego.
Hyacinthus, Tulipa Turcarum, uel Lalle.
Hyoscyamus Aegyptius.
Hyssopus quædam, uel Serpyllum rectum.
Lichen Plinij.
Lilium Alexandrinum.
Lonchitis prima et secunda.
Lunaria Borissa, species Centaurij minoris.
Lycium secundum Indicum.
Mandragoras mas.
Melongena uel Mala insana spinosa.
Musa.
Narcissus flore multiplici, è Constantinopoli.
Narcissus luteus, species Tulipæ Turcicæ. Alius luteus autumnalis, species Colchici.
Nardus montana uera.
Osyris flore cœruleo aut uiolaceo.
Panaces Chironium Theophrasti.
Polycnemum.
Pyramidalis quædam planta.
Quadrifolium.
Radix Idæa.
Rhaponticum.
Rosæ moschatæ, sine spinis.
Sanicula fœmina.
Sebastus ex Oriente.
Sedum maius Dioscoridis.
Sedi plures species.
Sementina ex Oriente.
Sion Plinij.
Sisari plures species.
Smilax lenis ex Creta.
Spina ceruina.
Staphylodendron puto: nã Italicè scribitur Albero de l' uua
Tomentaria è Creta.
Traßi uel Dulcichini.
Verbascum uiscosum è Creta.
Et aliæ quædam incognitæ, uariæ.

FINIS.

CELEBRATVR ET Ducis Florentini hortus: in quo præter alia pulchra aut rara, hæc etiam uisuntur, ut audio.

Myrtus laurea.
Laurocerasus.
Laburnum.
Solanum somniferum uerũ.
Genistæ species trifolia, quã aliqui non rectè pro Cytiso accipiunt.
Thapsia.
Ferula.
Smilax læuis uera, quam et in monte Atho sibi uisam Bellonius ait.
Caprifoliũ Memphiticũ, ut Bellon. uocat, quod circa Memphidem Aegypti in sepibus prouenit, apocyno simile, liquore etiam albo manans, ut illud croceo: sed amplexicaule & in altum ascendens: species Smilacis læuis aut apocyni.
Herba baccifera, folio Siliquastri Fuchsij, &c.

FINIS.

CONRADI GESNERI APPENDIX

LIBRI SVI DE HORTIS GERMANIAE, AD FRANciscum Calceolarium, pharmacopolam Veronensem ad insigne Campanæ aureæ.

POSTQVAM Dominicus Monthisaurus, (uir non solùm felici artis medicæ usu summus, sed etiam philosophus præclarus, & Græcis Latinisq; literis instructißimus,) mutuæ nobis amicitiæ, humanißime Calceolari, author fuit, multa ab eo tempore beneficia tua copiosè & liberaliter in me collata percepi. Quæcunque enim in genere Stirpium & uniuersa materia medica abs te petij, ea iam aliquoties cumulatißimè, & magno semper petitionis meæ fœnore ad me misisti: uti cùm aliâs, tum proximo uere proprio ad te nuncio tam longinquo itinere misso, qui Stirpes aliquas rariores tutè citoq; abs te mihi adferret, benignißimè sum expertus. Et quanquam ego perparum uicißim mitto, (quoniam regio nostra parcißima fert, & ego negocijs alijs occupatißimus operam rei hortensi, ut uellem, dare non possum: ac uix unus aut alter præter me apud nos huic cultui deditus est,) non tamen idcirco desistis, & noua subinde donas, quæcunq; occurrunt, quod quidem bonitatis tuæ, & syncerae amicitiæ, non uulgaris illius, quæ utilitatem magis quàm uirtutem ac honestatem spectat, argumentum illustre est. Exigua certè

sunt quæ Germani præstare possunt hac in parte, nisi ab externis adiuuentur. Plurima eorum quæ ueteres descripsere Germania non fert, ut in Stirpium, ita animantium quoq; præsertim aquatilium, genere. Scripserunt enim illi ferè de maritimis, aut non ita procul à mari, mediterraneo maximè, nascentibus plantis, cœlo calidiore & sicciore: sicut etiam de piscibus mediterranei præcipuè maris. Germania uerò nostra in frigido humidoq; tractu procul à mari abest: & maritimæ aliæq; peregrinæ stirpes in ea neq; sponte nascuntur, neq; ex seminibus facilè, enatæq; uix durant: maritimæ autem eius ad Oceanum oræ, quæ à nobis alpium accolis longißimè distant, perpauca (ut audio) proferunt, partim ob cœli frigiditatem, partim (ut conijcio) quòd perpetuis ubiq; Euripis litora obruantur. Quare tantilla hæc, etiam imperfecta, boni consulenda sunt: præsertim inter hæc renascentis nuper harum rerum cognitionis principia. Principij enim ubiq; uis et authoritas summa est, etsi re ipsa perexiguum aliquid sit. Sed hæc finamus. Propter ingenuam quidem animi tui erga me liberalitatem, cùm his diebus Appendicem libelli mei De hortis Germaniæ meditarer, illam utcunq; exilem & extemporaneam, tibi potißimùm, tanquam & amico summo, & optimè merito, & in re hortensi diligentißimè uersato, dedicandam existimaui. Nam qui tantilla hæc, quæ antea ad te misi, grato animo acceperis, hunc etiam utcunq; breuem & leuißimæ operæ libellum, non aspernaturum te mihi promittebam. Non tam autem ut publicè beneficijs tuis obligatum me profiterer, dedicatiunculæ huius, quæ longè infra merita tua est, consilium cepi: quàm ut hac occasione te incitarem ad maius subinde Stirpium reiq; hortensis studium: quod ego certè præclarum, & magnanimitati coniunctum esse statuo: quippe quod ad honestam oblectationem, & gloriam, magis quàm ad lucrum aut commodum priuatum referatur: & non solùm præsentis æui homines, sed ipsam quoq; posteritatem iuuet: id quod magnanimi uiri proprium est, isq; in hoc ipso liberalis, qui præsentes tantùm spectare uidetur, laudes excellit. Etsi enim herbarum generis pleræq; anno uno aut paucis durent, nec ad posteritatem numero, speciē tamen seminibus conseruata, transmittuntur. Arbores autem plantatæ uel insitæ semel, plurimis annis edurant, & ad posteros transeunt. Præter uoluptatem uerò, quam ijs quæ terra eduntur aspectandis, capimus, magna à plerisq; uel utilitas uel neceßitas ad uitam ualetudinemq; hominis conseruandam aut restaurandam manat. Proprius quidem studiosorum naturæ ex eis fructus hic est, quòd cognitis hac occasione plantis, ueterum de eis scripta legendo non sine magna uoluptate intelligunt. Nam quæ ignores legere quid oblectet? Scire autem uel per se pulchrum & expetendum est. Sed hac de re uerba facere non institueram. Præsentis instituti hoc est, tibi optimo summoq; Hortorum conditori & cultori, dedicandum de re hortensi argumentum conuenire. Tu enim pulcherrima hac Stirpium cognitione non modò plerosq; seculi nostri pharmacopœos, sed ipsos etiam medicos quàm plurimos longo post te interuallo relinquis. Tu non proprium modò hortum Veronæ uarijs & raris plantis conseuisti, & prædium iuxta excelsum montem Baldum diligentißimè colis: sed etiam in nobilißimi cuiusdam urbis uestræ patricij palatio hortum multis pulcherrimisq; Stirpium generibus mirificè exornasti, ita ut ciuium simul & peregrinorum admirationem spectantium mereatur. Hoc superius à me dictum oportebat, Appendicem hanc à me scriptam esse, cùm liber meus De hortis Germaniæ ad finem operum Val. Cordi Argentinæ imprimendus, ad manum non esset: nec reuocari, typographo ad operis finem festinante, ut suis quæq; locis alphabeticæ seriei insererentur, posset. Itaq; seorsim potius consignare uolui, quæ ab eo tempore quo librum misi imprimendum uel in meo plantaui horto, uel in aliorum catalogis obseruaui, quàm omninò omittere. Nec pudet me operis imperfecti, quod primus ego inchoaui neminem in eo secutus: in hoc præsertim argumento, quod nulla fortè ætas perficiet. Nullus enim nouas plantas inueniendi finis est: nondum omnes nostri orbis nouimus, aut ad hortos traduximus, nedum alieni. Sed cùm infinitus homini hic labor sit, modus aliquis statuendus est: ut tandem postquam multas uariasq; Stirpes colere tentatum fuerit, pulchriores utilioresq; tantùm, & quæ cultum facilius admittant, durentq; melius, recipiantur in hortos: cæteris suæ naturæ relictis. Tu quidem, charißime Calceolari, non solùm terræ hærentes Stirpes plerasq; omnes & nosti, (ut suprà dixi,) & suis designare tum antiquis tum recentioribus aut uernaculis nominibus potes, & rarissimas quasq; in hortis alere soles: sed etiam in instructißima officina tua Veronæ, optimas lectißimasq; plurimas, ut et reliquam materiam medicam selectiorem, recondis, nec ulli ad hanc rem sumptui parcis. Quod facilè animaduerti nuper, cùm ex multis simpl. medic. quibus recenter ad THERIACAE antidoti compositionem usus es, specimen singulorum liberaliter mihi communicasti: qualia sunt, Folium uerum, (sicuti uocas, antehac mihi non uisum, Nardo aut Celticæ cognatum ut coniicio:) Scordium Creticum, Thymus capitatus, Dictamnus Cretica suis cum floribus, Marum aut Amaraci siue Sampsuchi genus è Creta. Proueniunt autem hæ, & aliæ quædam calidæ odorateq; herbæ in illa insula, multò, quàm quæ alibi ferè nascuntur odoratiores, acriores, & magis albicantes aut lanuginosæ. Quam obrem Galenus è Creta potißimùm ad Theriacæ mixturam accersi uolebat, quanuis multò meliores nostris quæ in Germania nascuntur, huiusmodi herbas paßim circa Romam nascentes & aliunde habere potuisset: cùm uniuscuiusq; generis optima quæq; ad præstantißimam hanc antidotum deligenda rectè censeret. Tuo quidem exemplo utinam etiam nostri pharmacopolæ moti, ad hanc antidotum parandam, & alias quoq; maioris precij compositiones, cùm prædictas herbas è Creta, tum aliunde quoq; optima quæq; selecta haberent: qualia sunt ex cæteris quæ ad me misisti Ammoniacum, Thuris masculi glebarum æmulum, syncerum ac purum, cùm frangitur splendens, &, si mandas, lactea albedine insigne, subamarum. Myrrha odoratißima, bene amara, pinguis ac tenax, superficie squalida & ueluti rubiginosa, minutis glebis, quæq; confracta intrinsecus unguium ferè modo albicantes uenas ostendat. Sagapenum ruffum, perlucidum, acerrimum, Porri ferè odoris. Liquor panacis purus, & plerisq; à Diosc. attributis optimo notis, conspicuus. Ac similiter Galbanum, idq; adeò pingue, ut digitis statim lentescat. Bitumen Iudaicum uerum, uitreo splendore, odore in hoc genere grauißimo. Terra Lemnia (seu sigillata uera) è Byzantio, difficilis acquisitu.

in

in pastillis tenuibus, rubicundis, capræ effigie insignibus. Bolus Armenia uera, subflaui coloris, (quales etiam lineas in charta ducit, si affricetur,) substantia æquabili, simplici, & minimè arenosa, solida uerò & duriuscula ut marga: cauendumq; ne margæ aliqua species falsò substituatur Deniq; pastilli, quos tu ipse scitißimè parasti, Hedychroi Scillitici, & è Viperis. Hæc & alia omnia, quæ ad perfectæ ferè (propter paucissima enim quibus destituimur medicamenta, & quibus alia iisdem uiribus prædita substituuntur, non absolutè perfectam dixerim) Theriacæ apparatum requiruntur, omnes totius inclytæ ciuitatis Veronæ excellentißimi medici, circiter uiginti numero, in officina tua diligentißimè singulatim inspexerunt, examinarunt & approbarunt, idq; magna cum solennitate: & ipsam tandem antidotum permixtam suo in uase ad tempus conueniens fermentandam sigillarunt. Itaq; publico ciuitatis instrumento, fidei diligentiæq; circa hanc antidotum summæ testimonium illustre tibi exhibitum accepisti. Quo nomine equidem tum tibi, tum seculo nostro gratulor, et ad tuũ exemplum ac similis gloriæ æmulationem, pharmacopolas omnes adhortor. Tibi quidem in uniuersa simplicium medicamentorum notitia excellere facilius est, quòd & in urbe tecum multos clarißimos medicos, tibi coniunctos habeas: & locupletes magnificosq; homines tui amantes, harum etiam rerum studiosos: & phœnicem illum rei herbariæ Anguillaram illustri Patauino horto præfectum, compatrem tuum, magna tibi beneuolentia propensos: ut taceam defunctum illum nuper Iulium Moderatum Arimini pharmacopolam percelebrem, in omni plantarum genere exercitatißimum & horto instructißimo nobilem, tibi quàm amicißimum fuisse, & alios quàm plures. Accedit regio uicina uariarum Stirpium genere abundans. Interim uerò etiam alij pharmacopolæ, cùm hodie tot occasiones discendi cognoscendiq; omnem materiam medicam, ex libris simul & præceptoribus extent, quot nulla unquam retro ætate, nihil suæ inscitiæ prætexere debent aut possunt. Sed finem faciam huius epistolæ prolixioris quam proposueram, quanquam Appendici tantillæ conueniat, si prius te rogauero, ut sicut ego Stirpium in Germaniæ hortis nascentium Enumerationem qualemcunq; confeci: ita tu quoq; idem in hortis Italicis conêris, aut si tantùm à tuis occupationibus ocij non datur, amicorum aliquem ad id horteris. Erit enim & iucundus & utilis posteritati is labor, præsertim si quæ ad culturæ quoq; rationem faciunt tum communia tum peculiaria præcepta adijciantur. In Gallia certè idem facit consultißimus ille totius ferè naturæ Bellonius, qui Gallicum De hortis & propagatis sua opera plantis, imò syluis, librum non ita pridem edidit. Et nostro excitati exemplo in Hispania quoq; alijsq; regionibus forsan idem tentabunt eruditi aliqui homines: unde paulatim non hortensium modò Stirpium, sed etiam syluestrium quæ in hortos transferuntur, cognitionis, copiosa fiet accessio. VALE, ornatißime Calceolari, & clarıß. uiro Dom. Monthisauro me commenda, cuius in me beneuolentiæ ac beneficiorum perpetua apud me uiget memoria. Tiguri Heluetiorum Cal. Iunij. Anno M. D. LXI.

OBSERVANDA QVAEDAM

in uniuersum ad rem hortensem.

PROPRIVM bulbi est, ut non omnia semina eodem anno germinent: sed quædam primo, alia secundo anno: sicuti & de Auena aiunt, & Loto (herba nimirum:) quod quidem si uerum est, aliis etiam nonnullis commune fuerit, Theophrastus De causis. Plura autem leges huius argumenti, lib. 7. cap. 1. Historiæ.

Seminum multa genera principio hyemis superioris, circa D. Martini diem, terræ mandaui, experiundi gratia quænam ita melius prouenire & fructum sequenti æstate maturare possent, quàm uere sata. Nolui autem citius serere, ne ante hyemem germinarent, & tenellæ plantæ enatæ mox frigore perirent. Sed non successit. subsequuta enim hyems tã aspera longaq; fuit, ut semina frigoris ui in terra periisse arbitrer. Vites certè apud nos alibiq; non paucis locis, ut in Italia quoq;, sicut audio, ubi & Ficus & Oleæ, plurimæ hyemis iniuria perierunt: & ex peregrinis plantis quas sub hyemem in cellaria reponimus apud nos pleræq;, Libanotides coronariæ imprimis: quas etiam in Sabaudia, unde ad nos adferri solebant, in hortis sub dio relictæ, prorsus interierunt: & multæ peregrinæ in magnificis hortis Augustæ Vindelicorum, quamuis parietibus undiq; muniti quidam essent, ita ut nullus externo aëri aditus daretur, & fornacibus accensis subinde tepefierent.

An flores ut densescant in hortis, duobus aut tribus annis non sunt permittendi florere: idq; primis statim annis, & teneris adhuc plantis incipiendum est, non iam adultis & confirmatis: nam & animalium corpora ut prima ætate castrationem melius ferunt, ita carnosiora euadunt: prouecta non item.

Rustici quidam laudant è loco macro & arido nouellas plantas fodi, in lætiore solo plantandas. sic enim facilius apprehendere eas & proficere putant.

Hortorum libros xxx. nuperrimè Lugduni edidit Benedictus Curtius Simphorianus eques in Ecclesia Lugdunensi, quos Ioannes Tornæsius typographus Regius excudit in folio, satis magno uolumine: in quibus arborum duntaxat historia continetur, partim ex probatissimis quibusque authoribus, (philologia etiam non omissa,) partim ex ipsius autoris obseruatione collecta, ut titulus pollicetur.

IOANNES VOLMARIVS pharmacopola eruditione & diligentia eximius, reique herbariæ peritissimis quibusque conferendus, Esslingæ (quæ ciuitas Imperialis est, Vuirtembergensi ducatui finitima) hortũ pulcherrimũ & instructissimum habet, in quo plurimis iam annis uarias & externas stirpes magno studio educat: quarum pleraque nomina, & si quid præterea ab eo circa singulas obseruatum est, ut ab ipso accepi, huic Appẽdici inserui, nomine eius modò integris literis scripto, modò V. tantùm initiali notato. G. uerò nostri nominis nota, nostros hortulos indicat.

Prædicatur etiam nobilis uiri CHRISTOPHORI PRAVNI rationibus salis à Cæsarea maiestate præfecti Halæ in Valle Oeni, &c. hortus amplissimus, & uario herbarum, fruticum arborumque genere locupletissimus: in quo uel Prunorum genera spectantur uiginti, &c.

STIRPIVM APPENDICIS

Enumeratio alphabetica.

A.

ABROTONVM fœmina Fuchsii, Absinthio Pontico eiusdẽ haud dissimile, V. Aliud fœmina, mari persimile, sed maius, latioribus & albioribus foliis, ignauius, G. Crescit Abrotonum quouis loco, sed melius efficaciusque aprico ac sicco, ut odorata & fruticosa lignosaque (φρυγανώδη uocant Græci) omnia: Hyssopus, Thymus, Sampsuchum, Absinthium, & huiusmodi. Abrotonum utrunque topiarium dixeris, non quidem propriè ut ea quæ duci flectique ad diuersas figuras facile possunt: fragiles enim eius ramuli sunt. sed quia putari & tonderi ad diuersas figuras facile sustinet. & rami resciscі aut taleæ, uel leuiter impacti, ad quamuis figuram, facillimè crescunt.

Absinthium maritimũ ad sex annos habui: nunc ad occasum uergere uidetur, V.

Absinthium Ponticum Fuchsii, non multi amaroris, (Vulgare quidem nostrum duplò amarius est,) sponte proueniens Tubingæ, astrictionis cuiusdam particeps. V. G. Album è Vallesia, uix ultra biennium in horto durans, G. Vide in Abrotono, Santonicum, Ollingerus. Alpinum humile, non diu in horto mihi durauit.

Acanthus mihi flores nunquam produxit, Volmarius superiore anno producendos sibi sperabat.

Aceris species tres, G. Harum unam uoco montanam, nostri uulgò **Lynbaum**: cuius truncum femoris ferè crassitudine, quatuor (& amplius) cubitos longũ, superna parte abscissum, proximo uere plantaui, prato mediocriter humido: qui nunc æstate pulchrè germinat, ita ut perfacile eam crescere & durare appareat.

Achillea, V.

Aconitum primum Dioscoridis, id est, Tera Valdensium, multis annis in hortis durare potest, ut in meo experior. In alio enim hactenus nullo uidi.

Aconitum cœruleum montanum minus, foliis hirsutis, subrotundis, minoribus, minusque incisis quàm cætera Aconita. **Bergritter spörle** in montibus Bernensis ditionis rustici uocant, à similitudine florum colore & figura ferè cum Consolida regali dicta. Est autem Napelli species. Napelli uerò nomen meretur non omne Aconitum (etiamsi Itali hodie uulgò non distinguant,) sed cuius radices ceu parui Napi sunt, G.

Aconitum pallido flore, Lupariæ, seu Lycoctoni nomine uulgò dictum, benè

in

in hortis durat, contra quam olim putabam: & multis, ni fallor, annis, G. Eiusdem species alia floribus albis, foliis minoribus, radice simili, nempe latiuscula, dissecta, G.

Aethiopis, G Aethiopidem habeo (inquit Volmarius) eandem cum illa quam Matthiolus pinxit: & pulchrè quidem conueniret cum descriptione Dioscoridis, si seminum uascula, bina tantùm semina caperent. Adhæc radicem uiscidam à Dioscoride ei attributam, non habet. Neque etiam exiccatæ cornu durities: aut saltem talis, qualis in Scolymi radice sentitur. Sic ille. Secundo anno, ut puto, flores & semina profert. Quærendum an Verbasci potius species sit, Thryallis scilicet uel Lychnitis.

Alcea Bononiensis, V. Sentit autem de illa, ni fallor, quam Alceastrum aliqui uocant: Tragus Alceam peregrinam seu Venetam.

Aloës herbam (inquit Val. Cordus lib. 4. De plantis cap. 110.) ex Hispania allatam plantaui, omnibus, quibus à Dioscoride describitur notis respondentem. Hyeme tamen ob gelu eruenda est, & in tepido aliquo loco suspendenda. Nam in aere quoque suspensa uiuit ac incrementum capit, cuius rei causa etiam amphibion appellatur. Non enim in Arabia Indiaque tantummodo prouenit, uerùm etiam maritimis Apuliæ & Hispaniæ partibus, sed faciendo succo inutilis. Hæc ille. Ego Aloës plantam paruam proxima hyeme tota habui, partim in calido hypocausto, partim in aëlio ei proximo frigido aut tepido ferè: demùm Aprilis die uigesimo cum uespere tepido pluuiam expectarem (erat enim siccior planta) exposui sub dio. sed pluuia subsecuta non est, & planta periit, foliis ceu coctis, & uirore omni amisso, etsi nox satis tepida fuerat. Nunc aliam habeo, tuum munus Calceolari charissime: quam solam nimii frigoris proximę hyemis iniuria tibi relictam, mittere ad me dignatus es. Eam aliquandiu suspensam domi reliqui. sed hodie primùm (Calendis Iunii) cùm radicem eius planè siccam animaduerterem, terræ immisi in uasculo, experiundi gratia: & forsan arenæ per se, aut cum terra permixtæ, immisisse præstitisset. Audio aliquos multis annis domi suspensam seruare, arena tantùm, quæ interuallis irrigetur, linteo alligato circumposita.

Amomum officinis falsò dictum, V. Hoc (inquit) quibusdam Petroselinum Macedonicum uidetur, aliis Sison.

Anagyris, G. cubitalis ferè. Cacumen uere resecui, quod per brumam aruerat: quam causam esse puto, ut malignius germinet. Anagyrida sæpius, sed non ueram, habui. Faba erat unicolor, cœrulea, cum uarii coloris, ut Ricini esse deberet, V.

Anemone montana, (si ita uocare placet,) uel Pulsatilla Italorum (Kuchenschell Germanis,) bis in horto mihi plantata, durauit paucis mensibus, postea euanuit.

Antoniana, uel S. Antonii herba foliis hirsutis, sponte circa riuos & fossas nascens, rarior inuentu læuibus, G.

Apii crispi nomine herba ex Italia missa ab amico, syluestris, ut apparet, nec Apii seu Petroselini uulgaris odore æmulum, G. Veteres Apii crispi nomine herbam satiuam intellexisse uidentur. Plinius libro uigesimo capite undecimo Apium fœminam mare nigrius, acrius & crispius facit, tanquam generis unius duæ sint species proximæ. Theophrastus non aliter quàm cultu differre ostendit, hist. lib. . cap. 5. Apium, inquit, si satum conculcetur, cylindroque spissetur coæqueturque, crispum aiunt prouenire.

Arisarum, G. quod tu nuper misisti mi Calceolari, foliis oblongis ut Matthiolus pingit, &c. Et forsan ad idem genus pertinent, bulbuli illi Auellanis paulò minores, summæ acrimoniæ abs te missi: quorum superficiem & herbam uidere opto. Commisi quidem aliquot eorum terræ, succo enim pleni erant. sed an prouenturi sint dubito. Intrinsecus pulpa candicat, cortice foris fusco, in nonnullis etiam articulato, & Trasi dicti radiculis persimili figura ac magnitudine. Hanc adolescentes lasciuiores per lusum inter se gustandam præbent. Cogit enim nimio feruore ore aperto aërem captare eum qui gustarit, cum astantium risu. Sumpto

autem aceto feruorem extingui aiunt. Sic & radicis illius, quam à te primùm siccam accepi, necdum herbam noui, qua in uino infusa Fabæ magnitudine, eoq; ante cœnam per horam circiter, admixto simul alio uino, epoto, omnis cibi appetitus tollitur, irrisione quadam lasciuorum adolescentium, itidem antidotus est haustum acetum.

Aristolochiam rotundam & Pistolochiam, V. ante triennium seuit: sed nihil apparuit: ut ne mihi quidem, cùm illarum utranque & longam non semel seminarim.

Asparagum Italicum audio nonnihil à nostro differre: & in nonnullis Germaniæ hortis crescere. Syluestris Asparagi illius quem Corrudam appellant semina ex Bononia à Luca Ghino olim accepit, V. Sed ex illis satis nihil emicuit.

Asphodelus luteus, pulcherrima planta, Volmario fructum tulit præterito anno: sed uasa (inquit) inane semen ferebant: estq; adhuc superstes. Habet & Asphodelum album. Luteus, (id est floribus ceu liliis luteis, & eiusdem coloris radice) caule procero, & floribus superiore parte referto, totoq; foliato, superiori æstate florebat Augustæ in horto generosi uiri D. Vlrici Fuggeri. In hortulo meo trium generum nascitur: Vnus maior, & propriè dictus Asphodelus Dioscoridi descriptus. Is folia à radice nunc circiter tredecim habet, duos dodrantes longa: bulbos radicis quàm plurimos: sed caulem nondum ostendit, etsi ante tres aut quatuor annos, si rectè memini, è semine mihi ortus. Alius, mediæ magnitudinis, radice lutea, oblonga, non bulbosa, foliis ferè totidem à radice, similiter triangulis ut superior, minoribus, sex digitos longis, sed malignius crescere uidetur: sapore acri satis. Tertius minor, foliis subteretibus, cepitiis ferme, non tamen cauis, dodrantalibus, cauliculis bipedaneis, ramosis, ab una radice pluribus: ita ut alii semina ferant, & nouus semper subnascatur, flores albos egregios sustinens. Flos non maior Leucoio, senis constat foliis, linea fusca medium quodq; folium distinguente, apicibus intus luteis: calyx nullus. Fructus in caulibus deinceps per interualla magnitudine Pisi breuibus pediculis affiguntur, tripartiti, luteo (si immaturos premas) liquore pleni: in quibus semina terna, fusca, uaria, triangula. Radix subest non longa nec bulbosa, ni fallor, fibris multis albis subnixa. Superioris anni uere hunc cùm seuissem, autumno subsecuto floruit: sed semen perficere non potuit. Inchoatum uerò, hyeme tota, in cellam uinariam repositus, retinuit, & uere perfecit: & simul in eodem caule, qui iam aruisse uidebatur, flores rursus edidit: mox uerò nouos in nouis cauliculis, floretq; etiam nunc initio Iunii: & florum æstate tota futurorum spem facit, ut meritò Anthericum ueteres Græci Asphodeli caulem excellentia quadam à floribus denominarint. Hoc genus aliqui, ni fallor, maritimum cognominant.

Althæa diutissime durat. quamuis enim radix uetus quarto ferè anno interit, enascuntur tamen nouæ è uetere.

B.

Balsamina quæ & Momordica, Volmario Eslingæ bis ad maturitatem peruenit, altera sæpius.

Blattaria luteis & cœruleis floribus Norimbergæ in horto Ollingeri.

Borrago & Buglossus, albis utraq; floribus, ibidem.

Buglossus, G. albis floribus.

Bulapathum in horto, V. maius Hippolapatho, quod Rhabarbarum monachorum uocant.

Bulbocastanum aliquot annis habui, nuper uerò amisi: quoniam autumno superiore transplantaueram, nec satis profundè, ita ut Bulbus frigore nimio proxime hyemis læsus sit. Viret autem hyeme, æstate euanescit.

C.

Carpesium. Vide Phu saxatile.

Calamintha odore Pulegii, cuius officinis Gallicis usus est, paucissimis Germanorum officinis nota, V. G. Stirpes eius singulas non ultra biennium durare puto, sicut & Calaminthæ montanæ nostræ.

Cerinthe

Cerinthe Plinii, V.

Chamelææ binæ plantæ aliquando prouenere Volmario: quarum una deinde in cellario periit. altera hyemis iniuriam perpessa sub dio (texerat enim stramine) cùm ad Februarium usque incolumis peruenisset, à quodam nebulone euulsa est.

Chamæmalum nobile, ut uocant, G. Puto autem singulas plantas non ultra tertiam æstatem durare. prima quidem non florent. Dodonæus hanc Camomillam Romanã uulgò uocari ait à Germanis inferioribus: sicuti & luteã odoratã, quę duplex est: una capitulo foliato, altera sine foliis. utranque ex Hispania primũ aduectã.

Chamæmalum rubris floribus, Ollingerus. Anemone quorundam forte.

Chamæmalum nobile, (Parthenium nobile Trago,) frigoris, & hyemis quantumuis duræ, contemptrix herba, prouenit in muris sepibusque, & aliis quibusdam locis. Circa Metas urbem, Bipontiique & alibi in hortis colitur. Per terram sparsa procumbit, ac facillimè ubicunque humum attigerit, radicatur, haud aliter quàm Serpyllum: quare è surculis decerptis sine negotio plantari potest, Tragus Chamęmalum quidem uulgare, annua herba est: bisque anno floret, uere primùm inter segetes: deinde autumno in agris rapitiis.

Cisthum oblongis, non rotundis, foliis bis orientem uidit Volmarius, & ad mediocre incrementum ei prouenit; retinuitque in longam usque hyemem straminibus tectum: tandem amisit.

Citraria. Vide Melissophyllum.

Cnicus, G.

Colocynthis, (id est, Cucurbitula) amara & medicata, aluum purgans, alia minor est, medicis in usu. Alia maior, figuris differens. est enim oblonga quædam & flaua: & alia rotunda, uaria. Alia sessilis ferà, nigra, maculata, magna instar Cucurbitæ: & differens ab hac sessilis alia minor: quas omnes audio Basileæ in hortis medicorum quorundam inueniri: & ego Lausannæ olim ex illis quasdam alui.

Colutea ut quidã uocant, Senæ cõgener, ut Ruel. uult, V. G. Semina è matre prolapsa sponte crescũt. Cordus in alpibus sponte nasci asserit, à Brennero usque in Italiã.

Conyza uera minor, ut ex odoris præstantia conicit, Volmario crescit quanquam altior uno pede, quod culturæ dandum putat. Hæc serò admodum ad Arcturi ortum, ut Plinius dicit, florem fert, aliquando tamen anticipat, V.

Costum amarum simul & dulcem Tubingæ in horto Fuchsii medici, & Stutgardię in illustrissimi principis horto prouenire, aut certe prouenisse nuper audio. illius radicem cum acrimonia amaram esse, huius acerrimam.

Cotula fœtida uulgaris, crassioribus foliis, plerunque inter segetes nascitur, annua (ni fallor) herba. Est & alia non fœtida, priori similis: item alia, tenuibus Fœniculi foliis (aut Mei) breuioribus, hyemem sustinens, amara admodum, G. Semen amicus quidam Lugduno missum communicauit. Floruit æstate superiore: et hac etiam florem eius proditurum expecto. Chamæmalum amarum dixeris.

Crithmus, uulgò Creta uel Salsa marina, Ollingerus. Amat solis reflexum ad parietem, & salsugine gaudet. Periit Basileæ docto cuidam uiro, nimio frigore. Floret anno secundo. Volmario Esslingæ aliquoties satus, nunquam prodiit.

Croci bulbi, domi forte neglecti autumno floribus emissis se produnt. Hos ego superiore autumno plantaui, qui deinde folia emiserunt, quæ tota hyeme & uere habuerunt: nunc (Cal. Iunii) marcescunt.

Crocus montanus bene durat in hortis, sed rarò floret. Floruit mihi quidem bulbus annuus superiore Martio, cãdido flore, Croci omninò sed inodoro, sed nullo semine relicto. syluestres copiose & florent & semina relinquunt. Folia citius quàm in satiuo euanescunt.

Cyclaminum Italicum orbiculatum, non oblongum ut Rhæticus est, Volmarius bis florentem duobus annis habuit: sed superiori æstate ei periit. Mihi loco umbroso plurimis iam annis durat.

Cucurbita quædam sessilis, rara, alba, lata, compressa ab altera parte: planta pau-

lò maior est Cucumere. Margines pártis latioris crispis ueluti fimbriis eminent, Basileæ in horto Io. Bauhini medici.

Cynoglossus minor, ni fallor, appellanda herba, multis uirgis pedalibus aut longioribus, foliis Scorpioidis palustris ferè, simplicibus, nulla à medio neruo fibra, asperis: floribus Pulmonariæ Plinii, cœruleis: radice longa, nigra, lignosa, G. Circa Scaphusiam sponte prouenit: & Badæ in collead dextram supra Limagum flumen.

Cytisus meus iam bicubitalis, rudimenta florum ostendit, Iunii die 8.

D.

Daphnoides è Sabaudia missum, ubi ad lacum Lemanum sponte prouenit, autumno superiore plantatum uiret mihi adhuc, sed non satis lætum, & tenuioribus foliis, quæ ad Daphnoides nostrum uulgare, (quod Piper montanum Itali uocant,) ferè accedunt.

Daucus Creticus è monte Baldo, (unde in hortum tuum translatum mihi communicasti optime Calceolari,) satis pulchrè uiret. Eundem puto (aut certè simillimum, eiúsdemq; generis, & eisdem uiribus,) in altioribus apud nos montibus inueniri, ut quem circa Lucernam, Pilati uocant: & ab incolis male uocari **Wolfswurtz**, nulla (quod sciam) ratione. Aconitis enim hoc nomen debetur. Radices aliquot longiusculæ, uegetæ & carnosæ subsunt, odore saporéq; Dauci syluestris communis. Foliola angusta: coliculi subhirsuti albicantes.

Daucus palustris à me dictus, pluribus annis translatus in hortos durat.

Dauci syluestris genus, foliis ferè Cicutę, nigrioribus, radicibus oblongis, nigricantibus foris, sapore Pastinacę: caule sesquicubitali. Folia etiam digitis attrita, subdulcem Pastinacæ odorem spirant. Aliquot iam annis in horto mihi durat. Nascitur autem sponte in semitis uinearum graminosis. Meminit eius Cordus, ni fallor, alicubi, nescio iam quo nomine.

Digitalem purpuream loca opaca amare audio, & sponte cum alibi tum supra Curiam Rhætorum nasci.

Diospyrus dicta à quibusdam arbuscula, foliis ferè Rosæ, Pomo Cerasi magnitudine fere, umbilicato, cœruleo, specie & figura omninò Vitis Idææ, adeò ut uel Lotus alpina dici mereatur. nam & suauis est fructus, & ita aptus stomacho: ut qui copiose etiam ingesserit, non grauetur. Semina insunt quina, ruffa, latiuscula, tanquam Pyri: sapore etiam non dissimili. Succus pomi est lenis, dulcis, aquosus. Nascitur in Albio monte uicino urbi nostræ. Quidam **Flübirle** uocant: unde nos Pyrastrum Idæam uel petræam uocare poterimus. In hortum translata anno superiore, uiuit quidem adhuc, sed malè.

Draconis uel Tarchi hortensis unius radices diuelli possunt, et plantari, ut ex una plures proueniant. Fimo equino sub hyemem muniri debet. Syluestris & serratus durat quidem in hortis, sed durior est quàm mitescat cultu.

Dracunculum minorem cuius folia albis uenis insignia sunt, perq; hyemem durant, ad duos annos habui. dein sine pistillo & fructu periit, V.

Dulcem radicem ante aliquot annos plantatam, autumno proximo effodi: & radices magnas oblongásque, quæ rectà in terram descendebant, amputatas in usum seruaui. Capita uerò radicis unius in quinque partes distraxi: quæ rursus plantatæ crescunt, sed parum adhuc, primo scilicet anno. Ex iis quas mercatores afferunt uiridiores, quæq; germina aliqua ostendunt, deligi plantandæ possunt.

E.

Echium minus appellârim herbã in horto meo nascentẽ, à nemine (quod sciam) depictam aut memoratam: quæ prima facie Lithospermis cognata uideri potest. Caulis est trium uel quatuor dodrantum, (herba tota aliquando trium cubitorum,) teres, solidus, asper: inq; uirgas multas & longas diuiditur, ęquales ferè, ut quænam ex eis potior sit, non facile dicas, & caulis primitiuus totus in illis consumitur. Lentæ & flexiles hæ uirgæ sunt, & in terram procumbunt, nisi fulciantur. Ab iis certe

ramosum

ramosum aut fruticosum genus hoc Echii cognominari meretur. Est quando etiam alter caulis, à radice statim exit, & forsan plures interdũ. Radix recta descendit, parua, breuis, alba, uel subrubra etiam, lignosa, singularis, minimis & perpaucis fibris prędita. Folia sunt Oleę ferè uel Scorpioidis palustris cœrulei, similiter carnosa modicè, & neruo medio simplici nõ fibrato, simplicia, hirsuta & aspera: albicantia et magis quidem supina parte: insipida, nisi quòd herbaceum quiddam sapiunt, ea nullis petiolis adherent coliculis, singula, maioribus interuallis inferius. Si mandas, asperitate quadam inter dentes collisa crepant. E foliorũ alis (circiter dodrantem aut amplius supra radicem) foliola quina stellæ instar radiata surgunt, perbreui sed crasso pede, qui è cauliculo oritur, nixa, in quorũ medio flosculi sunt albi, parui, caui, quinq; partiti, uulsiles ut Buglossi: & (ni fallor) singuli semper, intra barbulas illas quinas seu radios quibus cõtinentur cõiunctis: nõ enim se aperiũt aut radiantur donec perfectũ sit semen. incipit aũt florere ab imo. Flosculis succedũt semina singula, bina, terna, uel ad summũ quaterna, Echii omninò seminũ magnitudine & figura, uiperæ caput quodammodo referẽtẽ: latitudo enim superior utrinq; ceu in oculos leniter protuberat, & antrorsum attenuatur tanquam in rostrũ: inferior pars utrinq; depressa, in medio prominet instar carinæ inuersæ. Hæc cùm scriberem Iunii mensis dies 8. erat: & flosculi in summis tantùm coliculis uisebantur ad pollicis altitudinem, inferior pars omnis semina ostendebat. Herbam annuam esse puto & uiribus Echii prææditam, ostentante in ipsa seminũ facie natura, cui usui produxerit hanc herbam. Ignauiorem tamẽ Echio dixerim, quòd minor, tenuior, annua, & inutili radice herba sit. Echii quoq; temperamentũ ei attribuerim, primo gradu refrigerans, medium inter frigidum ac humidũ, & abstergendi uim. Quòd si quis hanc herbam Lithospermo potius congenerem fecerit, non pugnabo. Val. Cordus certe Lithospermũ maius quoq; ad Echii et Anchusarum genus pertinere ait, idq; ueteres nõ animaduertisse.

Elleborastrum, G. Sic autẽ appello herbam Abrotoni penè foliis, radicis forma & uiribus Elleboro nigro respondentem: unde & Tragus Elleborum nigrum alterum appellat: aliqui Consiliginẽ esse somniant: Cordus si benè recordor, Buphthalmum. Sed forsan ad Anemonas potius referenda fuerit. Flos in ea luteus, magnus, uernus, solem sequitur. Semen est nigrum, mali ferè seminis figura & magnitudine, id carnosa quadam laxaq; substantia, partim uiridi, partim alba ambitur. Hærent autem semina plurima connexa in pilula, maiore quàm Auellana plerunq;, subrotunda uel longiuscula. maturescunt ea & legi debent Cal. Iunii ferè: idq; maturè. decidunt enim seruato uirore suo, antequam plenè matura putes.

Ellebori nigri, (præter Consiliginem nostram ueram, quæ & ipsa Ellebori nigri species omninò est, & iam dictum Elleborastrum,) species tres, G. Harum una Elleborus niger uulgaris est: altera persimilis uulgari, sed foliis maioribus, longioribus albioribusq;. fœminam dixeris. allata mihi è uicinis lacui Lario locis. Tertia Italica, floris purpurei: cuius radicem unam tu misisti suauissime Calceolari: quæ longo itinere humidior flaccidiorq; facta, metuo ne nõ apprehendat: superficiem quidem statim rescidi.

Eruum album & ruffum ex Italia, Italis puto Mocho in Hetruria dictum, G. quorum utrunque quoniam summa illa amaritie, quam Orobo, id est, Eruo tribuit Galenus, caret: an uerus sit Orobus dubitari potest: eruditi quidam ut Fuchsius, ni fallor, pro Cicercula accipiunt.

Eryngii duas species à Luca Ghino missas accepit Volmarius: unam cœruleis, alteram subcœruleis floribus, mox ad albedinem tendentibus: posterius Eryngium maritimum esse puto, foliis rotundis. Vtrunq; è semine, non primo, sed altero demùm anno oriri obseruauit idem V. Eryngium magnis latisq; florum ac seminum capitulis (unde aliqui impropriè Rosam Hierichuntidem uocant,) foliis angustis, ualde incisis, amplissimum, prouenit anno superiore in horto illustris uiri D. Vlrici Fuggeri Augustæ.

F.

Ficus Indica uulgò dicta, (cuius ante triennium folia terna coniuncta plantâ-

ram,) sub finem hyemis anni huius 1561. Martii principio, folia habebat marcida tabidáque, non ut prius, hydropica, nec decidua, cùm ne ui quidem reuellere potuerim: quod miror, cum ter aut quater illa hyeme rigauerim: intus quidem puncta erant rubra.

Filicum species diuersæ, G. Fœmina: sic autem appello, quæ pluribus ab una radice foliis germinat nullo caule: multis iam annis horti mei incola: mollior uel tenerior aspera, de qua nunc dicemus: & durior molli, foliis modice incisis non cuspidatis, coliculis lanuginosis, fœminæ similis, foliis pedalibus, angustioribus, non ita latis in medio. Foliorum partes subrotundæ, singulæ suis marginibus asperiusculæ sunt, & mucronem perexilem breuissimúmque erigunt. Folia nouem aut decem ab una radice prodeunt. Neruus medius folii parte auersa hirsutus est, lanugine russa. Potest autem aspera cognominari: sicut mollis altera, cuius molliora & albiora sunt folia. Asperæ similis est hæc, sed folio breuiore aliquanto, & nulla nerui medii lanugine. Exit & ipsa (adultior forte tantùm) in aculeos foliorũ marginibus, sed molles. Videri poterat eadem asperę, ætate tantùm minor: sed omninò species est alia. nam aspera lanuginem habet in neruis, utcunque teneris adhuc & recentibus foliis, hæc non item. Est & alia similis molli, foliis dodrante paulò longioribus: quæ supina notantur punctis ad luteum uiridémque & album colores mixtos tendentibus. Lanuginis in neruo inferius aliquid subest, sed parùm. Crescunt hæ Filices omnes in sylua, quæ horæ itinere ab urbe nostra abest, inter Septentrionem & Occidentem. Palustris uerò circa lacum Felium duarum ab urbe horarum itinere. Dryopteris uerò (ut aliqui uocitant) palustri similis, sed minor, &c. in collibus diuersis, præsertim Badæ infra Thermas statim iuxta fluuium ad læuam: ubi & Filix quædam minor, læuis candidiórque, foliis ualde incisis & mollibus nascitur: quam & alibi in muris reperi. Mas ubiq; nascitur, procero unius folii pede, alius duriori folio, alius mollior, tanquam duæ unius proximi generis species sexu distinctæ. Præter has alia etiam Filicum genera à Baubino obseruata in propinquis Tiguro syluis, & in horto mihi recens plantata nunc non describam.

Aspera. *Mollis.* *Chlarosticτos.* *Palustris.* *Dryopteris.* *Filicula candida.*

G.

Gentiana maior, foliis magnis, latis, subcœruleis, hoc tempore denis, & caule iam dodrantali, nescio ante quot annos cum radice primùm plantata: paulatim forte intra paucos annos ad iustam proceritatem mihi assurget, ac flores producet.

Geranii maioris species tres: quorum unum foliis est magnis, figura ferè & magnitudine Aconiti lutei, hirsutis, asperis: alterum ei simile, minoribus paulò foliis, asperioribus, nigrioribus, ueluti mas in eodem genere. G.

Gladiolus Indicus, quem tu nuper cum aliis plantis diuersis liberalissime Calceolari donasti, G. Typhæ fere similis, foliis insipidis: radicibus albis, & earum nodis Filipendulæ similibus.

Glaucium superiore anno Basileæ in horto nascebatur excellentissimo medico Theodoro Zuinggero.

Glaux, G. E semine ex Italia misso, herbula foliis glaucis uel incanis, hirsutis, ternis ut in Loto herba, quibus succedunt alia bina ad caulem, gustu astringenti. Secunda iam æstate in horto mihi uirens nondum floruit.

H.

Hippomarathrum semine maiori quàm uulgari, magisq; medicamentoso. Locum maximè apricum requirit, difficulter & serò admodum maturescens.

Hyoscyamum albis floribus in horto habuit olim V. habetque etiamnum Ioannes Schmidlappius, egregius Schorndorfii mercator, reiq; hortensis studio nobilis.

Hyssopus moschata uel Cilissa, à Cilicia regione, G. odoratior nostra uulgari hæc est, moschi fere odore quodam: sed, ut audio, breui degenerat, locis præsertim umbrosis, & ad nostram accedit. In hac miratus sum, quòd cùm prima æstate floreat,

reat, perennet tamen, nescio quandiu durans. iam enim secunda tantùm æstate, mihi uiret. Germinare citius uidetur quàm nostra, & seminibus deciduis seipsam propagat. Vide etiam in Abrotono.

I.

Iris Illyrica, G. nuper à te missa, mi Calceolari, similis ferè nostræ Iridi syluestri minori, quæ in pratis humidis aliquibus, etsi paucissimis inuenitur, nec diu durat in hortis.

L.

Lachryma Iodoci, (aliis Iobi,) Milii genus, inquit V. Ferè ad maturitatem mihi peruenisset, ni præmaturo frigore adustum fuisset.

Lactucam Romanam Basileæ quidam in hortis educunt, folio similem Seridi, & in cibo suauem, ut audio.

Lapathi genus minus acidiusq; Oxalis dicitur, cuius semẽ difficulter colligitur. nam subitò decidit priusquam probè maturescat. Huius species una rotundioribus est foliis: altera oblongioribus, & pratensi similior, sed tenerior, &c. G.

Lapathum rotundum, G. Id hoc anno Io. Fabricius Ecclesiæ Curiensis apud Rhætos pastor, doctrina & pietate eximius ad me misit. Folia habet rotunda ferè, radicem transuersam. Nascitur in montibus supra Curiam, & non procul Friburgo Heluetiorum ut audio, aliqui Rhabarbari nomine appellant, propter similitudinem aliquam. nam uero quoq; Rhabarbarico in Perside nascenti folia rotunda tribuunt.

Laurus Alexandrina, Bonifacia uulgò, (nostris Zäpflecraut. Vuularia,) quam tu hoc uere cum cæteris plantis dono misisti, ornatissime Calceolari, pulchrè adhuc in hortulo meo uiret: & cum Rusco cognationis aliquid habere uidetur. unde similiter facilè diutissimeq; duraturam mihi polliceor.

Leucoia quatuor generum, alba, rosea, seu purpurea, rubra & punicea. Voco autem hîc punicea, quæ rubro colori, cœrulei aut nigri ferè parũ addiderũt, (brunrot Germanus diceret.) Vide distinctionem Dodonei. Diuersum ab his genus est Leucoium illud albũ, quod recentiores aliqui Violam matronalem uocitant, Hispanicam (puto) Solerius, alii Hesperidem. (Tragus Persicam uel Parthicam Herm. Barbari Violam, hanc esse putauit: cùm Barbarus disertè, nõ hanc, sed Iasminum, uel Ieseminum uulgò dictum sic appellari posse censeat, &c.) Germani quoniam benè ferat hyemem, Violam hyemalem uocant. nostri à Pentecoste uel Maio denominant, quo tempore floret, incipit autem secunda æstate demum.

Libanotis Volmario semen protulit, quod tamen ab eo satum nõ prouenit, & tandem periit.

Lilia rubra duorum generum: quorum alterius semen simile est semini Martagii Italorum, V. Martagon illud, quod Lilium croceo colore fert, secunda aut tertia forsan æstate oritur, Idem.

Linariæ uulgò dictæ species montana, parua, ut Sedum paruum ferè referat, floribus cœruleis, G. Nascitur circa Curiam Rhætorum, & alibi in montibus.

Lonchitis altera seu aspera, quam Matthiolus pingit, tuum donum Calceolari, belle mihi uiret ad parietem umbrosum plantata. Eandem, ni fallor, reperi superiore anno in colle inter Badam nostrũ oppidum, & balnea ei subiecta, supra dexteram Limagi fluuii ripam. Aliam montibus nostris familiarem Tragus Aspleni syluestris nomine exhibet: quam Ghinus & Maranta Lonchitidis nomine digniorem existimasse uidentur.

Loti arboris (quam Ledonnier Monspelii uocant) ramulus refractus, & terræ mandatus superiore autumno, mihi crescit. Arbuscula è semine iam ferè quatuor cubitos æquat.

M.

Maluam arboream habuit V. brachii crassamento, quę ei & flores & semina protulit: postea periit.

Malus quædam prope urbem nostram non floret, & fructificat tamen.

Mandragoram V. uel ter prodeuntem uidit, sed nunquam alterum ueris tempus attigit.

Martagon. Vide in Liliis.

Medica, satis respondens descriptioni Dioscoridis, sed semini nulla in condimentis gratia, V.

Medion purpureum à quibusdam dictũ, in horto alit V. sed minime (inquit) Medion est, planta nonnunquam binos cubitos æquans, cognata huic, ni fallor, quam Fuchsius Campanulam uocat: nam & hæc flores campanæ forma fert, sed triplò fermè maiores quàm (Campanula) nostras. Oritur autem è semine, nõ primo, sed secundo demùm anno. Vide Viola Mariana.

Melissophyllum Fuchsii, uel (ut quidam appellant) Citraria, (nomine ficto nimirum, nulli uerò genti usitato,) V. Vulgaris quidem nostra Melissa (inquit) ut officinæ uocant, odore Citrum quàm proxime refert: utcunq; quidam delicatuli ad eam tanquam cimicum fœtore infamem nauseent. Citraria uerò illorum nullo citri odore (quanquam nomen id præ se ferat,) commendabilis est. folia etenim Vrticas potius odore imitantur. Florum odor quidem gratus, at nihil Citri in eo. Sic ille. Ego Citrariam illam, Lamium syluaticum maius appellarim.

Mentastrum foliis orbiculatis ferè instar Menthæ, nobilioris crispę, rarum apud nos & officinis ignotum habet V. Huius semen (inquit) non ortum est mihi primo anno, sed sequenti, aut forsan tertia æstate.

Molyza Hippocratis, id est, Allii genus simplici capite, in hortis quidam alunt, & Hyacinthi speciẽ imperiti quidam esse putant. Eius pictura à nullo adhuc, quod sciam, exhibita est.

Myrrhis ab eruditis quibusdam existimata herba, à nemine adhuc picta, aut descripta quod sciam, G. Matthiolus Myrridem suam, quamuis raram & ab aliis non positam, pinxisse, contentus non describit, ut solet plerunq;. id quod libenter dico, non quidem eũ reprehendendi gratia (ut maleuoli accipiunt,) sed ad aliquam descriptionum diligentiam in rebus obscurioribus adhortandi. Nostra caules ab una radice producit plures, rotundos sesquicubitales ferè, hirsutos, & leuissima substantia alba infarctos, dulces & odoratos mansu. Folia habet magna, forma ferè Cicutę, dulcia, & sapore ferè Chærefolii, mollia & hirsuta. Vmbellas Cicutę, floribus albis conditas. Floret anno secundo, initio Maii: Semina subnascuntur oblonga & magna, eminentibus angulis striata, digiti transuersi longitudine, gemina, & in geminũ mucronem exeuntia: dulcia, sapore Aniso proxima, intus alba, sex aut nouẽ ferè ab uno principio. Hanc descriptionem ex tempore ad plantam unicam, quæ in horto erat, descripsi. Radicem nondum inspexi. Cognationis aliquid cum Chærefolio uulgari habere uideri posset, si uel minimum, ut illi, liquoris ei inesset: quo prorsus caret. Alia uidetur Myrrhis Anguillaræ, floribus luteis. Hæc nostra præ cæteris mihi uerum Myrrhis esse uidetur: in hortis coli dignissima.

Myrti arbuscula, quam misisti recentem Calceolari, non crescit mihi, etsi diligenter in uase plantata: ut neq; semina terræ hoc anno, & superioribus non semel, mandata. Vnde à nostro cœlo eam abhorrere coniicio.

N.

Narcissus albus uel albis floribus, quem Dioscoridis esse retur, V. qui Narcissum album quoq;, non primo, sed secundo anno è semine nasci monuit. Val. Cor. refert (inquit amicus quidam meus in epistola ad me) quempiam Tridenti & Venetiis coli, qui uere flores ferat, & nonnunquam etiam autumno ante brumam, foliaq; illius etiam ante hyemem prorsus erumpere. quorum neutrum in meo uidetur. nam folia prodeunt Februario, flos uere: sed nunquam bis florentem uidi. Theophrasti etiam Narcissus, diuersus ab illo est. nam caulem cum flore porrigit, foliis exitũ tardantibus usq; ad reflorescentiam: terq; ait florere anno, triaq; sationum tempora ostendere. Hæc ille: cui respondeo: in Theophrasti lib. 7. cap. 12. Historię, ubi hęc de

Narcisso traduntur, mendosum esse locum, & pro Narcisso, quoties eum cum Scilla nominat & confert eo in capite, legendum esse Crocum, tum rei ipsius ueritate id indicante, tum Plinii testimonio libro uigesimo primo, capite decimo septimo, ubi locum hunc Theophrasti transtulit. Quod nisi pro Narcisso Crocum legas, Theophrastus ipse sibi aduersabitur, semen manifestum Narcisso negans, quod paulò ante ei attribuerat, eodem in capite scribens Lirium (solet autem Narcissum alio nomine Lirium appellare, ut libro sexto capite sexto constat,) manifestè è semine prouenire. Libro sexto certè capite sexto, quanquam locus est mutilus, fructum Narcissi decidere & sponte germinare scribit: & qui legunt, inquit, defigere eum solent. Est autem serotinus admodum cùm post arcturum & circa æquinoctium floreat. Mox uerò capite septimo Narcissum inter uernos flores, qui Violam nigram etiam præueniat, ponit. Quorum utrunq; uerum erit, si bis anno floret, uere autumnoq;. Ter quidem anno eum florere nusquam dixit Theophrastus: nam ut concedam libri 6, capitis 12. Narcissi nomen ubiq; recte legi: non tamen ter eum florere scribit: sed Scillam solùm ter florere ueluti obiter admonet: hoc uerò ex professo & Scillæ & Narcisso commune facit, quòd utraque florem aliquandiu ante folia emittit, &c. neque reflorescentis Narcissi mentio fit, ut malè uertit Gaza, una litera deceptus. legit enim ἀὐχνθῆ, id est, reflorescit: pro αὐανθῇ, id est aruerit. Sic autem uerti debet. Fructum conspicuum non parit (Crocus uidelicet, non Narcissus:) sed ipse flos una cum caule marcessit: & postquam aruit, tunc folia exeunt. Hæc ex meis obseruationibus te cælare nolui. Theophrasti certe codex Græcus, innumeris in locis perquàm uitiatus est: & Gazæ translatio mala: quibus uitiis qui mederi uellet, non utriusque solùm linguæ peritum esse oporteret, & ipsos Theophrasti libros diligenter euoluere, ac inter se conferre, Historiæ præsertim cum illis qui sunt De causis: & quæ ex eis transtulit Plinius: sed insuper iudicio præditum esse acri, & Stirpium ipsarum quas memorat Theophrastus non uulgarem habere cognitionem. Quæ omnia uix in unum hominem cadunt. Conabar ego iamdudum hac in re aliquid: sed crescente ætate, ualetudine infirmiore, & uariis negotiis impeditus, aliis hunc laborem relinquo. Præstabit autem hæc omnia breui (ut spero) feliciter R. Constantinus, uir summæ in utraque lingua doctrinæ, & artis medicæ Stirpiúmque historiæ scientissimus: ut & alii quidam editi ab eo hactenus libri testantur: & edendus breui totius linguæ Græcæ incomparabilis Thesaurus amplissime declarabit. Ab hoc etiam, quoniam se totum Reipublicæ literariæ deuouit, Theophrastum sua lingua emendatum, una cum duabus translationibus latinis, altera Gazæ altera cuius ipse autor est, Annotationibus quoq; & Iconibus Stirpium adiectis breui expectamus, & omnia interim ad perficiendum hunc conatum quàm felicissima ei precamur.

Nardus Celtica ad sesquiannum mihi durauit in horto, diligentia quidem adhibita, diutius durare posse uidetur.

Nasturtium Hispanicum in quibusdam Germaniæ hortis colitur, maius (ni fallor) nostro: & unum forte ex prædictis Nasturtii speciebus.

Nasturtium alpinum hortensi minori persimile, minus iam altero anno mihi durauit, & semina protulit.

Nasturtium hortense aliud est foliis simplicibus, pollicem latis, tres longis: idque uel læue & albius, uel subhirsutum minusq; album. Aliud foliis ualde diuisis, hoc etiam duplex ni fallor: minus scilicet, ac maius, quod ad Ranunculi pratensis folia tum forma tum magnitudine accedit.

Nigella agrestis & sponte inter frumenta prouenientes, odore. Officinarum Nigellam referens, sed tamen inferior, V.

O

Ocimoides croceum durat aliquot annis: licet primo anno floruerit. Mihi enim hoc anno pulcherrimum est in horto, quod anno superiore satum uere, æstate prouecta flores, sed paucos habuit.

Olusatrum, (Matthiolo Smyrnium, officinis Petroselinum Macedonicum.) sæpius (inquit V.) mihi ortum, semper absq; fruge periit. Schmidlappio uerò (mercatori Schorndorfii) cui semen communicâram, & flores & semina edidit.

Onobrychis, Galega uel Castracan Italorum, V. G. Inclinat quidem Cordus, & alii nonnulli, Onobrychin esse hanc plantam. sed meo iudicio (inquit V.) esse non potest: nam dodrantalem Dioscorides facit, cùm Galega duos cubitos multoties æquet.

Origanum Creticum, V. Vulgari (inquit) quod quidam Tragoriganum, alii syluestre Origanum esse uolunt, planè simile, nisi quòd flores albos habeat. Idem in meo hortulo pulchrè uiret, anno superiore seminatum, & hac æstate eius flores expecto. Odoratius & acrius nostro est: sed paulatim degenerare V. obseruauit.

Orminum uerum quorundam, coliculis summis pulchre cœruleis, ita ut flores uideri possint. Depinxit id Matthiolus, sed foliis latioribus: quæ longiuscula & longiora (ut Saluiæ minoris ferè) pingere debuerat. Semina in ore retenta non aliter quàm Ormini nostri maioris, seu Sclareæ hortensis, glutinoso succo obducuntur. Odoris nihil aut parum habet: annua uel potius æstiua herba. Quærendum autem an Sideritis prima sit potius quàm Orminum.

Ornithogalum, G. quod nuper â te accepi, candidissime Calceolari, una cum caule pedali floribus onusto. radicis bulbus albus, satis magnus & uegetus est, & tubercula quædam ostendit erumpentium radicularum: unde breui multiplicatum iri spero. Caulis ipse quidem nimium mollis & tener mox interiit.

P.

Pæonia mas & fœmina, G. Fœmina nobis uulgaris est. Maris plantam adultam misit clarissimus Lindauiæ mercator Matthias Curtius, quæ plantata superiore anno mox floruit, sed semen non perfecit, hoc anno iterum floruit, & semen iam fert. Habeo etiam nouellas aliquot plantas è semine mihi natas, non primo sed secundo anno. A sationis quidem tempore uix ante nonum annum florere aiunt.

Paliuri frutex ortus, & incuriosius tractatus, in horto V. frigore periit.

Panaces Chironium, ut quidam putant, herba Doria uulgò Italis, Raphanus syluestris uulgò Monspelii, ubi sponte (ut audio) iuxta aquas crescit, G. Lapatho similis est herba foliis & caule, qui bicubitalis ferè in hortulo nostro est. Folia inferiora circiter dodrantem longa sunt, (computata etiam petioli parte, qui & ipse foliatus utrinq; est,) aut palmo longiora si petiolum etiam totum computes: simplicia, nisi quòd utrinq; angulis exiguis qui in puncta candida exeunt, notantur. neruus medius albicat. succo multo abundât. mollia flaccidaq; sunt, paulò post quam decerpseris, ut Costus hortensis aut Lepidium ferè, satis carnosa. Sapor cum acrimonia aliqua amarus. Multa sunt circa radicem: in caule singula per interualla. Caulis unus et simplex est. Florum in summo corymbi lutei, ut in Costo hortensi, uel Virga aurea, foliolis raris & angustis, quinis ferè, singula capitula seminum seu apicum mediorum ambientibus. Semen accepi à clarissimo Argentinensi medico Didymo Obrechto.

Panacis Herculei planta, quam tibi debeo mi Calceolari: sed metuo ne longo itinere infirmata radix intereat: superficies quidem amplius nô apparet. Semina eius hoc anno & alias frustra seui.

Pancratii semen Schmidlappius (mercator Schorndorfii) â me accepit, & ortum uidit, sed rursus periit: mihi ne ortum quidem est, V.

Papauer Memphiticum, magnis & pulchris floribus multifidis, album & purpureum, & medii coloris, G. Idem puto, quod aliqui recentiores Papauer opii uocant, semine coloris albi sed ad roseum uergentis, si bene memini. Dodonæus Papauer satiuum album duplex haberi prodit, unum integris, alterum minutim dissectis floribus, & similiter nigrum. Nigri dissecti flores albos, roseos, & rubros, superiore anno hortulus noster protulit.

Papauer flore multiplici. Tubingæ in horto Fuchsii nasci audio.

Parthe-

Parthenium nobile. Vide in Chamæmalo.

Persici arboris species Italica, fructus maiores proferens, in horto patricii Tigurini Felicis Engelhardi, mediocris iam magnitudinis.

Persicus præcox uel Armeniaca, cum femoris crassitudine truncum haberet, & nouem fortè cubitos altũ, integra effossa autumno ex horto quodam, & in prędium meum translata, pulchrè crescit: & uere quidem floruit, sed fructus non habet nunc, nec mirum primo transplantationis in tanta arbore anno.

Phu petræum, G. Sic autem uoco Phu speciem in opacis montium saxis nascentem: quæ uel Carpesium, uel ei cognata esse herba uideri potest. Caules enim emittit multos, qui etiamsi sicci exuccicq;, & ueluti καρφία quædam, id est festucæ aridæ uideantur, multis tamen annis durat, & quotannis germinat, in calidioribus nimirum regionibus, calidioris tenuiorisq; naturæ.

Plantago maritima è semine nata, anni secundi mense Maio mihi floruit, foliis primùm latiusculis & Plantagini similioribus, secunda uerò æstate perangustis, ceu coronopodis, sed simplicibus, duos palmos longis, trineruibus. Coliculis pluribus, ad sex digitos longis.

Polemoniũ pratense nostrũ duplex, aliud apicibus florũ albis, aliud purpureis.

Polemonii genus è monte Pessulano, Fontanoni cognominant, G. Floret mihi nunc initio Iunii corymbis purpureis, Valerianę quadam similitudine. Flos nudus est, (sine calyce, oblongo canaliculo) Centaurii minoris specie, superius in quinq; folia diuisus, apicibus per medium binis, inferius ceu calcar adhæret: suauis odoris, uesperi præsertim. Caules à radice plures prodeunt sesquicubitales, caui, albicantes, sicut & folia, læues. Folia bina sine petiolis ex caulibus & ramulis, simplicia, tres digitos longa, in acutum exeuntia, amariora quàm nostri Polemonii. Fruticosa omninò herba est.

Polium Italicum & Germanicum, V.

Polygalium Rhætici plantæ duæ, Curia à doctiss. uiro Io. Fabricio missæ, G. Polygalum autẽ uoco eam herbam, quoniam & in pascuis ad lac pecoris augendũ præ cæteris prædicatur, (uulgò enim aiunt, es sei das best milch fütter,) & ad Diosc. descriptionẽ, foliis Lenticulæ è regione positis per octo uel nouẽ deinceps ordines, quibus unum in summo accedit, solidis seu crassiusculis, simplicibus, insipidis, subacerbis, in exiguũ mucronem desinentibus, & parte supina albicantibus, hirsutisq;. Rhæticum autem cognomino, quoniam circa Curiam Rhætorum crescit, & abunde quidem in pratis infra Curiam usq; ad Riuarium lacum, nec ultra. Audio tamen etiam non procul Basilea inueniri.

Pulegium ceruinum Monspelii dictum, sub hyemem ex area in uas transtuli, id nunc mihi in horto pulcherrime uiret, foliis simplicibus, angustis, oblongis, Hissopi ferè: coliculis albicantibus, pluribus ab una radice, rectis, pedalibus, uno etiam cubitali.

Pyrethrum Germanicum V. G. Pyrethrum in Italia paludibus Pisanis prouenit cum umbella & caule Fœniculi, inquit V. in epistola ad me. Germanicum uerò acrius est Italico, si ambo exiccata fuerint. Verum autem & Pisanum si uiride fuerit (ut doctiss. medicus Henr. Munzingerus mihi retulit) multò acrius est Germanico. Crediderim in Germania quoq; prouenire. Tragus enim tradit in montibus perenni niue obrutis, item in sylua Hercynia, duo genera Fœniculi prouenire: quorum alterum acerrima radice sit insigne ut Zinziber, alterum multò remissioris acredinis. Dioscorides uerò Pyrethri folia & caulem syluestri Dauco & Fœniculo comparat, umbellam Anetho. Dauco etiam Cretico folia Fœniculi tribuit. Syluestrem quidem Daucum non describit, sufficit autem Fœniculo quoq; eum comparasse. Ex his genus illud quod acrius est, facilè Pyrethrum esse crediderim. Hæc ille. Germanicum Pyrethrum superiore anno satum, nuper Aprili mense florere incepit, floribus Chamæmali ferè, sed maiore capitulo: quod ambiunt folia alba intus, foris rubentia, capituli proportione parua. Herba ipsa Millefolium repræsentat, crassior tamen & hirsutior.

Q.

Quinquefolium luteis floribus rectum, non serpens, V. Tale sponte nascitur circa Zurzachium Heluetiorum.

Quinquefolium albis floribus, V. Eiusdem species quædam in saxis montium nascens, G.

R.

Radix Rhodia, ut quidam appellant, perpulchrè mihi crescit, coliculis ab unâ radice uiginti quatuor, quorum longissimi pedales sunt, & absque floribus: qui uerò recens è medio germinant, florum rudimenta, quinto iam Iunii die, ostendunt.

Ranunculus albus maior, foliis Platani ferè, altius incisis, duplex, G. Vnus syluestris, flore simplici, sponte proueniens iuxta riuos & locis riguis montium. Fidertschi rura Bernensium uocant. Alter illi similis, sed flore minutiusculo multiplici, in hortis hîc coli solitus, G.

Rhus Plinii Monspelii dictus, ante annum Antuerpia mihi missus ab eruditissimo pharmacopola Goldenbergio, satis pulchrè adhuc uiret: nō crescit, tamen ut uellem, necdum flores ostendit.

Ribes syluaticus, frutici uulgò Ribes dicto plane cognatus, & fructu simili, sed maiori, in syluis Bernensium, (uulgò Reechbeere nominant,) sponte prouenit locis opacis: foliis parte prona hirsutis, supina læuibus, (cùm hortensis utrobique læuia habeat folia,) solidis & crassiusculis. Ante annum mihi plantatus, pulchrè adhuc uiret, & longæ durationis spem facit.

Rhododendrū hyemis superioris iniuria mihi periit, ut & alibi aliis. Volmarius Esslingæ ante annos aliquot è duabus sibi enatis plantis, unam sub dio reliquit per hyemem, alteram in cellarium reposuit, sed utræque perierunt.

Rosa moschata, uel Damascena Alexandrinàue, Nesrin Serapionis, ut Anguillara docet: magno in hortis nobilium quorundam Germaniæ uirorum, & quidem paucorum, studio colitur: Monspelii (ni fallor) syluestris exit. Ego nuper ex amplissimo horto generosi & illustris uiri domini Geor. Fuggeri horto plantas eius quatuor nactus, plantaui. Flores nondum uidi. Folia minuta & ordine quadruplici bina profert, quibus unum in summo accedit. Hyeme superiore plerique isti frutices frigore perierunt.

Rubia satiua diu durans, & plurimùm se propagans, G. Syluestrium una communis, ubique nascitur. Alia syluis familiaris est, eaque duplex: una minor, & asperior: altera maior & læuior. Omnes in hortis diu durare possunt.

Ruscum ante complures annos plantaui: qui cùm fructum non ferret, & multi ab una radice coliculi prodirent, distraxi in quinque plantas, & partim loco umbrosiore, partim magis aprico posui. Crescunt autem omnes & nullum uidentur solum aspernari.

Ruta procerissima superiori hyeme mihi interiit, tribus ferè cubitis frigore perditis: & uno supra radicem relicto, qui uere repullulauit.

Ruta capraria Italorum, G. Galega uel Gralega uulgò: aliquibus herba Galeni, Gallica, Regallicum. E semine hoc anno mihi prodiit, foliis albicantibus, maiusculis, nullo insigni sapore, (gustaui autem herbam recens è semine prognatam.) Pulchre à Dodonæo pingitur.

S.

Sabina non maior solùm & pungens quæ Cupresso comparatur, Tiguri in hortis habetur, eaque frequentior: sed etiam minor quæ pungit, & comparatur Myricæ, in horto Petri Figuli Lithotomi & Chirurgi optimi, amici & compatris mei charissimi.

Sampsuchum. Vide in Abrotono.

Satureia albis floribus, per hyemem quoque ut Hyssopus perseuerans, V.

Scarlata flos. Vide in Viola Mariana.

Scordium, V. G. In uase quidem magno pulchrius id mihi aliquando quàm in terra

terra prouenit. Proxima hyeme tectum stramine ferè computruerat, nisi cauissem. Loco humido & palustri (sed uentis exposito) nimirùm lætius proueniret.

Sesamoides minus uel Elleborus luteis floribus, V.

Seseli Peloponnesiacum quod Matthiolus pingit, è Rhætiæ montibus allatum proximo uere doctrina & pietate excellens uir Io. Pontisella Curiæ ludimoderator ad me misit: speroq; id melius duraturum, quàm quod ante annos aliquot plantâram: nam per totam hyemem superiorem Curiæ, in horto Io. Fabricii Ecclesiæ pastoris eximii, cœlo humiliori assuescere cœpit.

Sferra cauallo Italis dicta herbula, Ornithopodio Dodonæi similis, siliquis incuruis, quarum singulæ soleas ueluti equorum, per interualla aliquot referunt.

Siciliana ab Italis dicta, formosus frutex, V. Hæc doctissimo Fuchsio Androsæmon ueterum (ut audio) uidetur, etsi neq; flos tritus, neq; etiam folia, manus sangui neo succo inficiant, cùm id Hypericon uel Ascyron faciat, quibus ob hocipsum Androsæmi uocabulum adscitum est. multò magis autem id facere debebat Androsæmum ipsum primario proprioq; nomine eam ob rem (ut Plinius exprimit) sic appellatum. Hæc amicus quidam noster. Anguillara non per S. sed per C. Cicilianam scribit, & Clymenum Plinii interpretatur, aliud à Dioscoridis Clymeno. Ego Plinii Clymenum Hederæ foliis, omninò pro Periclymeno accipio, sicut & Clymenum Theophrasti. Clymenum uerò quod Græcos Plantagini comparasse tradit Plinius, Clymenum Dioscoridis est.

Smilacis asperæ semen plus semel terræ mandauit, ortum illius ad triennium usque intactis areolis expectans, sed frustrà, V.

Smyrnium, V. idq; uerum (inquit) Dioscoridis, ut mihi uidetur. semē etenim rotundum instar Brassicæ profert, nō oblongum ut Olusatrum uel Petros. Macedonicum officinis dictum. Ortum est proximo uere. imminente autem Canis ortu, exaruit herbula illius: putabamq; planè de illa actum esse. sed accedente autumno rursus emersit, atq; per totam hanc hyemis (anni 1559) clementiam, uiridis herbula uisa est, sicut & nunc insequuto uere. Crediderim illi apricitatem loci noxiam esse, nam studio apricum locum selegeram, sperans me maturitatem promoturum. Semen à Luca Ghino medico Imolensi Bononia acceperam.

Solani species orta in horto V. cuius acini (inquit) Halicaccabi nostratis acinos æquabant: colore phœniceo baccarum Asparagi. ferebat etiam in uesiculis acinos. sed frigore præoccupata planta maturitatem non assequebatur.

Sonchi genus, Terra crispa uulgò Auinione, tenera & grata acetariis herba, G. Semina Lugduno accepi. Nascitur etiam in ruderibus & parietibus apud nos Sonchi genus, læue, foliis rubicundis uel omninò, uel aliqua ex parte duriusculis, lacte plenis, amaris, trifariam & profundè incisis: caule pedali, uel altiore paulò, flosculis luteis. Hoc puto (ut doctissimus iuuenis medicinæ candidatus Io. Bauhinus noster nos monuit) Anguillaræ Lactuca syluestris illa fuerit, cuius meminisse ait Galenum lib. 2. uidelicet De alimentis, cap. De Lactuca. G.

Solanum syluaticum quaternis foliis, (raro quinis,) loco umbroso hortuli mei plantatum, diu durat, seq; suis radicibus repens propagat.

Sorbus torminalis G.

Spatula fœtida uulgo dicta, V. G. prouenit autem mihi ex semine altero anno. Cordus & alii quidam Xyridem hanc Diosc. faciunt. Sed Dioscorides (ut V. obseruauit) Xyridi caulem crassum cubitalemq; dedit, in Spatula autem illa neq; crassus neq; cubitalis est. Semine satis respondet, ut & radice: quam quidem primo non crassam, sed capillarem monstrat.

Spatula fœtida alia: cuius semen primo anno non exit, V.

Stachys, floribus ⁎, gratioris odoris quàm Germanica, à Fuchsio et aliis data, V.

Styracem Augustæ Vindelicorum in horto habet excellentissimus medicus Adolfus Occo: & refractum ab eo stolonem cum radice anno superiore mihi donauit:

qui terræ commissus à me & toto anno relictus, permansit quidem uiridis, sed non germinauit, nec apprehendit etiam, ut animaduerti cùm tandem euellerem. superior enim pars aruerat, sicut & infima radicis, in medio adhuc uirebat. Vnde colligimus arborem hanc diu durare posse si semel apprehenderit. Venetiis in hortis quibusdam Styraces satis magnæ uisuntur: & calidioribus Italiæ tractibus etiam suæ spontis inuenitur, lachrymam tamen, ut in Syria, non fundit, Anguillara teste.

T.

Thlaspi Creticum, G. V. Acrius hoc amariusq́; est illo quod Fuchsius & alii exhibent: quanquam hoc propius ad Dioscoridis descriptionem accedat

Tithymallus myrtites uel myrsinites, V. G. non tali fructu seu capite, ut Matthiolus pingit: sed sicut reliqui Tithymalli tum flore tum fructu: maiore tamen: & cùm maturuit testa dura, ut in nuce, semen maiusculum & subruffum includit. Coliculi ab una radice quàm plurimi sparguntur: quorum nullus primo anno floret: secundo autem, aliqui eorum, ita ut plures ferè sine flore relinquantur. tertia æstate quid fiat, nondum animaduertere potui.

Tithymallus dendroides quidam, uel Turbit quorundam: missus à te, humanissime Calceolari, & resecta superficie plantatus, nondum regerminat mihi. Idem autem, aut certè simillimus, circa Argentinam sponte crescit.

Trifolium asphaltion, generosa certè planta, si illius & sapor & odor apud nos non deficeret, V.

Trinitas appellata Italis, Germanis Hepatica aurea duplex: minor, quarum communior flores cœruleos profert: rarior, albos, & maior: quam tuæ liberalitati acceptam refero mi Calceolari, punctis albis per folia insignis, G.

V

Verbesina (ab aliqua puto foliorũ cum Verbena similitudine, aliâs Forbesina,) Italis dicta, passim hîc in palustribus emicans, G. Videtur autem mihi ea planta floribus Indicis uulgò dictis cognata, flore quidem multò minore, semine simili, & odore ferè, similiter annua & aquosis gaudens, &c.

Viola Mariana (uulgò Scarlata, Scharlach nägelin,) V. Herba est similis suis foliis Saponariæ uulgò dictæ, quã Dodonæus Alisma facit: sed flore prorsus Caryophylli seu Betonicæ altilis, minore, &c. Sed alia est Viola Mariana Dodonæi, quã alii Medion appellant: nomine recenti à diua uirgine (propter pulchritudinẽ floris opinor) conficto. nam & flos Iouis noster, Lychnis Matthioli, pulcherrimo flore, unde etiam Cœli flos à nostris dicitur, ut olim nimirum Iouis, ab aliis Marien rößle, id est, Rosa diuæ Mariæ uocatur. Alia etiam Viola marina Plinii, cuius meminit lib. 1. cap. [illegible]. Tusculanam Violam odoratiore & augustiore (nisi angustiore legendum sit) aliquanto folio describens, quàm marina Viola sit. Ego Violam marinam aliam nondum noui, quàm Leucoium marinum.

Viola fruticosa, pulcherrima planta, Martiæ, seu nigræ Violæ foliis & floribus consimilis per te primùm inuenta, optime Calceolari, & mihi communicata: quæ si non creuerit, ut metuo, quoniam radix infirmior est, & longo itinere allata, semina ab humanitate tua expectabo.

Vitex uel Agnus Norimbergæ in horto Ollingeri. Hoc obiter moneo, nuperrimè mihi obseruatũ, Theophrasti plantas quas Ison uel Oeson ἴσον, uel οἶσον quorũ posterius tantùm probo) uocat, ab Agno nihil differre, ut Plinii & Eustathii authoritate confirmari potest. nam quæ de Iso Theophrastus, eadẽ ferè Plinius de Vitice .i. Agno: & Eustathius Homeri interpres οἶσον interpretatur Agnon: quamuis alibi Salicem aut speciem Sparti. sed Agnũ Latini quoq; Salicem Amerinã nominant. Gaza imperitè ex Theophrasto Ison, Aequum, & alibi Oeson Iuncum interpretatur.

X.

Xiphium Dioscoridis nunquam, bis autem seui, mihi prouenit, loco ad quartum usq; annum uacuo relicto: cùm Patauii inter frumenta nascatur: & forsan apud nos etiam cum frumentis satum emergeret, V.

FINIS.

ENVMERATIS Germaniæ hortorum Stirpibus, quotquot mihi hoc tempore, curiosius etiam inquirenti, in mentem uenire potuerunt: quoniam huius enumerationis Appendicem tuo nomine (ornatißime Calceolari) dedicaui, uolui hîc ad finem illarum etiam, quæ tuo in horto pariter, & illustris illius uiri palatio Veronæ, tua opera proueniunt, plantarum subijcere nomina: ut hoc etiam incitamento ad hortos tuos uarijs Stirpibus augendos, remq; herbariam uniuersam illustrandam, & plurium Italiæ hortorum catalogum (ut petebam) instituendum exciteris. Sic enim simul nominis tui fama nobilitabitur; simulq; posteritas quantum his principijs, quorum nos sumus authores, tu in Italia, ego in Germania, debeat, grato animo intelliget. Sunt in Anguillaræ sententijs De plantis, Italicè scriptis, quas nuper mihi dono donasti, quædam ad rem hortensem, & Italiæ imprimis hortos, pertinentia, quæ idcirco non excerpsi, ut tibi totum hoc negocium proprium relinquerem. Sed nunc Stirpium hortorum tuorum nomina, ita fere ut abs te accepi, ordine literarum recensebo, idq; breuißime simplicißimeq;.

Aconitorum uariæ species, & inter alias una mirabilis, cuius radix plurimis per interualla nodis constat, quorum singuli singulos ueluti scorpios referunt: sed hanc Doronici uulgò dicti speciem esse, flores & folia ostendunt, &c. in hortis non diu durat. Aegilops uerus, Agni seu Viticis plantæ multæ, Aloë, Alypum: Alyssum duplex, unum Dioscoridis, alterum Plinij, Amarantus, Ambrosiæ species: Amellus Vergilij, Conyzis puto cognatus: Amomum, ut doctissimo Anguillaræ uidetur. apud nos quidem is frutex sponte crescit in aquosis: & ego Pseudamomum iam olim appellare solitus sum. Anagyris, Anchusæ diuersæ, Androsæmum, Anemonæ species, Apios, Apocynos, Arabis seu Draba, Arbutus, Arisari species duæ, Aristolochia longa & tenuis, Asarum, Aster Atticus, Astragalus Dioscoridis, Atractylis. A.

Berberis: Bifolium, Ophrys Fuchsii puto: Botrys. B.

Cacalia, Cachrys, Caucalis, Centauriũ maius, Chamelæa, Chamelæon albus seu Carlina, Chamæpitys, Cisthus, Clematis altera: Clymenum, uulgò Saponaria: Colocasia, Conuoluuli species cœrulea, uulgò Flos noctis: Coris: Crithmus spinosus, seu Pastinaca maritima, Cynocrambe. C.

Daucus Creticus, Dictamnus Cretica, Doronicum Auicennæ, Dorycnium, Dracunculus maior. D.

Echium, Elichrysus, Eringium maritimum. E.

Ficus Indicæ aliquot, quæ hyemis elapsæ iniuria omnes perierunt: Fœnogræcum, Ferula ex Apulia. F.

Genistæ duæ species, Gentianæ duæ species, Gladiolus Indicus elegans, Glaux, Glycyrrhiza [Dioscoridis, ni fallor.] G.

Heliotropium maius & minus, Hipposelinum, Holosteum, Hyacinthi, Hypericum. H.

Isopyrum. I.

Laserpitium, Laurus Alexandrina, uel Bonifacia uulgò, Lentiscus, Leontopetalum, Libanotis, Ligusticum uerum, Ligustrum, Lithospermum, Lonchitis arbor, Lycium uerum, Lycii species. L.

Mandragoras, Marum, Medium, Melilotus uerus, Mespilus prima, Momordica siue Balsamina, Myagrus, Myrtus. M.

Nardus Celtica & montana, quæ in hortis parum durant: Nux methel. N.

Onobrychis, Origanum onitis. O.

Paliurus: Panaces triplex, Chironium, Heracleum, & Pharnaceum, uidetur autem mihi Pharnaceum non aliud esse quàm Centaurium maius, ex Plinio: aliqui herbam Doriam Italis uulgò dictam interpretantur, quæ cùm Lapathi folium habeat, Chironium Panaces potius fuerit: etsi in huius historia pro Lapatho, alia lectio sit, Amaraco. Itaq; Hyssopum campestrem à Trago Germanicè dictum (Dedenbyssop) à quadam foliorum similitudine, pro Chironio Panace quidam accipiunt. Herbulam quidem illam, uulnerariam esse constat. Pityusa, Platanus, Po- P.

lium, Polypodium, Poma amoris alba & rubra, Psyllium, Ptarmica Fuchsii & alia, Pulsatillæ species duæ, Pyrethrum.

R Radix Rhodia, Rhamnus, Rhododendrum rubro & aliud roseo flore, Ruta syluestris quæ & Harmala.

S Sambucus racemosus, Saxifragiæ species rara & miræ efficaciæ: Sedum maius, quod proxima hyeme tibi periit, sponte in maritimis nascens: Sesamoides: Seseli triplex, Aethiopicum uerum, Massiliense & Peloponnesiacum: Sideritis: Solani species diuersæ, furiosum, halicaccabum, somniferum, peregrinum: Spina alba, cui flos in echino subcœruleus: Stachys, Staphisagria, Staphylodendrum uel Pistacium syluestre, Stramonia, Symphytum petræum.

T Terebinthus, Thlaspi species duę, Thymelęa, Thymus Creticus, Tinus uel Laurus syluestris, Tithymalli omnes, Tora, Tragacantha, Tragoriganum, Tragus uerus, Tulipani pulcherrimis floribus, ceu liliis, Turbit.

V Verbasci genera tum alia, tum lychnites: Vmbilicus Veneris primus & secundus: Vnifolium. Et alia complura.

DE SCILLA ET EIVS SPECIEBVS CONR. GESNERI *iudicium ad Franciscum Calceolarium Pharmacopolam Veronensem.*

SCILLA nostra uulgaris, siue Pancratium sit, siue alia species Scillæ, rectè & utiliter in Theriacam additur: & uires omnes, quas ueteres Scillæ attribuunt, egregiè præstat, ut plurimis experimentis constat. Quamuis autem folium Lilii eam habere aliqui obiiciunt, non Aloës, quod Dioscorides requirit, non idcirco tamen à Scillarum genere excludi, & tanquam uenenosa reiici debet. Matthiolus eam damnat, quasi mitiorem iustè, & parùm efficacem. Anguillara contrario nomine, quasi nimiùm uehementem & uenenosam. Ego tanquam bonam & conuenientem antidotis approbo. Debent enim ad antidotos quæ in eodem genere efficaciora sunt deligi, potius quàm lenissima. Esto uehementior quàm Scilla alba edulisq́ue, (Scillæ nomine adhuc in quibusdam Græciæ insulis nota, ubi Scillam nostram Cepulam caninam uocitant, ut Anguillara docet,) at eo medicatior est. Esto uenenosa, si in cibis, præsertim sæpius & copiosius, sumatur: non tamen uenenosa erit, si præparetur quo debet modo, & aliis multis misceatur: sed iam uenenorum & morborum multorum alexipharmacum fiet. Alba uerò & edulis si sic præparata antidoto misceretur, omnem uim medicamenti exueret. Esto Pancratium, ut uult Anguillara: non ideò tamen uenenosa erit in antidoto, nec reiicienda: cùm ueteres Græci medici, Pancratium adeò simile fecerint Scillæ, ut ab aliis simpliciter quoque Scillam, ab aliis Scillam minorem appellatum, & iisdem omninò uiribus pollere, mitioribus tamen, scripserint. quòd si uenenosius esset quàm Scilla, mitius profectò dici non deberet. Et ut ueneno eam non carere concedamus, non tamen ab antidotis excludenda est. nam Plinius quoq́ue uim ueneni Scillæ tribuere uidetur, cùm scribit libro 20. cap. 9. oxymelitis scillitici tantam uim esse, ut animæ extinctæ speciem momento aliquo præbeat. id quod nos etiam à uino scillitico factum obseruauimus in muliere, quæ eo poto in uteri strangulationem, aut persimilem ei affectum ad breuissimum tempus incidit. Arabes etiam de Scilla uenenata, loci natalis præsertim ratione, loquuntur. Authores cùm albam Scillam eligi iubent, præcipuè ad acetum scilliticum, hoc ipso ostendunt, aliquam etiam esse ruffam Scillam. quæ quoniam uehementior est, præparari debet, ut minore periculo sumatur, assando, torrendo uel elixando. alba uerò cùm innocentior sit, pręparari aliter non indiget, quàm ut in taleolas secta siccetur in umbra pro aceto uinoq́ue medicatis ex ea parandis. Ad theriacam

uerò

uerò Scillam albam deligere nemo iubet. Iam quòd ad magnitudinem attinet, Scilla uulgaris nostra, duplex uidetur, maior & minor: quòd si aliter quàm ætate differt: minorem, Pancratium dixerim: maiorem uerò Schinum, quo nomine ueteres (Hippocrates, Aristophanes, Theophrastus) Scillæ speciem nominarunt: etsi Gaza malè Lentiscum uerterit: ut & Cicero ex Arato: nisi forsan & ipse Aratus homonymia nominis deceptus, transciptum ab aliis Schini nomen, pro Lentisco arbore acceperit, &c. Hispanica certè Scilla, quam cæteris acriorem esse aiunt, & maiorem, folio Aloes, simpliciter Scillam appellârim: eaq; si ad manum foret, præparata ad antidotos uterer. Ego ex homine docto & fide digno cognoui, toxicum etiam apud Hispanos ex Scilla parari, sicuti ex Elleboro: quod magnum ipsius uehementiæ argumentum est. At Scilla edulis alba, quam in Creta & Cephallenia adhuc esitari Anguillara tradit, non simpliciter Scilla, ut ipse putat, sed Epimenidea Theophrasti uocari debet. Diuidit autẽ Plinius quoq; Scillam in genus medicatũ & cibarium. Quòd si, ut dixi, Scilla nostra uulgaris minor, Pancratium est: & à maiori specie differt: uulgaris maior, (quæ tum ruffa, tũ albicans (ut audio) adfertur: quæ colorum discrimina haud scio an in minori quoq; reperiantur,) non temerè Schinus uocabitur. Galenus quidem dubitat an Schinus Hippocrati idem quod Scilla sit, uel aliqua eius species: sed ex Theophrasto à Scilla differre, eiq; cognatam esse, liquido apparet. Plutarchus Periclem schinocephalum cognominatum tradit, ab oblonga & acuminata capitis figura: additq; Schinum pro Scilla accipi. Hæc de Scillæ generibus habui à me diligentius obseruata: ex quibus etiam constat (ornatissime Calceolari) paratam à te nuper theriacam antidotum, è uulgaribus Scillis trochiscos non temerè recepisse. Scilla Theophrasto ter floret anno, & tria arandi tempora significat: & Arato similiter, etsi is de messe loquatur. Sed Aratus primò Schinum ter fructum producere ait: deinde etiam Scillam ter florere. Et quoniam is primùm ab Ilicis simul & Schini fructibus, prognostica quædam tempestatum signa exponit, de duabus arboribus sentire uidetur, Ilice & Lentisco: cùm Schinum uerisimilius sit, illum quicunq; hoc ante eum scripsit, à quo ipse nimirum est mutuatus, pro Scillæ specie accepisse; sicut & Theophrastus alibi accipit. Lentiscus quidem an ter floreat alicubi, non constat mihi: non sit autem mihi uerisimile. Scillam ter florere minimè dubito: non ubiq; tamen, sed in Græcia & notis Theophrasto locis. Σχῖνος igitur per iota in prima fœminino genere Græcis Lentiscum significat, & antiquioribus eorum aliquando speciem Scillę. Σχοῖνος uerò per οι diphthongum, masculino genere Iuncum. Vale Tiguri Cal. Iunii. Anno M. D. LXI.

CONRAD. GESNERVS AD LECTOREM, DE QVIBVSDAM VEL EMENDANDIS, VEL ADDENDIS IN suo De hortis Germaniæ libro.

ad. adde. l. lege, quod tamen plerunq; subauditur.

NVMERVS *prior paginam designat, cum a. adiecto facie priori, cum b. posteriori. Posterior uersum. quod si unicus est numerus, is uersum solum paginæ prius nominatæ indicat.*

CVM Librum nostrum De hortis Germaniæ recens impressum, nondum tamen absolutum, cursim reuoluerem, deprehendi emendanda quædam, partim leuioris momenti, quæ hîc nõ attingam, quòd à quolibet mediocriter literato Lectore, facillimè emendari queant, ut sunt accentus, distinctiones, & alia leuiuscula: partim paulò grauiora, quæ prætereunda non duxi, siue ea typographorum culpæ, siue meæ etiam inter condendum festinationi sint adscribenda. Pauca quædam bis posita occurrent, quod ita contigisse puto: dum libri iam pridem missi editio differtur, alia complura obseruaui, quæ seorsim conscripta ad typographum misi, ac suis locis inseri iussi, in quibusdam non satis memor prius etiam fortè annotata fuisse. Nuper etiam in peregrinatione per Rhæticas alpes, quædam addidici, & alia aliunde animaduerti: quorum paucula huic libro adijcere uisum est.

237. a.29. l. calidioribus 31. l. ætiologicis. 52. l. libri sexti caput. 237. b. 13. l. propriæ. 238. a. 2. post, usus, punctum ad. & l. His etiam conueniunt pergulis, &c. 19. l. excellunt. 238. b. l. Zuuinggerus. 239. a. 1. l. Coldenbergius. 22. Volmarius. 239. b. 27. medici. 37. indicabimus. 240. b. 11. l. PARS I. Quæ consideranda sint ante sationem. 44. l. efferri. 241. a. 1. l. PARS II. Quænam in ipsa satione considerari debeant. 241. b. 48. l. PARS III. Postquàm, &c. 242. a. 35. Cinis lixiuus, id est, à lixiuio relictus, 46. post. Winterkreütter ad. Quædam utriusq; generis reperiuntur, ut in Hordeo, Lino, Cannabi, &c. habet enim horum unumquodq; species duas: quarum una æstiua, altera hyemalis est. 242. b. 18. in fine uersus ad. In aprico enim horto odoratissimum hunc fruticem inuenire memini: & iuxta murum, partim etiam ex ipso muro lætissimè nascentem. 41. l. ut Fœniculo: & alijs quibusdam licet non umbelliferis, ut Fabæ inuersæ. 48. sed etiam Iulio. In fine eiusdem paginæ ad. Atqui flos seu Caryophyllus Indicus aut Tunetanus uulgò dictus, tum maior, tum minor, cum annua herba sit, folia tamen florum multiplicat: sicut & Calendula. 243. a. 18. l. quæ ouium fimo. Post uersum 34. FINIS, dele. 51. Coldenbergius, & similiter in sequentibus, sicubi citatur, l. 243. b. Lemanum. 21. medicus & chirurgus. 22. hortum ac in eo. 37. Verba hæc, Vtrunq; auulsis aut f. r. p. & facill. comprehendit, abundant. 39. l. non procul Roteuilla, speciem Abrotoni inueni, per omnia s u. n. mari, sed proceriorem, candidiorem. 46. ad finem uersus ad. Species eius iam dictæ omnes auulsis aut fractis ramulis panguntur. 51. l. Bernensium, plurimum in Rhæticis, sed plerisq; multò minus. 244. a. 2. l. meo per al. m. non sat bene, uirens potiùs quam crescens, postea interijt. 11. prouenit. 20. post, hortis. ad. Plantam unam ultra biennium durare non puto. 39. post, uidi. ad. Sed hoc fortè Cotulæ genus aliquot fuerit potius. 244. b. 3. l. Accepi & tertiam speciem a. f. è. C. missam. Lynbaum appellant: cuius truncum quinq; cubitorum satis crassum, supernè amputatum, plantaui. facillimè crescit. 38. l. Quidam Aconitis adnumerant, &c. Erroris causa fuit quòd amicus quidam ex Italia Trollium dictum à nostris florem ad me misit, & à Matthiolo Aconiti speciem censeri scripsit. ego posteà inspectis quas Matthiolus ponit iconibus, nullam cum eo conuenientem reperi. Aconitum quidem tertium eius aliquo modo accedit, sed multa habet diuersa: si modò uerè pictum est. ego tale hactenus non inueni. Scribit Matthiolus negasse me inuenire Aconitum tale, & in eo me decipi. Ego uerò etiamnũ nego Aconitum esse quod ipse pingit: &, si probè pictum est, omnino Ranunculi speciem esse, non Aconiti, assero. Post uersum 48. Insere hæc: Aconitum aliud, radicibus duabus, ceu Napis, diuaricatis: folijs minùs diuisis & tenuioribus quam reliqua ferè Aconiti genera. G. E Lusio monte propè Vuallestadium oppidum ad Riuarium lacum Heluetiorum. 245. a. 2. post, appellant, a. quoniam prope niues inueniatur, (sicut & Doronicum,) mox ut nix liquata est, apparens ac florens. 37. l. natam iam b. f. i. h. h. A. 41. Eadem prouenit. 44. uidetur quibusdam. 245. b. 16. nostro, flore luteolo, &c. 17. l. flore ferrugineo, uulgò Frawenschüch/ K. Videtur autem eadem superiori: cuius flos quidem luteus est: folia uerò flori adiuncta, ferruginea. 21. l. &c. Müterwurtz. Hæc in altis Heluetiorum Rhætorumq; (ubi Pregalienses Plantaginem syluestrem uocant) montibus crescit. In Sueuia etiam in planitie repertam mihi puto. In hortulo plantata mihi breui interijt. Vide infrà in Caltha alpina. 25. oblonga, transuersa, & calcei ferè forma, &c. 28. Dele hunc uersum totum, et sequentem usq; ad, uocant. Quæ uerò sequuntur, refer ad uersum 40. ubi ita l. nascitur apud nos copiosè. Viuax in hortis, & reliqua. 39. l. Allium syluestre, bifolium, ursinum. Ad finem uersus 32. distingue, & ad & modicè uiscoso, ut Cytisi, cui cognatum uideri potest. 51. genus. 247. 2. l. communicauit K. Anguillara Enneaphylli nomen huic generi adtribuit. 3. Pulsatillam. 8. alibiq;. 18. post, montanis. ad. Aut hæc ipse Narcissus est potiùs: Anemone uerò limonia Theophrasti, alius quidam syluestris bulbus, Tulipa quorundam fortè: uel Hermodactylus aut Dens canis circa Bononiam dictus. 39. Antirrhini. 247. b. 17. ad finem uersus ad. Græci uulgò eiusdem planè generis herbam, cultu solùm differentem, quam nuper Clauennæ in horto suo Franciscus Portus Cretensis, Græcorum omniũ hodie facilè doctissimus, ostendit, & semina communicauit. Selinon hodieq; uocitant. 248. a. 3. post, Gei-

nier

hier a. Fabaginem uel Siliquastrum, teste Bellonio, recen=
tiores nescio qui. 22. post, loquitur, geminum nota: &
ad. mihi certè Aceris apud nos uulgaris speciem de=
scribere uidetur. 28. l. idem nomen Ceratoniæ ma-
gis. 30. uerba hæc, Videtur autem C. Th. e. abun=
dant. 31. Arbuscula syluestris, initium noui uersus esse
debet: sicut etiam uersu 35. Arborem uitæ. 38. l. Lutetiæ
est Sabinæ genus. 39. post, olent, ad. quidam uitæ arbo=
rem uocant. 51. Clematitis. 249. a. 48. pro atris l. altis
23. post, docet. ad. Aliqui Italorum uulgò Perlaro uoci=
tant. Ad finem uersus 46. ad. Huic eadem aut persimi=
lis uidetur quæ infrà describitur Conyzæ maioris nomi=
ne. 250. a 8. pro, infrà l. suprà. Ad finem uersus 18. ad.
Vide Cotinus. 2 . desiderantes. 35. post G ad. Anguillara
tamen hanc herbam hodieq; in Græciæ multis locis Ἀγύρις
uocari scribit. 50. l in Sicla nigra mentionem eius facit.
250. b. uersus sextus & septimus coniungi debent, & ita
legi: Blitum mac peregrinum, folijs ceu Amaranti maio=
ris, C. G. Corchoro c. d. &c. 20. l. albis etiam fl. 46. l. Bul
monach. Q Lunaria. Ad finem uersus 48. ad. Floribus
albicantibus, G. 251. a. 52. post, alpina l uocetur. Ad
finem ultimi uersus a. V. suprà, Alisma alpinum. 251.
b. 27. l. Carduus benedictus, G Cnecus uel Atractylis syl=
uestris. In plurimis apud nos hortis, propter magnum &
multiplicem eius in remedijs usum, ne uulgò quidem in=
cognitum, colitur 29. post, satus. ad. Sponte nasci in
Lemni campis scribit Bellonius, & uulgò Gaiderá=
cantha, id est, Asini spina uocari. 252. a. 8. ad finem
uersus ad. Anguillara hanc Lappulam canariam Pli=
nij facit. 12. Cazalepra. 20. seipsam. 29. post, baccam
ad. (acinum potiùs) 36. l. Rechbeere.. 39. In ca=
lidis. 252. b. 6 post, G. ad. At Curiæ in horto Fabri=
cij nostri satis aprico, ad parietem, ubi Sol reflectitur,
plantatum, nuper Iunio mense pulchrè florere uidi:
ubi semen etiam anno superiore protulit. 14. seratur. 15.
post, squalore, ad. ut tradit. Et inferiùs post Cerasio=
rum mentionem subde hæc uerba: Cerasus apud nos ra=
rißimè inseritur. Ex insitione quidem, ut Curiæ & alibi,
in Italia alibiq;, multò maiora & solidiora poma fert. E
nucleo natam octauo uel decimo anno fructificare aiunt:
ex insitione citius. Et mox à noui uersus initio: Cerasus
Trapezuntia, uel Lauro cerasus, Pisis in horto Ducis. Re=
peritur & Genuæ, arbor magna & semper uirens, Bello=
nio teste. 38. post, conatus sum, ad. Huius species altera,
ni fallor, reperitur arborescens ferè, fructuq; gemello, in
montibus propè Curiam: & in Burgundia, 40. ad fi=
nem uersus ad. quatuor cubitorum: sicut & in monte pro=
ximo supra Vuesum oppidum Heluetiorum ad Riuarium
lacum, Tintenbeere uulgò uocitant, &c. 51. l. refert flo=
ribus albis. & ad finem uersus 52. ad. Hanc in horto Chri=
stophori Piperini nostri natam audio. mihi quidem diffi=
culter in hortis ali poße uidetur. 253. a. 34. emicat. 53.
b. 29. aliquod. 254. b. ad finem uersus 8. ad. Cœruleo in
Rhæticis alpibus Bauhinus noster inuenit. 27. l Vide
Carduus benedictus & sequentia dele, usque ad Co. 255.
a. 35. ad finem uersus ad. Vide in Bacchari. 34. post, ser=
ratis, adde, albicantibus & lanuginosis, ni fallor, inodo=
ra. Et uersu 35. ad. Sexto interijt. Sponte alicubi cre=
scit in ripa lacus nostri, radice admodum capillata candi=
dis & prolixis fibris. 45. post, quam l. itidem aliqui ue=
terum Corchorum nominant. 255. b. ad finem uersus 21.
ad. Anguillaræ Cotinus est arbuscula, quam Itali uulgò
Scotano uocant, alibi Rosa. Eandem nos Barbam Iouis
Plinij facimus. Vide suprà. Ad finem uersus 35. ad. Te=
lij, qui uicus est præclarus Tellinæ uallis, in horto ad ma=
ceriam consitum uidi. repit autem suis radicibus per ma=
ceriam quoque: & diu durat. 44. post, alpinus, ad (idem
nimirum genere syluestri iam dicto,) 256. a. 9. post, est
ad diuersi generis. 256. b 4. pro idem l Italicus. 6. post,
futurus. l. Sed breui perijt. 12. ad finem uersus ad inde an=
te menses aliquot mihi missus à Calceolario Veronēsi phar
macopola, etiamnum mihi uiret Eundem postea ac simi=
les Daucos in Rhæticis montibus circa Burmium alibiq;
inueni. 15. ad finem uersus a. Dodonæus Tomo 2. iconum
pag. 56. Apium palustre nominat. Sed non placet cum
Eleoselino ueterum idem significante nomine, homony=
miam fieri. 38. l. Pseudodictamnus. 52. pro ad l. apud. 257.
a. post. floruit ad. Hoc anno uixit quidem, sed non floruit.
22. post, uescuntur ad. Et ego nuper ex folijs coliculisq; eius
acetarium paraui, quod ut longè suauißimum mihi fuit,
ita etiam saluberrimum. 29. ad finem uersus ad. Eandem
herbam nuper inter Curiam oppidum Rhætiæ præci=
puum, & Rhenum fl. satis abunde reperi. 48. ad finem
uersus ad. His scriptis à Fr. Calceolario Veronensi phar=
macopola accepi, hanc herbam etiam florentem reperiri.
257. b. 14. herba, dele. 17. post, albam a. (ut Anguillara)
20. ad finem uersus ad. Alia est Leucacantha, id est, Alba
spina, de qua inferiùs. 23. ad finem uersus nota geminum
punctum, & ad. quam Itali Egano & Giegano nuncu=
pant: Anguillara non Laburnum, quòd lignum eius non
sit album: sed alteram Ebeni Theophrasti speciem esse uult.
33. post, noster sit, dele quæ sequuntur uerba, usque ad, cum
Diosc. 258. a. 11. maritimum 44. post, nominat l. uel Si=
liquastrum, arborem Indæ, de qua suprà scripsimus: fictis
scilicet nominibus. 52. ad finem uersus nota geminum pun=
ctum, & ad. alij potiùs ad Ornithopodium Dodonæi refe=
runt. 258. b. ad finem uersus 9 notato gemino: ad. sed non
durauit. 259 a. dele hæc uerba, nos fl. I. p. u. ex Theoph.
& Germanicum nomen quod mox sequitur: in cuius lo=
cum hæc substitues: Sed cauendū est ne quis plantas quatuor
Theophrasti diuersas, Phlogem uel Phlogion, & Diospy=
ron (arborem, quam Gaza Latinè Iouis flammam uertit,)
& Lychnidem, & Iouis florem confundat. Vide infrà in
Iouis flore. 259 b. 12. Alimi. 13 ad finem uersus ad. Hæc an
Pilosella uulgò dicta sit, quærendum. 17. quædam. 29. ad
finem uersus ad. Paulùm sub uertice Braulij montis al=
tißimi, qui Burmio Vallis Tellinæ oppido summo immi=
net, Fragariam paruam luteo flore inueni huius fraga Au=
gusto demum maturescere, & suauißima esse aiunt. 260.
a. 9. post, prouenit ad. (sed non durauit,) 18. dele hæc
uerba, Rhaponticum uulgò d. 260. b. 7. post, produrat no
ta geminum: & ad. radice inodora. 8. post, maiore ad. Hoc
in hortulum translatū iam bienniū mihi durauit, nec dum
floruit. Radice odorata. Reperitur & quartū alpinum, sed
multò rarius, (nam proximè dictum in plerisq; altis mon=
tibus, & quidem frequens est,) longioribus folijs: flore ma
iore, luteo: quod Io. Fabricius è Galanda mōte iuxta Curiā
siccum ad me misit. Deinde dele hæc uerba, proximo au. p.

àm.i.h.t.n.q.u.s. 17.post,perfecit,nota geminum:& ad. durat'q; etiamnum. In fine uersus 20. ad. Quòd si quid Victorialis hæc rotunda à Gladiolo Dioscoridis differt, species eius saltem proxima fuerit. 27. post,colitur. l. Polygalon uel cog. In fine uersus 32.dele G.& ad. Hoc equidem Polygalon Rhæticum dixerim:& aliquoties in horto plantaui, sed non durauit: siue quòd radices non satis integræ fuerint,siue quòd prata montana requirit,aut aliam ob causam. A Curia in pratis Vuallestadium usq; inueniri audio,nec ampliùs postea. [Reperi & luteo flore cognatam ei speciem in montibus.] Hoc pabulum uaccis lac augere uulgò creditur: unde & Polygalon uaccinum cognominari potest. Versus 39.deleatur, & in uersu 40. etiam hæc uerba hortorum,a.s.sp.e.ut &,delenda:deinde l.Gramen Diosc.&c.41. Canaria.42. post, cæmeteria.l. Theophrasti uerò Cyn.45. post, subtrahat. l. Italis uulgò Capriola,Sanguinaria alijs, in areis hortorum alibiq; sua sponte exilit.53. l.rabinum cognominant uulgò in Bernensium aut Vallesiorum montibus lactarij. 261. a. 1. post, neruis,) ad.solidis & mucronatis folijs.2.post,pluribus,l. Hoc anno aut ampliùs in horto mihi durauit:demum sine caule & flore perijt. uaccis,eius pab. Versus undecimus cum tribus sequentibus, abundant. Ad finem uersus 26. ad Eandem aliqui Ebenum putabant nuper. Eruditiores Fabam Græcam Plinij,inter Loti species, interpretantur. 261.b. ad finem uersus 6.ad.Reperitur etiam in alpibus,ut Rhæticis alijsq;, circa saxa. 19. Hemerocalles. Ad finem uersus 47.ad. Anguillara Epipactidem Dioscoridis hanc facit.262.a.39.Hypecoo.52.Iaceæ. 262.b.33.Seris. Ad finem uersus 39.ad.Nos nuper etiam in Rhæticis alpibus syluestrem inuenimus,hortensi odoratiorem. 263.a. 18. soliq;. 25.αὐτὴν & πλὴν. Ad finem uersus 48.ad.Hæc scripseram cum sine flore perijsse animaduerti. Sponte non nisi in altißimis montibus crescit. ego in Branlio Rhætiæ proximè uerticem iugi unius reperi. Persimile est illi Millefolium alpinum , tum forma foliorum, & floribus,tum altitudine ferè pari:sed odore discernitur. 263.b.34.post, odorata.ad.liquore quodam resinoso imbuta. Flore luteo, pappescente,&c. 264.a.post uersum 13.insere,Laurocerasus. Vide in Ceraso.36.ad finem uersus ad.Sponte in Creta crescit,& hyeme uiret,teste Bellonio.41. ad finem uersus ad. Alia est Spina alba, de qua in Echinopode leges. 264.b.ad finem uersus 8.ad.Sic ille. & duos sequentes uersus adiunge.41. ad finem uersus ad. In calidioribus quidē locis,etiam Galliæ,semina proferre audio. 265.a.4.sine. 26.Elegiæ.Ad finem uersus 41.l.Eius species duæ sunt,magnitudine differentes.minor,in altioribus tantùm montibus nascitur. 44.pro luteis l.purpureis. 265.b.2.Hortensem.Ad finē uersus 34.ad. Ad Glaucem potiùs retulerim, sicut et Dorycnium Monspeliensium. 37. l.Iam fortè quatuor cubitorum.Ad finem uersus 4.ad.Crescentiensis Fraxinagolum uocat:Itali Bagolaro circa Venetias:Galli circa Monspelium Micacoulier, alibi Fregolier. Mihi quidē omnino hæc lotus propriè dicta, nempè Lotophagorum uidetur:quam priore loco describit Theophrastus in Pharide insula nascentem,partim cum nucleo,partim apyronon,id est,sine nucleo uel osse.Ab hac differt,quā in Continente nasci tradit: quæ an sit eadem cum Polybij Loto, (Zizipho nimirum, id est, Iuiuba nostra) quærendum.

Plinius Theophrasti descriptionem,& Cor Nepotis(qui ex Polybio transtulit) confudit. Ab his differt Faba Græca,cuius Plinius meminit, Romæ Lotus olim dicta propter fructus suauitatem,&c. 266.a.17.dele hæc uerba, Semen e.I.a.e.u. Et mox l. In Italiæ montibus &c. 22.l. nascitur in pratis, aliquando etiam saxis m. 27. post,G. ad.Sed mihi semen ob hyemem præproperam , non maturuit. 266.b.11.dißimilis.27.Ad finem uersus ad.Transplantaui aliquando sub hyemem plantam quæ proxima æstate ad quatuor cubitos excreuerat, in uas satis magnū: sed perijt. Aliâs multò humilior mihi nata est. 39. digna sint. 40.post,uulgò,ad.pomum. 267.a.26.Acantho.28. subsequutus. 40. post, uiuit, ad.(decimo iam ferè anno, una eademq; planta,) 267.b. 35. ad finem uersus notato gemino:ad. una longiore, altera rotundiore folio. 46. Castaneæ. & in fine uersus, sumpta.50. ad finem uersus ad.Vide infrà in Paliuro Africana. Syluestris quidem Aroniæ species uidetur, quam Sorbū torminalem dicimus. 53.post,annis,ad. Mihi plantæ quædam ante decennium in area sic plantatæ adhuc uirent, etsi quotannis ferè flores ac semina protulerint. 268. a. ad finem uersus 6. ad. Rubrum in pratis circa Curiam ut floris odore,ita specie differre uidetur. 15. ad finem uersus ad. Folia communis læuia sunt.hirsuta, inuentu rarior.25. Caros uel Daucus alp. 27. l. quæ sequente etiam æstate in fine Iunij pulchrè germinabant. 28.l.sed paulò pòst perierunt. Eius pab. uersui 29.subnecte hæc uerba:Flores purpurei sunt. Dauci Cretici loco poni poterit:quo uel efficaciorem esse conijcio. 268.b.15.post,hortensi,l. in altis quibusdam montibus reperi.18.l. In Sabaudia,& iuxta Curiam, circa muros, sepes & rud. 23. ad finem uersus ad. Fistulariam aut Herbam sanctam Itali quidam uocant, Galli Carpentariam. 41. l. syluaticam montanámue. 269.a.9. l. Aloisio Anguillaræ hæc planta uidetur Hippomanes. Ad finem uersus 14. ad. Anguillara quidem Lycopersium esse suspicatur. Pomo d' oro uulgò apud Italos dictum, (Galli puto Amoris pomum uocant,) alijs Pomum de Peru. Alij (inquit) speciem Melenzanæ hanc faciunt. 20.ad finem uersus distingue , & ad.à nemine, quod sciam, hactenus memorata. 24. fœminam.31. prorsus est. 35.l. pulcherrimos anno secundo profert, & annis pluribus durat. 41. dele hæc uerba, Florent a.s.d p. 269.b.13. in fine uersus nota geminum,& ad.sed non apprehenderunt.19.Hyeme 31.in fine uersus ad. Spinæ seu Cardui genus est, cuius hoc nomine meminit Athenæus lib.2. cap.33. Hodieq; in Sicilia (inquit Anguillara) & Calabria Anapordo uocatur, ab Italis Scarzo d' asino. Folia ei lata sunt, parum diuisa, hirsuta & alba. In summo caule,itidem spinoso, echinos ædit,cum floret,purpureos. Semen simile Cnico est, ubiq; nascitur. Post uersum 40.ad.Ophioscorodum. Vide in Pancratio.46.dele omnia quæ sequuntur post.O.52. Heracleoticum. In fine ultimi uersus ad. Hoc mihi etiam nūc Iulio mense floret, floribus candidis, acrius cæteris:anno superiore è semine mihi enatum. Floret etiam alterum peregrinum,nigrius,flore leuiter purpurascente,similius nostro uulgari:sed paulò acrius eo,ut candido hebetius paulò,ni fallor. 270.a.18. Helxinæ. 270.b.2.l.in hortulo primùm uirere cœpit, sed breui interijt.5.l. Paliurus frutex sepimentis idoneus.8.l.Paliurus Africana,quæ & uinosa cogno-

ſa cognominari poteſt, ad ſuperioris differentiam. Apud quidem in Pſeudamomo noſtro non deprehen
nos &c. 9. folio 15. poſt, Ruellius l. Eadem puto Paliuro
Africanæ eſt Connarus Athenæi. Sed illa quam Ruellius
deſcribit, Meſpilus Aronia eſt, ut uir quidam eruditus nos
monuit. Paliurum uerè Aphricam (inquit) deſcribit Io.
Leo in Africæ hiſtoria Italicè conſcripta, capite de Zarſa.
37. l. D. uidi: & communicato ab eo ſemine nunc mihi
quoq; uiret. Semen fert anno ſecundo. 38. Squilla. 271. a.
31. frequentiſsima. 32. hanc. Et mox: Reperitur huius etiam
f. t. p. o. genus. 35. mereretur. 42. ad finem uerſus ad. Li=
quiritiam ſyluestrem aliqui nominant. eam reperi tum in
planis, tum in montanis locis, aſperis & lapidoſis. 51. op=
pidi. 271. b. 7. Durchwachs. 272. a. poſt, paruis, pun=
cto notato. l. Maiores d. q. n. ſ. i. m. S. pratis, (& infra Se=
ptimum Rhætiæ montem, initio Pregaliæ uallis, uidi, Li=
lij etiam odore: & in radice ſapore ſimiliter glutinoſo.
Minor, ut quibuſdam uid. &c. 42. ad finem uerſus ad. Sed
nuper Io. Bauhinus noſter, peregrinationis per alpes Rhæ
ticas mihi comes, in itinere non procul Aluinouo fonte ſul=
fureo, ſibi inuentam oſtendit uirentem. 44. uiret. 47.
Mercuriali. 51. l. appellant, abundant ea. 272. b. 3. Fre=
quentem. 10. poſt conſtat. l. Anguillara quidem nuper
Pimpinellam, Sideritidem ſecundam Dioſcoridis eſſe ſcri
pſit, & in Chio hodieq; Sideritidem uocari. 24. wilder.
25. quæ paulo poſt omnes perierũt. 31. poſt, ſapore ad. (hũc

do,) 41. zingiber. 47. l. non produxit, & poſt aliquot
menſes perijt. 49. craſsior. 273. a. 14. librale. 32. ad finem
uerſus diſtingue & ad. ſemina cuidam amico meo dedit,
ſi bene recordor. Ipſe quidem in ſententijs ſuis Italicè edi=
tis ſuper Stirpium nominibus, Pityuſæ tanquam ignotæ
ſibi meminit. 39. ad finem uerſus ad. His ſcriptis, Aceris fo=
lium, ex Anglia Scotiæ uicina, quod illic pleriq; Platani
eſſe putant, Platani nomine ab amico accepi. 273. b. poſt
uerſum 7. inſere hæc uerba: Polygalon Rhæticum. Tranſ=
fer huc quæ ſcripſi in Glaux. 27. poſt, uaſis. ad. Anguilla=
ra hoc putat Lycoperſium eſſe. Vide ſuprà in Nuce Me=
thel. 50. l. naſcitur, niſi. 274. b. 17. l. Pulmonaria Vege/
tij, eadem quæ Conſiligo eſt. 30. l. adhærentem quandam
Pulm. 42. notato gemino: ad. & in Rhæticis poſtea copio=
ſiſsimum graciles eius nodoſæq; radiculæ reptant, flores
ceu chamæmali ſunt, odorati, Bellidis ſpecie, paulò maio=
res, folijs albi, capitulis lutei. 275. a. 24. l. folia, et pluribus
inciſuris, caulis longior, Sardôum &c. 44. per, Tertius
qui, l. Idem. Ad finem uerſus 53. ad. Tertius, quem copio=
ſum in ſummo mõte Braulio Rhætorum inueni, ſub finem
Iunij florentem, tria aut quatuor folia habet, ſimplicia,
oblonga, anguſta, ſtriata: & florem in humili caule la=
cteum ſingularem, Ranunculis alijs formâ ſimilem. Herba
tota urit, alibi nuſquam adhuc mihi uiſa.

EMENDANDA QVAEDAM IN VAL. CORDI LIBRIS.

NVMERVS *prior folium indicat, poſterior uerſum. Si unicus ſit numerus, uerſum dun=
taxat folij prænominati. a. faciem folij priorem, b. poſteriorem. l. lege.*

89. a. 29. Conſtantes, principio uiridi, mox in ruffo
palleſcente, 39. nigra, ab una parte (nempe in annexu)
cand. 51. enaſcuntur, omnes a. ſpectantes. 90. a. 36. hi
toti decidunt, imis tantùm. 90. b. 38. dele hæc uerba, Si=
meon Sethi fortè Maz. 91. a. 42. ſylueſtri. Et reliquis
in Titulo adde hæc uerba. Scorodonia nomen fi=
ctum eſt: & ſylueſtris quidem hæc herba eſt, ſed
alia eiuſdem generis urbana non inuenitur, ut
hanc ceu differentiam adijcere non ſit opus.
91. b. 6. ſpecie fruticoſa. [Itali quidam, &c. 8.
dictæ. 92. a. Ellebori nigri alterius icon hîc addenda fue=
rat ex Trago. 83. pag. 251. Eſt autem hæc uera Conſi=
ligo.

92. b. 40. coliculorumq; indiuiduis adnatis, 44. quar=
tam 93. a. Icon è regione manus læuæ, inſcribatur, Elle=
borine tenuifolia. 44. Anthora. 93. b. Iconum altera
inſcribatur, Bechium. altera, Anchuſa minima. 34. aut
46. Anchuſis 53. ſed alternatis 94. a. diſtracta: foris, 8. can
dida: 94. b. 15. carnoſis, capitatæ. omnibus i. n. radicibus
20. toto. 95. a. 19. rubentem 21. tenuiorem, d. c. conſtan=
tem 22. qui. 96. a. 39. geniculis 40. ſimilia ferentes. Cau=

les. 97. b. 6. pro rotundam. l. teretem. 98. a. Iconi po=
ſitæ inſcribatur, Thalictrum tenuifolium. Aizoi minimi
titulo adde, luteo etiam florũ colore, aſtringens.]
50. luteis. 52. inutili. 98. b. Iconis inſcriptioni adde: Epi=
pactis Anguillaræ. 99. a. 41. pediculi. 99. b. 9. aliqua
olet, & guſtatus. 100. a. 34. pro quo l. uno. 100. b. 10.
dupliciaq;. 101. a. 31. amplexi. Spicas 39. aut floribus triti=
ci 40. ſquamas. 102. b. ſulcantur, profert 39. onuſtum.
103. b. 36. milio 104. a. 14. copioſiſsimaq; 41. binûm 52.
Thameocnemum. 104. b. 46. prodeunt 106. a. 37. ter=
na claud. ſemina. Semen papaueri æquale eſt, foris &c.
107. a. 10. papauere 22. ſurculos, 107. b. 46. exerunt, co=
lore in purpura cæruleo, 110. a. Icon. capitis 76. Papa=
ueris eſt, non Panici: cuius iconem dedit Tragus 2. 31.
p. 661.

37. l. conferctam, prodeunte è folijs. Increſcente ſpica
à duobus inferioribus geniculis culmi undiq;. 111. a. Ver=
ba hæc in fine paginæ: (Hæc non Cordi Chamæ=
peuce, mihi ignota: ſed noſtra eſt) transferri de=
bent ad iconem proximè ſequentem. In titulo etiam ca=
pitis 79. l. Eadem uideri poterat Erica altera

Matthioli, (quam Dodonęus quoque alteram facit: sed ineptior eius pictura est,) nisi flosculi cōcaui & rubescentes obstarent: qui in Chamæpeuce Cordi, albi & foliacei sunt. 112. a. 10. strictè 14. detractis, cum exaruerunt, tunicis, consp. p. m. quantitate: 114. b. 39. Radicem habet p. & fibratam. 115. a. 4. quòd flos hic intus hirsutus 13. pondus habet. 20. ducat. 27. oblongæ & grandi Colocynthidi, 35. habent, 43. grandi & rot. 116. a. (cuius paginæ numerus emendandus est,) 46. l. auctum, maturescit. Magnitudo. 116. b. 2. cortex. Pulpa 116. b. 41. uerrucis 44. abundanti. est eadem &c. 118. a. 51. Alphitopepones, 52. succo qui 118. b. Colocynthidis icon posita superiùs cap. 97. uidetur potius referenda ad hoc caput 110. 120. b. in Sexta specie Ranunculi l. Vide in Nona specie infrà. 121. a. 50. DECIMAM. 121. b. uersus undecimus, qui incipit, Weisse Bitzwurtz/etc. coniungatur uersui tertio. 122. a. 20. Chelidonio simile est, 124. a. Ad titulum cap. 8. adde hæc uerba: [Olus hoc ipsa Eruca est. Cordus uero Erucæ (cui folia eius & siliquas confert) nomine, Sinapi album hic intelligere uidetur, ut hactenus plerique pharmacopolæ. Eruca Romana quidem, cuius albicant flores, & quam hic describit, nō tam album sinapi folijs refert, quam syluestre à Dodonæo dictum.]

169. a. 17. prætereuntium. 27. inuentu.] 44. pro odorem. l. saporem. 169. b. 38. foliorum quæ præter. 47. Filice exigua. Numeri foliorum 171. & 172. emendentur. 171. a. 2. l. Ea ut facilè conijcio, est Lonchitis altera quorundam, quam &c. Et ad finem lemmatis adde. Viret autem etiam hyeme, de quo Cordus dubitauit, Trago teste: qui etiam radicem eius describit. 41. l. acetabula uocant, figuram imitantes: 171. b. 40. spacijs aduersis, secta: 172. a. Trichomanis icon hic abundat, ut excusatum est superius Cap. 177. 173. a. 45. l. plenum, gustu admodum suauem & uinosum. 174. a. 36. foliaceum. 174. b. 24. tamen, dele. 30. staminibus. E singulis (floribus) binæ 46. De mascula leg. inf. 175. a. 4. Leucoio 7. circunferentia. Singulis 52. antilycium fit, 53. aliqua. Paucis aculeis Pirastri modo sepitur. Materia est dura. 175. b. 8. l. Safftgrün/ (i. uiridis color pictoribus in usu. uide Tragum) 23. Flores & fructus fert 176. a. 37. Pyracantha 42. armatur: 177. b. 1. desinunt, ut Cucurbitæ. Longitudine 178. a. 17. durantia 178. b. 18. Rhombacea, 38. subrotunda sunt. Iuxta 47. pro qui lege cui 179. b. 7. Grawchen/ id est, (Subfusca,) 43. Gritzelicht (Græci κριμνώδης dicunt) & o. s. experte, facili in ore dissolubilique, gustu in dulci 180. a. 36. teneriore & succosiore constant. Sap. 40. uibicibus colore 180. b. 1. Paternianis 6. profundiusculè 10. succosa, gustu subacida, 45. In summa Coretitth. ferè æq. e. sim. sunt. Colore inter 181. b. 12. Augustana, 24. odorisque .812. b. 3. uulgò dictos, una icone exprimere 11. furcisque 18. exornant, 23. Flores uirentes gemmarum 29. committitur, 37. Cùm etiam 39. similis est forma. 52. muniatur, 183. a. 8. Lemmati capitis 13. adscribe hæc uerba. Citrus apud ueteres dicitur arbor, non Citrius, quod nomen Cordus pro Arangio fingit: & à Citro adiectiuū fit citreus, non citrinus. Inde in sequentibus quædā emendabis. 20. myrteoque 24. citrus 27. similis: gustu 42. fulcienda est. Cortices, ramos uestiunt, 44. Citrus 183. b. 5. Citrus 31. insident. 46. decidunt, sed etiam, 184. a. 2. denigrandi 10. ἀπύρηνον 16. rigorem 37. spectantes binis 52. concipiunt. 184. b. 30. tria discrimina 31. sparteis 34. 35. dictæ, 185. a. 41. cohærentibus: materia arboris in solida. Gaudet. 185. b. 4. Eius ad nos duo peruen. 5. expressum. Tertium quoque, Omphacinum, 11. scarific. odore Arangijs ignauiore 46. nouæ inuent. 186. a. 46. Hic ipse est, aut planè cognatus 52. corticis colore, 186. b. 13. occupans, 42. sextantales gracilesque. 189. a. 52. simile, 189. b. Pro Genistæ angulosæ icone ponenda est alia, quam describit Tragus 3. 8 p. 961. & uerba hæc lemmati adscribenda: Tragus hanc simpliciter Genistam, uel Genistam maiorem uocat: sicut & Dodonęus: qui etiam uirgas angulosas ei adtribuit. Aliud Genistæ est, omnium humillimum, quod Chamæspartium Tragus uocat libro 2. cap. 7. coliculis mirè & peculiari quodam modo foliatis, & nodis quibusdam ceu angulis per longitudinis interualla distincti.

28. niueas 35. Lemmati adde: [Hanc, ni fallor, Sparti nomine Fuchsius pingit, Genistæ Hispanicæ Dodonæus.] 46. simili & æquali. 190. a. 3. lege Spartus Hispanicus, uel Hispanica, Gręci enim fœminino gene. proferunt pro stirpe: pro fune autem neutro, σπάρτον. Dodonæus exigua foliola summis ramis appingit, quibus tamen rami adultiores carent. 191. a. Iconi adscribe: Icon hæc est Fabæ Græcę Plinij, ut eruditiores hodie iudicant, nam ante annos uiginti quidam falsò Ebenum, alij Guaiacum uocitabant. 191. b. 12. intus rem. 26. aquæ 193. a. 44. plenam, 45. euanescente fortè legendum. 194. a. 11. Styracis fructus uidetur, fractus. 195. a. 8. Lemmati adde: Meminit eiusdem fructus Anguillara nomine Croni & grani Anescen apud Auicennam. 18. dehiscentes. 21. eximenda atque abijcienda, 196. a. quam, abundat: legi tamen potest tanquam. 197. a. 2. sed magnam 3. retinent. Imbecilliores 14. interior 39. mollis: 41. constans: 49. habentia, 197. b. 7. Chebulas 11. Citrinus, Kebulus, 34. rugosas, 49. scrupulum 51. CHEBVLA. 52. CHEBVLA 198. a. pondus æquante, & intus oblongum. 33. Chebulæ 43. substantia & colore similis: 44. corticem colore 48. commendantem. 198. b. nucibus, abundat, nisi nucum legas. 199. a. 43. Myxa uel Sebasti, quos h. S. a. &, ipsi è Syria translati 53. carne molli, 199. b. 1. lentore, sapore 34. Schœnuantho 39. tenuiori. 200. a. 19. Gangitide 200. b. 46. Smyrnij 201. a. 38. uersicolor: Aceris 201. b. 1. in Lemmate sic l. Centaurium maius quod hic damus, Inulę ferè folia habet, Helueticis alpibus non infrequens. Iuglandis autem folia spectantur in altero genere Italico: cuius folia separatim appinximus. 34. uiscoso 52. corrosum, sapore & odore acerrimum & suauissimum.

uißimum. 202.a.1.Thapsiæ maioris in It.nascentis : & p.I.i.O. nascens, 17. hoc, abundat. 40. constante: gustu 42.afficiente:odore 45. cœpta. Et in fine paginæ adde, Icon sequitur. 202.b. in Lemmate, Thapsia 203. a.21.leuem:gustu. 203.b.23. teretes utroq; latere: 204. a.10.inueterata, 21. capiti 205.a. Ad Mahalebi iconem hæc adscribes: Mahalebi icon, expressa ad ramulum siccum, quem ab amico eruditissimo accepi Lugduno: nuper autem propè Vuesam oppidum, quod diei itinere Tiguro distat, Rhætos uersus, copiosam eandem arbusculam inueni: Tintenbeere uocant accolæ. 205.b 50.splendet: gustu. 206.a.3.acrius multò, 206.b. exhalante q.t.i.e. est, fuluum.c.a.e.crassescit.22.de eo 48.hepati.207.a.19. acescentem. 207.b.6.post, Eligito, addendum puto grumis 24. l. Tertia, ex alpina Populo tantum. Quarta promiscuè, 26. Aegirinæ 30. Semydea 52. habent. Reperitur 208.a.3.scobe 14.Larignæ 24.craßius, Larigna resina liquidius, col. fuluum & pellucidum, St. o. appellatum:35. Masculum, Orobias, 40.pendularum 41. Stagonias 208. b.1.tritione 11. lego, aut ex (uel, in) candido 13. Larignæ 38. Mastichæ 40. Mastiches, 46. DE RESINA ELEMNIA Brasauolus Gummi Helemi uel Elemi scribit. 209.a.31.Cistho 36.trahunt, atq; 51. DE GVMMI, quod Arabicum cognominant. 209.b. 8. DE TRAGACANTHO CAP. CII. adde. ueteres Tragacantham uno nomine fœm.gen. tum fruticem ipsum, tum ex radice eius gummi appellant. Huius capitis numerus omissus erat: quare & sequentium numeros emendabis. 210. a. 6. DE HAMMONIACO Thymiamate uel Ammoniaca (pleriq; enim non aspirant) gutta. 8. thymiama. 9. Agasyllis nom. & i.Libyæ harenis, atq; circa Hammonis 28. Ligustico 210. b. 20. iudicabit. 38. lucens, 44. Cissampeli, 211.a.numerus paginæ emendetur. Iconis lemma, sic scribe: Scammonium, quale Monspessuli demonstratur. 42. diffluens. 211. b. 49. Melisium, 211.post, excedentem, addo, coquitur: 46.tamen ut 47. distent. 211.b.17.zonis, 33.referendæ: cùm 212. b. 1.l.Elæagnus Cordi, ut accepi: & Bellonij. Eadē est Rhus syluestris Plinij Dodonæo. 213.a. 8. De stirpibus 213.b.5. Turcico 213.b.37.mucronem. 214.a.2.post, aluum, adde. Huius species alia maior, ad quatuor cubitos (ni fallor) enascens, fructu distinctius gemino reperitur in montibus circa Curiam Rhætorum: Orchocarpi nimirum (cuius in Sylua meminit Cordus) peculiare genus, rimoso, fisco ac dependente cortice. Eam nobis primus Curiæ doctißimus Io. Pontisella ostendit: qui etiam an rimosus ille pendulusq; cortex ei conueniat, obseruare poterit. 3. simplicia medicamenta 14.post Arbutus, adde, (cuius fructum hæc proximè refert,) 18.urinam 23. magni 31. Cisthum 32. χαμαικίσσαρον 41.post, reperies, adde, suprà lib.4.cap.77. pag.205. 44.dele hæc uerba, si bene m. 46.sinistram. Ibidem, dele, ni fallor. 49.dele, Huius, cum sequente uersu integro, & reliqua usq; ad punctum. 214. b. 5. Dalechampius. 215. a. 1. Chamæmespilus. 216.a.17. post, ostendit.adde. Species quidem priores quatuor, omnino inter se cognatæ sunt: quintam uerò & sextam, etsi multum similitudinis habeant cum illis, generis diuersi esse apparet, tum forma, tum uiribus, 20. folijs est. 31.appelletur 38.appellauit, 52.pro rotundo, l.terete. 217.a.17.studiosa antiquitas t. Gratiarum 33. Lipsiæ. Ibidem, post, fuissent, distingue, et adde, admissurum. 48. munera. 217.b.6.Chalcantho. 219. b. 7. Lignum Ostryæ 220.b.36. liquati uitri 41. Onychis 44. miniaceis. 221. a.8.incanum 12.pilæ. 221.b.9.pro minor, legerem maior. 222.a.45.Tragij.222.b.6:Rhû.8.Cisthus 41.Pyracantha. 223.a.16. Thelycrania 46.fißis. 223. b. 8. Presilium 26. grani 49.splendidißimæ. 224.b.3. Hercyniæ. 15. Chaucorum. 225. a.43.duabus. 225.b.20.ut sunt 21.his omnibus. 226.b. 2. alembicum, 3. destillato 9. Anisi: Fundum 33.modica. 227.a.22.ruffus. 227.b.20.retortæ. 228.a.8. fiat.32.luto 230.a.numerus paginæ omissus addatur. 231. b. 7. Arceuthidū.233.b.30. Recoctauillanos 36. ὀδοιπορίας,) 234.b.35.minimi 37.recoctam. 2·5.a.9. Allium 29. Hyssopi. 35. Flûbirlin arbustum primo. 235. b. 35. Phyllitis.

ΓΑΜΗΛΙΟΝ
MICHAELIS BARTH ANNAEBERGENSIS
AD M. MAVRICIVM STEINMETZ SPONSVM AMICVM S. S. DE sponsa eius Virgine honestiss. Catacharina filia opt. uiri Ioan. Rallæ pharmacopolæ & ciuis Lipsici.

DESIERAM nuper componere inutile carmen,
Decrêramq; animo steriles relinquere Musas,
Hoc tam corrupto commotus tempore, quo nunc
Omnia sunt omnes, quo nec discrimine iusto
Vllus honoratur uates, neq; præmia cuiquam
Pro quamuis magno redduntur digna labore.
Sed fraudes tantùm & crassa ignorantia regnant,
Ac cytharas pulsant miserandæ sortis aselli:
Aut calamos si quando leues tractare liberet,
Decrêram insanos mores uitamq; pudendam
Iniustorum hominum Satyra uexare decenti,
Aut acri stultas Epigrammate pungere mentes.

Donec sunt promissa tibi connubia primùm
MAVRICI nostros inter memorande sodales,
Hic mihi summam aurem uellit Grynæus Apollo,
Admonuitq; & amicitiæ officijq; decentis.

Gratulor ergò tibi præstanti corpore sponsam,
Et fama egregia, & præclara mente puellam,
Quæ tibi connubio & stabili sociatur amore,
Quam tibi, si clari generis mouearis amore,
Et patria, & poterunt sat commendare parentes:
Mater honesta, pater priscos superare Crateuas
Qui queat, herbarum radices arte secando,
Et folia, & flores, ac fructus inde legendo,
Miscendo & sæuos contra medicamina morbos.
Quid quòd ea affines iungit tibi fœdere CORDOS?
Cordatos uerè CORDOS, quos pulcer Apollo
Ingenuas omnes docuit feliciter artes:

Ecquis enim EVRICIO medica præstabat in arte?
Dulcisono quisnam superabat carmine eundem?
Parcite Germani, & pariter mihi credite uates,
Hoc melius nemo ex uobis Epigrammata lusit,
Arguto uix hunc æquauit carmine uates.
Bilbilis alta tuus, tuus aut Verona Catullus.

At tu à tam multis non sat laudate VALERI
Tu patris egregij & decus immortale tuorum
Europam implesti iuuenilis laudis honore,
Tu iuuenis senibus stirpes monstrare solebas,
Herbarum tibi erat subiecta potentia soli.
Patria testatur non hoc Germania tantùm,
Sed docta Ausonia, & terrarum illa inclita Roma,
In qua CORDE tibi tumulum struxere Camœnæ,
Et celeres obitus, tundentes pectora pugnis
Assiduè plangunt, crebra & suspiria uersant,
Nec cessant longum luctus extendere in æuum.

Tertius et dignus patre tali et fratre PHILIPPVS
Præter Apollineas herbas, studiumq; paternum
Impiger ingenium miras intendit in artes,
Quarum ope adinuenit uaria organa, carus ob illud
Principibus multum ipse uiris iam cœperat esse,
Inuida sed cœptum, nobis mors semper iniqua,
Interrupit opus, morientem uidimus illum,
Nec dudum exanimum sepeliuit Lipsia corpus.

Prætereo AVGVSTI tacitus præconia CORDI,
Illius doctasq; manus, animumq; sagacem,
Quis nil Parrhasio, nil concessurus Apelli,
AVGVSTI pingit dum principis ora, uidetur.
Hos CATHARINA uiros iungit tibi fœdere iuncta.

Sed non ista tuam mentem mouere, nec est nunc
Illorum usq; adeò dulcis tibi mentio fortè.
Sed magis eximias dotes, frontemq; pudicam
Respexti, & teneram ætatem, moresq; puellæ:
Quæ quòd honestatem à primis exercuit annis,
Quodq; ætate graues coluit, fouitq; parentes,
Quòd ueneratа Deum pietatis semina rectè
Imbibit, hoc fecit tua pectora saucia telum.
Nec tua in hoc ratio neq; mentis feruor aberrat,
Nam neq; diuitiæ, aut clarorum splendor auorum,
Nec tàm forma decens quenquam effecere beatum,
Quàm si casta domi, & sceleris si pura sit uxor,
Aeterno deuota Deo obseruansq; mariti.
Cætera quæ uulgus stupet atq; ingentia ducit,
Hæc persæpè malis largè concessa uidemus,
Fluxa, caduca, boni pulcro uix nomine digna,
In quibus haud quicquam sapiens fiducia ponit.
Non libet exemplis uti priscisue nouisue.
Cernimus assiduè ueteri à uirtute parentum
Natos deficere, in lepores transire leones,
Ex aquilis molles fieri imbellesq; columbas.
Obuia sunt etiam & notissima nomina eorum,
Qui è Crassis Iri exiguo sunt tempore facti,
Quiq; ob diuitias scelera in peruersa ruentes,
Degenerem egerunt, & agunt hoc tempore uitam,
Nec uerò ullius est plus decantata puellæ
Tyndaridis quàm forma decens, uerum illius ergò
Læsa fides thalami, prostratum nobile regnum,
Tota decennali sudauit Græcia bello,
Raptori exitio fuit hæc raptæq; Lacenæ.
Quid quòd tàm facilè hanc morbus populatur & ætas?
Vt flos in pratis primo spectabilis ortu,
Mox ustus fugiente die languetq; caditq;:
Sic hodie forma quàm ceu florere uidemus.

Illam

Illam craſtina lux torret uel tertia febre,
Depaſcens,pulcrasq́; genas,floremq́; decorum.
Ergo bono fragili ſtultum ergo eſt fidere formæ,
Stultum auro,aut ſola ſibi nobilitate placere.

Inde licet forma tua ſit CATHARINA decenti,
Sit diues ſatis,atq; bonis maioribus orta,
Non tamen hæc animum tibi permouere,puellæ
Sed cantatus honos,& pulcræ gloria famæ.

Ipſa etiam integræ uitæ & præconia laudis
Admirata tuæ,ſtudium admirata medendi,&
Sublime ingenium rebus cœleſtibus aptum,
Eſſe tua & dici uoluit,meruitq́; uolendo.

Quos igitur uirtus,non Iuno pronuba iungit,
Quos Deus omnipotens primæui nobilis autor
Coniugij,ſtabili sociari iuſsit amore,
His bona cuncta omnes,his omnia fauſta precemur:

Turturibus ceu perpetua eſt concordia caſtis,
Sic ſine lite torum teneat concordia ueſtrum.

Vtq; ſocer ſi quando tuus tetrapharmaca miſcet,
Reſinam atq; picem fundit,tunditq́; decenter,
Excipit hinc adipe & cera,atq; ex quatuor iſtis
Commixtis præſtat medicamen nobile & unum:
Sic animæ ueſtræ binæ,ſic corpora bina
Coniugio commixta ſacro,iungantur in unum,
Vna caro fiant, mens una,una inde reſultet,
Nec ſecum pugnans nec diſpar corde uoluntas.
In qua uiuacis ſuperetis ſæcula cerui,
Felicesq́; ſimul plantetis Adonidis hortos,
Oſcula libantes toties dulciſsima uobis,
Coniungunt Paphiæ quoties ſua roſtra columbæ,
Deniq; in amplexus ſic uertite brachia ueſtra,
Vt uarijs hederæ circundant flexibus ulmos,
Nec ſegnes ſterili conſumite tempora uena,
Sed date maturos domui ſolatia fœtus,
Qui pedibus mox calcantes ueſtigia ueſtra,
Et facie referant nobis & mente parentes.


Hæc rata confirmet nutu Deus ipſe benigno
Omnipotens, thalami certiſsimus autor honeſti,
Immenſus qui cuncta gubernat trinus & unus.

FINIS.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. AA.

ARGENTORATI EXCVDEbat Ioſias Rihelius.

Anno M. D. LXI.



IN VALERII CORDI ANNOTATIONES INDEX.

Glaux

Pseudo-

INDEX IN IIII. LIBROS DE STIRpibus Val. Cor.


Braßica


Portulaca

INDEX

INDEX IN VALERII CORDI SYLuam obseruationum.

Lapides






Note on the Illustrations in this book

The woodcuts in this book are curiously good and in most cases there is little or no difficulty in recognising the plant figured. There are in all something over 270 of them.

On page 85, in a letter from Conrad Gesner to Jerome Herolous of Leipzig the source of these cuts is very fully explained. Some 220 of them are taken from "Tragus" (Le Boucq) Neu-Kreüterbuch 2d Edition 1546 - (the first edition had no illustrations). Each cut so used is acknowledged by the reference to Tragus' work printed over it. Those on pp 174, 176 177 & 184 are specially characteristic of Tragus & with others earned him the title of "Homo Iocularis" - Tragus died at Hornbach 1554.

Gesner says that none of the drawings were made expressly for this book with the exception of a few by himself. The printer Rihelius appears to have had a number which were made use of. The drawing of the Sugarcane on p 211 is from the Cosmographia of Munster



Cordus, Valerius:— Son of Euricus Cordus (author of a treatise on the English sweating sickness. Fribourg 1529) was born at Hesse-Cassel in 1515. He travelled all over the mountains of Germany & various parts of Italy to gather simples — died of a wound in the leg, caused by a kick from a horse, in 1544. The following distich is inscribed on his tomb:—

Ingenio superest Cordus, mens ipsa receptaest
Caelo; quod terra est, maxima Roma tenet.

His works are:—

(1) "Remarks on Dioscorides" Zurich 1561
(2) Historia Stirpium. libri V Strasburg, 1561 & 1563
(3) Dispensatorium pharmacorum omnium, Leyden 1627.

Conrad Gesner: The "Pliny of Germany" was born at Zurich 1516 was the first professor of Greek at the University of Lausanne. He was afterwards for 24 years professor of Philosophy at Zurich. Died of the plague in his museum Decr 13-1565. At the time of his death, without issue, there were living descendants of his uncle Andrew Gesner 135 persons of three generations.

He left 1500 botanical figures of which over 1000 were published in the Epitome of Matthioli published by Camerarius in 1586. Of these 948 were again used by Uffenbach for the herbal of Castor Durante, thence they passed to Goerlin a bookseller of Ulm and were used for the "Parnassus medicinalis illustratus" of Becher. 1663. In 1678 they were used in a German Herbal by Bernard Verzacha. They appeared again in the "Theatrum Botanicum" of Zwinger; Basle 1696 & lastly in a later edition of the same book in 1753

Pulteney's Sketches

Book plates of the Earl of Aylesford & John Earl of Bute